OF·GEMS·&·GEM·CUTTING
GEMSTONES·OF·NORTH·AMERICA·PROSPECTING·FOR·GEM
STONES·AND·MINERALS
MINERALOGY·EMERALD·AND·OTHER·BERYLS·CATALOG
EX LIB-RIS
JOHN SIN KAN KAS

Co 990 Crossley
Oct 1977

ROYAL
ENTOMOLOGICAL
SOCIETY OF
LONDON.

2.27+(13)

Royal
Anthropological
Society of
London

HGE

VLYSSIS ALDROVANDI
PATRICII BONONIENSIS
MVSAEVM METALLICVM
IN LIBROS IIII DISTRIBVTVM
BARTHOLOMÆVS AMBROSINVS
in patrio Bonon. Archigymnasio Simpl.
Med. professor ordinarius, Musei Illustriss.
Senatus Bonon. et Horti publici Prefectus
Labore, et Studio composuit
cum Indice copiosissimo
MARCVS ANTONIVS BERNIA
propriis impensis in lucem edidit
AD SERENISSIMVM
RANVTIVM II.
FARNESIVM
PARMÆ PLACENTIÆ ET C.
DVCEM VI.
EFFODIVNTVR OPES



SERENISSIME PRINCEPS

ERRORES naturæ alienos degenerantis in partus Ferdinandi Secundi Ethruriæ Magni Ducis perenni olim ſacrati glorię miram dum à Mediceis pulchritudinem orbibus mutuantur & firmitatem; quid ni pretioſam eiuſdem palabundæ per Mineralium ſinus naturæ fugam ab eodem Bononienſi depræhenſam. Vlyſſe, & inacceſſis propemodum abditę tellutis depromptam. è latebris Tuo ſiſtam in lumine, tanto digniſſime Nepos Auunculo Sereniſſime Princeps? Tuæ hæc ab orbita ſapientiæ circumſcripta, nouiſq; diteſcens Patrocinij Tui fulgoribus poſteris inclareſcet. Quam bellè autem aureo,& gemmeo Principi, qui verè delicium, & ſæculi noſtri pretium es, quidquid rutilat in auro, & nitet in gemmis deuouetur; & ſubterranei lumina firmamenti, quod noſtra indagat Mineralogia, & tot oculis Argus natura,quot metallorum,& lapidum ſcintillis diſtinxit,Tibi verò Italię Soli dicatur! Enim vero ſi metallis ab errantium influxibus ſyderum vis omnis ineſt, quorum lacte adoleſcunt, & vigent; quis ignorat cum Farneſiani cælum ſtemmatis omnia in ſe cæterorum Principum, non ſecus ac Planetarum, tranſcripſerit decora, Tuque illorum omnium in te compendium feceris longè locupletiſſimum, Tibi vni hoc de Metallis opus eſſe ſacrandum? Quis enim plumbeam Saturni grauitatem à Raynucio præſtantiſſimo Auo, electrinam Iouis benignitatem ab Alexandro Vaticanæ Aulæ purpurato;ferream Martis fortitudinem ab Alexandro Duce Belgij quondam fulmine; auream Solis Gratiarum profuſionem, Regiamq; Maieſtatem ab Odoardo parente longè auſpicatiſſimo; Cupream Veneris venuſtatem ab Octauio Duce eximio; hydrargiricam Mercurij prudentiam ab Odoardo S. R. E. Card.; argenteam demum Lunæ ſapientiam ab Heroina armorum,& Pacis arbitra Margharita in te eximiè portentoſa ſplendorum congerie confluere non admiratur? Vt enim miſſum faciam, quem omnium ſæculorum ora deprædicant, Paulum III, quòd immodica luce ora-

tionis hebetet aciem, qui non modo Farneſiano moderatricis inſtar Mentis præfuit cælo, ſed immenſos Romanæ Eccleſiæ rexit Orbes, nec Regijs tantum gazis, at inexhauſtis Dei theſauris opulentus, & ferro fregit hoſtes, & ſplendido Farneſianæ Gloriæ templo auro, & pyropis munificentiſſimè allaborauit, an non Tu perinde ac vnicum Farneſiorum Liliorum Lilium ſeptem, quæ nuper recenſui, aurea grana non aliter atq; Planetarias Maiorum Tuorum exhibes ſphæras, Tuæque orbe complecteris ſapientiæ? Ceterùm quid auri illæ, argenti, ferriq; pręſertim vberes Tuis in agris obortæ ſodinæ è quibus & Auiti præſidia Martis, & pacificæ ornamenta Togæ dimanant; quid tot illæ præclariſſimæ Margharitæ non Indici, aut Perſici Thracijue Boſphori erumpentes e vadis, ſed in inclyto Auſtriacæ, Medicæeq; Aulæ Erithræo promicantes, nonne hæc omnia Tibi hoc Metallicum, Gemmeumq; opus iure adiudicant? Excipe igitur, Sereniſſime Princeps, qua ſoles benignitate, opus, quod tot nominibus Tuum eſt. Hinc vel ferri ſcoriæ Tua humanitate conditæ aurum induent, nam ſæcula ipſa, quæ viuimus, omnino ferrea per Te auro recudi, & gemmaſcere ambiunt; meq; vti ſupplex oro, da, vt vltimos inter clientes Tuos poſtremum poſſim enumerare, dum ſtudio Tibi gratificandi lubens ad lapides, & Metalla damnatus ſexcentas auro Tibi contextas Olympiadas, innumeraſq; ſeculorum Mirrhyadas gemmis conſignatas immortalitati auguror.

Sereniſs. D. T.

Addictiſſimus Seruus

Marcus Antonius Bernia.

BARTHOLOMÆVS AMBROSINVS

Benevolo Lectori S.

Nihil hac tempestate laudabilius apud cunctos esse videtur, quàm perpetuum sui nominis monumentum posteritati relinquere. Quocirca homines honoris, & gloriæ auidi non solum opes, & diuitias, sed propriam quoq; vitam aspernantur. Nihilominus, re accuratiùs considerata, reprehensione potiùs digni sunt iudicandi, qui omnia moliuntur, vt æternum sibi nomen pariant, dum ambitione, & non virtute impelluntur: quandoquidem non quod honestum, & posteris vtile, sed tantùm, quod ipsis futurum est glorioſum, intuentur. Illi igitur tantummodò veram nominis immortalitatem sibi conciliare feruntur, qui, virtutis amore, & iuuandi desiderio ducti, toto molimine, omnium vtilitati impensè fauent. Inter hos procul dubio doctissimus Vlysses Aldrouandus est recẽsendus, qui, post multa volumina in lucem edita, plurimas etiam icones in tabellis incisas Illustriss. Bononiæ Senatui, magnificis honorarijs, eruditissimos quosuis professores inuitanti legauit, vt, facta viri harum rerum periti electione, tandem eædemmet icones historijs decoratæ in lucem prodirent. Quamobrem ego, vt Senatui Illustrissimo imperanti obtemperarem, & tibi gratificarer, typis animantium digitatorum, Serpentum, & Monstrorum historias addidi, & nunc Metallicorum examen cum iconibus vitali auræ committo, vt, Deo fauente, botanologicum opus tandiù desideratum, herbarum imaginibus exornatum in aspectum publicum producatur. Vale candide Lector, & menda libenter emenda; quoniam non ex mente, sed ex insciti a, & incuria typographorum dimanarunt.

Perlege Fossilium Lector studiose volumen
Hoc, quia terrarum continet Orbis opes.

MVſæum hoc Metallicum Magni Vlyſſis Aldrouandi à præclariſſimo Viro Bartholomæo Ambroſino ſtudioſo rerum ſublunarium indagatore extructum perluſtraui Ego librorum Cenſor deputatus ab Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D. D. Card. Ludouiſio Bonon. Archiepiſcopo, & Principi; In quo dum ſubtiliter,atq; ſingulari doctrina Mineralium proprietates enarrantur,admiranda Naturæ arcana eleganti eruditione expoſita mirum in modum eluceſcunt; & quoniam in ipſo nihil Chriſtianæ fidei, vel bonis moribus non conſonum; imò plurima in culturam animorum mirabili pietate exarata reperi, maximo cum fructu, & vtilitate Studentium prælo committi,& luce donari poſſe cenſeo.

Ego Franciſcus Natalis Bonon. in Cathedra Ordinaria publicus Philoſophiæ Profeſſor.

D. Andreas Cuttica Cler. Regularis S.Pauli, Pœnitentiariæ Rector, pro Eminentiſs.& Reuerendiſs. D. Card. Archiepiſc.

VOlumen hoc de Mineralibus, & Lapidibus inſcriptum nomine eximij Vlyſſis Aldrouandi, doctiſſimarum vigiliarum curſu elaboratum, & ad vberiorem doctrinam capientum redactum ab Excellentiſs. D. Bartholomæo Ambroſino, iuſſu Reuerendiſs. P. Inquiſit. Bonon. vidi, & ſanè egregium eſt opus,quod valdè tantum commendat Auctorem, in ipſo enim omnigena eruditione,& mirabili ingenio ſalubris, arcanaq; doctrina Mineralium penetratur, & traditur. Hoc ergo perlecto, attentèq; ponderato, nihil fidei, ac bonis moribus diſſonum inueni: quare ad maiorem Dei gloriam,hominum vtilitatem, & tanti Viri memoriam, in lucem dari optimum eſſe exiſtimo.

Ego Fabianus de Fabianis Philoſophiæ, & Medicinæ Doctor publicus.

Stantibus ſupradictis atteſtationibus Imprimatur ergo
Fr. Ludouicus Maria Calchus S. Theol. Magiſter, & Vic. Gener. S. Officij Bononiæ.

VLYSSIS ALDROVANDI
PATRICII BONONIENSIS
MVSÆI METALLICI
LIBER PRIMVS.

ORDINIS RATIO.

NVllam Philosophiæ partem ad res singulares, & sensibiles attinentem magis arduam illa esse arbitramur, quæ cunctas res metallicas comprehendit: nam licèt tractatus animalium, & vegetabilium, non secus ac fossilium diuturna obseruatione, & frequenti annotatione indigeant; nihilominus ob confusam horum generationem, hæc historia in fossilibus ab inuicem distinguendis non leui premitur difficultate. Vtcunq; sit, nos auri fabrum, seu potius Dactyliurgum imitabimur, qui gemmatum annulum fabricaturus, ex auro obrizo, & infecto primitùs circulum format, deinde encausto illum exornat, & tandem palæ diaphanum lapidem aptat, Iuxta euulgatum distichon. *Dactyliurgus quis.*

Annulus vt fiat, primò colliditur aurum,
Reddere quem pulchrum lucida gemma solet.

Assimiliter talis in præsentia nobis ratio ordinis suppetit, vt à metallis inchoantes per cætera fossilia quandam naturam mediam inter metalla, & lapides participantia, & arti encausticæ materiam ministrantia, descendere debeamus; vt tandem lapidibus, & gemmis hanc curiosam doctrinam terminemus: præterquamquòd hunc ordinem seruantes vestigia communis præceptoris assequemur, qui notiora prius examinanda præcipiebat: Siquidem metalla in comparatione ad cætera fossilia (in frequentiori enim propter monetas sunt vsu) satis nota esse perhibentur. *Fossilia quæ.*

E

DE METALLIS IN GENERE. Cap. I.

ÆQVIVOCA.

RERVM naturalium cognitione nos ad veram Dei Omnipotentis cognitionem euehi, Theologorum, & Platonicorum ſententia teſtificatur: Ideò, examinata animalium natura, ad inanimata ſermonem conuertentes primò in metalla incidemus, & prima facie appellationem Metalli pluribus conuenire rebus inueniemus. Nam Metallum denotat venam, ex qua id ipſum extrahitur, atque excoquitur, F & in hoc ſenſu ſumptum fuit à Virgilio, quando cecinit.

— *Fluit æs riuis, aurique metallum.*

Lib. 8. Aene. Aliquando ſumitur pro Fodina, ex qua Metallum eruitur, quæ à Nuperis Minera appellatur, quoniam Foſſoribus in illa laborantibus latera terræ tanquam murorum eminentiæ impendent, quæ Minæ nuncupari ſolent, & in hoc ſenſu Plinius fodinam auri, Metallum aurarium nominauit. Verùm, quod maiori eſt dignum admiratione, hoc Metalli nomine, fodinæ quoque aliorum foſſilium intelliguntur: Quandoquidem Herodotus in Libya circa Atlantem, Metallum ſalis, & in Carmania Metallum Rubricæ reperiri teſtabatur. Dioſcorides etiam ab hac ſignificatione non receſſit, quando ſcripſit ἐν μεταλλοις λιθινοις, nimirum in Metallis, ideſt in fodinis lapidum. Imò Marbodeus verba faciens de Adamante, hanc gemmam in fodinis Chriſtallorum interdum naſci aſſeuerabat, hoc verſu.

Minera etymum.

Lib. 34. Cap. 7.

Lib. 5. cap. 84.

De Chriſtallorum natum, ſumptumue metallis.

Metalli æquiuoca. Quocirca μεταλλα apud Polybium ſunt cuniculi ad euertendas vrbes accommodati, quoniam Metallorum fodinis aſſimilentur. Interdum Metalli vocabulo aurum ſignificatur fortè per antonomaſiam: Idcircò Pontanus laudes Hermi Lydiæ fluuij arenas aureas ducentis celebrans, Metallum pro auro nominauit hunc in modum. G

Fœlices Hermi ripæ, ditante Metallo.

Miſtura metallorũ Amplius miſturam variorum Metallorum, & præcipuè illorum, ex qua mortaria, Campanæ, lebetes, & bombardę conflantur, nec non illam miſturam, ex qua nonnulla ſpecula fabrefiunt artifices, & cæteri vulgares homines Metallũ vocant; Quamuis poſtea artifices miſturam hanc iuxta maiorem, vel minorem æris copiam, ad opera diſtinguenda varijs vocabulis vtantur; ita vt illam, quæ ad lebetes, Mortaria, & Campanas funditur, Metallum cognominent; illam vero, ex qua tormenta bellica, & ſtatuæ integrantur, Bronzum indigitent.

Parte prima cap. 11. Inſuper ex doctiſſimo Patre Aluaro Ieſuita in Hiſtoria Cinenſi, Metallum à Cinenſibus pro vno elementorum vſurpatur: Cum ipſi quinque elementa, ſcilicet Terram, Aquam, Ignem, Lignum, & Metallum conſtituant. Denique Metallum, ſeu vt H alij ſcribunt, Tritium Metallum, eſt oppidum Hiſpaniæ Taraconenſis, de quo Ptolomeus eſt legendus. Poſtremò ſi Metallum in proprio ſignificatu ſumatur, indicat quoddam foſſilium genus, quod Aurum, Argentum, æs, & cætera huius generis complectitur, de quo fuſiùs in hac hiſtoria agendum eſt.

ETYMVM, ET SYNONIMA.

NONNVLLI vno ore cõfirmant, inter quos recenſetur Ioannes Chryſippus in Hiſtoria de arte Metallica, nuncupata fuiſſe Metalla à verbo græco Μεταλλάω, quod ſignificat perſcrutor, quoniam homines intra fodinas terræ metalla ſcrutari ſoleant. Verùm in hanc ſententiam pedibus ire non debemus, nam Μεταλλάω exponitur quidẽ perſcrutor, ſed metaphora à foſſoribus metallorum deſumpta,

A sumpta, qui per terræ viscera quodcunq; metalli genus inquirunt. Satius erit Eustathij iuditio subscribere, qui hoc etymum deducendum esse existimauit ἀπὸ τοῦ μετὰ τὰ ἄλλα ἰυρίσκεσθαι; Cum aliud Metallum succedsiuè post aliud inueniatur: quandoquidem vna alicuius Metalli vena detecta, non procul alia eiusdem, vel alterius metalli inuenitur: id enim natura Metallis indidit, vt vna apparente vena, Fossores magnam alterius inueniendæ spem concipiant: quapropter Plinius huius rei non ignarus scriptis mandauit, vna inuenta metallorum vena, in omni ferè materia, non procul aliâ inueniri; hinc Græcos iure optimo Metalla nominasse fatetur: non ineptè igitur quidam ad rem canebat.

Lib. 33. cap. 6.

Quod sint sæpè simul Græci dixere Metalla.

Itaque ad significandum hoc fossilis genus, vocabulum metalli in omnibus Græcorum & Latinorum scriptis legimus. Encelius tamen, in Historia metallica, corpus Minerale maius appellauit Metallum, ad differentiam aliorum fossilium, quæ apud ipsum mineralia media cognominantur. Metallum Gallis Metail dicitur, Italis Me-

Lib. 1. cap. 1.

B tallo, Germanis Ein metalli, Hispanis Metal.

Demum Astrologi & Chymici singula Metalla singulis planetarum nominibus vocitant. Plumbum Saturnum nuncupât, Stannum Iouem, Aurum Solem, Argentum Lunam, Æs Venerem, & Argentum viuum Mercurium. Hoc autem inde factum esse scripsit Albertus, quoniam multi Astrologi singula Metalla à singulis planetis progigni sunt opinati. Sed hanc metallorum cum planetis affinitatem, & nomenclaturam Scaliger tanquam ridiculam explodere conatus est. Scripsit enim, quod huiusmodi homines non solum Metallis nomina planetarum assignarunt, verùm quoque nullis moti firmis rationibus multa alia fossilia signis Zodiaci respondere statuerũt, asseuerantes Asphaltum respondere Tauro, Auri pigmentum Geminis, Salem armoniacum Cancro, Arsenicum rubrum Virgini, Vitriolum Libræ, Sulphur Scorpioni, Alumen rupeum Sagittario, Alumen scissile Capricorno, & Salem nitrum Aquario. Sed de his lepida Historia in proprijs capitulis tradetur.

Lib. 3. de miner. cap. 6.

Exerc. 106.

Metallorum nomina iuxta Astrologos.

C

DEFINITIO, ET FORMA.

DISCREPANT inter se Auctores in assignanda Metallorũ definitione & forma. Paracelsus in primis scriptum reliquit Metalla esse partem optimam vulgarium lapidum, & per hanc partem optimam, spiritus, bitumen, oleum, & adipem, lapidum intellexit. Verùm cum idem auctor alibi lapides excrementa, & purgamẽta syderum esse monimentis mãdauerit, iustis de causis, iuxta eiusdem mentẽ, Metallum esse partem optimã excrementorum cæli statuendum erit; sicq; hæc Metallorum definitio inter portẽta Paracelsi erit collocanda. Geber Arabs rectiùs Metallum definire videtur, dum Metallum declarat corpus fossile, & fusile, quod malleo in omnem partem extenditur, & dilatatur. Alij censent dicendum esse, Metallũ esse corpus perfectè mixtum similium partium ea prædominãte humida exhalatione, vi superni caloris, in venis terræ productũ, per congruam luminis, & motus mensuram elaboratum, & tandem frigore congelatum. Hæc est nimis diffusa Metallorũ

Paracels. opinio.

Geber Arabs.

Lib. 1. Alchim. cap. 31.

D descriptio, veluti nimis arcta est definitio eorum, qui voluerunt Metalla esse vapores cum quadam exhalatione, vehementia frigoris condensatos. Satius igitur erit asserere Metallum esse corpus fossile durum, igne fusile, & quod in sua natura consistens in omnem partem malleo extendi potest; quoniam nulla res inuenitur, quæ malleo dilatetur, & non sit Metallum. Hinc colligimus Argentum viuũ nullo modo inter vera metalla collocandum esse. Quarè sententia hæc menti Aristotelis magis conformis esse videtur; cum ipse atte stetur quicquid ex terra eruitur, & ab ipsa fuerit repurgatum, deinde igne liquatum, & ἐλατὸν à cunctis iure optimo Metallum esse nominandum: ἐλατὰ enim ab Aristotele nuncupantur quæcunq; malleo in latum, & in profundum dilatari possunt. Animaduertendum autem est, quòd metallũ à cæteris corporibus fossilibus eatenùs distinguitur, quatenùs hoc corpus fossile, & fusile, durum violentia caloris liquefactum, & extincto calore refrigeratum, ad pristinam duriciem & formam reuertitur: cum multi lapides durissimi igne fundan-

Li. 4. Meteor.

Metallorum natura.

tur, nihilominus refrigerati duriciam quidem,ſed non propriam formam acquirũt. E

Quoad formam Metallorum, Calliſthenes cenſuit omnia metalla eandem formã ſubſtantialem ſortiri; hac de re Metalla inter ſe ſpecificè, & ſubſtantialiter,diſtincta verò accidẽtaliter conuenire debent.Huic ſententiæ nemo ſuffragatur,nam affectiones, & Metallorum diuerſæ proprietates totum oppoſitum indicare videntur: ſiquidem ſingula Metalla ſingulis, & varijs gaudent affectibus, quibus variè illorum naturæ manifeſtantur. Hermes, & alij voluerunt in quolibet Metallo plures ſpecies, & formas ita eſſe collocatas, vt alia occulta, & alia manifeſta, alia interna, alia externa, alia in intimis, alia in extimis partibus cuiuſcunque Metalli contineatur.Imò hanc ſententiam ſtabilientes aſſeuerantius dixerunt partes plumbi penitiores eſſe aureas, & in ſuperficie plumbeas, & viciſſim partes auri exteriores aureas, & interiores plumbeas; & ſic deinceps, de Aere,& Argento idem confirmandum eſſe arbitrantur. Cæterùm nos eſſe huius opinionis vehementer pudet, quoniam res homogenea expoſtulat, vt omnes illius partes eiuſdem rationis eſſe conſtituantur: Metalla autem tanquam homogenea omnes auctores prædicant; idcirco ab iſtorum ſententia recedere debemus: præterquamquòd aurum igne non aduritur, plumbum verò ignis violentia, & præcipuè ſulphure conſperſum penitus conſumitur; nihilominus aurum intactum remanere deberet,quod iuxta eorũ mentem in intimis plumbi partibus latibulatur. Sed hoc cum experimentis reluctetur, neceſſariò ſententiæ Alberti Magni accedendum erit, qui vnicuique metallo ſuam formam ſubſtantialem aſſignauit: neque officit, quòd ſæpius experti ſumus, nimirum ex libra plumbi tantam argenti quantitatem fuiſſe extractam,quæ pendet ſcrupulum vnum & grana quatuor, quoniam ibi argentum ſub forma plumbi occultatur.Id autem experimentum fieri non eſſe in vſu affirmamus,quia compendium à diſpendio ſuperatur. F

Opiniones auctorum circa formam metallorum.

Lib. 3. de Miner. trac. 1. ca. 7.

Argentũ eſt inflũbo.

METALLORVM GENERATIO.

ALIQVI Auctores non proletarij de Metallorum ortu pauca,ſed admiratione digna delibant, dum illis ſeminalem aliquam generationem aſſignant, & Ariſtotelis fiſi verbis, plantarum ritu,metalla produci poſſe inſinuant: cum ipſe Ariſtoteles referat in Cypro iuxta Tirrham nuncupatam, æs generari, quod in parua fruſta diſſectum ſeminetur,& deinde multis imbribus auctum colligatur.Idem ex aliorum fide teſtatur circa Philippos Macedoniæ metalla eſſe, quorum fruſta augeantur, & aurum producant. Imò meminit cuiuſdam auri copiæ in Pieria Macedoniæ defoſſæ, quæ ad palmi magnitudinem excreuit. Res profecto iocoſa & riſu digna videtur, ſed nulla teneri debemus admiratione, quoniam citatus Ariſtotelis liber iuxta doctiſſimorum virorum ſententiam, ſpurius & illi adſcriptus eſſe perhibetur. Cæterùm hac non minus ridicula eſt illorum opinio, qui à mundi primordio cuncta metalla,& lapides eo modo procreata fuiſſe, quo noſtra ætate à fodinis eruuntur, & nulla ratione in dies generari exiſtimarunt. Attamen res ipſa totum oppoſitum manifeſtat; nam veteres fodinarum cuniculos ſatis amplos à fofforibus fabrefactos, nunc obſeruamus ita in anguſtum redactos, vt aliquem tranſiturum minimè admittant. Hoc autem non ab alia cauſa pendere poteſt, niſi ab augmento materiæ; ex qua lapides & metalla generantur. Præterea Scriptores referunt,quòd in Ilua inſula metallum ex fodinis ablatum non multò poſt renaſcatur. G H

Lib. de Admir.

Metalla fata.

Metallũ renaſcitur in Ilua.

Hermes Triſmegiſtus foſſilium partui cælum tanquam patrem, & terram tanquã matrem aſſignauit;imò ſtellas fixas tanquam gemmarum parentes,& ſtellas errantes tanquam metallorum prædicauit, hac potiſſimùm ratione motus, quoniam gemmæ firmiori natura ſolidentur, ſed metalla tanquam inconſtantia modò liquata fluant, modò congelata durescant: quare ſi proles ingeniũ parentũ referre debet,neceſſariò gemmas ex ſtellis fixis,& metalla ex erronibus originem trahere pronunciauit.Aliam Encellius diuulgauit ſententiam,nimirùm quòd veluti Deus Optimus Maximus animalium primordia marem, & fæminam conſtituit, quorum ſemina copulata fœtum producerent,pari ratione in rebus metallicis idem ſtatuiſſe videtur,dum cunctis metallis Sulphur tãquam patrem, & argẽtum viuum tanquam matrem deſtinauit; quorum

Lib. 1. de hoc metal. cap. 1.

A rũ congressu metalla successiuè resultarent. Imò quemadmodum ex solo patre, vel ex sola matre nullus emergit fætus; ita ex solo spiritu fætente, vel ex sola aqua sicca nulla metalla generantur. Solent enim Chymici hæc metallorum principia ignotis nominibus occultare, dum, per spiritum fætẽtem, sulphur, & per aquam siccam, argentum viuum intelligunt. Quamuis igitur ex sulphure, & argento viuo congredientibus metalla diuersarum specierum procreari possint; nihilominus Natura, ex mente Encellij, semper perfectissimum metallum, scilicet aurum producere nititur; sed, ob varia accidentia, varia etiam metalla transformat. Idem addit, quòd iuxta puritatem, & impuritatem sulphuris, & argenti viui, pura, & impura metalla dimanant. Sed vt magis id innotesceret, considerat substantiam argenti viui, & sulphuris proportionabiliter mixtam, & diuturna & temperata decoctione in visceribus terræ mundæ diligenter densatam cum humore radicali non corrumpente redactam ad quid fusile, & malleo, cedens producere aurum tanquam perfectissimum naturæ filium; sed quando mixtio argenti viui paululum immutatur, argentum oritur tanquam filia
B auro fratre ignobilior (sunt enim, iuxta mentem Chymicorum, aurum, & argentum fratres) vicissim quando substantia impura argenti viui, & sulphuris sine proportione mixta est, & in visceribus terræ minus decocta, neque iuxta modum superius assignatum densata, tunc stannum, aut plumbum, aut cuprum, aut ferrum resultat. Hæ sunt operationes, quæ ex prædictis principijs emergere possunt. Sed vt veritatem fateamur, infiniti prorsus est negotij originem metallorum inuestigare: quapropter quidam Poeta iustis de causis canebat.

Aurum & Argẽtum sunt fratres.

Nec minus his mirum, si quis primordia possit
Scire, quibus constet puri genus omne metalli.

Conabimur tamen quatuor causarum genera meditantes, veram metallorum originem inuestigare, omittentes consultò eorum sententiam, qui opinionem Encellij defendere nituntur; dum metalla in fornacibus liquefacta argento viuo similia, & sulphureos halitus spargentia contemplantur; quoniam metalla neq; sulphur, neq; argentum viuum esse affirmandum est. Hinc Auctor libri de compositione magni
C lapidis prædictam opinionem saluare volens, scripsit metalla neq; ex sulphure, neq; ex argento viuo constare, sed ex quadam substantia, quæ vtriusq; naturam participat. Deinde animaduertit obseruandum esse sulphur putrefactum, quod in aerem attritum facile vertitur, quem postea Philosophus argentum viuum nominat; quod iuxta variam crassitiem, & tenuitatem, nec non diuersitatem loci, in varias metallorum species transmutatur. Hæc omnia Chymicorum nugamenta esse arbitramur, primò, quia rationes illorum experientię repugnant, dum pro comperto habemus in nonnullis fodinis aurum, & argentum generari, in quibus nulla penitùs portio sulphuris, vel argenti viui reperitur: deinde idem locus vtriq; non potest esse peraccõmodus, cum natura sulphuris à natura argenti viui summopere discrepet: pręter quamquòd si sulphur (vt aiunt) est metallorum pater, non poterit ingredi metallorũ mixtionem; cum idem duo munia scilicet causæ efficiẽtis, & materialis obire minimè queat. Neq; audienda est eorum sententia, quæ apud Albertum Magnum, attribuitur Democrito, scilicet metallorum materiam ex calce & lixiuio constare; nec mi-
D nùs illius Gilgil Mauri pro materia eorumdem cinerem aqua madidum prædicãtis: quamuis, secundum aliquos, ipse, postposito cinere simplici ex lignis combustis genito, terram comminutam intellexerit. Quidam pro materia metallica ponunt aquã tenuissimam, & candidissimam cum terra pariter tenuissima mixtam; sicq; non videntur recedere ab Agricolæ doctrina; cum metalla instar aquæ vi ignis liquata fluant, & frigore densentur, qui fortè causam materialem ad mentem Alberti Magni, humidum vnctuosum subtile, sicco terrestri attenuato, optimè permixtum constituere voluit.

Chymicorũ opiniones circa causas metallorum.

Lib. 3. de Miner. Tract. 1. cap. 4.

Lib. 4. c. 5. de ortu subter.

Braceschus in Dialogo inscripto (lignũ vitæ) de causa materiali metallorum hæc, protulit nimirum, ex terra & aqua simul mixtis, & adustis resultare chalcanthum, vitriolum vulgò nuncupatum, ex quo postea tanquam ex materia prima cuncta metalla prodeunt; & hoc inde verum esse cõfirmat, quia metalla soluta chalcanthi naturã adipiscuntur. Imò Theophrastus Paracelsus in libro Auroræ Philosophorum, quem Monarchiam appellat, scripsit Vitriolum præ cæteris nobile esse minerale ve-

Cap. 12.

Aenigma Chymicorum.

lata tũ à Philoſophis ſub ſequenti ænigmate. *Viſitabis Interiora Terræ, Rectificando Inuenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.* Primæ enim litteræ prædictorum verborum formant hoc vocabulum (Vitriolum) in quo, vt ipſe aſſerit materialia metallorum principia conſiſtunt: namq; chymicis organis ſublimando vitriolum minerale, elicitur oleum, quo metalla in primam eorum materiam reducuntur. E

Li. 3. Meteor. cap. vlt.

In tanta opinionum varietate cõfugere debemus ad cauſam materialem ab Ariſtotele, & eius aſſeclis propoſitam, qui exhalationem ſiccam omnium foſſilium materiam, & halitum omnium metallorum eſſe prædicat. Græci vtranq; exhalationem ἀναθυμίασιν vocare ſolent, nos priorem, quoniam eſt aquea, vaporem, alteram, quoniam terrea, halitum indigitare ſolemus. Sed non eſt credendum, quòd vapor ſine halitu, & halitus abſq; vapore metalla, & cætera foſſilia producat: ſemper enim alter alteri miſcetur, & id iuxta prædominium intelligendum eſt, ficq; exhalationis tot erunt conſtituendæ ſpecies, quot ſunt res, quæ ab ipſis dimanant: hinc materia generationis omnium metallorum manifeſtatur: etenim ille halitus intra rimas ſaxorum, & terrarum receptus, frigiditate denſatus, tandem in hoc, vel illud metallũ tranſit; quatenus ex hac, vel illa materia ſublimatur. Et hoc in vèritate verſari eſt clariſſimum, quoniam ſi metallicarum venarum ſaxa mutentur, non effundunt in poſterum talia metalla, qualia illinc antea effodiebantur. Exit igitur è viſceribus terræ halitus παντόμορφος nuncupatus, qui implet porros terræ ſubtilis & puræ, illiq; copulatus tranſit in aurum, & quando peruenit ad loca impura, & frigida, fit plumbũ; nam quò magis depuratus fuerit locus, quem petit halitus, eò pulchriora reſultabũt metalla, & viciſſim in terra ſicca, & impura cohibitus partum ferreum enitetur, & ſic deinceps de reliquis metallis diſcurrendum eſt. Vnde coniectare oportet opinionem Agricolæ eſſe explodendam, qui metalla ex ſucco, & non ex halitu gigni eſt arbitratus, cum tamen iugi obſeruatione experiẽtia doceat filamenta quæ clam quaſi capillos tenuiſſimos in fodinis aurarijs, & argentarijs emergere, quæ ab halitu & non à ſucco concreta eſſe manifeſtè indicant. Imò Scaliger id euidentius ſtabilire videtur, dum aurum in Vngaria filamenti ſpeciem præ ſe ferens prodire pronũciat. F

Mutatus locus venarum fohsilium impedit generatione.

Exere. 102.

Non igitur adhærendum erit eorum opinioni, qui crediderunt ſimpliciora, & minus perfecta metalla primum ex halitu dimanaſſe, deinde ex his cætera omnia per magis exactam, & elaboratam coctionem generari: ita vt aurum & argentum perfectiſſima, & abſolutiſſima eſſe feranturæ; ctera verò tanquam diſpoſitiones, & viæ ad illa habeantur. Hæc ſententia prorſus refellenda eſt, quandoquidẽ metalla ſpecies eiuſdem generis conſtituuntur, & ſpecies non ſunt ita à natura diſpoſitæ, vt vna ad aliam dirigatur, ſed æquè primò ſub eodem genere comprehenduntur; non enim aurum & argentum magis compoſita cæteris eſſe dicuntur, ſed æquè primò ac cætera metalla ex halitibus generantur. Itaq; concludendum eſt circa cauſam materialem metallorum, Platonem & Ariſtotelem idem ſentire; quemadmodum Olympiodorus, & alij teſtificantur: ambo enim halitum terreum & ſiccum materiam illorum conſtituunt. Ideò nobis non arridet Agricolæ ſentẽtia, quando aduerſus Platonem & Ariſtotelem arguit non eſſe veriſimile tot halitus ſimul concludi poſſe, vt tanta metallorum copia ab illis emergat, quanta ex fodinis in dies extrahitur. Debebat animaduertere Agricola, quod exhalationis magna copia in viſceribus quidem terræ reperitur, & ſucceſſiuè noua facillimè generatur, quæ non ſolum vi radiorum ſolis à terra, & aqua elicitur, verùm quoq; ex aere frigore terræ condenſato generatur. Denuò quando argumentabatur Agricola, ſi metalla ex prædicta conſtarent materia, procul dubio dum ſoluuntur in prædictum halitum, & non in aquam abirẽt. Sed oportebat vt Agricola meditaretur metalla à calore igneo ſoluta, non quia ex aqua, ſed quia ex materia aquea congelata generãtur, & quando funduntur, non in aquam, ſed in humorem mixtum fluẽtem tranſeunt, qui ſi poſtea in propria principia ſolueretur, procul dubio in halitum verteretur. G H

In li. Meteor.

Lib. 5. de Cauſ. ſubter.

Cauſa materialis metallorum.

Hactenus de materia metallorum dictum ſit; iam noſtra intereſt alias tres cauſas formalem, efficientem, & finalem ponderare. Si reſpiciamus formam, multi, inter quos fuit Galenus, temperamentum formam ſubſtantialem metallorum eſſe voluerunt. Nobis autem magis placet ſententia Ariſtotelis, qui formam metallorum perfectionem, & actum à temperamento diſtinctũ eſſe promulgauit: dummodo ſuppo-

natur

A natur temperamentum tanquam necessaria materiæ affectio, ex cuius perfectionis, & formæ varietate, variæ metallorum species consurgunt. Circa causam efficientẽ, nonnulli perperã censent metalla veluti animantia,& vegetabilia à simili specie generari. Alij diuulgarunt causam efficientem esse sulphur, quo omnis materia metallica coquitur; quapropter cuncta metalla,dum comburuntur,sulphur redolent,cum tamen ob halitum siccum & terreum, odorem sulphureum spargant. Satius erit vnà cum Auerroe non aliam causam efficientem petere, nisi elementa, & corpora cælestia: quamuis postea causa magis proxima, & propria sit qualitas, quæ immediatè alterat,& generationem metallorum perficit. Postremò causa finalis est cõsideranda, quæ hoc in loco duplex, altera generationis, altera rei genitæ esse perhibetur. Finis generationis est metallorum forma,qua præsente & metallum tanquam genitum, & sua natura præditum commẽdatur,at finis metalli geniti erit perfectioMundi; Mundus enim est specierũ plenitudo,vt Plato in Timeo asseuerauit,præterquamquod metalla varios vsus,& innumeras vtilitates hominibus afferunt, de quibus suo

B loco verba fient.

Li.4.Meteor.in fin. Proem.

Causa finalis metall.

Examinata naturali metallorũ generatione,aliquid etiam de artificiosa astruendum erit; nam multi, inter quos primas tenet Albertus Magnus, nihil diffitentur metalla artificiosè gigni posse: primitus fieti auctoritate Aristotelis, qui aliquando artem vel imitari naturam, vel illam perficere monimentis mandauit; ideoq; liberè asseuerant cũ extrema procreari arte possint,media pariter eodem modo in medium prodire posse. Nanq; arte elementa, veluti ignis ex ligno, oleo, & similibus educitur: cum tamen elementa metallis viliora esse ferantur. Similiter arte ex taurorum, & equorum cadaueribus animantes, nimirùm apes, & vespæ resultant, quæ animalia metallis præstantiora pronunciamus; ergo iuxtà eorum sententiam, media quoq; nempe metalla arte generabuntur. Opus erat, vt huius sententiæ fautores animaduerterent artem esse habitum mentis,& qualitatem,sicque accidens totis viribus nũquam substantiam producere valet, & quando artificio quodam plantam, calcem, & similia progigni obseruamus; notandum est id arte fieri, quatenus naturę famula-

C tur, quæ, cognitis rerum Physicarum causis, agentia patientibus apprimè accommodat. Artifex autem, vt id præstet, agentium & patientium vires naturales exactè cognoscere, & congruas rationes pro constituendo rei temperamento habere debet; vt inde forma educatur. Tandem opus est, vt principia necessaria ad rem efficiendam in manibus artificis liberè versentur, & horum vno deficiente, ab arte nihil prorsus resultabit. His positis asseuerantius dicendum erit, artem nec tanquam partem principalem, nec tanquam naturæ instrumentum posse metalla generare; nam si consideretur vt præcipua causa, nulla ars substantiam efficere potest,vt superius fuit enucleatum; nec etiam quatenus est instrumentum naturæ, quoniam ei nullæ conditiones enumeratæ competunt, siquidem non nisi confusa primordij metallorum cognitio habetur, & ignotæ sunt rationes, & proprietates, quibus magis hoc, quàm illud metallum in lucem prodeat. Quamobrem Auerroes, his omnibus diligenter consideratis, hanc artem meritò aspernatus est, quia metalla tantummodo purgare,& noua minimè procreare valeat.

Lib. 2. Physic. Tex. 79.

Generatio artificiosa Metallorum.

Lib. 1. cap. 1. Cõmen. de Gen. Anim.

D Ex parte metallorum,ea gigni arte asserunt,quoniam ex prima elementorum cõpositione consurgant, & sicuti ad mentem Aristotelis, elementa habentia inter se symbolum facile ad inuicem transmutantur. Similiter metalla, cum similem ferè naturam sortiantur, & hæc facile permutari poterunt. Addunt etiam id fieri posse, quoniam quod est idoneum ad coctionem, & non est perfectè coctum, & pariter impurum, vt sunt metalla multa, non solum coqui, sed etiam purgari artis ministerio potest. Has rationes nullius esse valoris comperimus, quandoquidem metalla qualitatibus parùm alterantibus sunt insignita, & animæ sunt expertia; vnde nec mutuo se se alterare, nec sibi simile generare queunt: ideò artifex nec per mutuam horum connexionem, nec per eorum seminis cum certa materia copulationem poterit ita metalla producere, quemadmodum elementa plantas, & animantia generat. Ex conducentibus generationi metallorum posse, beneficio artis, metalla,consurgere arguunt, nam si metalla naturalia ope caloris iuxta modum temperati in lucem prodeunt, sic volunt quòd artifex calorem cum frigore ad libitum temperet. Sed addendum

Lib. 2. de Gen. & corrup.

dendum erat, quòd gradum caloris naturalis in officina metallorum agentis nunquam artifex aſſequi valet: præterquamquod ſi locus generationis metallorum conſideretur, hic non omnis ad eorum generationem confert: cum Plato ſcriptum reliquerit naturam varijs rerum generationibus, varia quoque loca deſtinaſſe: hac de cauſa locus à Porphyrio pater, & principium generationis appellatur. Non igitur vbique locorum metalla, plantæ, & animalia indiſcriminatim oriuntur. E

Tandem ab experientia artium omnium parente, fautores Halchemiæ probant ex fabricato Philoſophorum lapide cætera metalla, & potiſſimùm aurum, & argentum dimanare. Verùm nos abſurdius hoc imaginari non poſſumus; cum ex corpore vno, & vnius naturæ varia, & diſtincta proximè gigni nequeant; ſiquidem diſtinctarum ſpetierum proxima principia varia conſtituuntur, & metalla inter ſe maximè diſcrepant. Deinde lapis ille philoſophicus vel corpus ſimplex, vel mixtum erit nuncupandum, non ſimplex, quia elementi naturam indueret, neque mixtum; ſic enim vel eſſet metallum, vel non; ſi metallum, iam patefactum eſt, vnum metallum ab altero non proſilire, conſequenterq; ab vno metallo cętera non exibunt. Sin ſit ſolum lapis, vt Chymici aſſerunt, nec etiam inde metalla conſurgere poſſunt, quoniam vnius rei, vnus generationis modus aſſignatur; cum metalla abſque tali lapide in viſceribus terræ a natura formentur. His addamus, quòd nemo virtute Halchemiæ ingens diuitiarum pelagus eſt aſſecutus. Ad rem ſcribit Cardanus parentem ſuum operam Halchemiæ diligentem nauaſſe, nec inde maiorem auri farraginem cumulaſſe. Nero quoque pro cognitione huius artis immenſos ſumptus, & ſummam curam adhibuit, & peritiores artifices conuocauit, & tandem ſumma diligentia, & iugi experientia adhibita hanc artem inanem, & deſpiciendam eſſe cognouit. Et ſi nonnulli beneficio huius artis aurum, & argentum produxiſſe referunt, deinceps non narrāt eorum conditionem, progreſſum, & quantitatem, quoniam grauem in ſuis facultatibus ruinam acceperunt. Narrauit nobis vir doctus & fide dignus, qui operam Halchemiæ diuturnam dederat, ſe tantùm ſemel aurum exiguæ molis magno diſpendio effeciſſe, & deinceps frequenter idem opus molientem, ſemper ſpe truſtratum, oleum, & operam perdidiſſe. F G

Halchemiæ ars qualis.

DIFFERENTIÆ.

DE metallorum ſpeciebus inter auctores ſententijs variatur; ſed vt cunctis hoc ſit exploratum, foſſilium differentiæ in primis ſunt pōderandæ, quoniam diuiſio obiecti reſpicere debet illam ſcientiam, cuius eſt obiectum. Ariſtoteles igitur duo metallorum genera, nempe Foſſilia, & Metallica aſſignat, licèt foſſile in lato ſignificatu acceptum omnia a fodinis eruta comprehendat, & hoc modo metalla quoque complectitur; verùm in arcto ſignificatu ſumptum foſſile, à metallicis diſcriminatur. Encellius foſſilia corpora in maiora, & minora diſtribuit per maiora mineralia, intelligit metalla, quæ vel perfecta vt aurum, vel quaſi imperfecta vt argentum conſtituit cætera vt imperfecta, veluti Stannum, Plumbum, Biſemutum, Æs, & Ferrum pronunciat, & pro minoribus mineralibus reliqua foſſilia demonſtrat. Theophraſtus quoq; foſſilium duas tantùm differentias aſsignare videtur, dum hæc partim ex aqua, vt metalla, partim ex terra vt reliqua metallica conſtituit. Galenus foſſilia in triplici diſcrimine collocat, dum varias terras, diuerſos lapides, & metalla diſcrepantia enumerat. Albertus magnus, quem Beringutius, & multi alij ſequuntur, tria genera foſſilium, nempe lapides, metalla, & media mineralia manifeſtauit, & per media mineralia Sal, Alumen, Nitrum, Pyritem, Atramentum, & alia huius generis intellexit, quæ partim naturam metallorum, partim naturam lapidum ſapiunt. Auicennas, referente Alberto, foſſilium quatuor differentias inuulgauit, eaſque lapides, ſulphura, ſales; & metalla nominauit. Tandem apud alios auctores, quatuor foſſilium capita in lucem prodeunt, ſuntq; Terræ inſignes, Succi concreti, Lapides, & Metalia, quam diuiſionem Dioſcorides amplexus eſt. Hæc diuiſio pleriſque, & potiſsimum Cardano arridere videtur: namque foſſilia vel liqueſcunt, & redeuntia in priſtinam formam durę ma- H

Li. 3. Meteor. capit. vltimo.

Lib. 1. de Re metal. cap. 1.

In lib. de lap.

Lib. 9. de ſimp. med. fac.

Media mineralia quæ.

Lib. 5. de mat. Medic.

A nent, vt sunt metalla, dura enim bifariam intelliguntur, quæ nec facile cedunt, nec facile franguntur; huius conditionis sunt, quæ dilatari possunt; vnde Bitumen extenditur, sed non resistit, Chrystallum & Stibium resistunt, sed non dilatantur, dum percussa facile franguntur, quæ liquefiunt, & dum pristinam formam acquirunt, nõ sunt dura, vocantur Succi, quæ non liquescunt, & dura sunt, Lapides dicuntur, tandem quæ sunt mollia, & facile in partes minimas transeunt, Terræ cognominantur; Hinc quatuor simplices fossilium differentiæ colligẽdæ sunt, scilicet Metallum, Terra, Succus concretus, & Lapis; Nam similis ordo in hac historia seruandus est. Cæterùm, præter has simplices quatuor differentias, aliæ compositæ ob communem fossilium generationem oriuntur; quales sunt succus Lapis, succus terra, succus Metallum, Metallum lapis, metallum terra, & terra lapis, succus terra Lapis, succus terra metallum, succus lapis metallum, terra lapis metallum, & deniqu succus lapis terra metallum.

Fossilium differentiæ compositæ.

Hactenus de fossilium differentijs pertractauimus, nunc metallorum species sunt
B examinandæ. Nonnulli opinantur aliquas metallorum species perijsse, & fortassis aliàs hodie nobis ignotas à posteris fore obseruandas: qua de re non adhuc de numero metallorum Auctores conueniunt. Chymici species metallorum non esse perfectas euulgant, quoniam imperfectiores ad magis perfectas reducendas esse existimant. Nihilominus dum ipsi concedunt sub genere metalli plures species contineri, semper genus metallorum non aliter in suas species, quàm genus lapidis, vel aliquod aliud genus in proprias species erit distribuendum. Itaque à multis septem differentiæ scilicet, Aurum, Argentum, Æs, Ferrum, Electrum, Stannum, & Plumbum enumerantur. Valesius quinque tantùm species, nempe Aurum, Argentum, Æs, Ferrum, & Plumbum constituit, quoniam Stannum ad Plumbum, Electrum ad mixturam Auri, & Argenti, Aurichalcum ad æs tinctum, & Chalybem ad Ferrum reducit. Alij inter metalla, Aurum, Argentum, Æs album, Ferrum, Chalybem, Aurichalcum fossile, Plumbum album, nigrum, & cinereum recensent. Geber sex tantum metalla scilicet Aurum, Argen-
C tum Æs, siue Cuprum, Plumbum, Stannum, & Ferrum demonstrat; cum apud ipsum tot sint corpora mineralia fossilia, & sub malleo ad omnem dimensionem dilatabilia; Inter tot, & tantas de numero metallorum opiniones, duæ solum nobis probabiliores esse videntur; quarum altera septem differentias nempe, Aurum, Argentum Æs, Ferrum, Plumbum, stannum, & Argentum viuum recenset; altera verò sex tantùm species probat, remouet enim stannum tanquam id, quod ad Plumbum facile reducatur, & quamuis argentum viuum cæterorum metallorum conditionibus gaudere non videatur, cum liquefactionem, & dilatationem non patiatur; aliquo tamen modo, virtute, & potentia metallum nominatur; sic enim à sententia Chymicorum non recedemus, qui & ipsi metallorum septem habent species vt legitur in testamento Hadrianeo, vbi lapis Philosophorum sic loquens introducitur.

In lib. de sacr. Phil. c. 49.

Lib. 1. de Alch. ca. 31.

Metallorum species septẽ.

——————— *mea pronus adorat*
Sceptra metallorum synodi septemplicis ordo.

D Quare Astrologi vnà cum Chymicis septem quoq; metallorum differentias iuxta numerum planetarum commendant; dum Aurum Soli, Argentum Lunæ, Plumbum Saturno, Stannum Ioui, Ferrum Marti, Æs Veneri, & Argentum viuum Mercurio assignant; Imo plerumq; nominibus planetarum metalla ipsa indigitant. Quamobrem si communis Auctorum opinio argentum viuũ à metallis non segregat, nos quoque huic cætui Stibium, vel Antimonium addemus, hac diuisione vtentes. Metalla vel sunt dura, vel liquida, ad liquida Argentum viuum reducitur, dura, vel sunt pura, vt aurum, & argentum, vel impura, & hæc adhuc sunt in duplici discrimine constituta, vel sunt duriora, vt Æs, & Ferrum, vel molliora, vt Plumbum, Stannum, & Stibium, quod breui artificio ad Plumbum reduci potest. Iam enumerata sunt metalla simplicia, supersunt mixta memoranda. Natura enim in visceribus terræ simul miscet, vel duo metalla, vel tria, vel quatuor, duo multifariam, vel enim miscet auro argentum, vel argento aurum, aut æri aurum, vel argentum, aut vni ex plumbi generibus argentum vel æs, vel ferrum, aut miscet ferro vel ar-

Metalla mixta qualia.

argentum, vel æs, vel aliquid ex plumbi generibus; raro tamen plumbo candido, E
Electrũ quid ſit. vel ferro aliquod metallum immiſcet, & plumbo nigro, vel cinereo nil aliud quàm argentum addit; & hæ miſturarum ſpecies nominibus carere dicuntur, præter duas, quarum vna vocatur electrum, quando quinta auri portio quatuor argẽti partibus permiſcetur; altera dicitur ſtannum, quando tertia plumbi nigri portio duabus argenti additur.

Nonnulli ſunt, qui alias ſimplices metallorum ſpecies enumeratis addere conantur. Primitùs in fodinis quandam materiam inueniri referunt, quæ ab enarratis metallorum ſpeciebus diſcrepat, & à viris rei metallicæ peritis Cachimia vocitatur, nos prauum ſuccum diceremus; eſt autem hæc materia non metalli ſpecies, ſed immatura metalli vena, ſeu ſemiperfectum metallum, & nondum à natura abſolutum. Facellus quoq; in Hiſtoria Siciliæ meminit cuiuſdam metalli, quo tanquam lapide cælatores vtuntur ad varias hominum ſtatuas formandas, idq; in territorio Agri-
Metallũ lapideum. genti vrbis Siciliæ ſitæ circa oram auſtralem ad oſtia Agragantis fluuij naſcitur. Apud Nicandri Scholiaſtem legitur quædã herba nomine Phyllis, aliter μελιφύλλον, F
Phyllis herba. quæ iuxta illius mentem in Samothracia vocatur γεωράνιον, fortaſſis ita dicta à loco, vbi metallum vocatum γεωράνιον naſcitur. Nos verò hanc eſſe metalli ſpeciem à prędictis differentem non arbitramur, potius metalli epitheton eſſe credimus, nam cum Græcis γάνιον ſit lucernula, id metalli genus in cauernis terræ, inſtar lucernæ forſitan refulgebit. Non deſunt, qui familiæ metallorum Vitrum adſcribunt; quoniam illorum more fundatur, & in varias vaſorum formas vertatur. Sed licèt ratione fuſionis, vitrum metallicam familiam affinem habeat, quoniam poſtea eſt fragile, ab alijs metallis ſegregari meretur. Qui plura de his differentijs ſcire cupit, adeat Ariſtotelem, Plinium, Albertum, Portam, Braſauolum, Agricolam, Maiolum, Mylium, Renodeum, & Cæſium Ieſuitam, qui in ſua Mineralogia alios auctores ſuperauit.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

G

ANIMADVERSIONE dignum eſt metalla inter ſe non puritate, vel impuritate, aut maiori, vel minori decoctione diſcrepare, vt nonnulli liberè pronunciarunt; ſed tẽperatura, viribus, & proprietatibus diſtinguntur. Et licèt in viſceribus terræ talia non oriantur, qualia ſenſibus apparent, nihilominus illa rudis materia in fornacibus poſita in metallum ſoluitur, quod actu non habet aliquam partium diuerſitatem, vt multi aſtruunt, quia metalla ſinõ mole, ſaltem virtute hanc proprietatem aſſequuntur, & metalla in hoc diſſentiunt à lapidibus, qui liqueſcunt, quoniam metalla fuſa, & frigefacta in priſtinam formam reuertuntur, lapides verò liquati formam propriam perdunt.

Si metallorum qualitates cõtemplemur, primùm in odores, & ſapores incidemus; nam ratione odoris, vnum metallum magis, quàm aliud, odorem iniucundum emittet, quoniã auri odor minus eſt inſuauis, ſed argentũ magis, quàm aurum eſt odorife-
Metallorum odor qualis. rũ; quandoquidẽ odores metallorum vehementer ſicci ſunt; ideoq; fluxionibus oculorũ cõferunt, & præcordijs maximo ſunt detrimento. Id nobis indicant operarij, qui H
metalla fundũt; os enim, & nares duplici, vel triplici pãno coactili obturant, ne odoribus metallorum inficiantur, & aliquo morbo afficiantur. Quoad ſapores, aurum ſapore dulci redundat, ſed minus dulci argentum, reliqua metalla, veluti plumbum, & ſtannũ odore, & ſapore hebeti ſunt inſignita; quamuis poſtea experientia acrem horum ſaporẽ demonſtret: ſiquidẽ aquæ diu in vaſis ſtanneis detentæ, vel quæ longum
Sapores metallorum quales. iter per fiſtulas plumbeas habuerint, inteſtina afficere, & dyſenteriã generare ſolent. Sed inter omnia metalla æs, & ferrum, ſapores aquarum vehementer inficiunt, qua propter aqua è fodinis æreis egrediens ita amara, & abominanda eſt, vt vix guſtari poſſit. Idem præſtare ſolet illicò vinum in vaſe æneo infuſum, quod tam citò aquæ non contingit, ob naturalem eius frigiditatem, verùm quando in fodina æris, vel in vaſe æneo diù manſerit, idem aquæ proculdubio accidet. Demùm metalla hoc ſibi proprium nanciſcuntur, vt cote attrita refulgeant, veluti æs aſſiduo vſu ſplẽdeſcit. ad rem quidam canebat.

Aera

Aera nitent vsu, splendescunt cote metalla.

Præterea metallis natura pondus ingenuit, sed aurum prę cæteris grauius est; idque inde nasci scribit Geber, quia habeat densam substantiam, & fortissimam compositionem, & materiæ compactionem, quæ perfectam terræ cum aqua permixtionem concomitatur: hinc fit, vt grauia quæcunque pondera metallis liquefactis innatent. Imò liquefacta non madefaciunt, & ratio est, quoniam apprehensus spiritus, & coagulatus simul retinet vaporem sibi vniformiter copulatū, antequam in aquam vertatur; ideò tangenti non adhæret, neque madefacere potest. Vnde oritur quòd in locis patentibus, euanescente spiritu, vapores derelicti à calore in aquam soluantur. Quapropter, vt adnotauit Aristoteles, omnia metalla non comburuntur, cum illorum exhalatio incombustibilis sit affinis illi, ex qua sales generantur. Sed aduertendum est, quòd licèt metalla maximam inter se familiaritatem contrahant, metallum perfectum, ex mente Gebri non potest imperfectum sanare. Nam si plumbum cum auro fundatur, hoc remanente, illud euanescit, & aduritur. Insuper cuncta metalla sunt solida, excepto argento viuo, quod etiam in visceribus terræ liquidum inuenitur; prodit enim ex halitu, qui humiditate aquea redundat. Item metalla omnia vehementi igne liquefiunt, sed difficilius illa, quæ concretionem terrenam magis participant, veluti ferrum, quod non nisi vehementi flammarum ardore mollescit. Pariter omnia metalla ducuntur, & malleo percussa dilatantur, sed illa potissimùm, quæ simul benè compacta, & mollia sunt: hac de causa aurum præ cæteris metallis in tenuissima folia, & fila ducitur. Huic accedit argentum, deinde æs rectè purificatum, & tandem ferrum, stannum, & plumbum.

Li. 1. Alchi. cap. 31.

Lib. 3. Meteor. cap. 6.

Li. 1. Alchi. cap. 31.

Quæ metalla melius dilatentur.

Amplius hoc natura metallis ingenuit, vt dum purgantur, multa excremẽta emittant, præter aurum, quod propter eius puritatem, aut parum, aut nihil recrementi effundit. Pariter posita in loco humido, vel supra vapores rerum acrium nempè aceti suspensa, quandam veluti sordem, nimirum rubiginem contrahunt, quæ totam metalli materiam circumplectitur, sed horum quædam magis, quædam minus hac affectione premuntur. Aurū tantummodò purissimum ab hac labe est immune, nisi fuerit cum argento mixtum, tunc enim quemadmodum, & ipsum argentum longo temporis tractu rubiginem cærulei coloris amæniissimi sibi comparant, quam postea pictores cæruleo vltramarino præferunt. Sed non possumus mediocri admiratione teneri, quòd locus natalis hanc affectionem metallis adimat; siquidem in Ilua insula maris Tusci, referente Plinio, metalla è visceribus terræ eruta nullam ibi contrahant rubiginem, & alio delata insigni rubigine vexentur. Postremò id metallis à natura insitum est, vt in cauernis terræ permisceantur, ita vt aliquandò vena obseruetur, cuius altera pars aurum, altera argentum vna cum calce lapidea promat; id autem proprijs oculis vidisse, atque à fossoribus intellexisse Albertus testificatur.

Metalla vbi rubiginem nõ contrahant.

Lib. 3. de miner. Trac. 2. c. 6.

SYMPATHIA, ET ANTIPATHIA.

CONSENTIVNT metalla cum varijs lapidibus, & præcipuè cum illa silicis specie, quæ ab Aristot. pyrimachus appellatur. Id non est ignotum viris adfusionem metallorum incumbentibus, qui super liquefacta metalla id genus lapidis inspergunt ne metalla in auras euolare possint. Imò cum illo genere pyritis varijs coloribus insigniti facilè conueniunt; quapropter opifices hoc genus pyritarum, loco plumbi, metallis addunt, vt in excoctione, metalla liquidiora euadant. Deinde cuncta metalla argentum viuum in amicitiam receperunt, quia libentissimè omnibus copulatur; consequenterq; in familiaritatem sibi adiungunt illam hæmatitis speciem, quæ argento viuo prægnãs est: quocirca hic lapis ad se metalla trahere perhibetur. Amplius, iuxta mentem Astrologorum, metalla non solum amicitiam planetarum sequuntur, verum quoq; quasdam præcipuas humani corporis partes familiaritate sibi coniungunt. Scribunt enim cor ab auro, cerebum ab argento, renes ab ære, cystim fellis à ferro, splenem à plumbo, pulmonem ab argento viuo, & hepar à stanno benignè respici. Imò inter ipsa metalla sympathia, & antipathia obseruatur; namq; ab auro, & argento plumbum amatur, hæc enim dum simul funduntur facilè commiscentur, vicissim æs à plumbo abhorret, item stannum ab auro, & argento

Pyrimachus lapis.

Metalla quas partes humani corporis respiciunt.

argento diſſentit. Id in fornacibus manifeſtiſſimum apparet, dum plumbum album E liquatur, argento enim ſupernatat, & bacillis ferreis facilè extrahitur.

Ex altera parte, metalla, & animantia contrarietate maxima diſſident, quia ſpargunt quoſdam halitus ſpiritui animali inimicos: idcircò nullibi legitur metallis aliquod animal fuiſſe nutritum: imò vbi venæ metallicæ inueniuntur, ibi neq; plantæ creſcunt, neq; animantes verſantur; & in huius confirmationem intelligimus, quòd in fodinis metallorum crura opificum plerumq; vitiantur, quæ poſtea in lapidicinis Aſſij lapidis ſanantur. Hac etiam cauſa moti Medici iubent pharmacopæis, ne in præparandis margaritis, vel alio huius generis medicamento, vtantur metallis, ſed ſolum lapidibus marmoreis, quoniam impendet periculum ne quid metallicum medicamentis præparandis adhæreat, quod ex diametro naturæ humanæ aduerſaretur, & inde grauia ſymptomata emergere poſſent. id tanquam coronidem huic tractatui addit Plinius, quòd odores à fodinis metallorum dimanantes omnibus quidem animantibus ſunt ingrati, ſed canibus potiſſimum maximo ſunt detrimento, qui ab argenti metallis exhalant. F

Lib. 33. c. 1.

Odor metallorum canibus noxius.

METALLORVM PRÆPARANDORVM RATIO.

HOMINES operarij in primis, referente Agricola, inuenire debent cuneos, laminas, malleos, bacilla, contos, verricula, ligones, & batilla; hæc enim inſtrumenta fodinis metallorũ eruendis ſunt maximè neceſſaria. Fodina autem in loco montoſo ſita eſſe debet, nec ab aliquo fluuio, vel ſcatebra, vel riuo remota, vt materia effoſſa ante excoctionem cõmodè lauari poſſit; & quoniã venæ metallorum inter rimas ſaxorum clauduntur; ideò foſſores interdum bacilla ferrea rimis impingunt, & venam decutiunt, quando verò per latera ſaxorum venæ diſcurrunt, tunc malleis vtuntur, & quando talia inſtrumenta in caſsùm adhibent, tunc G violentia ignis ſaxa ſeparando venas eximunt. Verùm Metallici primum adinuentæ venæ periculum facere debent, vtrum paucam, vel multam metalli quantitatem contineat, nam quando laboratur diſpendio, vena eſt relinquenda. Experimentum fit ex coctione modicæ quantitatis; hinc cognoſcitur num multæ quantitatis excoctio detrimentum, vel emolumentum ſit allatura. Excoctio igitur multifariam neceſſaria videtur non ſolum vt metalla ad vſum præparentur, ſed etiam, vt à ſe inuicem ſeparentur: ſunt enim plerumq; mixta, & eorum vitia emendantur. Ignem enim eſſe præcipuum ad id idoneum inſtrumentum canebat Ouidius in hunc modum.

Metallicorum inſtrumẽta.

Lib. 4. faſt.

Omnia purgat edax ignis, vitiumq; Metalli,
Excoquit.

Primùm igitur homines operarij fragmina venarum in capſulas conijciunt, vt piſtillis præterratis à rota aquaria agitatis tundantur, ſemper enim procurant riuos aquarum ingentes de montibus eductos, qui rapido curſu magnos rotarum orbes circumagitent: lapides autem craſſiores, quibus metalla ſunt mixta, malleis prima H facie minuuntur, in lacunis lauantur, & denuò cribrantur, vt tandem molantur, & his omnibus modis materia metallica præparatur, antequam in fornacibus excoquatur. Sunt multæ fornaces in officina metallica, in quibus venæ liquefiunt, & argentum ab ære ſegregatur, dum folles ingentes in rotæ aquariæ ſubleuantur, & aſſiduo flatu, atq; motu magno cum fragore flammam in fornacibus excitant, & tunc viri operarij metalla ſuperius injciunt, & alij metallum fuſum, & à contuſis ſaxis ſeparatum magnis cochlearibus exhauriunt, & in modulos transfundunt. At nõ ſolum hoc modo metallũ pretioſum à vili, & viciſſim vile à pretioſo ſecernitur: ſæpius enim duo metalla in vna, & eadem vena inueniuntur, quoniam naturaliter quædam portio auri cum argento, & ære mixta reperitur, in plumbo nigro, & in ferro exigua argenti portio, plumbi nigri aliqua pars in argento, & deniq; aliqua ferri portio in ære. Aurum autem ab argento plerumq; ſeparatur aqua valenti parata ex atramento ſutorio, vel alumine, & halinitro, quæ ad ſegregandum ab auro argentum ſummopere

Ratio ſeparãdi metalla à metallis.

moperè est idonea. Vulgaris compositio huius aquæ constat ex libra atramenti sutorij, salis tantumdem, & aquæ fontanæ tribus partibus. Aliter etiã paratur ex quatuor libris atramenti sutorij, duabus halinitri, cum semilibra aluminis, & aquæ fontanæ sesquilibra. Qui autem volunt cuicumque metallo mollitiem inducere superaspergunt argentum sublimatum, boracem, & euphorbium in puluerem redactum. Sin velint metalla in calcem, & aquam redigere, metallum nobilius in cutem vilioris trahere, vel illa inuicem transmutare, legendus est Vuecherius in libro de Secretis, vbi multa huius generis arcana patefecit. *Cap.* 10.

METALLORVM MISTVRA.

NATVRA in terræ vtero progignens metalla, iuterdum duo, vel tria, vel quatuor permiscet, vt in Rubrica de differentijs enucleauimus; hinc homines natura edocti, teste Agricola, rationem misturæ metallicæ ad vsum reduxerunt. Imò aliquando casus idem monstrauit, quando, referente Plinio, incensa Corintho, aurum, argentum, & æs in vnum confluxerunt; & sic Fortuna quodammodo tribus Corinthij æris generibus temperaturam assignauit, quorum candidum quasi argentum refulgebat, quoniam id in mistura prævalebat, alterum, in quo fulvus color, ob auri dominium nitebat tertium, in quo æqualis omnium mistura constituebatur. Itaque Naturam, & Fortunam ars, & fraus imitantur, dum metalla addentes metallis, homines varias producunt misturas, quas Græci κράματα, Latini temperaturas appellant. Artifices igitur duo, tria, vel plura metalla simplicia, aut mista copulare possunt, aut metallum simplex cum misto, & vicissim, aut duo simplicia cum vno misto, & vice versa, vel tandem plura simplicia cum vno misto, vel duobus, & in his pariter vicissitudo seruari potest. Item vile aliquando metallum cum pretioso soluitur, & è contrario pretiosum vili additur. Primitus auro argentum multifariam miscetur, & hæ omnes misturæ carent nomine, vt superius fuit manifestatum, solùm mistura auri recipiens quintam portionem argenti, Electrum nominatur. Cæterùm quando homines portionem vilioris metalli cum massa pretiosioris, compendij causa fundunt, absque dubio fraudem incurrunt; licèt artifices aliqui posse id fieri sibi persuadeant concessu, & beneficio Principum, vt numini aurei non puri, sed cum modica argenti portione cudantur. Hodie quoque, Principum concessione in cudendis nummis, mistura metallorum vtuntur, quam opifices, & aurifabri *Legam* nominant. Nihilominus Tacitus Imperator, referēte Flauio Vopisco, in Oratione ad Senatum cauit, ne quis argento publicè vel priuatim æs permiscere, neque auro argentum, neque æri Plumbum auderet, alioquin cum proscriptione bonorum capitale iudicium incurreret: quamquam olim, eodem Vopisco teste, nonnulli plumbum æri addiderint, vt nummos minimè probatos cuderent. Fabri argentarij sibi perleges licitum esse hanc misturam procurare pronunciant, dum sumunt decem vncias cum dimidia argenti, & dimidiam æris vnciam, sicque libralem argenti massam conflant. Chymicorum nonnulli æs dealbatum argento addunt, & pro syncero argento vendunt; cum tamen hæc fraus vltimo supplicio sit corrigenda; Hodie plumbi nigri decimam partem miscent cum stanno, & ex hac mistura patinas vasa, & multa alia huius generis opera formant. Quondam etiam æri ferrum miscuerunt, quod multis fraudi fuit. Tot igitur modis metalla viliora precioſiori permiscentur. At viceversa hoc criminis loco non est reponendum, quando metalla precioſiora vilibus adduntur. Postremò sunt quædam metallorum misturæ, quæ ab operibus ex illis resultãtibus nomen sortiuntur, vt ollaria mistura, quæ ex ternis, vel quaternis plumbi argentarij libris, & centeni æris integratur, quæ varia vasorum genera ingreditur. Alia mistura vocatur bombardaria, ex qua tormenta bellica fabrefiunt, hæc autem fit, dum singulis libris viginti æris vna plumbi candidi additur. Tertia fit mistura, quando, ob sonitum, sexdecim libris albi plumbi selibra plumbi cinerei copulatur; Quarta mistura componitur, quando duę portiones plumbi nigri, & tertia albi coniunguntur hanc Veteres stannum tertiarium appellarunt, quo ad fistulas solidandas vtebantur, hanc misturam vulgus *Saldaduram* nuncupauit. Quinta mistio est, quando

Lib. 8. *de Nat. ſſo.*

Metallorum varia mixtio.

Lega quid ſit.

Metalla viliora pretioſis permiſcẽtur.

Saldatura quæ.

do æquales portiones vtriuſq; plumbi permiſcentur, hæc miſtura, Plinij ætate, ſtannum argentarium vocabatur; ex hac noſtris temporibus, orbes, & patinæ parantur. Pariter de alijs miſturis tàm ſimplicibus, quàm compoſitis diſſerendum eſt, cum miſtis omni tempore addi poſſint. E

METALLICA FACTITIA.

SVNT metallica factitia, quæ in primis,& ſecundis fornacibus fiunt,dum venæ metallorum excoquuntur, dum metallum a metallo ſeparatur, vel dum æs liquefactum tingitur. Hæc autem ſunt Scoria,Diphryges, Cadmia,Pompholyx, Spodos, Lithargyrium, Molybdena, & Squamæ. Nonnulla ſunt, quæ fiunt extra fornaces;vt Ærugo, Cæruleum,Ceruſſa, & ſimilia,de quibus ſigillatim ſuo loco verba fient. Primitus in excoctione metallorum generantur ſcoriæ, quæ ſunt veluti recrementa venæ excoctę, has ſcorias opifices appellant *Loppas*; Hæ metallo fuſo ſupernatant, & frigefactæ conglutinantur, & tanquam vitrum molles redduntur; & ſi quid humoris metallici retinuerint, graues ſunt, quo ſuperato, leues euadunt. Itaq; pars metalli terreſtrior, & fęculentior abit in ſcoriam, quæ eſt purgamentum venæ, in fornacibus coctæ,vt dictum eſt, loquendo tamen de vena auri,argenti, æris,ferri, & vtriuſq; plumbi; nam venæ argenti viui, & plumbi cinerei ſcorias non producunt, cum non excoquantur: non negamus tamen,quòd ex plumbo cinereo cum alijs metallis mixto, & liquefacto ſcoria exire non poſſit. Hæc metalli ſordes Græci σκωρία meritò dicitur, quoniam apud ipſos τὸ σκώρ eſt ſtercus, à Celſo metalli recrementum nuncupatur. F

Scoria metallorum quid ſit.

Scoriæ Etymum.

Argenti ſordes,ſeu recrementũ habetur tantùm, quando vena argenti in fornace purgatur,ſed ſyncera eſſe nequit,quoniã opifices, ad purgandum argentum, ei nõnihil plumbi addunt. Hæc ſcoria argenti vocatur Helcyſma τὸ ἕλκυσμα ab ἕλκω traho, quia hoc recrementum ſit ita lentum, vt inſtar viſci trahatur. Scoria verò, quæ ab ære, & ferro colligitur plerumq; eſt nigra, ſordida & ſpongioſa. G

Helcyſmæ quid ſit.

Æris recrementum:

H

Huius conditionis & qualitatis fuit illud recremẽtum æris, cuius hoc in loco iconem damus. Hæc ſcoria tanquam alcyonij ſpecies oblata fuit Excellentiſs. viro Vlyſſi Aldrouando,ſed ipſe,re diligenter examinata, cognouit eſſe recrementum, quoddã fiſtuloſum & leue,quod ob ære in fornacibus, vi ignis,in ſuperficiẽ eductum fuit,ideò delineari curauit. Scoriæ maiorem copiam ferrum, quàm æs effundit, cum ſit metallum impurius, & magis terreum, hæc autem non ſolum habetur, quando ferrum in fornace funditur, ſed etiam quando ferrum in vſtrina fabri ferrarij molleſcit. Scoria verò plumbi à cæteris maximè diſcrepat,quia minimè lapidoſa eſt,neq; fragilis, vt reliquæ, ſed admodum lenta ob mollitiem metalli obſeruatur.

Diphryges quid ſit.

Inter has metallorum ſcorias recenſetur Diphryges, & nil aliud eſt,niſi aliud ęris recrementũ,& vocatur διφρυγὲς,quaſi bis vſtus,nam φρύγω, apud Grecos eſt torreo.

Hic

A Hic autem notandum est, quod Panaectarius Diphrygem cum lapide phrygio confundit, cum tamen hæc duo inter se toto cœlo discrepent. Quatuor diphrygis species inueniuntur; Prima resultat ex limo quodam Cypri, qui primum sole arescit, deinde sarmentis circumdatus aduritur, ideò iure optimo bis crematus primum calore solis, deinde ardore ignis nuncupari potest, & hanc speciem in Cypro tantum fieri scribebat Dioscorides, secunda species nil aliud est, nisi sedimentum æris in fornace adusti, quod Galenus in Cypro ab artificibus proiectum obseruauit. Tertia species paratur ex pyrite æroso cremato, donec colorem Rubricæ contraxerit, sed aduertendum est, quòd Ochra vsta eundem colorem induit, & propterea huic tertiæ speciei diphrygis assimilatur, & aliquando pro diphryge perperam venditur. Quarta species oritur ex quibuscunq; lapidibus post excoctam metallorum venã in fornace inuentis, & hæc species semper aliquid metalli habet permixtũ: huiusmodi lapis licèt fuerit in area tostus, mox in fornace coctus, deinde quinquies in alia fornace crematus, ita vt ὑπερφρυγὴς iusta de causa appellari possit, nihilominus, teste Agricola, vix

Diphrygis quatuor species

B diphrygis naturam assequitur. Hodie opifices in secundis fornacibus sic diphrygem parant, quando aliquid auri, vel argenti inesse æri suspicantur, denuò æs cum plumbo fundunt, quia plumbum abluit, & secum aurum, vel argentum ducit, quo peracto, in extrahendis plumbi reliquijs, ignem temperatum adhibent, vt plumbum fusum descendat, æs verò nequaquam: sic enim tanquam lapis spongiosus redditur, qui fusus & percoctus in æs purgatum mutatur, cuius scoria est diphryges purgatior, quam illa, quæ ex primis fornacibus exierat, hanc homines operarij *Raminam* vocantes singulis vendunt.

Lib. 9. de Nat. fos.

Diphryges purgatior.

Ramina quid sit.

Amplius dum aurũ argentum, æs & plumbum percolantur, oritur aliud recrementum, quod vocatur cadmia, quæ secundum nonnullos ita nuncupatur ab insidendo, est autem nomen antiquum apud Græcos, ideoq; adhuc ignotum est vnde habuerit originem, nisi velimus asserere cadmiamolim obseruatam fuisse, dum lapis ærarius excoqueretur, quem aliqui cadmiam indigitarunt, fortassis, quia in Cadmo mõte primo sit repertus. Galenus scriptum reliquit cadmiam ex lapide pyrite interdum fieri,

Cadmia quid.

C nihilominus metallicam ex ære paratam commẽdabat. Huius quatuor species à Dioscoride monstrãtur, prima vocatur Botrytes, quasi racemosa, quia Βότρος racemus exponitur, secunda nominatur Onychites, est enim ὄνυξ vnguis, cum venas instar vnguis discurrentes habeat; tertia cognominatur Placodes πλακωδὴς crustosa, quoniã est segmentis, quasi quibusdam zonis cincta, quare & zonitis dicitur; quarta appellatur Ostracites ὀστρακίτης testacea, quæ tanquam pessima omnium reijcitur. Plinius, præter quatuor genera à Dioscoride descripta, quintam speciem, nempe Capnitim scilicet fumosam addit, κάπνος enim Græcis fumus dicitur sed hæc ad Pompholygem potius, quàm ad Cadmiam est reducenda. His non additur Cadmia fossilis naturalis, quoniam de hac suo loco sermo peculiaris est habendus. Cadmiam Arabes Climiã vocitant. Nostra ætate cadmia fornacum similis corticibus arborum sub nomine Tutiæ Alexandrinæ affertur, quod signum est hastis ferreis adhęsisse. Tutia est nomen Arabicum non tamen cadmiam, sed Spodium significat. Hic animaduersione dignum est, quod Tutia Lusitanorum non est metallica, hæc in Quirmon Persa-

Lib. 9. de simp. med. fac. cap. de Cadmia.

Cadmiæ species quot sint.

Tutiæ nomen Arabicum.

D rum regione, & Ormuz finitima paratur ex Cineribus cuiusdam arboris nomine Goan, ita enim fructus huius arboris cognominatur, & hæc à nõnullis Tutia Alexandrina dicitur, non quod Alexandriæ fabrefiat, sed quia ex Quirmon delata Ormuz inde Alexandriam exportetur; Auctores tamen non hanc, sed metallicam in medicamentis commendant. Hic figuramus multas Cadmiæ Botrytis differentias, quæ ad manus clarissimi viri Vlyssis Aldrouandi peruenerunt. Primùm sub numero 1. & 2. duæ monstrantur differentiæ, quarum vna maior altera apparet: postmodum aliæ tres differentiæ delineantur, prima exterius erat colore cinereo prædita, interius verò ęruginosa, quas conditiones Dioscorides in genuina Cadmia botryte summopere probabat; secunda erat racemus albus similis Parætonio, & tandem alia quoq; species vltimo loco conspicitur.

Goan fructus.

Cadmiæ Botrytis duæ differentiæ.

Cadmia Botrytis altera maior.

1

Cadmiæ Botrytis figura minor.

2

A Cadmia, ratione tenuitatis ſubſtantiæ, Pompholyx, & Spodium diſcrepant; quandoquidem Cadmia, vt fuit expoſitum, in quandam ſolidam materiam condenſatur ſed Pompholyx, & Spodium inſtar pollinis parietibus fornacum adhærent, cum tamen ex eadem materia originem trahant in illis fornacibus, in quibus æs perficitur, vel in quibus Cadmia crematur. Pompholyx autem leuior eſt, quia euolans ad fornices, bullarum inſtar, agglutinatur, vnde nomenclaturam traxit, quoniam φομφόλιξ Græcis bulla eſt. Spodium in comparatione ad Cadmiam ponderoſius eſt: quocirca ſuper terram, inſtar cineris, cadit: vnde nomen accepit; Σποδιὸν enim cinerula dicitur, cum Σποδὰ cinis apud Græcos nuncupetur. Verum antiſpodium arte paratur ex folijs myrthi, vel oleaſtri crematis, quod cinerulæ, nimirum ſpodij vicem præſtat. Auicennas hiſtoriam huius rei metallicæ confuſam ſcribit, dum aſſeuerat Tutiam eſſe fumum, qui ſublimatur, Succudum verò, quod in fundo reſidet, forſitan, per Tutiam, Pomphalygem, & per Succudum ſpodium intellexit, quod ratione grauitatis deorſum tendit: at apud Arabes hoc nomen (ſpodium) æquiuocatione laborat, quia non ſolum hoc vocabulo Succudum indicãt, ſed etiam quid non metallicum, quod ex radicibus arundinum combuſtis præparatur. Itaq; ſpodium metallicum eſt quoddam purgamentum, quod opifices ærarij è pauimento colligunt mixtum quandoq; cum pilis, & aliquando paleis conglutinatum. Hodie ex Germania, nomine Tutiæ Germanicæ affertur, cum tamen ibi Nil appelletur. Dioſcorides ſpodium cyprium tanquam minus fæculentum ad vſum medicum commendat, quod ſub numero 3. eleganter delineatum exhibemus. G H

Pompholygis etymum.

Spodij etymum.

Spodium eſt nomen æquiuocũ apud Arabes.

Cad-

Cadmia Botrytes intus cruginoso, exteriùs cinereo colore.



Cadmia Botrytes, seu racemus albus similis Paræconio.

Cadmia Botrytes alia.



Spodiũ Pharmõcopolarum Cyprium.



Ad ſcoriam plumbi referri poteſt lithargyrium, oritur enim ex plumbo in fornace diutius percocto; nam eſt ſpuma, quæ colligitur, dum argentum purgatur,& concreſcit inſtar lapidis, & vocatur λίθαργυρος à lapide, & argento nomen habens; cum λίθος ſit lapis, & ἄργυρος argentum, quaſi lapis argenteus, ab Arabibus Martech, & à latinis ſpuma argenti nuncupatur. Dioſcorides voluit lithargyriũ ſine argento poſſe concreſcere, dum in ſecundis fornacibus argentum plumbo permixtum purificatur: etenim tunc feruente mixtura, plumbum violentia ignis extenuatum,& acquirẽs leuitatem argento ſupernatat, & fit veluti ſcoria, quam artifices paulatim ad latera pellentes tandem proijciunt,& *gettham* nominãt, qua poſtea figuli vti ſolent. Nonnulli perperam putant ſpumam argenti ex auro factam vocari Chryſitim, ex argento Argyritim, ex plumbo Molibditim: cum tamen lithargyrium ex ſolo plumbo cum alijs metallis, & præcipuè cum argento ad faciliorem fuſionem, vel purificationem mixto dimanet, & quamuis interdum auri, & interdum argenti colorem adipiſcatur, tamẽ id ex maiori, vel minori aduſtione proueniat. nam ſi ſtatim atq; plumbum exuſtum ſupra argentum liquatum apparet, de catino auferatur, tunc lithargyrium colore argenteo refulgebit; ſin diutius ibi manſerit colorem aureum acquiret. Duplex litharg rij genus Opifices conſtituunt, alterum vocant naturale, quod egreditur ex vena argenti mixta cum vena plumbi, & in fornacibus liquata, aliud verò artificiale, quod modis ſuperius deſcriptis præparatur Huius Dioſcorides tria oſtẽdit genera, primum genus ex arena plumbaria in fornacibus perfectè cocta, ſecundum ex purificatione argenti, tertium ex plumbo reſultat. Huius ſpecies flaua dicitur Chryſitis, candida Argyritis, liuida Molybditis. Optima ſpuma argenti in Miſena, & Bohemia paratur. Dioſcorides tamen primas tribuit Atticæ, quæ, cum in monte Laurio fieret, Lauritis vocabatur, ſecundas Hiſpanicæ, & tertias Puteolanæ aſſignabat. Nos in gratiam ſtudioſorum lithargyrium ſponte natum ſub num. 1. hoc in loco figuramus.

Lithargyrij etymũ.

Getthã quid.

Lithargyrij differẽtiæ.

Lithargyrium ſpontè natum.



Lithargyrio nõ abſimilis eſt alia metallorũ ſordes, quam Molybdænam, ſiue plumginem nominant, aliter etiam Galena dicitur, quia ſecundùm mentem aliquorum à Gallecia Hiſpaniæ deferatur, quamuis perperàm, ſi Plinio credendum eſt, qui in Gallecia plumbum nigrum generari negauit. Nec Molybdena, vt ſcripſit Dioſcorides, ex auro & argento producitur, ſed hæc Dioſcoridis doctrina hoc modo eſt exponenda, ſcilicet dum vena auri vel argenti in fornacibus excoquitur, his aliquid plumbi admiſcetur, nam cum plumbum citò fundatùr, venæ quoque aureæ, vel argenteæ liquefactionem accelerat, & niſi plumbum adderetur potius illæ venæ auri, & argentĩ adurerentur, quàm quòd liqueſcerẽt. Itaq; ex illo plumbo cum venis auri, & argenti mixto quoddam excrementum ſegregatur, quod parietibus fornacis inſtar ſtiriarũ adhæret, & hoc nil aliud eſt, quàm Molybdena: hinc materiã Molybdenæ plũbum eſſe, ſatis ſuperq; manifeſtatum eſt, quidquid alij ſcripſerint de duabus ſpumæ argenti

Molybdenæ, quid ſit.

A genti ſpeciebus, quarum alteram Græci Sterelytida ſcilicet ſolidam vocant, cum στερεὸν dicatur ſolidus, alteram, Pneumonem, nimirum inanem, & ſpongioſam, cum Græcis πνευμονώδης ſpongioſus exponatur, & hãc poſtremam cum Molybdena conuenire opinantur.

Demum alia recrementa ex durioribus metallis, nempe ferro, & ære reſultant, quando hæc duo metalla candentia malleo percutiuntur, vel in aqua extinguuntur, tunc ſquama decidit, quæ eſt tanquam pars metalli in ſuperficie adusti. Id auro, vel argento contingere nequit, cum ſint corpora incombuſtibilia, neq; plumbo, & ſtanno, nam quod ab illis vi ignis recedit, non areſcit. Hoc recrementum in ære duplex eſt, nimirum flos, & ſquama, & hæc duo inter ſe diſcriminantur, quoniam flos æris corticibus granorum milij ſimilis ſponte cadit, ſquama verò craſſior, & latior, non niſi ictibus mallei à metallo diſcedit. Hęc Græcis dicta λεπὶς melior eſt, authore Dioſcoride, quæ vocatur ἥλιτης ſcilicet clauaris, ἧλος enim eſt clauus: hęc in Cypro facile habebatur, vbi claui ex ęre pro nauibus configendis parabantur, cum claui ferrei
B in aqua rubigine abſumerentur. Huiuſmodi autem claui vſu attriti pro conficiendo ęre vſto magis quàm aliud ęris genus ſeruabantur. Itaq; flos, & ſquama ęris non ſunt petenda ex illis fornacibus, in quibus nouum æs conflatur, ſed ab illis officinis, in quibus æs collectaneum purgatur, & malleis dilatatur. Ex ferro etiam, & Chalybe ſquama decutitur, quæ à Dioſcoride ſtomoma appellatur; nam per vocabulum στόμα non ſolum os, ſed etiam gladij acies ſignificatur, & quia gladiorum acies ex puro ferro, nimirum & chalybe paratur; propterea Galenus per ſtomoma chalybem intellexit; At Dioſcorides ſquamam ferri ſtomoma fortaſſe cognominauit, quoniam ſquama decuſſa ex chalybe, non ex ferro præfereretur.

Aeris recrementa.

Claui ex ære pro nauibus.

Stomoma quid

Lib. 9. de ſimp. med. fac.

METALLORVM INVENIENDORVM RATIO.

C

QVAMQVAM metallorum inuentio, & foſſio facilitatem non omnibus obuiam habeat, quoniam foſſores aere fodinarum peſtifero afficiuntur, e beſtijs ſubterraneis nocumentum accipiunt, interdum ruinis montium opprimuntur, de ſcalis in puteos decidunt, & quandoq ſpectris Dæmonum in cryptis metallicis vagantium mirandum in modum vexantur. Nam, referente Agricola, dæmones humanam ſpetiem induti in cuniculis, & puteis verſantur, & cum nihil operentur, in omni tamen laborum genere ſe exercere videntur. Nihilominus multi ſunt, qui arduum negotium aggrediuntur, & varijs modis venas metallorum inuenire, & in earum foſſura herculanas vires ſibimet comparare vidētur. Venas igitur metallorum aliquando humana induſtria, & aliquando caſus; & fortuna pateſaciunt. Ideò viri ingenij ſolertia præditi per loca montoſa vagantes terræ glebas, &
D lapides iuſto grauiores examinant, nam talem grauitatem tanquam materiæ metallicæ argumentum meritò pronunciant. Pariter ſi lapides inuenti igne fundantur, ex illis metallum, eiuſq; qualitatem, & quantitatem arguunt. Imò ex attritu duorum lapidum eiuſdem montis indicium metalli hauriunt, dum ſulphureum odorem ſpargunt. Verùm non ſolum ex odore, ſed etiam ex colore montium, terræ & lapidum, materiam metallicam ſubeſſe percipiunt; quamq; color viridis ab ære, niger ab argento, & auro, liuidus à plumbo, & ferro, luridus à chalcantho, & tandem cinereus, & obſcurus à ſulphure dimanat. Pariter multæ rimæ in montibus obſeruatæ aeres metallorum halitus indicare ſolent: cacumina quoq; montium ad meridiem tendentia, radice verò montis ad Boream ſpectante, metalla, & potiſſimum argenti indicant, cuius fodinæ feraciores rectà ab ortu in occaſum vergunt. Hac de cauſa Antiquitas montes diuitiarum parentes, & omnium theſaurorum æraria noncupauit; hinc quos vidit ſcatebris aquarum redundantes, venis etiam metallicis affluentes prædicauit. Ideo viri præſtantes ingenio venas foſſilium inueſtigant ex fontiũ ſcaturigine, quæ à metallis non procul abeſſe ſolet, & diligenter perpendunt fragmina venarum, & lapillos pyritam referentes, quæ omnia in copioſis imbribus Torrens aliquis à terra

In lib. de Animal. ſubter.

Lapidum grauitas quid indicet.

Colores montium quales.

Pyritæ ſunt metallorum indicia.

Qui laborant pro virili parte,vt metallorum venas inueniant,ad plantas conſide- E
randas ſe conuertunt, & quando montes aſperos, ſteriles, & herbis priuatos conſpi-
cantur, non ſine ratione metalla ſubeſſe arbitrantur : quandoquidem ex halitu Au-
ripigmenti, Antimonij,& aliorum Foſſilium, neceſſariò alimentum plantarum abſu-
mitur. Sunt tamen nonnullæ herbæ, quæ hoc halitu quodammodo roborantur ; ni-
Herbæ indices metallorum. hilominus decolores, & ſemiuſtę apparent. Non officit tamen quin montes herbis, &
arboribus referti, latentes metallorum venas nutrire poſſint: in montis enim viſceri-
bus ex metallo condito prauus halitus ad ſuperficiem montis aliquando aſcendere
non poteſt,cum ab aliqua vena marmorea impediatur. Sunt tamen quædam plantæ,
ſed raræ,quæ à metallorum familiaritate non abhorrent,veluti illæ,quæ aut nullum,
aut exiguum fructum producunt,vt Iuniperus humilis, Hedera, Caprificus, & Pina-
ſter. Cæterùm cum maior terræ tractus ſuccis, & qualitatibus metallicis ſcateat, ne-
ceſſarium eſt,vt illæ plantæ his qualitatibus potiantur,quę ſuper venam metalli cre-
uerint. Experientia docet vitem in locis ſulphureis creſcentem fructus ſimili odore
infectos proferre . Sin vitis in ſolo lapidifico alitur , calculos vt plurimum generare F
ſolet. Idem atteſtari debemus de alijs plantis , quæ ſuper venas auri, argenti,& ſi-
milium radices egerint, nam cum vapore metallico alimentum ſugunt , ſicque ſupra
metallum argenti creſcentes vnà cum colore qualitatem argenti exhibebunt,& non-
nullæ plantę ſupra cryptas argenti viui nutritę mercurium denſare perhibentur:cum
tamen experientia id falſum eſſe comprobauerit. Hoc quidem a veritate alienum
Arbores conſideranda pro inuentione metallorum. eſſe non affirmant, quòd omnes herbæ pruinis, & niuibus teguntur,præter illas,quæ
ſupra venas metallorum creuerunt , quoniam venæ metallicæ calidum & ſiccum ha-
litum ſpirantes, niuis , & pruinæ concretionem impediunt . Arbores quoq; metalli
latibulantis indicium bifariam præbere poſſint; primùm quãdo aliquo in loco plan-
tatæ truncos exiles,& folia pallida proferunt,& tardè creſcẽtes citò flaceſcunt. De-
inde quãdo folia arborum verno tempore erumpentia liuida ſunt,& ſubcærulea ra-
mis ſuperioribus nigrore , vel alio colore minus naturali infectis , tunc credendum
eſt id à calida, & ſicca Foſſilium exhalatione prouenire.

In venis metallorum detegẽdis, nonnulli vtuntur virgula illa diuinatoria,vel po- G
tius metalloſcopia, quam hunc in modum parant.Primitùs virgam columnam gladio
ſecant, quam, præ cæteris, in hoc obeundo opere magis idoneam eſſe exiſtimant, &
præſertim ſi corylus ſupra venam aliquam creuerit. Hæc autem virga diuerſimodè
Coryli facultas. paratur. Hodie, vt intelleximus, in Germania ſumitur tenuis,& enodis coryli ſurcu-
lus, qui in duos bacillos diſſecatur,quorum vnus in ſuprema parte excauatur , alter
in conum acuitur,ita vt hic conus alterius cauitati indi poſſit. Hoc peracto, huc atq;
illuc per montes vagantur, & referunt, ſtatim atq; ſupra metallorum venam pedem
poſuerint, virgulam verſari,& inclinatione ſua venam metallorum manifeſtare Ve-
rùm ſicuti hoc experimentum multis ſuperſtitionibus ſcatet,ita nemo ei fidem adhi-
Lib. 2. de Re.metal. bere poteſt. Quapropter Georgius Agricola hunc modum inueſtigandi metalla ex-
plodit his verbis. *Virgula illa diuinatoria, qua incantatores venas metallorum ſcru-
tantur , parùm intereſt recta ne ſit, an in aliam figuram formata ; non enim valet virgulæ figura, ſed incantamenta carminum , quæ mihi commemorare non licet.* Omiſ-
ſis igitur omnibus incãtationum generibus, & ſuperſtitioſis verbis,inquirendum eſt, H
vtrum aliqua vis naturalis non ſolum corylo, ſed etiam alijs plantis inſit, quibus lo-
ca venarum metallicarum facilè manifeſtari poſſint.Paracelſus fuit huius opinionis
diuerſa metalla diuerſis virgulis inquirenda eſſe , cum apud ipſum nulla ſit planta,
quæ non habeat aliquod metallum , vel aliud foſſile ſibi familiare, in quod natura-
Corylus. liter feratur: quapropter ſcribit corylum ſuper venam argenti creſcentem naturali-
ter venas argenti appetere:pariter virgam fraxineam ad æs inquirendum,virgulam
Fraxinus. ex piceaſtro ad plumbum conferre voluit,quia prędictę arbores occulto quodam
Pinaſter. conſenſu prædictis metallis reſpondeant . Nos autem hanc virgularum inclinatio-
Lib.3. nem ad metalla deridemus, & eò magis, quoniam doctiſſimus Kircherus in ſuo ope-
re de arte Magnetica fatetur , ſe experimento facto , nullum in his virgulis , æquili-
bratis , inclinationis effectum inueniſſe. Imò docet ipſe alium modum metalloſco-
pum, quo vnuſquiſq; in fodinis facilè experiri poterit. Hunc lector apud ipſum vi-
deat: ſiquidem non eſt in dubium reuocandum , aliquas plantas metallica qualitate

con-

A continuis exhalationibus interdum imbui,& aliquam similitudinem ad metalla, supra quorum venas crescunt, adipisci, sed difficultas in hoc consistit,vtrum hæc similitudo atractionem pariat, quod hactenus est incompertum.

Tandem nonnulli,ad detegendas metallorum venas, Necromantiã adhibendam esse autumant, quam vti quid iocosum, & nugamentum refellimus.Sed concedamus id posse fieri, reddant aliquam rationem, cur hac eadem arte, in fodinis fossiliu excauandis, & metallis purificandis non vtuntur. Si igitur hæc ars damnata ad hoc posterius præstandum minimè est idonea,ergo nec in primo opere quidquam valoris habere credendum est.

Satius, melius, & gratius esset, si fortuna scrutantium venas metallorum desiderio benignè responderet: Nam olim hac ratione, nimirum casu inuenta fuisse metalla Auctores tradiderunt. In Ciuitate Goslariæ Saxoniæ accidit, vt homo de equo descendens, cui nomen erat *Rameleus*, illum ramo arboris alligaret, tunc equus vngula terram sæpè sæpius quatiens venam plumbi detexit, non aliter ac Pegasus, qui
B fontem vngula in monte Parnaso aperuit; imò quemadmodum hic fons ab equo Hippocrene cognominatur; ita mons in territorio Goslariæ ab equo venam plumbi detegente Ramelus fuit nominatus. Cottebergi Monachus opacam spatians syluam fortuitò virgulam rudis argenti à terra erumpentem ab aliquo vento, vel Torrente detectam conspicatus, in monumenti signum, cucullum arbori proximo suspendens domum reuersus rem multis vtilem futuram patefecit, & deinceps illud metallum à signo posito,metallum montis cuculli fuit nuncupatum.Fortuitò etiam Aberthami metallum fuit reclusum; nam in medio syluæ quidam pastor Domini armenta curans per otium fodiens scrobem ad lactis receptaculum, metalli venam inuenit,quam in alueo lauans, purissimi argenti ramenta subsidere obseruauit.Accidit quoq; in Galecia, referente Iustino, vt vomere aratri glebæ auri excissæ fuerint. Incendia syluarum casu metalla prodiderunt. Hoc contigisse mineris argentarijs Hispaniæ Diodorus Siculus testificatur: idcircò ad rem Lucretius sic cecinit.

Venæ metallorum casu detectæ.

Incendiũ syluarum detegit metalla. Lib. 5. de Nat. rer.

Quod supereſt æs, atq; aurum, ferrumq; repertum eſt,
C *Et simul argenti pondus, plumbiq; potestas,*
Ignis vbi ingentes syluas ardore cremarat.

Violentia ventorum radicitùs euellens arbores, quæ supra venas metallicas creuerant, aditum ad metalla solet patefacere; veluti terræmotu, vel ictu fulminis prægnantes fossilibus montes disrumpuntur, & casu via ad metallicas venas patula redditur.Idem præstare solet Torrentis impetus,quod accidit Friburgi in Heluetijs; nam similis aquarum impulsus terram abradendo cauernam ad venas argentarias aperuit. In huius confirmationem narrat Stephanus Pigius, quòd flumen obliquo cursu deterens agrum Brithermi pagi, eruit miram antiquarum rerum supellectilem, nummos, armillas, & militaria ornamenta cuiuscunq; metalli, quæ nobis indicare videbantur, non procul à castris, in colle positis Romanos extra murum, & vallos habitasse.

Torrentes detegunt metalla.

D METALLORVM INVENTORES, & ijsdem ditati.

TOT & tam variæ hac in re Auctorum sunt opiniones, vt his quodamodo impliciti esse videamur: nihilominus communem sectantes sententiam pronũciamus, quòd Tubalcayni, quem ex Sella Lamech genuit, æris & ferri metalla inuenisse, in sacris Hebræorum historijs legitur.Hinc colligendum est ab initio ferè Mundi venas metallorum inuentas, consequenterq; Asiæ fodinas vetustissimas fuisse,præterquamquòd Caynus Adami filius, si Iosepho fides adhibenda est, pecuniam magnifeciſſe perhibetur. Legimus apud Cælium Rhodiginum, Semiramidem Reginam metallorum fuisse inuentricem, & quamuis hoc apud multos adhuc parùm sit exploratum, attamen ad hoc stabiliendum alij Auctores referunt, quòd Semiramis Regina multos ad metalla damnauerit, quæ Abrahami temporibus Assyrijs domina-

Lib. 23. lect. Antiq. cap. 5.

minabatur. Item Erichthonius Athenienſium Rex quartus iuſſit, vt ſerui ex monte E
Laurio argenti venas eruerent, ſed officinam ferrariam Cyclopes poſtea fabricarũt;
deinde Vulcanus, auctore Diodoro Siculo, ferri, æris, argenti, auri, & cæterorum
quæ ad humanum vſum igne fabrefiunt, opificium reperit. Cadmus quãdo regnum
Tyri occupauit, tunc in monte Pangæo auraria metalla ſunt effoſſa. A Phœnicibus
metalla Hiſpaniæ ſunt reperta, & non multò poſt Caſſiteridum, & Britanicæ fodi-
næ ſunt apertæ. Dictæi ætate Pandionis quinti Athenienſium Regis ferrarias ve-
nas detexerunt. Faunus quoq; Mercurius nominatns Iouis ex Pico filio nepos in
Mercurij duo fuerunt. Creta fodinas auri, & argenti aperuit; imò Dictæos artem metallicam docuit, & ob
hoc ſingulare collatum in illos beneficium, ſtatuam cum crumena in manu ei decer-
nerunt, veluti alterius Mercurij eloquentiæ inuentoris ſtatua cum caduceo viſitur.
Deniq; Plinius monimentis mandauit, quòd Cynira Agriope filius in Cypro fodi-
nas ærarias manifeſtauit, parieter, ex eodem auctore. Midacritus in Caſſiteride Inſu-
la plumbum album inuenit; hac de cauſa hoc plumbum vel ſtannum κασσίτερον vo-
catur. Poſtremò quis plumbum nigrum, vel argentum viuum inuenerit, adhuc non F
eſt monimentis mandatum.

Præterea multæ hiſtoriæ opulentam ſupellectilem eorum iactant, qui ex metallis
diuites euaſerunt. Etenim Calliſthenes ſcriptis mandauit Tantali, & Pelopidarum
fortunas venis metalliferis fuiſſe amplificatas, quę circa Phrygiam, & Sipylum in-
uentæ ſunt. Cadmus ex metallis in Thracia, & Monte Pangæo inuentis ingens diui-
Metallis ditati qui. tiarum pelagus hauſit. Priamus, ob fodinas aurarias ad Abydum ſitas, copia opum,
& multis facultatibus redundauit. Midas ex metallis aurarijs circa Bermum mon-
tem poſitis, immenſas opes, & loculentas diuitias habuit: vnde adagio dicitur de
homine ditiſſimo, *Mida ditior*. Metalla Lydiæ Gygem, & Creſum nullius indigen-
tes, & diuites ad ambas vſq; aures effecerunt. Hercules auri lucra inflammatus, tunc
diues, & opibus ad luxuriã plenus euaſit, quando Geryoni Hiſpaniarum Regi multa
metalla poſſidenti bellum inferens cum manu propria occidit. Atlas, ob metalla ab
Athante monte eruta, diuitiarum copia gloriatus eſt; Pluto, qui primus omnium
teſte Diodoro Siculo docuit pecunias ad vſus humanæ vitæ neceſſarias ſeruari, G
tunc diuitiarum fulgore tumidus ſuperbiuit, quando frequentes metallorum ve-
nas inuenit. Hinc Poetæ fabulandi occaſionem nacti Plutonem ſubterraneorum Do-
minum & Regem conſtituerunt. Non alia de cauſa Lynceus infinitas ſibi compara-
Lynceus cur dictus acutæ viſionis. tas opes oſtentabat, niſi quia inſignis fuit Metallicus: vnde Palephatus de illo hæc
verba protulit. Lynceum dicunt ea, quæ ſub terra ſunt, intueri, quoniam cuiuſ-
cunq; generis metalla fodiens lucernas ſecum ſub terra ferebat, quod cuncti foſſo-
res præſtare ſolent: ideo vulgares homines pronunciarunt ipſum tam acuta viſione
fuiſſe præditum, vt intimos terræ receſſus penetrare potuerit. Phœniciæ Mercato-
res, iuxta mentem Diodori Siculi, ex montibus Pyreneis expreſſo metallo opulentas
opes ſine fine iactarunt. Metalla in confinio Arabiæ, & Æthiopiæ effoſſa Ægyptios
mirandum in modum locupletarunt. Reges Macedonum belli gloria illuſtres, ſi Li-
uio credendum eſt, ex metallo macedonico immenſas pecunias cumularunt. Athe-
nienſes ex metallis montis Laurij comparatas opes, teſte Xenophonte, oſtentarunt.
Carthaginenſes ex metallis Hiſpaniæ, ſi Plinius veritatem fatetur, ſibi & poſteris H
aureas facultates comparar ũt. Narrat Sextus Rufus Romanos ęrarij penuria labo-
rantes ex Cyprijs metallis multas diuitias coaceruaſſe. Longam priſcorum Regum,
& populorum metallis ditatorum ſeriem recenſere poſſemus, ſed breuitati ſtudentes
hanc omittimus, quia manifeſtum eſt, quòd vbicumq; terrarum metallicæ venæ fue-
rint, illuc ad congerendas opes ab omnibus itur. Illos autem, qui noſtra ætate in fo-
dinis Germaniæ aurum viribus ſuis expugnauerint, & captiuum duxerint Georgius
Agricola ſigillatim enumerat.

A

METALLORVM LOCVS.

SVNT quidam Auctores non proletarij, qui rudere potius, quam loqui videntur, dum locum metallis flumina assignant, quoniam grana auri, vel alterius metalli cum granis arenæ fluuialis interdum obseruauerint. Sed animaduertere debebant alueum fluuiorum nõ esse locum idoneum ad metallorum generationem; quandoquidem ramenta metallorum ab aquis fontium per commissuras montium transeuntibus ad flumina interdum vehuntur. Insuper multi Arabes præstanti litterarum scientia conspicui, inter quos ab Agricola recensetur Auicẽnas, opinati sunt nubem non esse ineptam sedem pro generatione cuiuscunq; metalli,& ad maiorem huius sententiæ confirmationem, narrat, quòd in Persia, tempore coruscationum,& tonitrui, corpora ænea sagittis hamatis similia, nec non portiones ferri de
B nubibus ceciderunt, quę ferri portiones liquefieri minimè potuerunt: propterea nonnulli Auctores asseuerantius dixerunt enses Alemanos ex ferro in nubibus genito fabricari. Imò Agricola testatur se vidisse terras in aere genitas, lapides, nec non massas æris, & ferri de Cælo fluxas, quæ omnia Scriptores prodigiorum tradiderunt. Demum nostra etiam ætate in Hispania, nimirum in regno Valentię, à nubibus decidisse massam lapideam metallicis venis refertã nonnulli promulgant. Cum non sit affirmandum ventorum impetu materiam fossilem in nubes fuisse delatam, neque ab initio mundi ibi detineri suspensam, vt paulatim deorsum dilabatur, necessarium est, iuxta istorum mentem, cõfiteri hanc materiam de nouo in nubibus generari. Horum eruditorum virorum sententię non est accedendum, quoniam metalla difficulter generantur, & vaporem quendam pinguem expostulant, virtutem mineralem temperaturam loci, & sedem aliquam, in qua materia metallica tanquam grauis aliquandiu quiescat, donec præfixo tempore perficiatur, quę conditiones in aere, & in nubibus minimè obseruantur; & si aliquando id contigerit, non per se, sed per accidens contigisse pronunciandum est.

Materia metallica in nubibus gratia.

C Reliquum est, vt metallis, & alijs fossilibus terram, seu terræ vterum tanquam proprium locum attribuamus; sic iure merito canebat quidam Poeta.

Terræ vterus.

Vt media quæcunq; sedent tellure metalla.

Multiplices cauernæ, & varij terræ recessus, sunt viscera, in quibus fætus metallici concipiuntur. Id non fuit ignotum Ouidio, quando cecinit.

Lib. 12. Metam.

——————— itum est in viscera terræ
Quaq; recondiderat, Stygijsq; admouerat vndis,
Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Sunt huiusmodi loca, in quibus plurimi vapores, copiosi halitus, multi spiritus, & succi congrediuntur, vt inde fætus marmorum, gemmarum, metallorum, & aliorum omnium fossilium erumpant, quemadmodum his versibus facilè manifestatur.

Principio locus, & sedes decreta metallis.
Ignendis, terræ est imum, atq; immobile visus
Marmoreæ in morem paterę sub montibus altis
Excisum, velutiq; cauo sub fornice clausum,
Quò solis radij penetrant, crebriq; feruntur
Syderei innumeris etiam fulgoribus ignes,
Collectumq; coquunt humorem, ac iugibus inde
Saxa per & rimas loca cuncta vaporibus explent.
Ast vbi continuum passus vapor ille calorem
Consedit, nec iam secreta per antra volutus
Amplius, immensos post tandem induruit annos
Hæret inexpletis venis informe metallum.

Itaq; loca peculiaria metallorum sunt venæ metallicæ, quę vulgò minerę nuncupantur: etenim sunt terrę sinus veluti vasa, canales, & receptacula materiæ, quę ad generationem fossilium spectat, quę conuenienter cęlo expósita, temperamentum, & instrumenta proxima sortita, ratione varietatis vena etiam, siue minera variatur & destin-

ſtinguitur. Illud autem ſpatium, quod inter venas metallorum cadit, Interuenium E
Interueniũ quid ſit. appellatur. Per venas, hoc in loco non tales, quales animantium intelligimus, ſed potius ex ſententia Agricolæ dicendum eſt, venas metaphoricè foſſilibus conuenire, nimirum ſumpta à venis animantium translatione; nam ſicuti venæ animalium per ſingulas eorum partes diſſeminantur, pariter venę metallorũ per totũ terrę globum, & potiſſimum per loca montoſa diſperguntur. De hac metaphora venarum metallicarum Seneca elegantiſſimè ſcripſit, ad quem lectores relegamus. Reſtat igitur, vt canales, & vaſa metallorum, venas appellemus; ita ſentiunt Plinius, Dioſcorides, Vitruuius, Albertus Magnus, Cardanus, & Multi alij. Item Ouidius deſcribens ętatem auream, & ferream ſic canit.

Li. 3. Nat. Quæſt. ca. 15.

—— de duro eſt vltima ferro
Protinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas.

Lib. 1. Metam.

Vt aſſertam ſtabiliamus ſententiam, metalla interdum pro varia locorum formã, & venarum diuerſitate, varia concreſcunt figura. Vidimus lapides ex fodina ſtanni F
exciſſos, qui ſtannum in ſe concretum nigro colore, & variè figuratum continebant; imò argentum habens angulos inſtar iridis obſeruauimus. Sed æri, & ferro hoc contingere nequit, quia plus terræ poſſideant, ſtannum autem, & argentum, quoniam plus aquæ participant, ideo facilius has figuras ſortiri poſſunt. Itaq; cum ſedes peculiaris foſſilium ſit terrarum orbis: hic in quatuor ſoli genera diſtribuitur, nempè in montanum, collinum, campeſtre, & ſolum conuallium, quorum duo prima genera ſummoperè commendantur, quia hæc facilius, quàm alia loca fodiantur. Qua propter mons Tmolus in Lybia, Rhodope, & Pangæus in Thracia, Carpatus in Germania, Cenimenus in Gallia, & Montes Pyrenei in Hiſpania metallorum ſunt feraces.

Montes, & colles ſunt loca metallorum.

Poſteaquam in peculiaria metallorum loca incidimus, operæ pretium eſſe iudicauimus omnes regiones ordine alphabetico digeſtas recenſere, in quibus aut metalla olim fuerint effoſſa, aut noſtra ætate in dies eruuntur. In primis Ægyptus fodinis metallorum non eſt nudata. Aliba regio à Calepino memoratur, vbi triginta G
fodinæ ab Homero eſſe traduntur. Ex Coſmographia vniuerſali habemus, quòd in Alſatia ſunt montes Galliam à Germania diuidentes, à quibus incolæ Lotharingica vtentes lingua æs, plumbum, & præcipuè magnam argenti copiam hauriunt: quamobrem, pro horum metallorum purificatione, ibi plures domus ſunt fabrefactæ. Anglia vnà cum Scotia inſulam totius Europæ maximam conſtituens, referente Munſtero, fodinas habet argenti, plumbi, æris, ferri, & ſtanni ſelectiſſimi, quod propter eius puritatem toto orbe terrarum commendatur. Non procul ab Apollonia Ciuitate Illyriæ ad mare ſita, ſunt quædam metallorum fodinæ, quæ albato metallo denuò replentur, vt in Coſmographia vniuerſali legitur. In Artabris, qui partem ſeptentrionalem Luſitaniæ habitant, terra fertilis ſtanni, argenti, & auri eſſe perhibetur. Tandem metalla Auguſtæ Ciuitatis Eburonum, conſenſu omnium laudantur, vt quidam Poeta de hac Ciuitate cecinit.

Alibarcgio.

Anglia.

Apollonia ciuitas. Fol. 946.

Auguſta.

Nemo mihi iactet ſummis, quæ diuite vena
Viſceribus terræ ſortè metalla trahit. H

Sequitur Boemia regio Germaniæ ampliſſima, vetuſtiſſimis fodinis nobilitata, & ditata; quamobrem Premislaus Boemorum primus Dux, argenti metallis repertis, vt Dubrauius ſcripſit, argentarias fodinas in illa regione coluit. Non eſt omittenda Bononia inter vrbes Italiæ præcipuas metallis valdè conſpicua, in cuius territorio mõtes ferè omnes venis metallorũ, & foſſilium redundant. Primitus in Communi *Bombiana* nuncupato non procul à fluuio parui Rheni æris metalla viſuntur; pariter in Communi *Paderno* appellato ſecus flumen ad auſtrum argentariæ, & erariæ venæ non deſunt: imò in Communi *Confient* vulgariter dicto mineræ auri, & argenti inuentæ ſunt; quapropter hoc Commune fortè à conflando olim fuit cognominatum, quia metalla ibi conflarentur, ſcilicet liquifierent. Has venas metallifer as, annis elapſis, Dominicus Albanus Cauſidicus inſignis, & vir in omni bonarum litterarum, legumq; genere eruditus obſeruauit, & diplomate Pontificis Maximi Vrbani Octaui munitus has venas erui curauit, & periculo facto, eſſe venas auri, & argenti

Bohemia. Lib. 2.

Bononia Italiæ.

A argenti comperit. Amplius in confirmationem afferti sunt Bononiæ duæ viæ olim suburbia, quæ ab auro, & argento denominatæ fuerunt, adhuc nomen retinentes, quia tunc metalla è proximis collibus eruta, ibi purificarentur. De Britannia scribit Cornelius Tacitus, quod illi diuitiæ vnionum, argenti, & auri abundè suppetunt, sed de hoc vocabulo in Anglia dictum est. Brixia fœcundas habet metallorum venas in primis ferri, & æris, vnde maximos quæstus Ciuitas haurit. *Britannia.*

Calabria venas auri, argenti, ferri, & aliorum fossilium possidet. Calaris Ciuitas Sardiniæ primaria nutrit gentes, quæ à promontorio iuxta partem dextram sito eruunt argentum, plumbum, stannum, & alumen sardoum, vt Andreas Baccius testificatur; In Carpatho monte, vt superius fuit expositum, metalla, auri, argenti & æris sunt effossa. Catayum habitantes, siue Scythiam extra Imauum copia metallorum potiuntur. In Celtiberis aurum, & argentū inuenitur. Ex relatione Ioannis Boteri habemus, quòd Cina fodinis auri, & argenti est diues, quæ metalla inde ad nouam Hispaniam deferuntur. Item in Relatione Cinæ à Patre Aluaro conscripta, *Calabria.* *Part. 1. cap. 2.*

B legitur, quòd Prouincia *Canton* appellata, est ampla, & omnium rerum, sed potissimùm æris, & stanni ditissima. Catti hodie Hessi regionem metalliferā habent, ferrarias, & argentarias venas producentem, vt Cornelius Tacitus refert. Colao inter cæteras regiones tanquam regnum auri, & argenti ferax Cornelius Iudeus summoperè extollit, & ex eodem auctore, Concincina est regio, qu[illegible] aurum, argentum, & bytsum profert. Cosentiæ vrbis Calabriæ territorium mineris auri, plumbi, & sulphuris redundat. Cubam insulam auri, argenti, & aliorum metallorum feracem Iosephus Acosta constituit. Cyprus multas habuit vrbes metallis nobilitatas, inter quas Soli vrbs olim, nunc pagus recensetur, cuius metallorum Galenus meminit. Item Amathus Cypri Ciuitas metallifera, de qua sic canit Ouidius. *Lib. 2. Annal. In Tab. Amer. Li. 4. Hist. Ind. cap. 3. L. 9. Simpl. Lib. 10. metam.*

At si fortè reges fœcundam Amathunta metallis.

His additur Themese, pariter vrbs Cypri tantoperè à Statio laudibus cumulata, quando canit. *Lib. 1. Syl.*

Et queis se toris Themese dedit hausta metallis.

C Similiter Ouidius de eadem loquitur hunc in modum. *Lib. 15. metam.*

Hæ potadeq; domos regis, Themesæq; metalla.

Demonetus est Insula Propontidis, in qua Cyanus lapis, chrysocolla, & præcipuè aurum e[illegible]odiuntur, vt Hermolaus in Plinium scriptis mandauit. *Lib. 5. cap. vltim.*

Fitelbergi montis mineras, & totam illam regionem metallo, & potissimùm ferro turgentem Ortelius in Theatro orbis multis encomijs celebrat. Item Friburgenses venæ metallicæ, & præsertim argenti fuerūt inuentæ, quo tempore Otho Princeps in Misena regnabat. Ortelius etiam in Theatro mundi montes attinentes ad regionem Forojulianam non esse aspernendos tradidit, quia omnibus ferè metallorum generibus scateant, nempè ferro, ære, plumbo, argento viuo, & auro, præter candida marmora, quæ inde quoq; erui possunt. Galacia, referente Plinio, mineris auri, & argenti antiquitùs abundauit. Germania, præter alias Europæ regiones tanta metallorum copia potitur, vt tota ferè Italia, Gallia, & Hispania magnam metallorum quātitatem à mercatoribus Germaniæ recipiant. Giuspuscosa vbiq; in regione mon- *Foroiuliana regio.* *Germania metallis plena.*

D tana tam ferri & Chalybis ferax est, vt nullibi terrarum maior ferri abundantia, & præstantia conspiciatur; quare hinc omne genus ferramentorum vtensilium in vicinas regiones magno incolarum emolumento exportatur. Goslariæ commune plumbi & argenti metallum ad radices Meliboci montis Saxones tunc foderunt, quando Otho magnus Germaniæ imperabat.

Hannonia regio copiosis ferri, & plumbi mineris celebratur. Heluetiæ montes venas argenti, plumbi, æris, & christalli producunt. Apud Heleſtadium in Liberia valle metalla fodiuntur. In Hispania tanta venæ metallicæ fœcunditas reperitur, vt aliquādo Possidonius dixerit Plutonem diuitiarum Deum loca Hispaniæ subterranea habitare. Id Homero non fuisse ignotum credimus, qui in illo tractu campos Elysios pijs hominibus destinatos repereri finxit. Antiquitùs in hac regione, ad mentem Plinij, Hispani ad hoc opus metallicum obeundem omnes suos conatus destinabāt; sed hodie, vt Iosephus Acosta refert, curant, vt Iudei in hoc opificio totis neruis adlaborēt nam, vt habetur in Cosmographia vniuersali, primus gradus metallorum in *Hispania.*

Hiſpania, ſecundus in Thracia, tertius in Britãnia, quartus in Gallia Germaniæ ſuperiori coniuncta inueniri perhibetur: quemadmodum nouæ Hiſpaniæ metalla nullis cedunt, & abundantiam auri, argenti, ferri, & vtriuſq; plumbi Plinius citeriori Hiſpaniæ à Pyreneis attribuebat. E

Iapponẽſes popul. Iapponenſes populos, ob metallorum quantitatem Ioannes Boterus ſummis proſequitur laudibus, dum illis merces aliarum gentium ad ſe trahunt. Ibylla vrbs Tartariæ multis laudum titulis eſt afficienda, quoniam multas auri, & argenti fodinas habeat. Iluam Tyrrheni maris inſulam egeſtate fructuum, & ſegetum laborantem, metallorum verò ditiſſimam Ioannes Boterus ſumma laude in Cælum effert: quapropter Poetæ non ceſſant illam metalliferam appellare. Baptiſta Mantuanus hæc habet.

Tartariæ vrbs.

Ilua Inſula.

Ilua metallificis ſemper fumoſa ruinis.

Pariter Strozus filius de hac inſula ſic canit.

Quiq; metallifera ſaxa ardua ſubdidit Ilua.

Multa foſſilia ſingularibus prærogatiuis prædita in Ilua eruuntur, ſed maiorem ferri copiam proferre videtur; quod non fuit ignotum Virgilio, quando hos verſus pronunciauit. F

Lib. 10. Aeneid.

——— aſt Ilua trecentos
Inſula inexhauſtis chalybum generoſa metallis.

India occidẽtalis. Indiam Occidentalem quantitate metallorum tumidam ſuperbire Ioſephus Acoſta monimentis mandauit, ſed inter alias Indiæ partes Regnum Peruanum, ob opulentiam metallicam, ſe iactare non deſinit, quoniam in dies nouæ ſemper metallorum venæ deteguntur: in hac autem mundi regione potius quàm in alia, copioſa naſcuntur metalla, & id prouenire ſcribit Acoſta à ſolo ſterili, quod metalla naturaliter amant. Inſulæ Oceani hiſpanici metallicas opes ſcilicet ſtanni, & plumbi habuerunt, & Phœnices hoc commercium diù occultarunt, ſed poſtea quam Romani in hæc metalla detecta incubuerunt, fodinæ penitùs ſunt derelictæ. Addamus ex relatione Ioannis Boterij, Inſulam Hiſpaniolam diuitijs metallicis affluere. Sed quid aſſerẽdum erit de Italia? quæ, Plinio teſte, in abundantia metallorum auri, argenti, æris, & ferri nullis regionibus non ceſſit, quamdiù libuit opus metallicum exercere; nam vt alio in loco idem Plinius ſcripſit id interdictum vetere conſulto Patrum Italiæ parci iubentium. Alioquin Virgilius de illa canit hunc in modum. G

Lib. 4. Hiſt. Ind. cap. 3.

Peru.

Hiſpaniola inſula.

Lib. 37. c. vlt.

Italia.

Li. 3. c. 20.

Hæc eadem argenti riuos, æriſq; metalla
Oſtendit venis, atq; auro plurima fluxit.

Lib. 1. Chriſop. Imò Ioannes Aurelius Augurellus idem ſtabilire videtur, quando immenſos in fodiendis metallis labores recenſet, nam hos quoq; olim Italiæ notos fuiſſe memorat, & nullam regionem metallis hac tore fæcundiorem opinatur, cum per longam annorum ſeriem metalla inde non fuerint eruta. Carmina huius auctoris ſic ſe habent.

Hi quoq; iam fuerant Italis quandoq; labores
Flumina per, puteoſue etiam, montiſue ruinas
Itala dum patuit priſcis exercita tellus.
Cui poſt quippe pia lege interdicta pepercit
Auri ſacra fames; neq; enim exhaurire metalla
Italiæ parca, & prudens eſt paſſa vetuſtas.
Nec foret hæc etiam regio fæcundior vlla,
Quæue magis flueret venis nunc iugiter auri,
Ipſa diù cum tot fuerit non hauſta per annos. H

Quapropter cum Pontifex Maximus Clemens Septimus hoc cõpertum haberet, iuſſit Fuccaris Germanis, vt duos homines Suacenſes rei metallicæ perfectè peritos, ad aliquot venas Italiæ fodiendas, & excoquendas è Germania in Italiam euocarent; quo diligenter peracto, huiuſmodi opifices Italiam metallis non carere retulerunt, ſed horum lucrum eſſe tantum obſeruarunt, quantum impenſis metallicis reſpondere poſſet. Indicium quoq; paucitatis metallorum Italiæ inde perceperunt, quoniam Riui, Torrentes, & Fluuij aut rara, aut nulla metallorum ramenta ducunt. Hinc facili coniectura aſſequi poſſumus cauſam, propter quam Vetere Patrum Conſulto Italiæ

Cur Italiæ metalla non eruantur.

A Italiæ regioni omnium consensu laudatæ fuerit parcitum, quoniam fructuosiores arationes, quam venarum metallicarum fossiones esse decreuerunt. Nam si Plinius nullam tellurem Italia fecundiorem esse asseuerauit, hoc tantum lucrum & immensa vtilitas non erat omittenda, cum quæstuosa mercatura auri, & argenti maius annuo cursu emolumentum, quàm fructuosissimus ager centum annorum spatio afferat. Iucatam Insulam Laurentius Anania in Fabrica mundi tanquam auri, & argenti feracem magnificat, sicuti Facellus in Historia Siciliæ innumeras laudes in Iulianam regionem congerit, quia venis auri, argenti, & ferri turgeat. *Iucata Insula.*

In Leodicensi Diœcesi multa fodiuntur metalla. In finibus Lotharingiæ multa sunt loca, quæ in hunc vsq; diem multum argenti, æris, plumbi, & ferri suppeditãt. *Luna vrbs.*

Luna vrbs Hetruriæ in confinio Liguriæ sita olim metallis fuit opulenta, quoniam Statius illam nuncupauit metalliferam hoc versu. *Lib. 4. Syl.*

An ne metallifera repetit iam mœnia Lunæ.

In Macedonia circa Philippos metalla reperiri dicuntur, si vera scripsit Aristoteles
B in libro de Mirabilibus. Madagascar, secundum alios, insula Lunæ, Plinio Cerne dicta, ex mente aliorum, Tharsia Salomonis, Nuperis insula Diui Laurentij appellatur, hæc multos thesauros auri, & argenti occultat. Mansfeldia Vrbs Saxoniæ insignis fortis, & metallifera est, quoniam veras auri, argenti, & præsertim æris nutrit. Maroniam Abrahamus Ortelius locum in Attica constituit, qui multa metalla fundit. Matucca regio Imperij Benomot primaria, metallica materia scatet, & homines ad fossionem incumbentes Botongos nuncupant. Melce lacus inter Gothiam & Suetiam situs ripas quocunq; metallo habet turgentes. Meroe Insula, si Ioanni Botero fides est adhibenda, non solum mineris auri, argenti, æris, & ferri scatet, sed etiam arundines tam immensas producit, vt ex illis cymbæ fabrefiant. Messanæ, Facellus in Historia Siciliæ, venas auri, argenti, aluminis, & ferri attribuit. Maguntia, siue Moguntia vrbs Germaniæ superioris ad Rhenum fodinis est præclara. *Li. 6. c. 31.* *Mansfeldia.* *Matucca regio.* *Magutiæ vrbs Germaniæ.*

Non est omittenda Morauia regio Germaniæ inter Bohemiam, & Hungariam, quia & ipsa plumbeis, & ferreis metallis abundat. Moscouiæ tandem Ioannes Bo-
C terus non venas auri, neq; argenti, sed tantummodo ferri, plumbi, & æris assignat. *Moscouia*

Namur, teste Ioanne Botero, habet montes mineris ferri, & plumbi prægnantes. *Namur.*

Neanus mons longitudinis vndecim milliariorum, & latitudinis duorum supra triginta, vt habetur in Cosmographia vniuersali, aurum, argentum, plumbum, stannum, & ferrum producit. Deniq; Facellus in Historia Siciliæ narrat, quòd non procul à Nisa magnæ cauernæ visuntur, vbi olim fodinæ auri, argenti, ferri, & aluminis fuerant. *Neanus.*

Pangæus mons Thraciæ in confinio Macedoniæ *Castagna* Bellonio nũcupatus aureis, & argenteis metallis est celeberrimus, quem magnum, & excelsum Herodotus prædicauit. Peruanam regionem factam esse notissimam propter infinitas diuitias, quæ à metallis eruuntur, Ioannes Botetus retulit: imò in illius montibus ampliss imis, & vastissimis herba instar asparagi crescit, quæ ab incolis vocatur Ycho, hanc in fornacibus ad fundẽda metalla accendunt; ideò Iosephus Acosta maxima tenetur admiratione, cur tanta vis huic plantæ in liquandis metallis insit, cum alibi lignis
D roboreis, & carbonibus quernis vix liquefieri possint. Hoc proponimus studiosis cõsiderandum, an Ycho Peruanorum aliqua Kali sit species, cum huiusmodi planta magnam cum metallis familiaritatem habeat; nam vasa vitrea ex illius cineribus in dies conflantur, ita vt herba vitri à Botanicis nominetur. *Ycho herba qualis.* *Li. 4. Hist. Ind. c. 13.* *Herba vitri.*

Saguntus fuit Vrbs Hispaniæ Tarraconensis, in cuius tractu metalla erant copiosa, ideoq; Baptista Mantuanus canens dicebat.

Ecce metalliferi tractus, ecce alta Sagunti
Tecta.

Salzburg Ciuitatis Archiepiscopalis in Germania territorium & metallis, & fossilibus penè innumeris abundat. Sardinia metallis fœcunda est, quæ à dextris Calaritani promontorij fodiũtur. In Saxonia propè Goselariã venæ metallicæ anno Domini sexagesimo octauo post nonagesimũ repertæ sunt. Scania pars Daniæ vocata à Plinio Scandinaria inexhaustas habet metallorum venas, scilicet auri, argenti, æris, & plumbi, vt in Cosmographia Vniuersali legitur. Scotiæ opes in mineris plumbi, *Saxoniæ Goselaria.*

Scotiæ opes. ſulphuris, atq; etiam auri conſiſtunt, ſi Ioannes Broterus veritatem eſt aſſecutus. E
Seilam Inſula, ex Gaſpare Balbo, ob copiam gemmarum, & venarum auri, argenti,
In Itiner. Ind. & ferri ſummoperè celebratur. Apud Sequanos ſunt fodinæ, ex quibus argentum,
æs, & ferrum effoditur. Apud Sigam Ciuitatem Mauritaniæ Tingitanæ ſunt montes
Sigenſe metallum vnde dictum. à metallis ærarijs, quibus ſcatebant chalcorichij cognominati, vnde metallum Sigẽſe nomen traxit: ad hæc metalla anno Chriſti ſexageſimo poſt ducenteſimum, multi
I piſcopi, Presbyteri, Diaconi, & alij Chriſti fideles, mandato Paterni Proconſulis,
damnata fuerunt, ita Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis atteſtatur. Inter Saloniki,
& Pagum Siderocapſa dictum biduum itineris intereſt, vbi multæ metallorum fodinæ obſeruantur; hic locus olim Chryſites ab auro ibi collecto appellabatur; hodie
Lib. 26. cap. 4. Sicilia. ab hoc pago Turcarum Imperatori auri maxima ſit acceſſio. Sicyon Vrbs in Peloponneſſo omnium metallicarum officinarum patria à Plinio nominatur. Sicilia foſſilium
abundantia alijs non cedit regionibus, & quamuis hodiè metalla inde non effodiantur, nihilominus metallis carere non eſt aſſerendum, tum quoniam arenæ fluminum
oppoſitum monſtrant, & cauernæ ad hunc finem fabricatæ noſtris etiam temporibus F
apparent. Siphus inſula eſt, in qua ſunt venæ auratiæ & argentariæ, vnde tantum
pecuniæ colligebatur, vt apud Delphos, iuxta ſententiam Herodoti, ex decima eius
parte Theſaurus locupletiſſimus reponeretur. Stiriæ montes, ſicuti etiam Carinthiæ
Lib. 6. Hiſt. ſeptẽ. mineris argenti, & ferri diuites Ioannes Boterus conſtituit. Septentrionales montes,
vt refert Olaus Magnus, excelſi ſunt, & maiori ex parte ſteriles, in quibus nihil aliud
pro commoditate incolarum generatur, quàm inexhauſta metallorũ vbertas; effundit enim Suetia metalla argenti, æris, plumbi, & aliqua etiam auri, ideò nulla eſt re-
Septẽtrionales regiones. gio Europæ, quæ ratione metallorum, huic comparari poſſit, nam paſſim, eodem
Olao auctore, mineræ in dies deteguntur, ſed agricolæ ſimo illas occultare nituntur, ne ſuas operas locare, & ligna ad fornaces metallicas deferre cogantur. Sumaton inſula eſt mineris affluens, & nonnulli Iudei mineras Ofir tantopere celebres in
ſacris Biblijs ad Sumatram, quamuis alij ad Pegu pertinere opinantur. Demum
Suatianæ fodinæ quales. Suatianas fodinas tamquam opibus præcellentes, & metallorum feraciſſimas Stephanus Pigius ad ſydera exollit; illic extra pagum ad montium prærupta multa fo- G
dinarum ſunt antra, è quibus metallum exhauſtum carris euhelunt, & ſuperflua in tumulos coaceruant, & veluti montes montibus imponunt, itaut vaſtæ rupes ſua viſcera euomere, & nouos montes procreare videantur.

Temeſa Vrbs in agro Brutio ab Auſonijs condita ærifodinis illuſtrata eſt. Thaſus
Thaſus. aurea quondam dicta ob auri, quod ibi effodiebatur, maximam copiam, miræ fertilitatis commendatur; quare Herodotus retulit Thaſum auri, & argenti fodinis celebrem fuiſſe, & potiſſimùm cũ Thucidides græcus auctor Thaſi fodinis ſe præfectum
fuiſſe ſcribat, & ex Bellonio in obſeruationibus, Thaſi fodinæ olim ſingulis annis
octoginta talenta Philippo, & Alexandro pendebant, nunc verò planè ſunt deſertæ. Thracia propè montem Pangæum ob fodinas eſt locupletiſſima. Tirolenſis regio
Thracia. Dacia occidẽtalis. propter venas metallicas Midæ gazis & lydo ditior auro vocari poteſt. Tranſyluania, ſen Dacia occidentalis metallicis venis non eget; nihilominus incolæ, ex ſententia Ioannis Boteri, in illis inueſtigandis ſunt negligentes.

Vocontij populi Sabaudiæ vulgò *Belfort* probè ſunt ditati, quia mineras auri, fer- H
ri, & vitri habent. In Volaterrano territorio maior copia foſſilium, quàm fructuum, teſte Ioanne Botero, reperitur. Vngaria, ſeu Hungaria vltimo loco conſideranda
Vngaria. ſeſe offert, quę non ſine ingenti metallorum farragine probatus, ſed de hac ſuperius ſatis ſuperq; ſcriptum eſt.

DENOMINATA.

MVLTA ſunt, quæ à metallis denominantur, vt Metallicus, ſeu Metallarius vocatur ille, qui effodit, lauat, & præparat metalla; propterea Plinius aliquandò dicebat quòd Metallicus arenas plumbi candidi lauat, & in fundo ſubſidens in fornacibus coquit. Metallicus vero nomen adiectiuum illud omne ſignificat, quod ad metalla ſpectat; ſicuti metallifer dicitur metallum producens.

Pari-

A Pariter apud Græcos μεταλλουργὸς vocatur, qui per terræ viscera metalla scrutatur, & illis purgandis, & præparandis operam nauat: hinc apud Dioscoridem legitur μεταλλουργεω, metalla effodio; quamuis per metallurgum Latini intelligant etiam illum, qui campanas, & alia instrumenta ex metallis conflat. Metallozeuticam artem Cardanus inter artes acquisititias reponit, an sit illa, quę in acquirendis metallis versatur, inquirendum est. alioquin μεταλλευτίκη τεχνὴ est ars, quæ ad inquirenda, & elaborāda metalla spectat: hinc μεταλλάω & μεταλλένω curiosè scrutor, metaphora desumpta à metallorum indagatoribus; vnde oritur μεταλλίζεσθαι ad metalla damnor. Deinde Metallica dicuntur quæcunq; ad metalla spectare possunt, & à Medicis quęcunque vel naturaliter, vel artificiosè ex metallis resultant; vt apud Dioscoridem σκωρία σιδήρου, μολύβδου, χαλκοῦ nempè recrementum ferri, plumbi, æris. Insuper Metallia Plinio fodinæ metalli nominantur, & à nobis illa numismata, quæ coronis præcarijs appenduntur, *medaglie* nuncupantur, quasi metallia, quoniam ex metallis conflentur. At Semimetallum est illud, quod naturam metalli, & lapidis B participat, Gallis Rusma cognominatum. Apyrometallum nonnullis est aurum, cum sit metallum, quod igni non consumitur; πῦρ enim apud Græcos ignem significat. Postremò Metallophiton denotat lignum, quod natura plantæ, & metalli potitur, hoc nullam radicem, neq; ramos profert, sed simplices tantū truncos diuersæ figuræ, qui non sunt erecti more aliarum plantarum, sed per viscera terræ strati. Hoc lignum fossile nuper fuit repertum in prouincia Vmbriæ Italiæ, & in territorio Tuderti Ciuitatis, quo de ligno minerali Franciscus Stellutus apertè, & dilucidè pertractauit.

Metallurgus quis.

Metallica quæ.

Medaglia vnde dicta.

Rusma quid.

Semimetallam.

Apyrometallum.

Metallophiton.

EPITHETA.

APVD Poetas tam græcos, quàm latinos, metallum ratione variarum qualitatum, diuersa etiam epitheta est sortitum. primitùs, quoniam per viscera terræ varios producit venarum discursus, instar ramorū arboris, ramosum C metallum indigitarunt; & Græcis dictum est πολυσχιδὲς, quasi in multas partes diuisum ob multiplices venas, quæ in metalli fodinis obseruantur. Aliquando ratione fulgoris, rutilum, & fulgens dixerunt metallum, & Dyonisio χρυσοφαὲς vocitatur, cū omne metallum instar auri splendeat. Ratione coloris, fuluum, viride, & croceum, ratione qualitatis durum, & ratione grauitatis ponderosum nominarunt. Aristoteles respiciens genuinam metalli naturam, illud appellauit ὀρνητὸν, σκηρὸν, τηκτὸν καὶ ἐλατὸν, scilicet fossile, durum & ductile. Latini à loco natali interdum horarum cognominarunt, Dalmaticum à Dalmatia regione Illyrica, de quà superius dictum fuit; Spartanum à Sparta vrbe nobilissima Peloponesi, Temesæum à Temesa vrbe agri Brutij olim ærifodinis celebrata, & hyperboreum à montibus Septentrionalibus hyperboreis nuncupatis, quibus in locis copiosa metalla oriuntur, & oriebantur. Aliter Græcis à loco natali, sed vniuersali vocatur χθόνιον, nempè terrestre, quia ab vtero terræ eruatur. Tandem ab opibus, quæ ratione metalli cōparantur, Dyonisio gręcè appellatur Βατύπλουτον, quasi immensas diuitias possidens, similiter ῥυη- D φενὲς, quasi affluens diuitijs; cum ῥυηφένεια Gręcis opulentia dicatur, & denique αμοιβαιον mutuum, cum metallum in causa permutationis rerum esse feratur.

Græca epitheta.

In lib. de sit. Orb.

MYSTICA, ET MORALIA.

HVMANÆ necessitati metalla famulari non inficiamur; nihilominus, quia in sacris litteris frequentissimè memorantur, asserendum est cum Apost. hæc non solum ad humanam cōmoditatem, sed etiā ad exemplum morum nobis cōcessa fuisse; quapropter Iob in suis scriptis diuersas metallorum origines recenset, ex quibus D. Gregorius in suo Moraliū volumine, multa ad mores christianos attinentia desumpsit. In hac igitur mystica, & morali doctrina eatenus metalla cōsiderabimus, quatenus in vniuersali, & in peculiari modo sumuntur. Ratione primi metalla in Diuinis Deum filium significāt, ad mentem Ricciardi in commētarijs symbolicis,

Metallorum mystica significatio.

nam metalla aquea ſunt, & ſymbolum habent cum illa aqua, de qua ſcriptum eſt. E
effundam ſuper vos aquam viuam. Verùm metalla in Harmonica mundi conſonantia, & Martem, & partem aquilonarem denotant: hæc enim cum ſint in ditione Martis toti terrarum orbi maximo ſunt detrimento, dum Mars aſſiduis bellis nundum deſtruere nititur. Præterea cum partem aquilonarem tanquam ſedem propriam natalem metalla reſpiciant, & omne malum ab Aquilone prodire manifeſtum ſit, ſupereſt vt dicamus omnia ferè vitia à metallis reſultare; ita vt nõ malè ſcripſerit Ouidius, quando de metallis hæc verba protulit.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

His addamus, quòd metalla non ſolum parte aquilonari, tanquam proprio ſolo, ſed etiam intimis, & infimis partibus terræ delectatur, quibus locis Princeps huius mundi, & Mamona iniquitatis præeſt, & ex mente Diui Hieronymi, præerat Ægyptijs, quoniam metallorum copia pollebant. Apud Platonem metalla ſeptem planetarum virtutes generationem omnium rerum moderantes referunt; pariter in doctrina morali per metalla Deus Optimus Maximus, & cuncti Cælites deſignari poſſunt, à quibus omnia animæ noſtræ bona dependent. Metalla fuſa, & polita res proximas ſuo fulgore illuſtrant, ita Metallis, ex Diuo Chryſoſtomo, illi aſſimilantur, qui toto animo in diuina incumbunt, nam alijs boni exempli ſplendorem communicant. Rerum naturalium ſcrutatores pronunciant maſſam metalli in aqua collocatam, inſtar omnium grauium fundum petere, ſed ſi in tenuiſſimas bracteas dilatetur, tunc in eadem aqua ſupernatat, hæc aqua lubricam rerum mundanarum copiam, & merſio metalli aſſiduam hominis propenſionem ad peccatũ indicant: Itaq; peccans ob vitia grauis, ſi in ſua criminũ maſſa denſatus mãſerit, neceſſe eſt, vt fundũ aquei inferni petat; iuxta illud Exodi. *ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis*. At ſi criminoſus ſacramento pœnitentię, charitate, & eleemoſyna ſe dilatet, ab impendenti ſubmerſionis periculo ſine difficultate emergent: propterea Pſalmographus ad rem dicebat *Viam mandatorum cucurri, cum dilataſti cor meum.*

Metalla denotant Cælites. F

Exo. c. 15.

Si meditemur metallicos, nonnulli artis imperiti, & nullo docente, ſed propria induſtria fuſionem metallorum aggrediuntur, & eorum venas non rectè cognoſcentes confundunt, & laborem ſubeunt inanem: ſimili modo, auctore Chryſoſtomo, qui Diuinæ ſcripturæ ordinem non intelligunt, & cuncta iuxta verborum ſonum interpretantur, abſq; dubio venas metallorum confundentes, nunquam reconditum in Biblijs theſaurum aſſequuntur. Opifex autem artis metallicæ peritus varias venas diſcriminare nouit, quemadmodum qui in diuinis verſatus eſt, quid boni ſit faciendum illicò intelligit. Præterea ſunt multi, qui tantam fatuitatem induunt, vt ſponte, & nulla impulſi mercede metallicis fodinis ſe dicant, vt pro alijs aurum, argentum, & alia huius generis metalla quæritent: hi procul dubio hominem lucris, & opibus inhiantem repræſentant, qui, referente Diuo Chryſoſtomo, non ſibi, ſed alijs opulentam facultatum ſupellectilem cumulant. verba Diui Chryſoſtomi ſunt hæc. *Sunt qui metallorum operi traditi ſunt, & nullum emolumentum, & nullas opes inde conſequuntur, ſed magno periculo, atq; detrimento alijs laborant. Hos igitur plurimi nunc imitantur qui non ſibi, ſed alijs diuitias quærunt.*

Homil. 39 G

Homil. 56. in Math.

Inſuper ſi diligenter perpendamus illos, qui metallicas excoquunt venas, hi non modo maſſam metalli, ſed eius etiam micas magna ſedulitate colligentes, in fornacem proijciunt, ita & Chriſti fideles prædictos imitari debent, & metallũ ex Diuinæ Scripturæ venis collectum in fornacem cogitationis inijcere, & igne ſpiritus excitato paruas etiam micas fundere: etenim iuxta ſententiam Diui Chryſoſtomi, breue quidem eſt verbum, ſed multa virtus in illo ocultatur. H

Homil. 29

Sin ad peculiarem metallorum ſpeculationem accedamus, prima facie incidemus in illa metalla, quæ ſtatuam Nabucdonoſoris conſtituerunt, à quibus myſticè varia regna ſignificabantur: nam auro Chaldæi, argento Perſe, ære Graij, ferro Romani, & fictilibus ſtatuæ pedibus cætera mundi regna indicabantur. Id præclarè expreſſit Reuſnerus his verſibus.

Statua Nabucdonoſoris.

Quam videt in ſomnis ſtatuam Babylonius Heros
Quattuor hæc mundi regna futura monet.
Argento pectus, caput auro, venter aheno.

Crura

A *Crura micant ferro, plantaq; mixta luto est*
Persarum argentum, Chaldaum, scilicet aurum
Aes Graium, ferrum Romula regna notat,
Ferrea pars plantæ Mahometi regna potentis,
Cætera significat fictile regna lutum.

Amplius his septem metallis, virtutes, septem principales manifestantur, quarum tres Theologicæ, & quatuor Cardinales appellantur: etenim per aurum Fidem, per argentum Spem, per æs Charitatem, per stannum, & per argentum viuum Temperãtiam intelligere debemus. Denuò per aurum in sacris paginis Patientia Martyrum intelligenda est, nam huius metalli verus probationis locus Ecclesia catholica esse perhibetur; in illa enim sola veri Martyres versantur; quoniam sine fide, spe, & Charitate, quibus membra Ecclesiæ copulantur, passio nullum meritum consequitur; iuxta assertum Apostoli. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Per argentum, Diuus Gregorius, in volumine B Moralium, doctrinam concionatorum significauit, cuius venarum principium est sacra pagina; nam qui ad verba veræ prædicationis se præparant, necesse est, vt initium à Sacris Biblijs sumant. Ærario lapidi, ex quo æs conflatur, apprimè interior cordis duritia assimilatur; etenim sicuti metallicus lapis vehementi calore soluitur, pariter, durities, & frigiditas humani cordis feruore spiritus incalescit, & tandem igne Diuini amoris liquatur, & tunc in æs mutari dicitur, quando cor charitate firmatum ad recta opera conuertitur. Postremo per ferrum Patientia, & Fortitudo Sanctorum designatur; etenim veluti ferrum terræ permixtum, opificis industria, ab illa separatur, simili ratione viri in probitate fortiores à terrenis actionibus segregantur.

Patientia Martyrũ auro significatur.

Lib. 1. ad Corint. ca. 13.

Fortitudo Sanctorũ.

SOMNIA.

C QVI concubia nocte dum irriguo turgescunt somno ad metalla deferri sibi videntur, affines mori, & hæredes institui optimum indicium esse scripsit Cardanus, qui in hoc doctrinæ genere perpetuas agitare nugas videtur, quoniam hodie nemo ad metalla damnatur: imò maiori hominum parti hoc genus supplicij est ignotum. Preterquamquod si aliquibus doctis id per quietem accidat hoc ex præcedentibus phantasmatibus prouenire asserendum est. Amplius si metallorum singulas species vnà cum Cardano examinemus, ipsum semper nugari obseruabimus. Auro igitur per somnum viso timorem ob pretium, insidias, difficultates, & multa impedimenta ob pondus, nec non honores ob metalli nobilitatem designari; Argento autem eadem, sed minora, cum auro sit minus pretiosum, significari, imò propter sonum tumultus indicari autumat. Nemini dubium est Cardano hunc fuisse morem, vt lectores infatuaret, dum nigro plumbo per quietem viso, onera, impedimenta, & ægritudines sine dolore significat, & vicissim plumbo albo propter stridorem morbos cum dolore pronunciat. Similiter quoniam æs tanD quam plumbum album edit stridorem, vulnera, & verbera dolorifica denotat; imò & nummis æreis in somno visis rixas, & lites significari ostendit, non alia motus ratione nisi quoniam Antiquitas loco ferri armis æneis vtebatur. Ferro robur præmonstratur, si fuerit splendidum, alacritas, & fiducia si rubiginosum, timor, & diffidentia, & tandem ex ferri esu in somnijs diuturnam vitam, & in Potentes dominium arguit. Aurichalco denotatur homo inanis, & qui apud amicos quicquam fingere soleat, hac friuola impulsus ratione id Cardanus asserit, quoniam hoc metallum colore fuluo aurum æmuletur. Deniq; argento viuo per somnum viso, neruorum morbos significari attestatur: sed quis hoc non fateretur? cum effectus in vigilantibus hoc manifestent: artifices enim qui sæpè argentum viuum adhibent, paralysim, & neruorum tremorem incurrunt.

Lib. 1. de Somn.

Aurum.

Argentum.

Plumbum verumq;

Aes. Ferrum.

Aurichalcum.

Argentũ viuum.

Satius esset, si Auctor hic scriptis mandasset, auro colorem flauum designari, argento colorem album, ære rubrum, ferro nigrum, stanno cæruleum, plumbo viridẽ, & argento viuo purpureum colorem, namq; sicut color purpureus ex alijs coloribus simul

ſimul mixtis reſultat, pariter argentum viuum facilè, & libenter alijs metallis adhæ- E
ret,& permiſcetur.Similiter rationi conſentaneum fuiſſet, ſi auro diuitias,& nobilitatem ſignificaſſet, argento iuſtitiam, & puritatem, ęre audaciam,cum olim arma in tutelam ex ære fabricarentur, ſtanno ſcientiam,quia ex illo characteres pro impreſſione formantur, plumbo venuſtatem, cum ex illo prodeat ceruſſa, qua mulierum facies mangonizatur;& tandem ferro męſtitiam, dum ex illo enſes ad feriendos, & vulnerandos homines pręparantur.

HISTORICA.

PVBLICIS encomijs exaranda eſt quædam de Cruce hiſtoria in fodina argentaria Ambergij reperta,cuius pars recta longa erat ſeſquipalmũ,tranſuerſa palmum,illa integrum ferè digitum lata, hæc dimidium,vtraq; vnciam craſſa. Præterea narrat Senertus in ſuis regionibus anno trigeſimo ſecũdo poſt mil- F
leſimum, & ſexcenteſimum verſatum fuiſſe quemdam breuis ſtaturæ hominem, nomine Claudium, & natione Lotharingum agentem annum quinquageſimum octauum, qui nihil fætidum, & iniucundum, nihil durum abominabatur, quia vitra, lapides, ligna, carbones, imò etiam metalla, patinas,& orbes ſtanneos dentibus confringebat, & deuorabat, deinde animalium ſtercora, & vrinas cum vino, & cereuiſia bibebat,& tandem quicquid illi deglutiendum offerebatur,viliſſima mercede propoſita ingurgitabat. Demum hic Claudius ingentem abdominis tumorem incurrit,quo aperto,res deuoratæ exierunt; & licèt omnes de vita illius deſperaſſent, nihilominus nullis adhibitis præſidijs priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus. Non tamen vt antea ita facilè res deuorabat, & potiſſimum, quia ob ægritudinem pręteritam, & propter ætatem iam ingraueſcentem, dentes ita redditi erant hebetiores, vt metalla amplius confringere nequiret.

Paul. l.c.6

INSIGNIA GENTILITIA, & Simulacra. G

AD noſtra vſque tempora talis penetrauit conſuetudo, vt Inſignia gentilitia partim coloribus,partim metallis exornentur;cum duo colores ſine metallo,neq; duo metalla ſine colore,ex doctrina Sicili Araldi, in eodem Inſigni gentilitio arridere minimè poſſint: quandoquidem area alicuius Inſignis aurea, vel argentea aliquo ſeptem colorum eſt figuranda. Colores ſunt Luteus, Albus,Ruber, Cęruleus, Niger, Viridis, & Purpureus; hic poſtremus color ex prędictis ſex ſimul mixtis conſtituitur. Sin area Inſignis gentilitij aliquo colore fuerit velata, tunc aliquo metallo erit decoranda, quoniam doctrinæ Sicili minimè conſentaneũ eſt colorem alicuius Inſignis alio colore, neq; metallum alio metallo honeſtare.Quamuis autem Inſigne gentilitium Regis Hieroſolymitani duobus metallis fulgens conſpi- N
ciatur, cum aurea Crux in illius campo refulgeat: verumtamen non eſt prorſus infiniti negotij hoc dubium explicare; nam Godofredus Bulionus, quando Terræ Sanctæ victoriam reportauit, quas habebat in conſilijs capiẽdis viros adiuit, vt Inſigne gentilitium tantò triumpho dignum figuraretur. Hi, conſilio inito, nobilioribus metallis, nempè auro, & argento hoc Inſigne illuſtrandum fore decreuerunt. Quapropter Crux aurea ſupra argentum coruſcans celeberrimæ victoriæ ſignum, tanti Regis Inſigne gẽtilitium exornare promeruit. Quocirca uemo, præter hunc Regem, duplici metallo Inſignia gentilitia decorare minimè debet.

In Tract. de Color. in Inſign. Gentil.

Sin ad ſimulacra mentem conuertamus, Ripa in ſuo Iconologia,ad pecuniam repręſentandam, mulieris figuram varijs metallorum coloribus indutam pingit,& luteo colore ad aurum, albo ad argentum, & colore fuſco ad æs indicandum vtitur.

Part. 2.

VSVS

VSVS IN MEDICINA.

ADVERSVS omnia morborum genera metallicam materiam esse efficacem non modò scribit Agricola, verùm etiam quotidiana docet experientia: cum omne medicamẽtorum genus ex triplici familia animalium, vegetabilium, & fossilium emergat, & inter hæc, metalla connumerantur. Deinde peruulgati moris est apud Medicos, quando medicamina ex animantibus, vel plantis composita ægrotis non profuerint, vt ad metalla tanquam ad sacram anchoram confugiant, quæ non modò in pharmacis extrinsecis, sed etiam in intrinsecis locum habent. Imò metalla cum possint alterare res, quibus cum elixantur, etiam mixta medicamentis humanum corpus iuuare poterunt. Id aquæ medicatæ nobis manifestant, nam per venas auri, & argenti transeuntes cor, & viscera mirandum in modum reficere, & roborare traduntur. Itaq; medicamenta hoc in loco enumeranda, partim ex metallis, partim ex illorum recrementis parantur. Primùm quoad illa, quæ ex metallis resultant; sciendum est arte chymica confici Turbith. metallorum, & quamuis hoc vocabulum, iuxta mentem Arabum, corticem, seu radicem herbæ ferulaceæ significet, nihilominus Chymici hoc nomen suo Turbith minerali imposuerunt; fortassis propter eundem effectum, quem in medicina præstat. Fit igitur hac ratione: metallorum Mercurius aqua valenti præcipitatur, & aqua ouorum figitur, deinde, sublata tenuiori parte, restat in fundo Turpethum. Sunt etiam aliæ rationes huius Turpethi extrahendi, quæ apud Libauium legi possunt. Amplius metallorum flores chymico artificio conficiuntur, scilicet dum metallum aqua sua valenti soluitur, hæc inde extrahitur, illiq; sæpius redditur, donec metallum satis fuerit attenuatum, tunc addatur sal ammoniacus magisterio depurante, & attenuante præparatus, & iuxta artis præcepta alembico cæco sublimetur, tunc cum sale flos metalli educitur. Hac ratione totum metallum eleuari potest, sed flos metalli tantummodò appellatur, quod præstantissimum primis operationibus in sublime tollitur: Item Oleitates metallorum adinstar tincturę ex venis metallicis eliciuntur, si acetum acre destillatum adhibeatur. Verùm si vena metalli colorem non deponat, tunc Libauius venam metalli in calcem redigendam esse docet, vbi etiam assignat modum extrahendi primum ens metallorum, qui apud auctorem legatur. Tandem metallorum immundorum purgatio, vt medicinæ famulari possint, in Armamentario chymico videnda est.

Turbith. metallorum.

lib. 2. Alch. Tract. 2.

loc. cit.

Cap. 1. Metallorũ retrimenta.

Animum ad recrementa metallorum si dirigamus, ex his etiam pro vsu medico non modicam frugem demetemus, primitus omnis scoria metallorum, iuxta sententiam Galeni, & potissimum ferri facultatem exsiccantem possidet; propterea hæc cum aceto decocta ad aures purulentas laudatur; & eandẽ cum aceto mulso aduersus aconiti venenum bibendã Dioscorides præscribit. Arabes hanc in potu ad stomachum labefactatum, & ad fluxum vrinæ, & mensium commendant: idcircò compositionem Tripharæ minoris ingreditur, pariter & in aliud compositum medicamentũ de scoria ferri, quod apud Rasim describitur, & hoc medicamẽtũ est salubrius, & tutius, quàm sit scobs, & rubigo ferri, quã nuperi medici adhibere solent. Scoria argenti, auctore Dioscoride, facultatibus molybdenæ potitur; astringit enim, & extrahit; ideoq; medicamentis ad cicatricem obducendam conuenientibus admiscetur. Scoria plumbi eadem præstat, quæ plumbum vstum, sed maiorem adstringendi vim participat. Flos æris pondere quatuor obulorum humorem crassum deturbat, & squama cum mulsa est hydragogum medicamentum, prius tamen diligenter lauatur, vt docuit Dioscorides. Medici recentiores hoc pharmacum aspernantes sola ærugine vtuntur. Flore æris vlcera pudendi exedẽtia citiùs, & fæliciùs, quàm præcipitato sanantur. Squama à ferro decussa, secundum Dioscoridem stommoma appellata eandem cũ squama æris sortitur virtutem, & pariter simili ratione abluitur, sed ad stimulandam aluum, est inefficacior. Cadmia vi exsiccante, & mediocriter detergente est insignita, & quæ in fornacibus colligitur, aliquid igneæ facultatis possidet; nihlominus si diligenter lauetur, medicamentum absq; morsu mediocriter desiccans, & detergens euadit: hac de re vlceribus, & oculorum affectibus non vulgarem affert vtilitatem; ideo ad rem in Enchiridio Iodoci hęc carmina leguntur.

Scoria plũbi.

Squama Ferri.

Cadmia.

Astrin-

Aſtringit, cruſtas inducit, & vulnera ſanat,
Abſtergit ſordes, & cicatrice tegit.
Illine, cum lacrymis oculus ſuffunditur ortis,
In cauſa capitis quando catærrhus erit.

Spodion & pŏpholix.

Pompholigi, & Spodio ineſt facultas refrigerandi, aſtringendi, explendi, abſtergendi, obſtruendi, & aliqualiter exſiccandi; hac de cauſa inter medicamenta leuiter cruſtas obducentia recenſentur.

Lithargyrium.

Lithargyrium, auctore Galeno, inſtar aliorum metallicorum deſiccat neq; manifeſtè calfacit, vel refrigerat, modicam tamen abſtergendi, & aſtringendi virtutem habet, & tali inter alia metallica gaudet prærogatiua, vt cum oleo ſolutum, abſq; cera conſiſtentiam vnguentis tribuat; quamobrem nonnulli lithargyrium aliorum medicamentorum materiam nũcupant, quoniam cætera pharmaca ſimul copulat, & potiſſimum illa, quę metallica recipiunt. De lithargyrio in Enchiridio Iodocij hoc diſtichon legitur.

Mitigat, aſtringit, mediocriter vlcera ſiccat,
Atq; eadem pulchra carne ſubacta replet.

De molybdenæ virtutibus nihil in præſentia promulgabimus, quoniam, teſte Dioſcoride, eaſdem vtilitates in medicina præſtat, quæ lithargyrio, & ſcoriæ plumbi aſſignatæ fuerunt.

VSVS IN SVPPLICIIS.

AVCTOR eſt Eutropius Tarquinium Superbum, vt rerum ſceſera ſeueriſſimè vendicaret, fodinas metallorum ad id idoneas excogitaſſe; imò Ius Cęſareum hoc ſupplicij genus haud qua quam leuè minimè iudicans inter grauiſſimas pœnas recenſet; dum illuc damnati non ſolum priuantur libertate, ſed etiam morti appropinquant, quoniam in ſubterraneo carcere illo detenti, fame, labore, vapore, & ruina ſæpè necantur: quare non poſſumus non mirari illos qui mercede conducti illas caligines profundas libenter intrant; vbi viuunt ſine Superis, exulant a Sole, & interdum ſub terris quærentes compendia, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt. Cælius Rhodiginus hoc ſupplicij genus duplex conſtituere videtur, dum

Duplex genus ſupplicij in metallis.

ſcripſit alios ad opus metalli, alios ad metalla damnari, ſed diſcrimẽ in vinculis conſiſtere animaduertit, quoniam qui ad metalla damnabantur, grauioribus vinculis premebantur; quamobrem refuga, eodem teſte, ex opere metalli, ad metalla damnabatur, vt grauius coerceretur. Itaq; lege decretum erat, vt homines humilioris fortunæ, & conditionis, ſceleris pudendi genere inquinati ad metalla deſtinarentur; v.g. ſi quis ex Ærario Principis, aut ex moneta ſacra aliquid furatus fuerit. Hanc legem ſtabilire videtur Diuus Auguſtinus, quando de hominibus colluuione ſcelerum contaminatis loquens, hęc verba protulit. *Effractor eſſe voluit, nouit lex iudicij, qui contra legem fecit, & ſic ex effractore metallicus eſſe voluit; quare pœna damnati eſt ornamentum Ciuitatis.* Suetonius tamen in Caligula narrat multos honeſti ordinis viros ad metalla fuiſſe condemnatos. Milites autem hoc priuilegio gaudebant, vt Iuris Conſulti fatentur, ne ad metalla ob aliquod commiſſum ſcelus deſtinari poſſent. Tandem erat hoc tam acre, & ſeuerum ſupplicium, vt olim aſſiduas funderent preces pro illis, qui ad metalla erant condemnati: nam Diuus Chryſoſtomus agens de incomprehenſa Dei natura, hæc habet. *Mœmento Domine eorum, qui ad metalla, & ſupplicia damnati ſunt.*

l. ſi quas ff. de pœn. Ser. 15.

Cap. 27. l. mons 6. ſed enim ff. de pœn.

Orat. 3.

VSVS IN MONETIS.

MVLTAS ad res conducere metalla iam fuit manifeſtatum: cum homo ſine metallis non poſſit illa parare, quæ ad victum ſuppeditant; multas enim inſtrumentorum ſpecies Agricultura expoſtulat: imò cæterarum artium aliæ ferro, aliæ ære, aliæ plumbo indigent. Aſtrologi metallica materia deſtituti,

ſunt

sunt ferè exanimes, nam eorum instrumenta partim ex ferro, partim ex ære, aut aurichalco concinnantur. Hæ sunt vtilitates à metallis dimanantes, quarum originem nobis assignat Natura. Verùm aliæ sunt vtilitates, quæ à Lege oriri videntur, dum metalla vertuntur in nummos, qui à lege nomen sūpserunt (νομος est Lex apud Grecos) etenim lege constitutum est, vt metalla, & præsertim aurum, & argentum pretiosa dicantur, dum pecuniæ, & monetę formam subeunt. Hæc metalla signata pecunię nomen à pecude sumpserunt, quoniam Seruius Rex, teste Plinio, omnium primus æs nota pecudum signauit; licèt Ouidius libro primo Fastorum hoc opus Iano attribuerit. Monetæ autem fuerunt dictæ, vel quia moneant cuius sint, vel ad aliorum mentem, quia monent, ne fraus aliqua in pondere, & forma metalli committatur; Itaq; monetæ vsum fuisse antiquissimum liquidò constat, cum apud Iosephum legerimus Caynum Adami primi hominis filium in monetas cumulandas anxiè incubuisse. Primus tamen, ex aliorum mente, qui monetam fabricauit, fuit Chare egregius Faber pater Abrahæ ad petitionē Nini Regis Niniuę filij Beli: idcircò legitur in Genesi. *Abraham publicè appendit monetam probatæ pecuniæ*. Herodotus monimentis mandauit à Lydis omnium primis nummos aureos, & argenteos ad humanum vsum percussos fuisse. Romæ, vt Plinius testificatur, anno Vrbis cōditę quadragesimo septimo post sexcentesimum, nummus aureus fuit signatus, & deinceps vbique gentium pecunia cudi cæpit. Argentum primus Phædon signare docuit, si veritatem Strabo est assecutus. Alij fuerant huius sententię, quòd Darius primus ex auro purissimo, & purgatissimo monetam fabricari iusserit. Itaq; cum ex omni metallorum genere conflari monetæ possint, tamen vocabulo monetæ Iuris Consulti auream tantūmodo, & argenteam monetam intelligendam esse statuunt, ita Glossa verbo pecuniæ ibi docet. Hodie publica consuetudine est receptum, vt appellatione monetæ, aurea, argentea, & ærea intelligatur. Solent autem percussores monetarij, dum metalla pro nummorum fabrica fundunt illis nonnihil plumbi admiscere, verumtamen plumbum substantiam monetę non ingreditur, quia partim exhalat, & partim ab alijs metallis segregatur: quapropter probatę pecuniæ ex auro, vel argento, vel ęre constant, vt stauit Vlpianus in L. Cornelia, vbi nummi stannei, & plumbei vsum prorsus vetat.

Nummi etymum.

Lib. 33. hist. nat.

Monetæ etymum.

Cap. 23. lib. 1. Hist.

Lib. 33. nat. Hist.

Lib. 8. Geograph.

l. 2. c. de fals. mon.

Monetæ nomine quid intelligēdum.

Nummus stanneus.

Antequam huic Rubricæ finem imponamus, fabricam monetarum rudi modo explicare decreuimus; primùm artifices monetarij certum pondus certi metalli catinis insertum, in fornacibus liquefaciunt, & tantum argenti auro addunt, vel tantum æris argento, quantum lege monetaria permittitur, vel decreto Principis, vel Reipublicæ, cuius impensis pecunia fabricatur. Liquidum iam metallum, & iuxta statutam legem temperatum, in canales ferreos fundunt, & bacillos bipedales formant, quos postea malleis in laminas aut crassas, aut tenues dilatant, iuxta pecuniæ genus, quod tunc temporis, & formare, & signare volunt. Iam nostro seculo noua signandæ monetæ inuentio reperta est, quia non flando, nec malleis feriendo nummi cuduntur, sed pręlis expeditissimè imprimuntur: nam rota aquaria machinam ferream organo horologio similem magno impetu circumducit, quę integratur ex multis rotis dentatis ita ad inuicem copulatis, vt sese mutuò impleāt: siquidem in illarum medio cylindri ex chalybe duo ad summam duritiem temperati voluuntur, & ita inuicem sunt coniuncti, vt superior deorsum, & inferior sursum rotetur. Gestant hi cylindri cęlatas monetarum formas nonnihil extantes cum margini us adeò acutis, vt superfluum metallum à cęlatura facilè separetur. Cylindrorum formę ita ęqualiter, & summa proportione aptantur, & inter voluendum apprimè iunguntur, vt nummi ab vtroq; latere perfectam formę impressionem acquirant, quare opifex monetarius nil aliud ibi debet agere, nisi laminas auri, vel argenti, vel ęris pro pondere, & magnitudine imprimendę monetæ iam antea pręparatas, cylindris in orbem euntibus admouere; nam illicò lamina metallica formam adepta vnà cum excrementis metalli in vas suppositum descendit.

Modus cudendæ monetæ.

VSVS IN VARIIS.

QVI in artem Chymicam incumbunt, pro virili parte conantur, vel cum aceto ſæpius diſtillato, vel cum lixiuio acuto, vel cum alijs aquis, & acribus ſuccis metalla ſublimare; ſed nouus in volumine Artis Chymicæ aſſignatur modus quo metalla abſq; prædictorum cõmixtione diſtillari poſſunt; quoniam omne genus metalli, quod igne conſumitur, facile euaporatione diſtillabitur. Solum igitur metallum in cucurbita terrea cum galea proſtrata luto diligenter clauſa collocetur; deinde igne liquefactionis (dũmodo diu ibi manſerit) vapor, corpore metalli friato, per galeam recipietur. Hanc facilem metalli euaporationem optimè norunt fuſores campanarum, & bombardarum, quia niſi manu veloci metallum liquefactum effuderint, pondere, ob euaporationem diminuitur, itaut metalli quantitas, quæ integrum opus perficere debebat, nec etiam operis medietati ſufficiat. Aliquando Chymici toto molimine adlaborant, vt ex metallis oleum eliciant, quod multi illam eſſe materiam promulgant, quæ in lucernis veterum ſepulcrorum flammæ fomitem perpetuum ſuppeditabat, quòd eſſe falſum poſſumus affirmare, cum oleum metallorum non ardeat.

Lib. 3. c. 7. Nonus diſtillandi modus.

Metallorum euaporatio.

Oleum metallorum quale.

Quid plura? Margaritarij quoq;, ſeu Gemmarij metallis bifariam vtuntur: primò vt gemmæ diaphanæ annulis incluſæ fulgentiores inſtar ſyderis radios ſpargant, in fundo palæ annuli foliolum locant, quod inſtar ſpeculi gemmantem lucem repercutiat. Hæc autem foliola ex ſolo ære, aliquando ex ære, auro, & argento fabricantur, & ad modum tenuiſſimæ chartæ dilatantur, & argilla ex Tripoli delata diligenter poliuntur, vt & lucem, & colorem gemmarum adaugeant. Deinde multi ope metallorum gemmas ſimulatas fabricare profitentur, & cum vitro, vel chriſtallo fuſo metalla, vel colores metallorum miſcent, & gemmas elegantes, & tranſlucidas conficiunt, quas non niſi in arte peritiſſimi à genuinis diſcriminare poſſunt. Etenim antimonium, & plumbum formam Hyacinthi facilè adipiſcuntur. Item lapis Clites nuncupatus ex metallis factitius eſſe perhibetur; ex auro enim, ære, & argento facile conflatur.

Præterea varij Artifices laborem circa metalla adhibitum minimè infrugiferum experiuntur, dum multa, & varia ex metallis conflant vaſa, non ſolum ex ſingulis metallis, vt ex plumbo vaſa plumbea, ex ære ænea, & ſic deinceps; verùm quoq; ex metallis ſimul mixtis, quæ vulgò metallica vaſa nuncupantur. Alij ex metallis diuerſos eliciunt colores; nam ex plumbo aceti guttis aſperſo albedo, & oleis madefacto magna nigredo reſultat. Figuli ex molito ære colorem viridem, ex plumbo colorem flauum hauriũt: idcircò ab opificibus ærarijs & florem, & ſquamã æris ſibi cõparant. Scoriæ verò metallorum ad fundendas agreſtiores venas metallarijs inſeruiunt; quãdoquidem ſcoriæ cum metallis in fornacibus tritæ duplici munere funguntur; fuſionem metallorum accelerant, & eorundem euaporationem prohibent, dum ſupernatantes metallis fit veluti operculum, vt materia metallica exhalare nequeat. Item in exarandis litteris metalla etiam adhiberi poſſunt. Vt igitur litteræ colorem cuiuſcunq; metalli fortiantur; ſumendum eſt albumen oui cum ſubtiliſſimo puluere chriſtalli, & aqua gemmata diligenter ſupra marmor læuigatum, & quod hac mixtura ſcriptum, vel pictum fuerit, exiccari permittatur, deinde perfricetur metallo, quod volueris, & tunc litteræ colorem perfricati metalli repræſentabunt. Poſtremò Derlius alium metallorum vſum aſſignat, dum ſcribit Chaldæos ſolitos eſſe ex metallo quaſdam imagines conflare, quas ad aſpectum quarundam ſtellarum cælabant, vt inde ſyderea virtus ad ſignatum metallum deriuata miros effectus operaretur. Pariter Luna trigono, vel hexagono aſpectu ſtellam in medio cæli, vel in oriente locatam intuente, tunc ex metallo huic ſtellæ dicato annulum fabricabant cum lapide figurato palæ inſerto, ſubiecta tamen herba eidem ſtellæ conſecrata, his ſimilibus annulis animum exhilarari, hoſtes ſuperari, ægritudines exterminari, & varia miracula fieri tradunt, quæ omnia præſtigia eſſe cenſemus. Qui de vſu metallorum ad varios colores multa deſiderat, legat Artem magnam lucis, & vmbræ Athanaſij Kircheri Ieſuitæ, qui de Chromatismo mineralium doctiſſimè diſſerit.

Colores varij ex metallis reſultant.

Litteræ coloris metallici.

Lib. 1. Diſquiſ. mag. cap. 3.

DE

DE AVRO. Cap. II.

CVM puritas,& natura auri ab omni iniuria corruptionis aliena multum præstantiæ & nobilitatis ei adijciant, hinc oritur, quòd aurum inter res totius mundi, præter animatas,plurimum splendoris,& dignitatis sibi comparauerit; itaut tanquã pretiosum inter cætera metalla, ad naturam Principiorum, quæ incorruptibilia sunt, magis accedat, consequenterq; primum locum in hoc tractatu promereat. Prima igitur facie notandum est auri nomen æquiuocatione non carere,namq;inter nomenclaturas lapidis philosophici à Gulielmo Gratarolo collectas hoc auri vocabulum recensetur, quo Halchemistæ suum chymicum lapidem indicant. Deinde aurum sæpissimè apud Auctores pro pecunia vsurpatur, qua non solum omnia corrumpuntur; verùm etiam arces expugnantur; ideoq; de Philippo legitur, quòd non bellando, sed aurum donando arces expugnauit,& in hoc sensu sumpsit aurum Propertius, quando de auaritia puellarum sic cecinit.

Aurũ pro pecunia.

L.3.Eleg.

——— plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

In hoc sensu intelligẽdę sunt eorum Philosophorum historiæ,qui aurum sunt aspernati. Pariter quando Horatius & Iuuenalis auri detrimenta cecinerunt, nummorum, & pecuniæ damna intellexerũt. Similiter Ouidius sub fabula Regis Midæ omnia auri, scilicet pecuniæ damna, necnon auari pœnam, & pœnitentiam descripsit. Insuper hoc vocabulum (aurum) quod χρυσὸς Græcis nominatur, maiori æquiuocatione laborare videtur; quia non solum chrysos aurum designat, sed etiam quandoq; Atheneo vas aureum,nempè ex auro fabrefactum intelligitur. Imò apud Auctores non proletarios chrysos fuit nomen proprium viri, à quo aurum repertum fuisse perhibent, ideoq; Græci aurum τὸν χρυσὸν ab inuentore indigitarunt. Demùm apud Plinium chrysos est piscis aurei coloris. Hinc nonnulli hunc piscem eundem cum Aurata, & textum plinianum corruptum esse suspicantur, & pro chrysos, χρυσόφρυν legendum esse autumant; cum hoc genus piscis nomen hoc ab aureis supercilijs sibi vindicauerit.

Lib.11.

Chysos nomen proprium.

Lib.32.ca. 11.

Aurata piscis.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

MVLTI, inter quos recensetur Festus, hanc vocem (aurum) à Sabinis deriuarunt, qui, vnica mutata littera, ausum nominabãt, nisi velimus asserere aurum, quasi ausum iustis de causis esse dicendum, quoniam homines audaces faciat; vel aurum quasi auarum ab auendo, cum ab omnibus passim desideretur;vel potius aurum,quasi aueo reum,nempè omnium vitiorum, & scelerum causam concupisco: quapropter Rutilius ad rem canebat.

Materies vitijs aurum lethale parandis,
Auri cæcus amor ducit in omne nefas.

Lib.1.c.1.

Ioannes Franciscus Picus in suo volumine de auro,etymum ἀπὸ τοῦ ὠρᾶν, nempè à custodiendo deducit; cum omnes in auro custodiendo diligentem curam adhibeant. Hæc autem etymologia potius ad nomen italicum, quam ad latinum attinere videtur: præterea addit inde thesauri vocabulum prouenire; cum tamen thesaurus sit vox, quæ nec ab auro, nec ab ὠρᾶν deriuare potest; qua de re inter denominata ab auro nullam huius vocabuli mentionem faciemus; etenim θησαυρὸς in græcis lexicographis est aceruus rerum repositarum εἰς αὔριον, idest in crastinum, vel in menses, & annos venturos; cum αὔριον crastinum diem, & non aurum significet. Alij nomen auri à colore auroræ desumpserunt, sed totum oppositum erat præstandum,siquidem aurora, quasi aurea hora nuncupatur. Itaq; satius erit si vocis huius primordia ab au-

Thesauri etymon.

Aurorę etymologia.

ra, nempè à ſplendore hauriantur: quocirca Virgilius in hoc intellectu auram vſurpauit, quando cecinit. E

Lib. 6. Aeneidos.

Diſcolor inde auri per ramos aura refulſit.

Natura enim hoc indidit metallis,& potiſſimum auro, vt aliena luce repercuſſa plus fulgeant: hinc poſtea multi ob ſimilem ſplendorem, lucem auream vocitarunt: hac etiam ratione motus Ripa, ad deſignandam aeris puritatem, mulierem veſtimentis aureis ornatam pinxit.

Prima parte Icon.

Si ad ſynonima mentem dirigamus, inueniemus aurum pallorem terræ à Diuo Auguſtino nuncupatum in illo volumine quadraginta ſermonũ, qui nouiſſimè prodierunt. Alioquin a Poetis plerumq; fuluum metallum nuncupatur, iuxta illud.

Indica ſi fuluum condat formica metallum.

Lib. 2. de mat. med. Renedeus, & alij Auctores aurum non modo Regem, ſed etiam Solem metallorum cognominarunt, cum hoc perfectiſſimum, & temperatiſſimum metallum tincturam Solis præſeferat. Hermes ille Aegyptius, nomine ſulphuris, aurum honeſtauit. Ab aliquibus Apyrometallum dictum fuit, quoniam igne non abſumatur: alioquin hoc F

Apyrometallum.

nomine metallum ignem nondum expertum deſignatur. Gracis vocatur χρυσὸς, & χρυσίον, fortaſſis à χρῆσις vſus, vel χρήσιμος vtilis, tum quia aurum apud omnes Nationes in frequenti ſit vſu, tum etiam quia ex illo magna percipiatur vtilitas. Multi, inter quos numeratur Picus Mirandulanus, memorarunt Hippocratem retuliſſe aurũ

Auri græca nomina

τὸν χρύσον apud Græcos fuiſſe nuncupatum ab Inuentore, qui Chryſus nominabatur. Aurum apud Halchemiæ profeſſores Sol cognominatur. Germanis dicitur Gold: Gallis or: Italis, & Hiſpanis oro.

DIFFERENTIÆ.

AVRVM in triplici diſcrimine à nonnullis conſtituitur. Primum eſt vulgare, de quo in præſenti tractatu verba fiunt. Secundũ dicitur chymicum, quod in multis affectibus vtile commendatur. Tertium appellatur diuinum, quod G

Lib. 3. de Rep.

cuncta tum diuina, tum humana complectitur, & hoc aurum Plato intellexit, quando hęc verba protulit. Sed cum Deus formaret eos, quicunque ad imperandum idonei nati ſunt, aurum in ipſorum generatione admiſcuit: pariter Ariſtoteles in Politicis

Lib. 2. Polit. cap. 3.

hoc memorauit. Cæterùm ſatiùs eſse exiſtimamus, ſi ratione noſtri inſtituti, aurum in naturale, & artificiale diſtribuamus: cum poſtea aurum naturale à loco natali, à mixtione, à purificatione,& ab opere varias ſortiatur differentias. Primitùs ratione loci, aurum appellamus indicũ, quod in India, & aliud montanũ, quod in montibus colligitur; deniq; aliud fluuiatile, aliud ſaxatile, & aliud metallicũ indigitamus, quoniam in arenis fluuiorum, aliquando inter ſaxa, necnon in fodinis reperiatur. Si conſideretur alienæ materiæ permixtio, aurum nuncupatur adulteratum: quamuis Plinius omni auro ineſſe argentum referat; itaut alibi dena, alibi nona, alibi octaua, & demũ

Electri cõpoſitio.

alibi quinta portio argenti inſit, quæ poſtrema mixtio electrum ad ipſius mentem conſtituit, quæ mirandum in modum venenis reſiſtere dicitur. Verùm ſi purificatio auri conſideretur, prima facie ſeſe offert aurum apyron, quod nullum ignem eſt ex- H

Apyrũ aurũ quale.

pertum, ſecundum nominatur ἄπυρον, quod tandiù coquitur, donec ab argẽto prorſus ſeparatum perfectam puritatem adipiſcatur, & tale aurum multi obryzum appellant. Iſidorus hoc vocabulum latinum reputans aurum obryzum tanquam ſplendore radians promulgauit; neq; hoc à veritate alienum eſſe videtur; cum ſcripſerit

Obryzũ aurũ quale.

Plinius aurum ignis colore rubẽs obryzum vocari. Alij verò, vt Hermolaus Barbarus, ſcriptis mandarunt hanc vocem eſſe grecam deductam ab ὠχρόν, quod molle, & delicatum ſignificat, quale eſt aurum, quod apud Opifices *ſenza legha*, & viginti quatuor Kirat eſſe perhibetur. Picus Mirandulanus hoc nomen ab ὀρυζὸν deriuat, quaſi hoc aurum ex optima radice proueniat. In ſacris Biblijs ſeptuaginta Interpretes nomen latinum ponunt, quod puriſſimo reſpondet; Diuus tamen Hieronymus in Ieremiam

Ophriſum aurum.

obryzum aurum dici putat à loco, quaſi Ophriſum; cum olim ex Ophir inſula aurum pręſtantiſſimum adueheretur. Tertium vocatur λευκὸν, nempè argentoſum. Quartum dicitur aurum purum, quod enarratis conditionibus caret, & huius natura eximia

& ſin-

& singularis est, cuius massas Hispani vocant palachas, & Germani Gedygengold; idq; interdum in fluuijs, aliquando in montibus Arabiæ, quandoq; in fodinis adhærẽs cuidam saxo candidissimo, & teste Agricola idẽtidem in capitulis piscium reperitur, quos forellas cognominant. Albertus tamen duabus rationibus motus aurum in arenis fluuiorum collectum magis commendat; primò ob maiorem sulphuris puritatem in arenis calidis, & siccis versati, & frequentius loti, deinde ob terream argenti viui materiam, quę ab assidua amnis lotura purior redditur. Verũtamen Picus Mirandulanus huiusmodi aurum fluminis se habuisse testatur, quod purissimum fore credebat; nihilominus, periculo facto, multum argenti illi inesse comperit. Purius est illud aurũ, quod in monte Carpatho effoditur, nanque sine vlla pręparatione ad vsum trahitur. Item auri purissimi sunt illæ scintillæ, quæ in Pannonia superiori è saxo candido eliciuntur.

Forellapiscis.

Lib. 2. de Auro c. 7.

Ratione operis elaborati, aliud aurum est signatũ, quod pro monetis cuditur, aliud coronarium, quod olim dabatur triumphantibus, aliud netum, quod iuxta mentem Plinij in fila est attenuatum, aliud textile, quod vestimentis est intextum; alioquin aurum infectum nuncupatur, quod est in massis.

Aurum coronariũ quale.

Præter aurum naturale, se se offert artificiale considerandum, quod Chymici laborum tolerantissimi parare profitentur. Hoc arcanum communicatum fuit à Democrito Abderita libro de arte magna. Sumunt igitur, iuxta illius mentem, arenam litoralem, quæ ab auri colore chrysites nuncupatur, & ex illa vario artificio præparata, vt ipse docet, aurum conflant. Aliter monet sumi sandaracham, chalcãthum, arsenicum, sulphur, & cinnabarim, ex quibus permixtis, & in vase fictili in calcem redactis aurum purissimum eliciunt: propterea Augurellus ad rem canebat.

Iam patet his, vt non tantùm sub montibus aurum
Natura efficiat, sed vt id quoq; prodeat arte.

Lib. 11. Chrysopæ.

Ioannes etiam Braceschus in libro de ligno vitæ, aurum quoddam hermaphroditũ memorabat, quod ex Mercurio, & Venere compositum inter Solem, & Lunam mediũ occupat locum, quoniam vtriusq; naturam participet. Nihilominus Augurellus laboribus assiduis animum, & corpus esse fatigandum scribit, vt auri semen inueniatur, à quo postea quantitas auri infinita dimanabit his versibus.

Fol. 23.

Non alibunde pares auri primordia, in auro
Semina sunt auri, quamuis abstrusa recedant
Longius, & multo nobis querenda labore.

Loco cit.

Hoc autem apud nos non est situm extra omnem dubitationis aleam; quandoquidem Halchemię professores interdum admirabilem materię massam conflant, vt inde aurum dimanet, sed dum fœtus aureus expectatur, ne mica quidem auri resultat, & hac ratione lucrum expectatum ab impensis superatur. Non igitur malè cecinit quidam Poeta.

Halchemiæ fructus.

Dum certis incerta sequor, rem prodigus omnem
Conuerti in fumos, & miseros cineres.

Quocirca aduersus hos professores promulgatum fuit edictum de falsis, & non veris artificibus, vt Baldus Iuris consultus adnotauit in vsibus feudorum, dum habetur de regalibus mentio. Hac etiam ratione impulsus Nazarius, ad demonstrãda Halchemię nugamẽta, asinum exhibet aureum cornucopiæ floribus tantsi pleno adhærẽtem, tibiasq; inflantem, vbi nonnullę simiæ choreas ducunt. Verùm quidem est, quòd non ingenti laborũ difficultate premuntur, qui arte aurum ab alio metallo extrahunt, metallum enim in alio sæpè latibulatur; ideò narrant Romæ fuisse epitaphium his litteris exaratum. AVRI EX PLVMBO COLLECTORI. Picus etiam Mirandulanus sua ætate nouit virum, qui ex rebus metallicis pluries aurum confecit, sed compendium à dispendio superabatur.

Somn. 1. c. 7.

Iam ad seria reuertentes, auri mineras parumper contemplabimur; siquidem terra, in qua aurum delitescit, ratione loci, varia est, aliquando colore nigra est, vt illa teste Gesnero, quę propè Sclacheuerdam effoditur, alibi verò pyriti similis reperitur. Nos mineræ auri duo fragmenta ex Anglia delata vidimus, quorum alterum nigricabat, alterũ verò instar terræ cretensis flauescebat. Hoc in loco exhibemus duas iconcs, quarum altera est icon minerę auri ex Transyluania cum granis auri, vbi mineræ,

In lib. de Fossil.

Trãsyluania est Dacia.

atque pyrites colore luteo amethiſtino ſubuiride,atq; rubro reperiuntur, & in eorum E
ſubſtantia integra auri grana paſſim refulgent, quæ poſtea facilè ignea virtute puriſſima ſeparantur. Altera verò eſt icon mineræ auri,quę ex centum ad nouem redit,vbi conſpicitur maſſa auri ab illa extracta ſub numero 1. & 2. quod minerę fragmentum (ſi quis propè contempletur) quaſi mineram plumbi albi æmulatur, quo, iudicio noſtro, redundat, intus tamen quædam particulæ auri micantes euidenter apparent.

Minera Auri ex Tranſyluania cum granis aureis.



F

Minera Auri, quæ ex centum redit ad nouem cum maſsa Auri ex ea extracta.

G

Minera varia.

Olim in muſæo Calceolarij viri in rebus naturalibus diligentiſſimi tres auri mineræ monſtrabantur. Prima ex Pannonia, cui ineſſe argentum color candidus indicabat; ideòq; nonnulli ſimilem mineram appellant argentoſam. Secunda erat minera in lapide coloris ſubcinericij ſatis grauis,quę ex Bohemiæ fodinis allata fuerat. Tertia pariter ex Bohemiæ fodinis habita, vbi è lapide ſubrubei coloris aurum fluere videtur, cui cuprum inſito colore emicans viſitur. H

GENERATIO.

IVXTA mentem Profeſſorum Halchemiæ, aurum ex argento viuo claro admixto ſulphuri rubro perſpicuo generatur in vtero terræ, dum diuturno temporis tractu à modico calore excoquitur,& quoniam hæc operatio nõ niſi per longum tẽporis ſpatium elaboratur;hinc fit quod natura auri hanc claritatem adipiſcitur:ſimilem originem hæc carmina manifeſtant.

Mox

Mox inde ad matris descendens viscera magnæ
Reptes spectatum thalamos, prolem atq; nepotes
Sulphuris, & viui argenti in caligine cæca
Te, mihi crede, sat est vires tenuisse propinquas,
Vnum efficies gemino quod pendet ab ortu.

Sunt præterea multi, vt superius fuit enucleatum, qui auri generationem arti adscribunt ob multas, quas de hac re legerunt historias. Iam cunctis nota est illa hominis Mauri historia, qui in regione Mauritaniæ apud Fabrum puluerem quemdam citrinum argento fuso addebat, & illud in aurum illicò vertebat. Legimus etiam apud nonnullos authores vixisse hominem in Gallijs habentem oleum rubrum, quo Lunam nempè argentum in lucidissimum Solem, idest in purissimum aurum transmutabat. Picus Mirandulanus narrat suis temporibus aurum in ventriculis perdicum inuentum fuisse, quod vel granorum instar animantes illæ ingurgitarunt, vel ex occulta eduliorum potestate ibi generatum fuisse credendum est; siquidem illis cibis exordium auri fortè fuit communicatum, & licèt vis aurifica in visceribus terræ latibulatur, nihilominus natura hanc virtutem superficiei terræ impertitur; narrant enim in montibus Cretæ Capras Ibices nuncupatas fuisse visas, quarum dentes aureo colore erant suffusi in illa potissimum parte, qua herbas vellebant. Insuper, testimonio Alberti, aliquando in futuris humani cranij inuentum est aurum, quod ibi fermè talem repererit dispositionem, qualis in terræ visceribus occultatur. Itaq; his opinionibus postpositis, confugiendum est ad illam sententiam in primo capite huius Libri exaratam, vbi de generatione metallorum fusiùs disputauimus.

Hist. Mauri de Auro.

Lib. 2. de Auro c. 7.

Aurũ in cranei humano.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

MVLTIFARIAM Chymistæ auri naturam inuestigare nituntur; quamobrem nulli parcunt labori, scilicet illud soluendo, ponderando, gustando, sublimando, & fundendo, vt inde omnes illius affectiones rimentur, & tandem illud in secundo excessu calidum, & humidum constituunt. Placuit tamen Galeno frigiditatem, & siccitatem illius commendare. Verùm vt melius omnes auri proprietates assequamur, non erit ab re cunctas qualitates illius examinare. Primitùs si meditemur auri qualitates actiuas; aurum diù pertractatum nunquam manus tangentis inficit, quæ prærogatiua cæteris metallis non competit; ideoq; hoc præcipuum puritatis argumentum esse solet. Deinde aurum percussum paucum edit sonum, & sui vel alterius coloris lineas alicui corpori non imprimit, nisi coticulæ atteratur, tunc enim lineas sui simillimas reddit, quæ omnia summam in auro perfectionem indicant, non tamen talem, qualem ei Cardanus assignabat, dum cætera metalla ad aurum tanquã ad sui perfectionem tendere opinabatur: hæc enim sententia non solum à Scaligero refellitur, verùm etiam à nobis in primò capite huius libri fuit reiecta. Si qualitates puri auri passiuæ considerentur; primò ab acribus succis in sua quantitate nullam sentit noxam, secundò non est fragile, quanquam sit molle; quare malleo percussum adeò dilatatur, vt ex singulis eius denarijs quinquagenæ plureſuè bracteæ senum digitorum longæ efficiantur, idq; præcæteris metallis, auro contingit ob perfectissimã materiam, ex qua constat. Tertiò rubigine non infestatur, nisi fuerit alteri metallo permixtum; tunc rubiginem cærulei coloris amæniſſimi effundit, quam Pictores cæruleo vltramarino præferunt. Sin purum, & syncerum fuerit, quamuis per multa secula intra terram sepultum manserit, nullam rubiginem contrahit: propterea has prærogatiuas extollit Augurellus his versibus.

Auri qualitates actiuæ.

Exercit. 106.

Auri qualitates passiuæ.

nil deperit auro
Igne, velut solum consumit nulla vetustas,
Ac neq; rubigo, aut ærugo conficit vlla.

Lib. 1. Chrysoppi.

Hùius igitur auri proprietatis non ignarus quidam doctrina admirabili clarus pro Phrenoschemate, massam auri pinxit hoc Dicto decoratam. RVBIGINIS EXPERS. Insinuare volens virum virtutibus ornatum omnia vitia semper arcere. His addamus, quòd aurum non maculatur, & etiamsi salinum ex quacumq; materia fabrefa-

ctum à ſale ſuperpoſito fædetur, nihilominus ſalinum aureum à materia ſalis non E
inquinatur. Si qualitates internæ puri auri ponderentur. Primò obſeruabimus. ex
mente Ariſtotelis, igne ita fundi, vt nihil propriæ ſubſtantiæ amittat, imò ibi puri-
ficatur, & ſplendidius euadit, nihilq; ſuæ ſoliditatis perdit. Deinde aurum in aquis
acutis poſitum, quas Aurifices ad ſegregandum aurum ab Argento præparant, in li-
mum minimè ſoluitur, vt multi perperam arbitrantur; ſed in particulas inſenſibiles
diuiditur, quæ, ſiccata aqua, denuò priſtinæ formæ reſtituuntur. Debemus tamen
animaduertere, quando dictum fuit aurũ nec igne, nec vſu abſumi, id in comparatio-
ne ad alia metalla intelligendum eſſe; quandoquidem nummi aurei aſſiduo digitorũ
attritu abſumuntur, & diuturno igne aurum paulatim euaneſcit. Tandem inter qua-
litates auri externas recenſetur grauitas plumbo nigro æqualis, & calor, qui diutiùs
in candenti auro continetur, necnon color fuluus, & nitor fulgens memoratur, cum
aurum inter metalla ſit primum, quod colorem monſtret, qui magis in auro, quàm
in alijs metallis refulget. Hinc Interpres Pindari, & Chymiſtæ aurum Soli dicatum
eſſe aſſeuerant; namq; veluti Sol in medio planetarum reſplendet, pariter aurum in- F
ter cætera metalla coruſcat.

Auri qualitates internæ. Lib. 1. meteor. cap. 6

Auri qualitates externæ.

Prædictis addunt nonnulli prauam auri qualitatem, propterea quòd, ex Plinio, aurum venenatum eſſe cenſent; ſed aduertendum eſt tunc Plinium verba feciſſe de auro, cui aliud metallum permixtum erat; at quando igne purificatur, tunc omnem malam qualitatem exuit, & hoc in medicamentis ſumptum tantùm abeſt, vt homini ſit detrimento, vt potiùs facultatem vitalem roboret, & omnes humani corporis ſpiritus recreet. Deniq; legitur in libro de natura rerum, quòd aurum hac prærogatiua gaudet, vt aduentante die frigeſcat; quapropter qui digitis aurum geſtant, facilè cognoſcunt, quando dieſcit, quod ſi verum ſit, necne, vnuſquiſq; periclitari poterit.

Aurum die aduẽtante frigeſcit.

ANTIPATHIA, ET SYMPATHIA.

PROXIMO, & affine quodam ordine proprietatibus auri antipathia, & ſympa- G
thia ſuccedit. Primò ſulphur, & aurum inter ſe diſſidere inde colligimus, quo-
niam aurum vapore ſulphureo, & fætido perfuſum, illicò gratum colorem
amittit; quamuis poſteà eodem ſulphure in aqua feruefacto vnà cum tartaro, & mo-
dico ſalis priſtinus ſplendor illi reſtituatur. Pariter à plumbo grauem offenſam reci-
pit; nam aurum fumo plumbi imbutum in puluerem tenuiſſimum redigitur, & inter-
dum odore plumbi adeò rigeſcit, vt malleo dilatari nequeat: quamobrem artifices
aurum denuò fundere, & modicum vitri, vel ſublimati ſuperinfundere coguntur, vt
malam qualitatem à fumo plumbi receptam deponat. Amplius limonum ſuccus per-
tinacem auro ſe exhibet inimicum; nam, vt teſtificatur Leuinus Lemnius, aurum ali-
quot horas in prædicto ſucco infuſum pondere diminuitur. Tandem aurum cum ar-
gento viuo vehementes videtur exercere inimicitias, dum ab Argento viuo tãquam
à veneno corrumpatur. Verùm, ad mentem clariſſimi viri Fracaſtorij, hanc potiùs fa-
miliaritatem debemus appellare, cum ſe inuicem quodammodo amplecti videantur.
Nam ſi liqueſcenti auro miſceatur argentum viuum, & moueatur miſtura, donec fri- H
geſcat, aurum in puluerem redigetur, dum argentum viuum penetrando, materiæ
aureæ adeò copulatur, vt nullam habere continuitatem patiatur, nulla prorſus auri
ſpecie remanente: hoc non eſt ignotum artificibus Saracenis, vt habetur in libro de
natura rerum, qui itinerantes aurum hac ratione corruptum ſecum ferunt, nam po-
ſtea ad libitum in fornacula poſitum pulchrius, & ſplendidius reſurgit. Qui ab im-
mundicijs officinæ auratiæ aurum extrahunt, non auri, & mercurij odium, ſed potius
quamdam eorum familiaritatem eſſe pronunciãt, quia immundicias mola triturant,
& illis mercurium diligenter miſcendo addunt, & quicquid auri permixtum habue-
rint, mercurio adhæret, qui poſtmodum per corium tranſiens, in fundo aurum
relinquit.

Plumbi fumus auro inimicus.

In lib. de ſymp. & antip. rerum.

Saracenorum mos.

Ex altera parte aurum cum multis alijs rebus arctiſſimo familiaritatis vinculo co-
pulatur. In primis ab amicitia animalium non abhorret: nam Philoſtratus ſcriptis
mandauit Draconem eſſe feram erga aurum beneuolam; ideoq; ſtatimatq; aurum vi-
derit,

derit, illud fouere illicò conatur: hinc Poetæ Dracones thesaurorum custodes constituerunt. Hæc autem ratio nobis non arridet; quandoquidem Poetæ ob acutam visionem Dracones auri custodes esse finxerunt, vt in Tomo de Serpentibus à nobis fuit enucleatum. Præterea amor Galli gallinacei in aurum est singularis, cum auri micas & nummos aureos libentissimè deuoret: vnde fit, vt inquit Brusonius, quòd ossa huius animantis liquescenti auro permixta illud in se consumant. Accipiter etiam inter amicos auri est recensendus; cum Aelianus monimentis mandauerit ab ossibus tibiæ accipitris, veluti ab osse milui piscis aurum trahi: sed huius rei nullum periculum fecimus; idcircò nihil temerè asserendum esse arbitramur. Pariter non vulgaris beneuolentia inter aurum, & echinum piscem cadere debet, cum hic piscis sale seruatus, referente Auctore de natura rerum, tanta vi polleat, vt admotus, aurum in puteos delapsum extrahat. Item ex eodem Auctore colligimus aurum etiam cum vegetabilibus amicitiæ copula coniungi, dum virga coryli recens in aurum fusum immissa illud in puluerem redigat, quoniam humiditas virgæ ab auro, & viciſſim humiditas auri à virga attrahatur. Idem de vino asserendum esse multi pronunciant, cum vinum auri colorem æmuletur, deinde quoniam veluti vinum inter vegetabilia, ita aurum inter mineralia primas partes occupat. Præterea aurum, & multa metalla priuatis odijs non dissident; quandoquidem artifices huius amicitiæ non ignari metalla inter se conuenientia permiscent, & hanc misturam *Legam* appellant, quoniam hac metalla simul ligentur, & vinciantur. Plumbum igitur, & stannum ita amicè se amplectuntur, vt copulata talem misturam constituant, quæ à perito etiam artifice dignosci nequeat: aurum verò nonnisi cum argento, & ære apprimè ligari potest. Postremò aurum ab amicitia etiam lapidum non recedit; cum reperiatur lapis nomine Pantarbe, qui aurum, veluti magnes ferrum, auctore Philostrato, trahere perhibeatur, & propterea meritò magnes aureus appellandus esset, sed adhuc de loco natali, & de origine nominis ignotum est. Plinius tamen memorat Amphitanem quadratæ figuræ lapidem, & alio nomine chrysocollam, tanquam magnetem aureum, & in India nasci refert, vt tegat mendacium, fortè erit marchasitæ aureæ species quadrata, aureo colore tincta. Hic igitur lapis proculdubio erit fictitius cum hactenus talis ignoretur, qui aurum trahat.

Dracones cur thesauri custodes

Accipiter auri amicus.

Echinus piscis auri amicus.

Quæ vegetabilium auro familiaria.

Qui lapides auri sint amici.

Li. 39. nat. hist. c. 10.

INVENIENDI, ET PRÆPARANDI RATIO.

PLINIVS monimentis mandauit triplicem inueniendi auri rationem, primùm obseruando arenas fluminum, deinde scrobes puteorum, & tertio mineras mõtium; cæteri modi legendi sunt in primo capite huius libri, vbi de varijs inquirendorum metallorum artificijs egimus. Superest solum, vt de arte præparationis verba faciamus, cum alio artificio aurum fluminis elaboretur, & alia ratione aurum minerale præparetur. Itaq; aurum amnis sola ablutione perfectè præparatur; nam quando ab arena fuerit segregatum, funditur, & est perfectissimum. Memorant qui nouum orbem perlustrarunt, teste Maiolo, retia ab Incolis adhiberi, quibus auri glebas ab amnibus extrahunt. Id potissimum accidit flumini Zenero non procul ab vrbe, cui Carthaginis nomen inditum est: etenim Accolę, quãdo in magnos incidunt imbres, retibus multa auri ramenta expiscantur, quæ nulla præparatione indigent. Pariter, iuxta mentem Ctesiæ, in India fons est, qui quotannis auro humido impletur, & inde cẽtum vrcei fictiles auro pleni singulis annis hauriuntur; fictilia enim vasa oportet esse, vt sint fragilia, quoniam aurum sine præparatione in illis concrescit: singuli autem vrcei pondus talenti exæquant.

Retia pro auro.

Sin ad auri fodinas animum dirigamus, inueniemus, auctore Maiolo, iuxta vrbem regiam Atabalipæ, multas mineras auri esse feraces, è quibus solo igne aurum eruitur, quoniam in cuniculis fodinarum, accenso igne luculento, aurum è venis percolatũ facilè colligitur. Cęterum alijs in locis, & potissimum in Almaden olim grana auri colligebantur, sed animaduersa argenti viui facultate, illud per fodinas spargunt, &

In li. dier. eanic.

illicò

Quomodo aurum in fodinis colligat.

illicò totum aurum colligunt; poſtea Mercurium per corium trāſmittunt, vt aurum ab illo ſolutum remaneat. Alioquin alibi mineram auri vna cum terra tritam ſubſtratis animalium pellibus in lacunis lauant, vt auri ramenta villis pellium adhæreſcant. Hic auri lauandi modus fuit frequens apud Colchos; vnde Poetæ de vellere aureo fabulandi occaſionem traxerunt: quamuis alij dixerint illud vellus aureum Iaſonis fuiſſe librum ex ouina pelle confectum, in quo exarata erat ratio, qua Halchemiæ profeſſores aurum parabant, tunc temporis tantopere nominatum ob immenſam vtilitatem, quæ inde percipiebatur. Cæteri modi lauandi, & prę parandi auri apud Agricolam legendi ſunt. E

Vellus aureū qui d eſſet.

Lib. 10. de re metal.

Ex alijs etiam rebus, præterquam ex fluentis, & mineris aurum emitur, & præparatur. Primitùs ex mixtura quadam ſtudio parata ex auro aqua ſeparationis ſoluto cum plumbo, vel pice, & arena, in hac enim mixtione aurum ſine ſuſpicione de regione in regionem occultè deferri ſolet. Item ex auripigmento aurum elicitur, quoniam auripigmentum vena auri inops celebratur: ideò promulgauit Plinius Caium Principem auri ſitientiſſimum iuſſiſſe magnam auripigmenti quātitatem, propter ſimilitudinem, quam cum auro habebat, excoqui, & inde aurum puriſſimum emerſiſſe, ſed adeò exigui ponderis, vt Opifices damnum ſentirent. Ex lapide cyaneo, vel lazuli, vt Arabes legunt, & ex cupro rubeo vngarico virtute argenti viui, aurum ſeparatur. At ex argento id fit ope aquæ valentis in primo capite huius libri deſcriptæ, vel vi ſulphuris, & antimonij, vt apud Biringutium legitur. Deinde ex alijs rebus metallicis, & potiſſimum inauratis aurū varijs artificijs extrahitur, & prę paratur, quos omnes Porta in libro magiæ naturalis recitauit. Præterea Halchemiæ Profeſſores cuiuſdam herbæ ſucco aurum produci, & præparari tradunt, quod arcanum ex quodam Rabino in libro manuſcripto didicerunt: herba vocatur Boriza Lunarię ſpecies, cuius caulis eſt violaceus, & folia producit maioranæ folijs ſimilia creſcētia, & decreſcētia ad motum Lunæ, & tota planta odorem Croci ſpirat. Succus huius plantæ ita permiſcetur argento viuo, vt fiat veluti craſſamentum, quod in puluerem redactum, & æri inſperſum illud in purum aurum cōuertit, & vncia huius pulueris ad tingendas centū æris vncias ſufficere perhibetur. Id autem ſi veritati appropinquaret, proculdubiò iam omnia metalla in aurum eſſent conuerſa. Alij Chymiſtę in hoc opere peragendo lapidem philoſophicum adhibent, & quādo optatum finem non aſſequuntur, proprium dedecus, & detrimentum aureo mendacij velo tegere conantur, dicentes Diocletianum omnes de Chemia libros conquiſiuiſſe, & combuſiſſe; ne deinceps Aegyptij hac arte opulentas ſibi ipſis compararēt opes, quibus ſiſi aduerſus Romanos poſtea rebellarent, ſed ſatius fuiſſet, ſi hoc diſticho proprio decori conſuluiſſent. F

Li. 37. nat. hiſt. cap. 4.

Auripigmentum ad quid.

Lib 4. Pyrotech. c. 6

Boriza ſpecies lunaria.

Lapis philoſophicus.

G

Qui nulla monſtrat poſſe aurum perfici ab arte,
Verum theſaurum perficit arte ſua.

Itaq; aurum à terra purgatum, lotum, fuſum, & elaboratum in his operationibus flauū, & ſplendidum colorem amittit; propterea Opifices aliquando illud macerant ſpatio diei naturalis in aqua tartari, poſtea aqua dulci abluunt, & linteo mundo abſtergunt; interdum cum ſale ammoniaco, ærugine, & tartaro in aceto feruefaciunt, & quādo q; cum ſale cōmuni tartaro, & ſulphure tandiù in aqua cōferuere permittunt, donec colorem deperditum recuperet. Immò quando aurum eſt mollius neceſſe eſt illud figere, & denſare; idcircò ſtatimatq; ex chryſoplyſijs extractum eſt, aqua regia vtuntur ex ęrugine, chalcantho, alumine, & lapide calaminari parata. His omnibus expeditis, & præparatis aurum fundunt in virgas, quæ num aliquid argenti contineant, necne, opifices, & lapide lydio, & per acus probatorias experiuntur, quas cuncti aurifices in ſuis officinis ſeruant: vnde vt portio metalli auro permixta, quam *Legam* vocant, penitùs auferatur, nonnulli miſtura ex tartaro, & puluere laterum vtuntur, hac miſtura fornaculam rotundam cum lateribus conſtruunt, & aurum eadē miſtura tectum in illa ponunt, & ignem per diem naturalem accendunt; ſic enim alienum metallum, ſeu *legæ* abſumitur, & aurum ad viginti quatuor Ceratia reducitur, quę vulgo *caratti* appellantur. H

Auri genuini cognoſcendi modus.

LOCVS.

MVLTI huic accedunt sententiæ, quòd aurum in omni corpore ex elementis constante latibuletur, quare plures chymici, referente Alberto, asseuerantius dixerunt tria ex humano corpore, nempè oleum, vitrum, & aurum elici posse, & potissimùm cum ætate Alberti in futuris cranij humani aurum fuerit inuentum. Verùm etiamsi huic sententiæ nostrum addamus calculum, nihilominus in hoc non consentiunt vniuersi; propterea quòd montes tanquam propriæ auri sedes ab illo amantur, & coluntur. Hinc quidam Poeta de inquisitione auri sic canebat. *Montes auri loca.*

Scrutemur montes, atq; ima viscera terræ.

Idcircò Leãder in sua historia inter alpes Apenninas, & Graias, valles profundas commendabat, è quibus aurum eruitur, sed siuè conualles, siuè montes amet, aduertẽdum est, aurum non in superficie horum locorum, sed in intimis terræ penetralibus residere: vnde ad rem canitur.

Itur in ima pia præcordia matris, vt aurum
Euoluat fixgio fossor ab vsq; lacu.

Quocircà cum hoc sit inexhausti laboris opus, Poetæ finxerunt aurea Hesperidum poma à peruigili Dracone custodiri, itaut vix Hercules illa decerpere potuerit: pariter in auro eruendo herculanas vires esse necessarias insinuabant. Prẹterquamquod apertis montium scrobibus, aurum postea in propria vena deliteſcit, quæ interdum saxo candido, interdum glareæ marmoreæ adhæret, veluti aurum orientale inhæret sapphiro, & lapidi cyaneo, nec non pyriti proprio, vnde multi non modico, sed operoso labore aurum colligunt. Item infiniti prorsus negotij est aperire puteos, è quibus aurum canalitium dictum effodiunt. Et quamuis fluenta tanquam loca auri constituantur, vnde facilitate omnibus obuia auferatur, nihilominus illud aurum est modicum, & auri propria loca non sunt, sed omnes montes, è quibus fluenti aqua aurum ad plana loca deducitur; ideoq; attritu terrę, lapidum, & arenæ inutile ipsi adhærens consumitur, & deinceps aquarum fluxu eluitur, & hac ratione inter arenas fluminum illa parua auri ramenta coruscant. Hactenus de vniuersali sede auri dictum sit. Si peculiaria desideremus loca, Plinius refert aurum in India, Scythia, Hispania, Italia, Dalmatia, Thracia, & Asia generari. Valesius prædictis locis addit Pãnoniam, Bohemiam, Austriam, & citeriorem Germaniam. *Aurũ cui adhæreat.* *Li.32.nat. hist.cap.4.* *In lib. de sacr. Phil. cap.40.*

Cæterùm vt hæc loca, & multò plura cunctis innotescant, serie alphabetica in illis enumerandis vtemur. Itaq; Abassia aurum gignit, & in Aegypto, teste Dioscoride, terra est nigra cum venis auri. Aethiopia habet multas auri fodinas, sed potissimùm inter delubrum Mercurij, & insulam Meroen: immò scribunt Lusitani aurum præstãtissimum circa Zaphalam Trogloditarum insulam inueniri. Alti montis territorium mineris auri, & argenti est opulentum. America auri fodinis scatet, & præcipuè penes Verginiam in montibus, nec non illa regio, quam Vase flumen alluit, vbi plurimi pyrites instar auri fulgentes visuntur. Anapaia prouincia est auro ditissima, & ex Andes montibus amnes descendunt auri copiam deferentes. Annebergi, & Zeblicij schistos, & granati lapides effodiuntur, in quibus aurum inuenitur. Arabia propè Abileos ingens habet auri pelagus; ideò à Prophera recitatum est. *Dabitur ei de auro Arabiæ.* Aracan, sicuti, & Pegu sunt regiones omniuni rerum, & præsertim auri opulentissimæ. In Armenia aurũ effoditur. Arimaspus amnis Asiæ arenis aureis abundat, cuius Lucanus meminit. Asturia quoq; non caret auro, cum ibi crescat frutex asper, & rori marino similis nomine Vlex, aurum continens; tabulis enim ab aqua in mare profluenti defenditur, vt exsiccetur, nam tunc ad mentem Vincẽtij in speculo naturali, vritur, & ex loto cinere aurum educitur. Demum Augustana castra, quæ hodie, ex Ortelio, Gastanium appellantur, in Norico locus est auri fodinis celeberrimus. *Loci nata les auri ab A. inchoantes.* *Lib.3. Pharsal.* *Vlex frutex qualis.*

Bacchi montem in Thracia auri nobilitate insignem Ortelius commendat. Apud Bactros est fluuius nomine Theodorus aurum vehens. Aurum Bessis accolarum

Diuus

Diuus Paulinus celebrat. Benomotappa, ex Geographia vniuerſali, eſt regnum auro abundans. In Benaco lacu ramenta inueniuntur; ideoq; carpiones ibi verſantes auro nutriri aſſeuerant. Apud Bohemos multa ſunt auri metalla, nam arenæ ramentis aureis permiſtę Pleſię, & alijs locis ad Albim lauantur: immò, teſte Aenea Syluio, in eiuſdem regionis Luſmicio riuo grana auri magnitudine ciceris ſunt reperta, quę nulla coctione, & præparatione indiguerunt. His addit Dubrauius in Gilouenſibus Bohemiæ montibus, olim de ſilice auulſam fuiſſe auri maſſam pondo duodecim, quæ ad Regem Vincislaum delata fuit. Bononia Italiæ venis auri non caret, vt in primo capite adnotauimus, quoniam Dominicus Albanus Caufidicus vir acri, & ſingulari ingenio clarus venas auri puriſſimi inuenit, & tęporibus Gregorij Decimitertij Pontificis Maximi in hoc Bononienſi territorio inuentus fuit pyrites aureis punctis adeò ſplendidis micans, vt hunc lapidem auri non eſſe participem minimè dubitandum eſſet: quamobrem clariſſimum virum Vlyſſem Aldrouandum conſuluerunt, vt de hac auri vena ſuam proferret ſententiam, qui re accuratè conſiderata, ex quantitate huius lapidis lucrum fore maximũ aſſeueraut. Sed quoniam in his regionibus opera-E rij non ſunt veluti in Germania periti, & opus hoc eſt arduũ, & difficile propter opes, quibus indiget, & quas priuati homines non poſſunt ſuppeditare; quapropter ab hoc opere inexhauſto receſſerunt, In Boſna mons eſt niger nuncupatus, vbi, referente Botero, Turcarum Imperator infinitas auri, & argenti mineras poſſidet. Item Borneus inſula auri non eſt indiga. Brandeburgenſes Populi auri diuitias habent perinſignes. Britanniæ colles auro fertiles Strabo celebrabat; propterea Ammonius ad rem canebat.

Loci natales auri inchoãtes à B.

Auriferoſq; alto quos territat vnda Britannos.

Bremia noſtra ætate auri eſt ditiſſima. Apud Brutios in Monte *Macella* nuncupato effoditur terra minutiſſimis auri atomis radians bitumen, & ſulphur redolens, quæ ad Doctiſſimum Vlyſſem Aldrouandum Roma à Domino Henrico Vander Germano miſſa fuit, ex qua maximo ſumptu, & labore aurum puriſſimum viginti duorum ceratiorum extrahitur. Butua regio in Africa ingentem auri farraginem producit: immò iuxta has arenas locus eſt deſertus *Buro* nominatus, qui auro habet ſuppactum ſolum. G

Callaicum aurum Martialis ſummopere extollit, & Ortelius Cambalam Armeniæ maioris locum auri feracem. Cambaia auri ditiſſima in Coſmographia vniuerſali legitur. In Canadæ montibus venæ auri ſunt Peruanis minimè inferiores. Caniclu Prouincia, & Cappadocia auro non carent. Caria Prouincia, & Carmania ſuos habent fluuios aurum deferentes. Propè Cathay regnum montes Semanthini ſunt, hodie *Idęha* nuncupati, quos Cornelius Iudæus in Tabula Aſiæ mineris aureis affluentes celebrat. Celu inſula, ad mentem Ioannis Boteri, auri eſt copioſiſſima, & Cephala regnum, nec non Chiana inſula ei minimè cedunt. Chauilah, in ſacra Geneſi, quę apud Septuaginta interpretes, & vulgatam editionem Euilat dicitur, terram eſſe in India optimi auri feracem Veteres tradiderunt. E Cilica aurum Menander laudibus proſequitur: quocirca apud Terentium hoſpes ille Cilix aureos montes pollicetur. In Cina, referente Aluaro Ieſuita, mineræ auri edicto Regis non aperiuntur; nihilominus in alueis fluminum tanta auri quãtitas colligitur, vt Incolæ Creſſo opu-H lentiores euadant. In Cocimbo, & Onaiuæ multæ auri venæ eſſe perhibentur: hac de re multi fabulati ſunt, ibi multos theſauros ab Indis fuiſſe occultatos. Colchorum regio aurea dicta eſt ob vellus aureum verſibus Pòetarum tantoperè celebratum, ſed à veritate non eſt alienum Torrentes ad radicem Caucaſi montis aurum deportare, quod pellibus lana refertis excipitur. Colderanachi fluuius aliter Edera nuncupatus auri ramenta apud Francos deponit. Collao regioni aurum non deeſt, quoniam interiores templorum parietes laminis aureis teguntur. Colophonium aurum Ariſtophanes celebrauit. Cuba inſula auri copia redundat, ſed quia caret operarijs, rarò, teſte Ioſepho Acoſta, hoc aurum in Hiſpaniam defertur. Currus Deorum mons eſt in Libya interiori, qui, Ortelio referente, auri fodinas regis Luſitaniæ in ſinu fouet. Curbeth locus eſt in Germania, vbi copia auri lauatur, & præparatur. Denique in Cypro penès montem Crucis effoditur terra, quæ præparata fœtum aureum edit.

Auri loca natalia à C. inchoãtia.

Prima pars relat. Cinæ cap. 3.

lib. 4. hiſt. Ind. c. 4.

Da-

Dabud propè Nilum auri mineris gloriatur. Dacię regio extrema, quam Nuperi vocant Transyluaniam propter ingentes auri,& argenti opes ab Ortelio laudibus extollitur. Dalmatia regio Illyrica, in qua, principatu Neronis, aurifodinæ fuerunt apertæ, ob affluentiam auri exultabat, quia quinquaginta auri libras in dies effundebat. Ex Damatæ regno apud Abissinos magna auri portio ad regionem Pretoianis quotidie defertur, vt Sanutus in Geographia testificatur, cum ibi melius purgetur, & perficiatur. Datum Thraciæ vrbem aurifodinis superbientem Ortelius memorat. Immò idem auctor Debis Arabiæ populis copiam auri assignat. Tandem Demonesum insulam laudat Calepinus, in qua cyanus lapis, chrysocolla,& aurum inuenitur.

Aurũ in locis incho antibus à D.

Gesnerus promulgat Engebergi hodie aurum effodi, cuius lapis, seu vena, vt plurimùm ochram habet annexam. In Eridano,seu Pado ramenta auri interdum visuntur:propterea Virgilius ipsum auratum cognominat. Refert Ioannes Boterus aliquot auri venas in Etruria, & potissimùm Cerauicię inueniri. Eculam regionem Ortum spectantem, Hebraicè Zaab nuncupatam auro purissimo se iactantem Calepinus exhibet

Lib.4. Georg.

Fez vrbs est regia, & celebris ab auro ibi reperto denominata, quod incolarum lingua *Fez* nominari Cornelius Iudęus in tabula Africæ monet. Florida opulentam auri, & argenti supellectilem ostentat. Demum flumina aurifera quatuor tantùm Claudianus enumerat, nempè Sangarium, Gallum, Marsyam,& Meandrum: cum tamen nostra sententia amnes hac prærogatiua insignes, sint ferè innumeri. Præcipui tamen in India Occidentali sunt Iaches, Iunna, Attribunius,Naibas, Duroba, & Boragua: In India Orientali Ganges, in Hispania Tagus; Silius tamen Italicus, præter Tagum, Durium, & Cordubam recenset. His Nuperi Minium, & Iberum vlterioris Hispanię addunt. In Gallia Tarrus secundùm Ausonium, & Edera secundùm Munsterum in Geographia, in Thracia Hebrus, in Germania Rhenus, & Danubius, in Lydia Pactolus, in Gallæcia Sil, in Italia Ticinus, & Padus aurum ducunt.

Flumina aurifera quæ.

Gallia regio est, cui non defuerunt auri venæ, quia montes Narbonenses iuxta partem Pyreneo finitimam tanquam auro affluentes Strabo commendabat. Gallæciam auri mineras possidere indicium est, quoniã in ripis fluuij Sil aurum inuenitur. In Glasco Scotiæ venas auri, & cærulei insignes esse Ioannes Boterus retulit. Item in libro nauigationis Hollandorum in Indiam legimus agrum Goæ lapidosum esse, & siccum, rubroque colore refertum, quocirca Halchemistæ exotici aurum effodere tentarunt, sed Prorex semper vetuit, ne fama tantarum opum Accolas ad expugnandam Vrbem inuitaret.

Loca auri a litera G.

Hircaniam magnis glebis auri micantibus gloriari scribit Marcellinus. Hispaniolam insulam auri ditissimam esse colligimus ex Cosmographia vniuersali; namq; dum Hispani Regem insulę fugientem persequerentur, quoniam nonnullos Hispanos ibi à Columbo relictos necauerat,in montem arena aurea sparsum,& in fluuium ramenta auri vehentem inciderunt. Item Hoden regio venis auri tumida superbit.

Lib.23.

Iapan insula, ex Paulo Veneto, inter alias insulas auri feracissima est. Cosmographia vniuersalis Iberiam, & Iauam maiorem iusulam auro ditissimam constituit. Icarmons est Scythiæ,quem à generatione auri aureum nuncupant.Indiam auri feracem non solum Plinius, sed inter Nuperos Iosephus Acosta retulerunt; hunc Sophocles indicum aurum tanquam præstantissimum extollebat; & inter recentiores Tostatus scriptis mandauit Indiam totam, sed præcipuè insulas Chrysen, & Argyram auro redundare, quibus in locis montes auri esse feruntur:hac de causa nonnulli obseruantes frequentiam fossorum auri indici, illos μύρμηκας, nempè formicas appellarunt,& ob assiduitatem, & velocitatem in hoc opere alas habere retulerunt:hinc factus est fabulæ locus,à formicis alatis aurum in India erui,& custodiri. Apud ciuitatem Ioumai ex parte quarta primi climatis tres sunt montes ab Oriente Occidentem versus,& horum medium vocant aureum, quia mineras auri complectatur. Isabella insula auri fragmenta exhibet, quæ imbribus à montium cacuminibus deferuntur. Ischia est insula fertilissima, vbi minerę auri vnà cum mineris Sulphuris anno sexagesimo quinto post millesimum, & quadringẽtesimum à Bartholomeo Perdico Genuensi inuentæ fuerũt. Similiter Italia mineras auri nutrit, vt in primo capite huius libri recitatum est, sed

littera I.

Lib.4.hist. Ind.cap.4

hodie

hodie ibi non colligitur, niſi illud modicum, quod inter arenas Ticini, & Abduæ reperitur. Iuliana tandem Regio Siciliæ venas auri, argenti, & ferri, ſed inopes habet. E

Lib. 4. hiſt. Ind. cap. 4. Luſitaniam antiquitùs fuiſſe auro abundantem Ioſephus Acoſta prodidit. Libya etiam commendatur propter fluuium Plutonis auriferum. In Lydia aurum ita copioſum inuenitur, vt in prouerbium abierit. LYDIA ARENA de re valdè pretioſa, & auro ornata: quapropter Statius Papinius huc alludens canebat.

littera L.

Viue Midæ gazis, & lydo ditior auro.

Denique apud Lygios, qui Bohemis ſunt proximi, riui venis auriferis pleni obſeruantur.

Macedoniæ aurarias venas Solinus aſſignauit. Malabar regnum aurifodinis eſt refertum. Mandiuga eſt Prouincia auri ferax; ideoq; ſecundùm Boterum à mercatoribus Arabibus frequentata. Mariſſa fluuius olim Hebrus nuncupatus, vt annotauit Bellonius, aurum cum arenis ducit: Quamobrem Accolæ huius non ignari, vt ipſe refert, æſtate quando fluminis alueus eſt exiguus, magnos arenæ aceruos cumulant, vt commodiori tempore grana auri abluendo arenas ſeparent. Inſulæ Sanctæ Marthæ auri opes abundè ſuppetunt. Matucca Regio Imperij Benomotappa montibus eſt vallata, in quibus aurum generatur. Menamcambi populi auro affluentes, & duæ aliæ inſulę nomen auri habentes à Botero memorantur. Meroe Nili inſula colitur à Paſtoribus, & ab Agricolis, qui auri metalla poſſident. In territorio Meſſinæ Sicilię mineræ ſunt auri, ſed inopes. Mindanao Terra quædam in inſula Mauri venarum auri ferax eſſe dicitur. Mina propè Meleghetam locus eſt ab auro ibi generato ita nominatus: hac de re Liuius Sanutus in Geographia retulit ad auri tutelam ibi ædificatũ fuiſſe oppidum, quod Mina cognominatur. At Cornelius Iudæus in tabula Africæ ſcripſit hunc locum Minam fuiſſe indigitatum, quaſi mineram, ſic ab Hiſpanis dictam propter aurũ quod inde effoditur; hæc enim auri vena anno ſalutis ſeptuageſimo primo poſt milleſimum, & quadringenteſimum aperta fuit. Mocambeque iuſula ad finem Melindę ſita, vt recitat Ioannes Hugo, auro puriſſima ſcatet. In Moluccarum inſularum arena aurum colligitur, cuius tres maſſas orbiculares Georgio Saxonũ Duci Carolus Quintus dono miſſit. Monoemugi, iuxtà mentem Boteri, multas auri venas in confinio primi lacus poſſidet. Demum Mulubamba regio multas aurifodinarum opes oſtentat. G

Lib. 1. Obſer. ca. 63.

litter. M.

Tabul. 1. Orb. terr.

In Nicaragna mons eſt, *Maſſaia* nuncupatus, qui, è duabus cauernis flammas adeò limpidas eructat, vt multi à materia aurea illas prodire crediderint: quocirca ad hauriendum inde aurum nonnulli ahenum longæ catenæ appenſum in mõtis hiatus dimiſerunt, ſed, vt ſcribit Boterus, vas cum portione catenæ fuſum eſt. In Normandia noſtra ætate aurum reperitur. Noricum eſt locus auri, vt ſcribit Polybius, vbi partim purum, & partim excoquendum inuenitur.

littera N.

Onaiue, & Cocimbo aurimetallis abundant, vt ſuperius manifeſtauimus. Ophiræ regioni opes auri affatim ſuppetunt; hinc nonnulli eam vocant auream Cherſoneſum: Ortelius tamen hanc inſulam, vel peninſulam auream cognominat. At Ormuz inſulam Teuetus ſcribit propter auri abundantiam à Luſitanis hoc nomine fuiſſe inſignitam.

littera O.

Pactoli amnis arena aurea in fortunatum ſinum defertur: quamobrem à Tibullo tanquam fluuius aurifer celebratur. Panama Regio ad aurum congerendum certatim omnes inuitat, quoniam panamium aurum hodie in Europa tanquam præſtantiſſimũ probatur. Pannonia citerior mineris auri argentoſi ſcatet, quia colorem argenti præ ſe ferat, cuius vena modò in pyrite ferri, modò in ſaxo proprio inuenitur. Paradiſus Mahometi eſt quidam locus apud Geographos, in quo auri quædam minera reperitur. Parię regioni tanquam aurifodinarum diuiti homines inſidiantur, ſed Incolæ interrogati, vbi aurum deliteſcat, digito indicant proximos montes, ad quos ob multitudinem Ferarũ, & Canibales anthropophagos difficilis eſt acceſſus. Pegu regnum eſt totius Indię maioris celeberrimũ, cuius Dominus vocatur Rex alborum Elephãtorum, & ingenti auri copia pollet. Perſidem auri fuiſſe feracem ex hiſtorijs collegimus, quæ narrant, direpta illa regione, tantam auri quantitatem à Rege fuiſſe inuentam, vt mulorum triginta millia vix illam conueherẽt. Peruana Regio, præ cæteris totius terrarum orbis regionibus, vt Boterus refert, auro eſt opulenta; propterea Hiſpani ibi verſantes ob copiam auri, & inopiam ferri, arma tam in perniciem, quàm H

littera P.

in

in tutelam ex auro solido fabricata sibi compararunt: immò in locis aliquibus peruanis, igne ex stercore pecudum accenso aurum funditur. Phœnicum arua Silius describit aurifera. Pieria mons est, quem olim coluit Orpheus, Pangeus tunc nominatus, hodie, Bellonio referente, Malacca, & Castagna vocitatur; propè hunc montem auri, & argenti metalla aperta sunt, quæ in magno pretio habentur. Pithecusę insulæ iuxta Campaniam metalla auraria Strabo assignauit. Pæoniæ agri post diuturnos imbres aurum effundunt. Polonia auri fodinis non caret. Potosi est regio Peruana, in qua die vigesima prima Aprilis, anno salutis quadragesimo quinto post millesimum, & quingentesimum multæ aurifodinæ reclusæ sunt. Deniq; Boterus Punam insulam auri ditissimam constituit. *Arma ex auro Fabricata.*

Quito Prouincia iuxta mentem Boteri auri mineras habet.

Sabeos Arabiæ populos auri ditissimos prædicat Plinius. Sacer mons, ex Ortelio, est in Hispania, vbi aurum beneficio fulguris detegitur. Saxoniæ Principes auri metalla ditarunt. Saxoferrati fluuius quidam Maurena nominatur corrupta voce quasi Aurena ob aurum eius arenis permixtum. Propè Schlota oppidum effoditur purum aurum, cuius grana quandoq; ad magnitudinem nucis auellanæ accedunt. De Scotiæ regno Hector Boethius scribit aurifodinas regnante Iacobo quarto fuisse apertas; præterquamquod ibi est mons *Downdor* cognominatus, quasi aureus, nam aurum ibi delitescere arbitrantur. Selebi insulæ ab Anthropophagis habitatę sunt auri opulentia insignes. Siciliam mineris auri prægnantem pronunciat Facellus in historia regionis; propterea quod pecudes in monte *Modonia* dicto pascentes, & viuę, & mortuæ dentes auri coloris habeant. Syderocapsa pagus, attestante Bellonio, auri metallis scatet; qua de re Antiquis, ob auri copiam, chrysites dicebatur, & huius pagi opes Turcarum Imperatori maximo sunt emolumento. Siphnorum insula, vt recitat Pausanias, auri prouentu erat abundans, cuius decima pars Apollini offerebatur, sed postea quàm huius religionis fuerunt obliti, auri fodinæ alluuie ma is prorsus sunt abolitæ. Sophala est regnum, cuius mult Prouinciæ auri sunt feraces, hinc multi coniectarunt hanc esse regionem, ex qua Salomon, & cæteri Reges Hæbrei tantam auri quantitatem coegerunt; nam in sacris Biblijs scribitur Ophir, & Septuaginta Interpretes legunt Sapheiram, quæ vox Sophale admodum affinis esse videtur. Demùm in Sypiride apud Cambala auri metalla effodiuntur. *littera T.* *lib. 1. Obser. cap. 49* *Ophir.*

Temesam vrbem in agro Brutio ab Ausonijs conditam olim aurifodinis insignem Calepinus constituit. Terra Tumanama in quodam monte grana auri, instar lenticulæ producit. In Thracia, apud Strymonem fluuium Metallici è Lydia pulsi aurum foderunt, & ibi aurum propè montem Pangæum inuentum apud Dionem in magno fuit prètio. Ticinus amnis, vt superius retulimus, in citeriore Gallia, qui agrum Nouarienſem ab Insubribus separat, auri ramenta ducit, quæ ab assiduis operarijs hodie colliguntur. Tolosa Galliæ ciuitas olim auro redundauit, quam cum Q. Cepio Consul diripuisset, quisquis ex illa direptione, teste Gellio, aurum attigit, miserè perijt: hinc ortum est illud adagium in calamitosos. *Aurum habere Tolosanum.* Hodie licèt auro careat, ei tamen opulenta doctrinæ supellex auro pretiosior non deest, cum viros nutriat acerrimo labore ad litterarū studia incumbentes, qui in primis litterarij theatri subselijs collocari promerentur; vnde prodijt ad nos Nellanus Glacan Tirconallienſis Hibernus Regis Christianiss. in illa Vniuersitate Tolosana Consiliarius, & professor Medicus, litterarum omnium eminentissima cognitione nobilis, qui hodie in Eminenti Archigymnasij Bononiensis Cathedra Medicam facultatem summa cum laude profitetur. Topira Prouincia apud Indos tantam auri habet opulentiam, vt vasa, quæ apud nos sunt figulina, ibi aurea fabre fiant: immò Franciscus Vasquez apud Ramusium scripsit tegulas domorum illius regionis partim aureas, partim argẽteas esse. Transyluania tandem auri esse feracem Cosmographia vniuersalis euulgat. *littera T.* *Aurũ Tolosanum quid.* *Tom. 3.* *littera V.*

Vngaria Boterus commendat tanquam vi auri affluentem, præterquamquòd habet multos amnes auri grana ducentes.

Zafala insula multis ornatur montibus auro refertis, quod postea, vt habetur in Cosmographia vniuersali partim in Persiam, partim in alias regiones nauibus onustis deportatur. Zebut insula, Hispanorum ope, venas auri reclusit. Zeilan insula, quam nonnulli Taprobanã vocant, aurifera est. Ad finẽ Zunæ incolas auri piscatores *littera Z*

Franciſcus Lopez appellat, quoniam, in abundantia imbrium, retia in flumine tendunt, & auri grana perfectiſſimi colligunt. E

DENOMINATA.

IAM cunctis liquidò conſtare opinamur res quantò fuerint nobiliores, & præſtantiores, tantò plures ab illis denominari: aurum enim cum inter metalla primas teneat, ſuum nomen aureum aliquibus animantibus, vegetabilibus, lapidibus, & multis alijs rebus communicauit, de quibus ſigillatim in hac rubrica ſermo habendus eſt. Primò ab animantibus nobilioribus inchoantes pronunciamus cum Baronio Auream fuiſſe nomen proprium virginis, & martyris Cordubenſis. Chryſanthius fuit Philoſophus Magiæ peritiſſimus, Chryſippus Apollinis filius, & Chryſaor Neptuni. Item Chryſaſorius vir Romanus; alioquin χρυσαῶρ enſem aurum geſtantem ſignificat. Cryſis, vt notat Rhodiginus, fuit Sacerdos apud Argos. Chryſaphius Eunuchus, qui ſæuit in Orthodoxos. Item Cryſogonus quidã modulator, teſte Rhodigino, F qui vocem tam adæquatè cum remigum manibus cõiungebat, vt iucundam audientibus redderet harmoniã. Saturnus vocatus fuit aureus fortaſſis, quia ſeculo aureo dominabatur. Venus etiam aurea ab interprete Homeri fuit cognominata, fortè propter pulchritudinem; cum ratione præſtantiæ metalli, quicquid pulchrum, & præſtans eſt dicatur aureum: quamuis aliqui crediderint Venerem ab Heſiodo vocatam fuiſſe auream, quoniam auro delectetur, iuxtà hæc carmina.

Nomina virorum aurea.

Li. 5. lect. antiq. c. 6.

Li. 9. lect. antiq. c. 10

Heſiodus pulchrè, quòd ſit Venus aurea, luſit
Et peream, ſi quid rectius eſſe poteſt.
Nunc auro ſolo quia conciliantur amores.

Neſcimus an hac, vel alia cauſa motus Baptiſta Pius Cupidinem aureum appellauerit, fortaſſis à capite capillis aureis decorato; cũ multæ ſint in homine partes, quæ ab auro denominantur. In primis caput dicitur auricomum, & capilli vocantur aureoli, quoniam auri colorem æmulentur: iuxta illud carmen.

Capilli aurei.

Aureoli vt ludunt per lactea colla capilli. G

Hinc χρυσοκόμης, nempè auricomus vocatur, qui coma aurea caput habet ornatum: hac de re Chryſocomus fuit Apollinis epitheton. Cicero quoq; barbam auream indigitauit, quæ auro aſſimilatur. χρυσωπός exponitur aureum vultum habens, &, vt noſtra fert ſententia, de homine icteritia laborante dici poteſt, quam affectionem Medici ab aureo colore Auraginem vocitant, & tandem χρυσίον apud Heſychium puerorum pudendum dicitur. Præterea multi viri ab auro fuerunt cognominati: Chryſoſtomus enim cognomen fuit Diui Ioannis Antiocheni ſcriptoris Eccleſiaſtici, qui ob eloquẽtiæ ſuauitatẽ hoc cognomen ſibi vindicauit, cũ hoc vocabulo os aureum ſignificetur. χρύσασπις vocatur, qui aureum clypeum geſtat: quaproter Chryſaſpides ſimili clypeo muniti milites vocati fuerunt. χρυσοβέλεμνος dicitur aureis inſtructus ſagittis; ideoq; epithetõ Apollini conueniens eſſe ferebatur: ſicuti χρυσοπέδιλος habens calceos aureos apud Homerũ erat epitheton Iunonis. χρυσοστέφανος nũcupatur vir corona aurea redimitus, & χρυσοδακτύλιος aurum geſtans annulum. χρυσοφύλαξ Euripidi dicitur, qui aurum cuſtodit, & aſſeruat φιλόχρυσος auri amans ἦ χρυσος auro abundans, & H ἄχρυσος auro carens. Halchemiſtæ ab aliquibus vocantur χρυσοδαπανηροὶ, nimirum auriperdæ, cum, ad aurum producendum, aurum conſumant. D. Paulinus Nolæ Epiſcopus foſſores auri ad Danubium aurilegulos appellauit. Cryſoplytas cognominat Budeus illos artifices, qui in officinis arenas lauando, aurum ſeparant. Alioquin aurifex, vel faber aurarius Græcis χρυσοποιὸς, vel χρυσεργός nominatur, & χρυσαμοιβὸς nũmularius, qui aurum alio metallo permutat.

Lib. 3. de Nat. Deor.

Barba aurea.

Halchemiæ profeſſoris nomẽ.

Inſuper non deſunt Beſtiæ, quarum aliæ nomen, aliæ cognomen ab auro deduxerunt. Apud Ariſtotelem eſt quædam auis vocata χρυσόμιτρος, quaſi auream habens mitram. Aurata eſt piſcis ab aureis ſupercilijs ita cognominata, quã Græci Chryſophrin indigitarunt. χρυσόλοφος eſt animãs aureis intectus ſquamis, & χρυσολοφοι apud Heſychium ſunt quidam Dracones aureã criſtã gerentes. Chryſalis nomen eſt inſecti apud Ariſtotelem, quod Theodorus Gaza Aureolã vel Aureliam vertit; Erucæ ſpecies eſſe perhibetur ex rore naſcens, quæ rupto cui includebatur cortice, papilio euadit. Chryme-

Lib. 8 hiſt. anim. c. 3.

Li. 5 hiſt. ani. c. 19.

Melanthion habetur in comedia Aristophanis,cui titulus est Spheces;interpres autem narrat esse paruulum animal aurei coloris æmulans similitudinem canthari; sicq; fortassis erit ille Scarabeus coloris aurei, qui ab Hesychio χρυσοκάνθαρος appellatur. Præter hæc, multa ab animalibus prodeuntia dicuntur aurea, vt χρυσᾶ ὠῶν, nempè lutea, vel vitelli ouorum,cum auri colorem referant: similiter mel aliquando aureum à Poetis,propter colorem, fuit nuncupatum. *Animantes ab auro denominata.*

Sin ad vegetabilia mentem conuertamus, multas obseruabimus plantas,fructus, & ligna, quæ vel propter colorem floris,vel seminis,vel etiam ab effectu aurea denominantur. In primis apud Botanicos habetur Eliochrysum, ἠλίοχρυσος etiã dicitur apud Theocritum, quia flores aurei coloris proferat, Theodorus Gaza Aureliam vertit. Chrysanthemum, cuius multæ monstrantur species,ob luteum colorem in flore refulgentem, ita nominatur, hanc etiam ob causam Linaria apud Tabernemontanum dicitur aurea, & Virga aurea apud Villanouanum propter figuram plantæ, & colorem floris;item Saxifragia rotundi folia aurea Lichenis facie apud Lobellium. Herba aurea Narbonensium apud Petrum Pennam vulgò italico *Dorea* à flore aurei coloris, & Chrysea fortè à Græcis cognominatur. Chrysopolis inter antiquas Dioscoridis nomenclaturas Parthenium designat, cuius floris discus aureus à circumdantibus albis folijs exornatur. Chrysocome, aliter Chrysitis, nomen est multis conueniens plantis, quæ comantes auri fulgore corymbos proferunt. Gramen aureum apud Dalechampium illud est, quod paniculam pendulam, & auream producit. Præterea sunt quædam plantæ, quarum pars tantummodo floris colore aureo decoratur, vt lilijs, & rosis contingit, in quibus filamenta aurea conspiciuntur: ideo canebat quidam de lilijs. *Plantæ ab auro cognominatæ.*

Aureaq; Hesperijs radiarint lilia campis.

Nisi auctor de lilijs croceo colore tinctis verba fecerit: alioquin hæc aurea filamenta in rosis apparent,& propterea auricomæ dicuntur,quamuis propriè Rosa aurea vocetur illa, quam Summus Pontifex Reginis donandam consecrat: quocirca Turselius in historia Lauretana habet hæc verba. *Gregorius XIII. rosam auream Lauretanæ Virgini tanquam Reginæ Cælestium, & Mortalium misit.* A semine quoq;aureo multæ plantæ nomenclaturam sumpserunt, vt Chrysospermon herba,quæ notiori nomine Semperuiuum maius appellatur,cum semen coloris aurei proferat. Alioquin Chrysothales est alia Semperuiui species,quæ florem aureum spargit. Item Chrysogonum apud Dioscoridem est planta cum flore Verbasci coronarij, quæ ab aureo seminis colore nomen accepit. At Chrysippea apud Plinium non ab auro, sed à Chrysippo inuentore fuit denominata,hanc multi Botanici Scrophulariã esse arbitrantur. Ab effectu nõnullæ plantæ aureum nomen sunt adeptæ,vt Chrysolachanum,quasi olus aureum: est enim quædam Atriplicis species, cui ob excellentes, & præstantes vires Dodoneus hoc nomen inditum fuisse fatetur. Plutarchus quoq; meminit cuiusdam plantæ nomine Chrysopolæ,qua non aliter ac Lydio lapide aurum examinatur;namq;folia auro contacta si inaurentur, aurum purũ, & genuinum, sin secus vitiosum, & improbum indicant. Deniq; apud Botanicos herba inaurans potest vocari Ligustrum, cum Alpinus vir eruditus hanc ab Aegyptijs *Elhanne* nominari, & Alcannam Auicennæ, & Serapionis esse voluerit, immò addit puluerem ex huius plantæ folijs parari, quem Aegyptij *Archenda* nuncupant, quo mulieres illius regionis manus, & pedes, ornatus gratia, colore aureo tingunt: cum hic puluis simplici permixtus aquæ,colore n aureũ ei conciliet: similiter à Mauris radicibus Alcannæ capillos inaurari Auicennas testabatur. Demum nonnulli etiã fructus colorem auri, & nomen sortiti sunt. Chrysobalanus est quędam glãdis species coloris aurei apud Galenum. Chrysocarpos vocatur planta fructum aureum producens:propterea Plinius Chrysocarpon quamdã Hederæ speciem acinos aurei coloris proferentem indigitauit. Mala quędam ex genere cydoniorum chrysomela ab aureo colore nuncupantur, quoniam Columella tres cydoniorum species, nempe struthia, mustea,& chrysomela constituit, quamuis Virgilius horum malorum genus arbori syluestri attribuat, dum inquit. *Lib.6.cap. 8.* *Plantis aurũ examinatur.* *Lib. 8. de comp. med sec. loc.* *Lib. 5. de Agric. ca. 10.*

Quod potui puero syluestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Non desunt tamen, qui Mala etiam Armeniaca propter colorem, aurea vocitent. *Lib.4.cap. 46.* *Li.26.nat. hist.cap.9.*

Chryſoxilon, referente Rhodigino, in græcis commentarijs eſt lignum flaui coloris, quo lanæ, & capilli olim inficiebantur.

Hoc in loco curioſis rerum naturalium Diſquiſitoribus conſpiciendam proponimus aliam Cryſomali ſpeciem, quam Auctores non memorarunt, quoniam Natura ludens illam in ſaxo effigiauit, quæ ratione figuræ, & coloris apprimè Malum Cydonium aurei coloris æmulatur, & propterea Cydonites, ſeu potius Cryſomelites appellari poterit. In eadem tabella Lector conſpicabitur Cucurbitam à natura pariter in lapide elaboratam eiuſdem cum ſuperiori coloris; quocirca meritò Chryſocolocynthites nominabitur.

li.18.lect. hiſt.ca.10

CHRYSOMELITES.



Chryſocolocynthites.

Iam

Iam accedendum est ad nonnullos lapides, quos ab auro Auctores denominarunt. Legitur apud Plinium Crysophis gemma, sed apud Gesnerum rectius scribitur χρυσοπρασις, quasi gemma splendens instar auri: est etiam succini, seu electri epitheton apud Dionysium Afrum. Sapphirus regia χρυσοσιγὴ Epiphanio nominatur: immò idem Auctor Crysolithon, & Chrysophilon appellari tradit, quia sit gemma punctis aureis interstincta: quare hoc etiam nomine gaudere deberet Corallachates, cum instar huius sapphiri guttis aureis à Plinio distinguatur. Sequuntur aliæ gemmæ, quę ab auro nomen habent. Plinius duas Topatij species constituit, quarum alteram Prasoidem, alteram Crysopteron similem Chrysopraso appellauit; harum altera ad fulgorem auri; altera ad pallidiorem colorem inclinat; & quamuis Chrysopteros aureas habens alas exponatur, nihilominus apud Plinium Topatij species designatur. An sit Chrysolampis Topatius die pallidi, & noctu ignei coloris, est diligenter considerandum, cum alijs auctoribus Chrysolampis gemma Aethiopiæ, instar auri refulgēs, esse perhibeatur. Amplius quędam gemma est in colore ad aurum vergens, quę Græcis Chrysolithos dicitur, cuius nonnullas pecies assignat Plinius: nam quę melleo, & aureo colore coruscant, mellichrysos appellat, & quæ candida vena exornantur, leucochrysos nominat. Chrysopilon Ludouicus Dulcis memorat, & Berylli speciem esse statuit. Plinius verò, cum de Beryllis egisset, statim addit his proximos esse Crysoberyllos, qui sunt pallidiores, & auri colorem præseferunt. Chrysopagion, secundum mentem Alberti, defertur ex Aethiopia, sed est gemma nobis ignota, nisi corrupto vocabulo Chrysopation intelligerę voluerit. Est etiam Chrysantherinus, ex sententia Ludouici Dulcis, gemma fragilis, quæ puerorum collo alligata, dentitionē absq; dolore iuuat.

l. 7. nat. hist. ca. 10

li. 37 nat. hist. cap. 8.

Gemmæ ab auro denominatæ.

li. 37. c. 9.

A gēmis ad cęteros lapides ab auro nomen habentes si conuertatur sermo, inuenie-mus Græcos vocantes lapidem Lydium, seu coticulam chrysitida, quo lapide tanquam trutina aurum exploratur. Chrysites etiam aliquibus est lapis armatura aurei coloris obductus, & à Plinio commendatur similis Ostreæ Atticæ, sed Gesnerus rectius legit ochrę, nam hæc Attica probatur; & auro assimilatur. Duplex genus pyritum in Cypro inueniri referunt, quorum alterum argentei, alterum est aurei coloris, quod Chrysopyrites nominatur. Ammochrysos, ex sententia Plinij, est gemma, in qua aurum arenis permixtum apparet, sed reuera Ammochrysos, seu chrysammos, vtroque enim modo pronunciari potest, est lapis ammonites, qui facilè in arenas aurei coloris soluitur, quę postea in litteris manuscriptis exsiccandis adhibetur; his enim nominibus, vt plurimum talis arena significatur; quandoquidem arena illa amnium auriferorum cum granis auri permixta ἄμμος χρυσῖτις appellatur. Itaq; lapidis arenarij hoc in loco multas icones exhibemus, qui postmodum ratione figuræ, & ratione materiæ discriminantur, & ab auro propter colorem arenarum denominantur. Huius igitur lapidis vna monstratur species, quæ Ammonis cornu dicitur, propterea quòd cum Bacchus, ex sententia Seruij in Virgilium, vnà cum exercitu Indiam peteret, in arenis Libyæ siti stimulatus, Iouis auxilium implorauit, & illicò visus Aries illum ad fontem duxit, vbi in monumentum tanti beneficij, simulacrum Iouis cum capite arietino fabricatum est, & Iupiter Ammon ab arena cognominatus, cum ἄμμος arenam significet. Quamobrem rerum naturalium Obseruatores lapides ex arena à natura confictos in modum arietini cornu, cornu Ammonis indigitarunt. Hi autem lapides sicuti, & alij alterius generis aliquando materia quadam armantur, quæ interdum ad colorem ferreum, aliquando ad colorem plumbeum, vel aureum vergit. Vidimus genus ostrei petrificati cum armatura coloris aurei, cuius iconem damus. Cęteri lapides hic delineati sunt chrysammonites varijs figuris inter se distincti, quemadmodum studiosus Lector poterit contemplari.

Lapides alij ab auro dicti.

li. 27. hist. nat. ca. 11

lib. 4. Aeneid.

Chryſammonites duplex.



Chryſammonites foliaceus.

Ostracites Chrysoplites.

Chrysammonites dendrites cum in eo arbusculæ à Natura formatę appareant.



Chryſammonites albicans numero 1.& 2.

2

3

Chryſammonites, & a figura Ammonis cornu num. 3.



Magna admiratione tenemur, quoniam cæleſtia corpora, & etiam elementa ab auro nomen ſumere non dedignantur. Sol à Pontano aureus fuit appellatus, fortaſſis quia Oriens auroram, nimirum horam auream pariat. Luna ab aureo curru χρυσάρματος & ab aurea colo χρυσηλάκατος apud Pindarum nominatur. Aſtra quoq; à colore ſplendido quem diffundunt, aurea à Poetis nuncupantur. Item elementa aureo nomine gaudere dicuntur. Primò dum aerem, ſole oriente, aureum dicimus. Refertur ab Agathocle apud Perſas fuiſſe aquam cognomento auream, quam Rex tantummodo, & filius natu maior potabant, cæteris verò ex illa bibere, fuiſſe capitale. At aqua chryſulca traditur à Budeo eſſe illa, in qua res inauratę ita lauantur, vt nihil auri depereat. Pariter quædam aquæ thermales aureæ ſunt appellatæ, quales Viterbienſes, quoniam ſingulari aliqua dote, & prærogatiua ſint refertæ, & in omnibus affectibus vtiles inueniantur: hæ licet aureum colorem ab imò aluei repræſentent; nihilominus non ſunt auriferæ, cum ab aere, & ſulphure ſimilem colorem adipiſcantur. Sunt quidem aliæ thermales aquæ, vt Fabarienſes, quæ merito aureę nuncupari poſſunt; cum ſuccum aureum à natura nondum concretum recipiant. Inter elemẽta Terra ab auri nomine non eſt immunis; quoniam Chryſitis, nempe aureola dicitur illa terra, in qua ramenta auri reperiuntur, & χρυσοχαίτης auream terram habens.

Cæleſtia, & Elemẽta dicuntur aurea

Aquæ thermales

Metallica.

Quid plura? ab auro multa metallica denominari comperimus: quandoquidem Chry-

A Chrysoma Græcis est aurum elaboratum, ψεύδοχρυσος aurum fictitium, χρυσύλιον aurulum, ideſt modicum auri. Electrum dicitur χρυσοφόρον apud Dioſcoridem, & apud Alios Chryſeleƈtrum vocatur; quoniam colorem auri gerat. Chryſocolla exponitur gluten auri, quo aurifices in auro agglutinando vtuntur: eſt enim miſtura ex auro, argento, & ære compoſita, quæ citiùs quam aurum funditur. Item Chryſocolla apud Atheneum eſt quoddam edulij genus ex ſemine lini, & melle compoſitum, fortaſſis ita vocatum, quoniam aureum colorem referat. Auripigmentum eſt coloris genus, quod Pictores ad aureum colorem ſimulandum feliciter adhibent. Circa aurichalcū fuit opinio Feſti hoc ex colore auri, & ære nomen traxiſſe; cum tamen ſit ęs auri colorem ęmulans, & etiam ſi re uera color auri ab hoc metallo repręſentetur; attamen Græcis ὀρείχαλκος ſcribitur. Item nonnulla inſtrumenta ab auro nomen habuerunt, vt Chryſendeta apud Martialem Lances auro litę, Auramentum apud Plinium eſt inſtrumentum, quod vel ad effodiendum, vel ad purgandum aurum idoneum eſſe videtur, & apud Græcos τριψίχρυσος eſt lima aurum atterens, & χρύσινος dicitur aureus, ſimiliter nummus aureus exponitur.

lib. 3. Dipnoſoph.

Inſuper nonnullæ Vrbes, aliqua loca, & variæ regiones ab auro denominantur. Primùm, apud Lexicographos Geographiæ, Aureatum eſt Vrbs Germaniæ ſub Archiepiſcopo Moguntino, Chryſopolis eſt Vrbs Macedoniæ, & alia eiuſdem nominis in Celeſyria. Pariter apud Plinium Chryſopolis eſt oppidum Bithyniæ propè Chalcedonem ita cognominatum non ab auro, ſed quoniam ibi tributum colligebatur. Chryſe fuit oppidum Phrygię minoris, & Chryſoceras ſuburbium Byzātij, vbi omnes Chriſti fideles habitant. In Corſica, vt legitur in Coſmographia vniuerſali, eſt campus cognomento aureus, non quia producat aurum, ſed quoniam ſit omnium rerum fertiliſſimus: hac de re pluuia aurea interdum vocatur illa, quę aruis magnam affert vtilitatem. Mōs aureus in regno Scotiæ ab Hectore Boethio ponitur. Boccacius ſcribens de mari, penes Promontorium Thamnia nuncuparum, Inſulam dictā Chryſeam eſſe diuulgauit, quia ſolum habeat aureum. Deinde Chryſas eſt fluuius Siciliæ, & Chryſorrhoas amnis Syriæ per Damaſcum fluens, Chryſius flumen Datiæ per Tranſyluaniam tranſiens; Item eiuſdem nominis alter eſt in Hiſpania Tarraconenſi. Apud Atlantem montem fluit aqua, ex Liuio Sanuto, quæ riuus auri nominatur. Fons eſt in India, qui aureus dicitur; cum inde aurum exhauriatur. Similiter cognominari poſſet fons aureus ille in Charinenſi agro Hiſpaniæ ſitus, qui, teſte Plinio, omnes piſces ibi verſantes coloris aurei oſtendit; cum tamen extra illam aquam cæteris minimè ſint diſſimiles. Nonnulla quoq; ædificia aurea ob excellentiam ſunt nūcupata. Memorat Baronius inter alias Eccleſias, quas Conſtantinus Imperator in Oriente extruxit, Baſilicam Antiochenam excelluiſſe; propterea illam Dominicum aureum vocarunt, cui acceſſit, ob vaſa ex auro fabrefacta, effuſa Imperatoris munificentia. Ex eodem Auƈtore quoddam Aureæ petræ monaſterium in finibus Ponti, & Paphlagoniæ erat ſitum, & eodem referente, Aurea porta erat Conſtantinopoli officina auraria Græcis χρυσία vocatur, & χρυσοπλύσιον illa, in qua aurum lauatur, χρυσοχοεῖον ea, in qua aurum funditur, quaſi Aurifuſorium, & χρυσωρυχεῖον aurifodina, vnde χρυσωρύχος auri foſſor appellatur.

Loca varia ab auri nomina ta.

In Geogr.

lib. 2. hiſt. nat. c 103.

In Annal. Eccleſ. anno Chriſti 326.

Poſtremò multa alia ſunt, quæ nomen ab auro deſumunt, quæ partim aliqua ratione cum auro, & partim nullam cum eo affinitatem habent. Prima facie Inauratores ſe ſe offerunt, qui inaurant, nempè auro aliquid tegunt: hinc Græcis χρύσωσι auratura dicitur, χρυσοβαφὶς aureo colore tinƈtus, χρυσοδαίδαλος auro variegatus, χρυσαυγὴς inſtar auri fulgens, Chryſopaſtus auro aſperſus. Latini vocant auratum, quod eſt auro tectum, auroſum, quod in ſe aurum continet, aureum ex auro confectum, & aurarium, quod ad aurum ſpectat: hinc aureſcere apud Varronem dicitur, quod auro ſimile euadit. Chryſopæia eſt auri confectio, quamobrem in libris Chymiſtarum finem operis Chryſopæiam, & Argyropæiam eſſe legimus. At Chryſargyrum, nempè Aurargentū, iuxta ſententiam Baronij, erat tributum à Conſtantino negotiatoribus impoſitū, quod ſummam auri, & argenti pendebat. Eſt etiam apud Aſtronomos numerus, qui vocatur aureus curſum viæ lunaris metiens, ità appellatus, quoniā olim apud Athenienſes litteris aureis notabatur. Meſſem auream nōnulli Curiam, & Tribunal indigitarunt, vbi iudices loco tritici aurum metunt, ideò Plutarchus de Stratocle,

In Annal. Eccleſ. anno Chriſti 330.

Numerus aureus cur ſic dictus.

In Polit.

tocle, & Democlide impijs Iudicibus verba faciens ſcripſit, quòd ipſi interdum ſe ſe E mutuò ad meſſem auream inuitabant: ſic enim Curiam,& Tribunal vocitabant. Quæ cum auro nullam habent affinitatem, ſunt v. g. eloquentia, quam Nicephorus lac aureum nominauit, item pax aurea, quæ fortè dicta eſt à valore, cum auro ſit æquiparanda. Ad finem ætas & ſecula dicta ſunt aurea, & potiſſimùm regnante Saturno, non quia tunc etiam aurum regnaret, ſed quoniam illa ætas eſſet inſtar auri pura, quamobrem Ouidius de illa ſic canit.

Ætas aurea cur dicta.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumq; colebat.

Li. 1. met.

Qua de cauſa, iuxtà aliquorum mentem, aurea ſecula deſierunt eſſe, quoniam auri dilectio hac tempeſtate regnat, & profectò auri ſeculum rediturum affirmant, dum cõtemptus auri ad nos reuertatur. Non videtur tamen rationi conſonum primam ætatem vocandam eſſe auream ob excellentiam ſimplicitatis, & bonitatis, quandoquidem tunc temporis multa omnis generis crimina fuere commiſſa: potius dicendum eſſe exiſtimamus auream ætatem, ab auri proprietate fuiſſe nuncupandam; nam ſicuti aurum inter cętera metalla diutiùs durat, ita primæ gentes diuturniorem vitam protrahebant: niſi velimus cum Seneca aſſerere aureũ illud vocatum fuiſſe ſeculum, quando meliori dignitates dabantur. Aliqui in toto humanę vitæ curſu tres aureas ætates conſtituunt, nimirum iuuentam, virilitatem, & ſenium, cum infantia, & decrepitas nullum voluptatis argumentum præferant. F

In Epiſt.

EPITHETA.

CVM aurum inter metalla dignis celebrandum encomijs Poetæ iudicauerint, illud etiam varijs epithetis cumularunt: quandoquidem à loco natali Lydum, Gallacium, & Dalmaticum; à colore flauum, & fuluum, à nitore, & puritate coruſcans, fulgens, micans, nitidum, clarum, rutilum, fulgurans, radians, ſpecioſum, terſum, & obryzum appellarunt. Quamobrem Græcis quoq; χρυσὸς ἐρίτιμος G dicitur, quia in maximo honore habeatur. Heſiodo φαεινὸς refulgens, Διαυγὴς pellucidus ἀίγλησις fulgens, καθαρὸς purus, & ὀβρυζος purificatus. Ab effectu Latini aurum cæcum, exitiale, & fatale dixerunt. Græcis quoq; in eodem ſenſu χρυσὸς vocatur Pandamatωr omnia domans, & Μεγασθενὴς magnis viribus pollens, & apud Pindarũ δαμασίφρων, cum ſuis illecebris mentem humanam domet. A dignitate, præſtantia, & opulentia diues, pretioſum, illuſtre, nobile, & regale nuncupatur. Græcis quoque πλουτὸς καφνὸς opulentus dicitur. A modo generationis, & præparationis, latini fuſile, ſolidum, monetale, & canalitium indigitarunt, quoniam per canales venarum per ſaxa diſcurrentium quodammodo vagari videatur. Tandem ἀ πεφθὸς χρυσὸς apud Græcos eſt illud aurum, quod tandiu excoquitur, donec obryzum euadat.

Epitheta ab effectu

A dignitate.

ADAGIA.

H

NONNVLLA ſunt prouerbia, quæ ab auro, nonnulla quæ à rebus aureis deſumuntur. Primùm igitur ab auro inchoantes dicimus. *Aurum ex ſtercore colligendum.* Cum nulla res ſit tanta prauitate imbuta, quin aliqua ex parte Prodeſſe poſſit: propterea Plinius aliquando dictitabat nullum librum eſſe tam inutilem, quin ex illo aliquid boni hauriendum ſit. Pariter Virgilius ex ſtercore Ennij poetæ ſe aurum collegiſſe retulit. *Aurum igne probatum.* De re abſoluta, & perfecta diuulgatur, & apprimè conuenit illi, cuius fides in rebus aduerſis explorata eſt; & Theognis Poeta mentem rectam ad aurum comparabat, cuius verſus ſic latinè ſonant.

Aurum igne probatum.

Omnibus in rebus me comperies velut aurum
Purum, dulce, rubens, indice cum atteritur.

Huic affine eſt aliud adagium. *Aurum coticula cognoſcitur.* Quod de rebus perſpicuis, & perfectis effertur; iuxtà vulgatum aſſertum, experientia eſt rerum magiſtra.

Aurum

Aurũ igne perficitur. Iactatur in illos, qui æquo animo cũcta aduersa ferentes in diuina gratia perseuerant: idcircò D. Paulus aliquando virtutem auro comparans scripsit, quòd virtus in infirmitate tanquam aurum in igne perficitur. Huic non dissimile est illud. *Aurum colophonium.* Apud vulgum italicum sic profertur. *Oro di venti quattro carati.* Et dicitur de re perfectissima, quoniam apud Colophonios, teste Herodoto, aurum perfectissimum, & spectatissimum erat. Diuulgatur quoque hoc prouerbium de homine moribus incorruptis prædito, vel de viro acri ingenio insignito. Huic oppositum est illud. *Aurum subæratum.* Quod de homine callido, & minimè sincero profertur, qui aliud in ore aliud sub pectore gerit: sumptum est adagiũ à nummis aureis adulteratis, quorũ pars extima aurea, intima verò ærea cõspicitur. Ab hoc nõ valdè recedit illud Italicũ. *Tutto quello che luce non è oro.* Quod latinè sonat. *Omne refulgens non est aurum.* Etenim est admodũ conforme sententiæ Aristotelis, quando dixit. Non omne, quod apparet, verũ est. *Pro auro aurichalcum venditare,* Hoc spectat ad illos, qui aliquid fictitium pro genuino vendentes vanissimo commento fucum facere nituntur. *Auro habet suppactum solum.* Attinet ad homines ditissimos, cui tanta vis auri suppetit, vt illud veluti pedibus premant. *Aurum factum.* Hoc profertur ab Italis de illo, quod non potest consumi, cum aurum etiam in mille frusta dissectum ad pristinam formam, & pondus facilè redigatur. *Auro loquente nihil valet quæuis oratio.* Sic enim indicamus, quando res nummis, & muneribus agitur, disertissimi Oratoris eloquentiam nihil pollere, iuxta illud carmen.

Aurum dum loquitur, Tullius ipse tacet.

Epist. 2. ad Corinth.

Li. 4. Metaph.

Diuulgatur quoq; de homine, qui fatalibus malis afficiatur, hoc adagium. *Aurum habet Tolosanum.* Cuius originem narrat Aulus Gellius; nimirum cum Tolosam Galliæ vrbem Q. Cepio Consul diripuisset, & aurum etiam ex templis abstulisset, quisquis illud aurum attigit infelicem vitæ finem est assecutus.

Lib. 3. noct. attic. ca. 9

Iam accedamus ad illa prouerbia, quæ res aureas respiciunt. *Ouis aureo vellere.* dicitur de homine vestium luxui indulgente, sed indocto, quandoquidem Diogenes similem virum appellare solebat χρυσόμηλον, nempè ouem aureã. *Pons aureus inimicis parandus.* hoc monemur viam hostibus muniendam, qua fugiant. *Aurea mediocritas.* Hoc pronunciatur ad insinuandum cunctis, quàm sit bonum omnia extrema vitare. *Aureis litteris scribere,* hoc promulgatur, quando collatũ in nos beneficium gratijs, & laudibus volumus cumulare, & beneficium, vt aiunt, clauo trabali figere. *Clauis aurea omnem ianuam patefacit.* De hoc legendus est Horatius, vbi de Danae in turri inclusa verba facit, cuius ostium auro fuit reclusum, de hoc canit Ouidius hunc in modum.

Lib. 3. ode 16.

Iupiter admonitus nihil esse potentius auro
Corruptæ pretium virginis ipse fuit.

Solet pronunciari aliud adagium de re incongrua, & indecenti. *Annulus aureus in naribus tuis.* Ortum est prouerbium ab antiqua consuetudine, quando annulum æreum naribus Suum inserebant, ne rostri fossione aruis nocerent. *Aureos montes polliceri.* Effertur in illos, qui pollicitis tantùm diuites maria, & montes spondent. *Aureæ compedes.* Spectat ad illos, & potissimùm ad aulicos, qui libenter in seruitute versantur. *Aureo piscari hamo.* Hoc iactari posset in Halchemistas, & alios etiam, qui mediocris commodi desiderio allecti, magnum periculum incurrunt, & maximam rerum iacturam faciunt. *Aureis ligonibus terram fodere.* Hoc videtur pertinere ad illos, qui eruditione pollentes in rebus vanis, & inutilibus acre ingenium exercent. *Aurea æreis permutare.* Dicitur de inæquali permutatione, quando aliquis pro vilibus pretiosa, & pro exiguis grandia exhibet. *Aurea coronis.* Eustathius scribit hoc adagium de bono rerum fine esse proferendum. *Aureo laqueo lepus leonem trahit.* Hoc adagio significare volunt nullum negotium esse tam arduum, quin etiam ab Imperitis perfici, & nullam nationem esse tam feram, quin etiam à timidis superari possit, dummodo præsto sit aurum; iuxtà illud Horatij.

Lib. 3. ode 16.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo.

Aureus in Olympia statu. Græci hoc prouerbium iactabant in illos, qui ob aliquod egre-

egregium facinus magnum prẹmium promerebant;quandoquidem Græci viris ſimilibus ſtatuam in Olympia decernebant. Huc reſpexit Virgilius canens. E

Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Pariter Iuuenalis ad hoc alludens canebat.

Satyr. 11. *Præcipui ſunto, ſitq; illis aurea barba.*

Deniq; vt finem huic Rubricæ imponamus, hoc etiam prædictis addimus. *Aurificem te futurum credebas.* Pronunciatur in illum, cuius ſpes de lucroſo negotio concepta in vanum inſomnium degenerat. Tradunt hoc inde ortum eſſe prouerbium, quoniam inualuit fama apud Vulgum Athenienſem in monte Hymeto copioſa auri fragmenta conſpici, ſed à formicis pugnacibus diligenter cuſtodiri: itaq; nonnulli creduli, ſumptis armis, illas expugnaturi exierunt, qui cum, re infecta, & labore incaſſum ſumpto, reuerterentur, à ciuibus poſtea illudẹbantur.

MYSTICA, ET ALLEGORICA. F

SI varietas rerum myſtica animos legentium recreare ſolet, illa potiſſimùm, quæ ab auro dimanat, maiori nos, & delectatione, & vtilitate afficiet: cum hęc diuino afflatu in ſacris Biblijs fuerit exarata. Ab auro igitur mundana quidem proſperitas ſignificari poterit, cum legantur apud Iob hæc verba. *Si putauì aurum robur meum.* Nihilominus omnes ſententiæ ſacrarum litterarum auri nomine deſi-

Cap. 31. gnari poſſunt; ideòq; per aurum templi, ſenſus diuini in ſacris Paginis comprehenſi, ſunt intelligendi, quia aurum micantiſſimum diuinorum notitiam demonſtrat; cum chriſtianç veritatis aſſertores, auri nomine, diuinorum cognitionem intelligant. Sed aurum Tyri apud Zachariam Diuus Hieronymus ſapientiam Philoſophorum vanam

Cap. 9. Lib. 1. de vict. verb. Dei c. 27. Lib. 2. Pedagog. c. 8. exponit. At Rubertus Abbas verbum Dei, auri nomine ſignificauit: quandoquidem cum aurum naturaliter in tenuiſſimas bracteas extenſum minimè frãgatur. Sic natura diuina vſquequaq; tota eſt diffuſa, & per totum protenſa. Cæterùm iuxta mentẽ Clementis Alexãdrini auro Chriſtus Dominus ab omni interitu alienus monſtratur; G niſi velimus intelligere diuinitatem in eo, cuius caput aurum optimum nuncupatur, vel regiam illius poteſtatem, cum aurum in prẹſepio fuerit oblatum, quod regni ſymbolum eſſe perhibetur; & propterea denotatur etiam iudicium futurũ per Chriſtum

In Matth. cap. 2. regem, vt Sanctus Hieronymus aſſeuerat. Quamuis Diuus Gregorius in Mattheum nobis inſinuet, auro à Magis Chriſto infanti oblato, ſapientiam demonſtrari, iuxta illud, theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. Sin aurum cum myrrha, & thure Chriſto oblatum conſideretur, tunc multi Chriſtum moriturum, ſed incorruptibilem, & immortalem fore intelligunt. Verùm ab auro obryzo Angeli claritate, iuſtitiæ fulgentes denotantur, cum nullo vnquam culpę contagio fuerint inquinati, & viciſſim ſancti viri in hoc orbe terrarum verſantes auri quidem, ſed non obryzi

Cap. 28. nomen promeruerunt. Alioquin, aurum non æquari ſapientiæ, vt legitur apud Iob, comprehendendum eſt nullum Sanctum quacumq; claritate iuſignem eſſe Chriſto Domino æquiparandum. Inſuper per aurum in Iudęa obſcuratum, vt ſacra docet

Thren. c. 4 pagina, Lauretus fidei ſplendorem in Iudęa prorſus amiſſum nobis inſinuat. Sin au- H ri prærogatiuæ conſiderentur, illas charitati competere obſeruabimus, quæ procul dubio cęteris virtutibus antecellit, neq; vllo modo corrumpitur, ſed in ærumnarum pelago verſans, inſtar auri, purior, & perfectior redditur; idcircò aurum ignitum

Cap. 3. in Apocalypſi, ſymbolũ martyrij eſſe poteſt. Aurum templi apud Mattheum laudes
Cap. 23. Dei, & preces in templo fuſas reſpicere poteſt. Aurum areæ in Exodo demonſtrare
Cap. 27. poteſt immaculatam Mariæ Virginitatem, necnon omnia regia in Chriſto, quæ tam ex parte deitatis, quàm ex parte humanitatis conſiderantur. De auro Arabiæ, quòd legitur in Pſalmo ſeptuageſimo primo dicendum eſt ad mẽtem D. Hieronymi, quòd puritatem mentis ſignificet: niſi velimus intelligere martyres, & illos omnes, qui in hac ęrumnarum valle afflictantur; & quaſi aurum igne purificãtur, vel ſapientes Ethnicos, qui ad fidem Chriſti confugerunt: namq; auro, quod venit ob Aquilone meritò aſſimilari poſſunt, vt D. Hieronymus in Iob annotauit. Aurum Tharſis in ſacra pa-

Cap. 37. *Li.* 3. *reg.* gina memoratum, Lauretus ad ſyllogiſmos Hæreticorum contortos comparabat.

Ha-

Hactenus de auro, iam ad res aureas mysticè considerandas descendamus. Virgã illam auream, quæ regibus in symbolum potestatis offerri solet, Christus non habuit, quoniam apud ipsum aurum minimè erat pretiosum; præterquamquod multò melior est virga ferrea inflexibilis ad mundum iustè regendum, cum Daniel omnia ferro domari referat. Aureus vestitus apud Psalmographum, splendida dogmata, & sensus spirituales ostendit, veluti aureę fimbriæ diuinorum sensuum claritates è mente nũquam deficientes significant. Aureus vitulus in Exodo non solum Idolatrię, sed etiam mundanæ, & inanis sapientię nota fuit: quemadmodum, & aureæ statuę Ethnicorũ dogma hęreticum vana, & fucata eloquentia refulgens designant. Manna in vrna aurea carnem Redemptoris nostri dulcedinis, & perpetuæ diuinitatis non expertem denotabat, & ad immortalitatem demonstrandã vrna aurea erat. Addamus huic Rubricę tanquam coronidem illud mysticum ænigma fabuloso sermone ab Homero recitatum; dum auream catenam è cælo suspensam omnes Dij, Deæq; Ioue renitente in terram trahere non potuerunt, cum tamen solus Iupiter Dijs reluctantibus, ad Cæli cardines illam religare potuerit. Hac auri doctrina effectus de causis sublunaribus manifestarunt, quæ suas à Deo recipiunt vires per sydereos influxus, quos motrices Cælorum intelligentiæ illis impertiuntur.

Psalm. 44

Cap. 20.

L. 8. Iliad.

MORALIA.

EX auri natura carptim multa sunt desumenda, quæ ad vitæ, & morum elegantiam attinere possunt. Sic prius infigendum est animo, aurum collocãdum esse inter illas res, quas medici non naturales appellant: Etenim hę ab omnibus rectè adhibitæ valetudinem confirmant, & vicissim malè adhibitæ dispendium bonæ valetudinis procurant. Pariter aurum probè adhibitum non solum ad vitæ humanæ subsidia, sed etiam ad sanitatis tutelam mirandum in modum confert: hinc quidam græcus Comicus aurum sanguinem hominis, & quidam Iurisc̃onsultus alteram hominis animam indigitauit. Sin praue adhibeatur, malorum maximè malum, & dux omnium scelerum esse perhibetur. Itaq; prima facie vires bonitatis auri explorabimus, & in hoc sensu Iulianus sententias Platonis auro, & sali comparabat, quoniam sal in condimentis, & aurum tanquam visu iucundissimum expetitur. Quare homo in hoc terrarum orbe iuxta doctrinam moralem non potest possidere rem virtute nobiliorẽ, & pretiosiorem, & sic non est mirum, si virtus in sacris litteris auro comparetur. Similiter inter alias virtutes Fides auro confertur; Sapiẽtia quoq; instar auri homines præclaros, & illustres reddit de hac legitur apud Danielem. *Ecce vir vanus vestitus lineis, & renes eius accincti sunt auro.* Si contemplemur aurum quatenus in medicina habet locum, obseruabimus intrinsecus, & extrinsecus adhiberi, nam medicamẽtis internis permixtum, cardiacum euadit pharmacum; cum cordis, & animi ægritudines tollat. Nos in præsentia viros iustos, & charitate imbutos aurum appellare poterimus, qui aliorum crimina exterminare nitũtur; peccata enim ægritudines animæ esse feruntur, & charitas instar auri cætera metalla respicientis inter alias virtutes est efficacior. Extrinsecus autem aurum à Chirurgis commendatur loco ferri ad inustionem alicui membro imprimendam, quoniam vlceris fætorem arceat, quãdo igitur vstio correctionis in homine criminoso erit exercenda, aurum candens, nempè vir iustitiæ & charitatis plenus hanc inustionem imprimere debet, vt malus infamiæ odor arceatur, cũ in Correctore, vel Iudice honestas, bonitas, & deniq; omnes virtutes refulgere debeant: vnde optima causa Psalmographus scribebat. *Corripiet me Iustus, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinget caput meum.* ad rem spectat hoc distichon.

Sanguis hominum qualis. Orat. 2.

Li. 3. Reg. & 2. Ecclesiast. Cap. 10.

Tunc sic censura, & tunc sic exempla parantur
Cum Iudex, alios quod monet, ipse facit.

RE vera vir iustus clarum ex auro stemma promeretur; cum omnes auri prærogatiuæ in illo refulgeant. Primùm si aurum ab aura, nimirum à splendore denominatur; vir iustus in hoc æmulatur aurum, dum coram omnibus ob speciẽ honestatis rutilet. Aurum dum malleo percutitur, non rumpitur, neq; stridorem edit; immò facilè in tenuissi-

Vir iustus auro comparandus.

nuiſſimas laminas dilatatur: ſimili ratione vir iuſtus dum malleo diuini flagelli petitur, non rumpitur inconſtantia, neq; detrahendo vllum ſonum edit, ſed charitate,& interno gaudio dilatatur: iuxta aſſertum Apoſtoli. *Cor noſtrum dilatatum eſt.* Habet etiam verus Chriſti fidelis cæteras auri conditiones: etenim ſi aurum ſolidum eſt, & in igne collocatum nihil exhalat, ita vir patiens in fidei perſeuerantia ſolidus, & firmus eſt, & in ærumnarum igne collocatus, toleranter tanquam aurum reſiſtit. E

Primo ad Corinth. cap.6.

Satius eſſe opinamur à fodinis auri inchoare, & vſq; ad opus ex auro elaboratum deſcẽdere, vt moralis de illo doctrina perficiatur. Cunctis manifeſtarium eſſe conijctamus foſſores in aurifodinis verſantes nunquam inde diſcedere, niſi copiam ramẽtorum auri collegerint: pari ratione veri Chriſti fideles nullo modo ab operibus bonis recedere debent, quoniam in hac aurifodina virtutum, aurum diuinum inuenient. Rurſus aurum inquirentes non ſuperficiem terræ tantummodo fodiunt, ſed intimos eiuſdem ſinus perſcrutãtur, quamuis poſt diuturnos labores vix pauca auri grana comperiant. Diuus Chryſoſtomus id mineris ſpiritualibus aptat, in quibus minorem laborem, & maiorem prouentum collocat; nam dum ad ima ſcripturarum deſcendunt, vim breuibus verbis latentem inueſtigant. Poſtea vitiatum aurum igne examinantes, illius adulteratam ſubſtantiam detegunt: ſimiliter opera humana igne conſcientiæ diligenter examinata, vitia, quæ habuerint, oſtendunt. Detecto auri vitio opifices ab alieno metallo aurum ſegregantes, illud purum,& ſyncerum reddunt: quemadmodum charitas veri fidelis Chriſti pura, & nulla proprij commodi, aut vtilitatis labe inquinata eſſe debent, & non præſtare quod aſſerit Poeta. F

Hamil. 20

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Quando autem aurum diligenter fuerit purificatum ſuper omnia alia metalla rutilabit, & à radijs ſolaribus percuſſum in proximos parietes ſparget fulgorem. Sic Beata Maria ſemper Virgo tanquam aurum puriſſimum omnium virtutum ſplendore ſummopere coruſcauit; quoniam ſola Dei filium in ſinum recipere promerita eſt, & lux ſuæ gratiæ, & virtutis per omnes mundi partes eſt diffuſa. Habemus enim in ſacris literis. *Refulſit ſol in clypeos aureos, & reſplenderunt montes ab eis.* Clypei aurei puriſſima B. Mariæ ſemper Virginis viſcera repræſentant, in quibus Sol Iuſtitiæ Chriſtus carnem aſſumendo refulſit,& in montes, nimirum in viros iuſtos, & perfectos lux immenſa fuæ gratiæ redundauit. Neque à ſimilitudine rutilantis auri eleemoſyna recedit; cum hęc micantibus radijs ad cælum vſq; feratur, & hac prærogatiua eleemoſyna ab homine ſano facta gaudet; namq; eleemoſyna infirmi non aurea, ſed ærea vocatur, & Hæbreorum ſapientes ex proprio vocabulo aurum ſignificante collegerunt, ſic enim ſonat. *Hic eſt qui dat ſanus & fortis.* Deinde ex auro collecto, & fuſo torques, annuli, & alia ornamenta ope artificis fabricantur: ſimiliter expoſitores ſacræ paginæ ex illa elicium̃t varia ornamenta; quæ ad decorẽ animæ valdè conferunt. Immò ex auro puriſſimo ſpeculum etiam concinnant, ſed hoc ſpeculum eſt Chriſtus Redemptor noſter, quod omnes conſpicari debent, & iuxta mentem Martini Derlij, omne quod nobis abeo repræſentatur, ſeruandum eſt. Aliquando etiam Opifices auream laminam cum lamina argenti coniungunt, ſed diligenter cauent, ne inter illas aliquid pulueris cadat, quia tunc copulari minimè poſſet. Dicamus aurum eſſe Deum, & argentum eſſe animam: ſi hæc duo in præſentia charitate, & gratia, & impoſtorum gloria copulari debent, diligenter cauendum eſt à puluere criminum, qui hanc coniunctionem Dei, & animæ impedire poteſt. G H

Primo Machab. cap.6.

Auri etymũ hæbraicum.

Lect. 1. ſpec. Mariani.

Ex altera parte ponderandum eſt, quatenus aurum nobis plurimum detrimenti, magnam perniciem eſt allaturum, & tunc aurum tanquam magnũ incendium vitandum eſt: etenim ad rem quidam dicebat.

An neſcis auro multa ſubeſſe mala?

Quamobrem Pindarus aurũ rutilans eſt admiratus, cum diu, tanquam ignis noctu, luceat,& ipſum fugiendũ eſt opinatus: immò ad ſtabiliendam hanc ſententiam accedit Surius, qui narrat Diuum Antonium in Eremo, viſa auri maſſa, ſtatim rapido curſu, quaſi à magno incendio in montem aufugiſſe. Alioquin aurum aſſimilatur Agarico, quod ſupra linguam poſitum prima facie dulcedinem oſtentat, deinceps in guſtu relinquit amarorem, & maiorem illi communicat, cui plus amatur: propterea Nouarinus aliquando canebat.

Diuus Antonius viſo auro fugit

Au-

Aurum cum Myrrha donatum dicitur, Aurum
Donat amatorem maxima amaritie.

Quoniam quando nimio plus diligitur, Deus postponitur, non immeritò igitur Psalmographus pronunciauit. *Simulacra gentium Argentum, & aurum.* Qui aurum amat, Deum non amat, cum Deus aurum abominetur; & quamuis olim Sacerdos, vt habetur in sacris Biblijs, vestimenta aurea indueretur; nihilominus quando semel in anno Sãctuarium intra velum coram propitiatorio, quo tegebatur arca, ingrediebatur, tunc depositis vestibus aureis, lineas sanctitudinis nomine decoratus induebat. Quocirca Christus apud Mattheum diuulgabat hæc verba. *Nolite possidere aurum, neq; argentum in Zonis vestris.* Et Diuus Chrysostomus assignat causam, quoniã homines auri amore allecti quandoq; in belluas, & Dæmones transmutantur: præterquamquod idem Auctor alibi protulit hæc verba. *Si rapit animum auri fulgor, sciendum est, & terram, & cinerem fuisse prius, & modò esse.* Debemus igitur nonnullos Scythiæ populos imitari, qui putantes nonnisi grauem se accepturos esse ab auro calamitatem, illius vsum damnarunt, vt se ab auaritia publica vindicarent. Pariter Solinus memorat Babytace oppidum Persidis, cuius Incolæ aurum ita odio habent, vt illud inuentum in intimos terræ specus proijciant, ne eius vsu polluti auaritia æquitatem corrumpant. Quamobrem non iniuria hæ gentes populo inchoantis Ecclesiæ erunt assimilandi, qui graue exitium ab auro dimanans contemplatus, paupertatem elegit. Illi igitur, qui loco crucis auro onusti Christum sequi credunt à Diuo Hieronymo irridentur, quoniam Christus non dixit, qui vult venire post me tollat aurum, sed dixit tollat crucem suam, & sequatur me. Discamus ab Ethnicis aurum aspernari. Crates Thebanus aurum in mare demersit, ne ab illo demergeretur, Aristippus in locis desertis auro se exonerauit, Plato suis legibus aurum tanquam materiam inuidiosam à ciuitate exegit; cum animos mortalium ad sacrilegia perpetranda incitare posset. Præterquamquòd aurum exitio fuit Sicheo, & Amphiarao, & pænæ Cræsso, & Midæ. Vnde multi religiosi aurum tangere nisi in sacris noluerunt.

Psal. 113.
Leuit. cap. 16.
Cap. 10.
Homil. 39. in Epist. ad Corinth.
Primo ad Timoth. 6.
Homil. 17.
Cap. 56.
Epist. 1. ad Heliod.

MIRACVLA.

MVLTA de auro supra vim naturæ ab Omnipotenti Deo patrata hoc in loco recensere deberemus; nihilominus breuitati studentes nonnulla saltem in figniora tãgemus. Gregorius Turonensis magnopere demiratur Bonifacium Episcopum Florentinum verum paupertatis cultorem: hic cum nepotis sui aurum pauperibus erogasset, ille sæpius Episcopum obiurgabat, se inscio, aurum fuisse consumptum: tandem Episcopus tædio nepotis affectus ad Basilicam Beatæ Mariæ semper Virginis profectus veste extensa, orauit, vt è cælo tantùm auri descenderet, quo furentis nepotis insaniam mitigaret. Mox delapsi sunt in vestimenta tot aurei nummi, quot nepos sibi ablatos esse conquerebatur. Tyberius quoq; Secundus Imperator Christiana pietate imbutus, tantam auri copiam pauperibus distribuebat, vt ab Augusta identidem corriperetur. Verùm contigit, referente Paulo Diacono, vt Imperator per palatinam spacians aulam, crucem marmoream malè locatam obseruaret, quam in locum honestiorem deferendam iussit, sed operarij, illa ablata, secundam, & post secundam tertiam inuenerunt, & tunc reclusus est locus, in quo tãtum auri occultabatur, vt supra mille centenaria æstimaretur; Diuo Benedicto aurum maximoperè aspernanti accidit, vt à quodam homine ære alieno grauato rogaretur, vt illi in tanta calamitate suppetias ferret; tunc Sanctus iussit tantũ auri è cælo delabi, quantum ad satisfaciendum rogantis creditoribus sufficeret. Ex Metaphraste quid simile patratum à Diuo Ioanne Auctores referunt, dum quidam ære alieno grauatus Sancti auxilium imploraret; tunc Sanctus, vt illi optitularetur, iussit stipulam in proximo loco iacentem apprehẽdi; & facto crucis signo, illam in purum aurum commutauit, quo debitor ob onere alieni æris subleuaretur. Episcopus Tuscus Donatus misertus hominis, qui in iudicium ducebatur, vt aurum conditum reuelaret; cum tamen locus thesauri illi esset ignotus (erat enim sepulta, quæ aurum condiderat) petijt Euphrosinæ tumulum, nam tale erat defunctæ nomen, & Christi nomine prius inuocato,

Li. 1. cap. 9
Aurũ miraculosũ.
Stipula in aurum.

adiurat cadauer, vt auri occultati locum indicaret, quod reſpondit aurum ſub domus aditu latibulari. Similiter Spiredon Epiſcopus Cyprius filiæ iam mortuæ adiẽs ſepulcrum, ipſam de auro abſcondito interrogauit, quæ ſurgens locum auri reconditi manifeſtauit. Nullus enim eſt theſaurus, quem Deo famulantes non ſint penetraturi; cum tamen aurum maximè odio habuerit. E

HISTORICA.

PETRVS Martyr quandã arborem auri venas habẽtem in Hiſpaniola inuẽtam fuiſſe ſcribit, quæ à radice per apertas, & molles ſcatebras, ramos ad ſuperiorem montis partem diffundebat, donec cæli auram aſſequeretur. Hæc videtur ſimilis illi hiſtoriæ, quam narrat Alexander Neapolitanus, nimirum in citeriori Germania intrà Danubium vites creuiſſe, quæ capreolos cum folijs aureis producebant, quæ poſtmodum Regibus, & ſummis Principibus donabantur, & cauſam affignat aurifodinis, quibus inhærentes vitium radices, mirabili naturæ inſtituto, aut ſyderum decreto, vim auream trahentes germinibus communicabant. Hanc poſtea hiſtoriam doctiſſimus poeta Virgilius fabulis inuoluiſſe videtur, dum virgultum aureum in Cumano luco creuiſſe finxit, niſi fortè alludere voluiſſet ad venas auri, & aliorum metallorum, quę per terræ viſcera diſſeminatæ diuaricatos arborum ramos æmulari videntur. Præterea non poſſumus non demirari hiſtoriam à Cardano recitatam, nempè in cacumine arcis Marochi tria eſſe aurea poma pondere librarum quinquaginta ſupra mille, & trecentas, quæ multi Principes neceſſitate compulſi dum auferre tentarent, aduerſis ſemper caſibus impediti fuerunt. Item ex Geographia Arabica verſa à Ludouico Rugerio, in parte ſecunda primi climatis, eſt gens occidentis, quæ pro comperto habet, quòd in Palatio Regis Ganal ad ripam Nili, eſt lapis aureus triginta libras pendens, quem Deus Omnipotẽs ſine fuſione, ſine malleo, & alia ope artificis creauit. Ideoque Rex inter alios Æthiopiæ Reges hoc lapide ſummopere gloriatur. F G

Li. 4. Geo.

Lib. 18. de ſubtil.

Lapis aureus triginta librarum.

Romæ antiquitùs fuit ſtatua cuprea hac inſcriptione notata KALENDIS MAII ORIENTE SOLE MIHI CAPVT ERIT AVREVM. Sed poſt multos diſcurſus, & ſpeculationes, tandem quidam acri ingenio præditus prima die Maij obſeruauit locum, quem vmbra capitis ſtatuæ in ortu ſolis petebat, & aperta terra, theſaurum inuenit. Pariter Gulielmus narrat olim Romę in campo Martio æneam fuiſſe ſtatuam digitum protendentem cum hac inſcriptione. HIC PERCVTE. Idcircò Plebecula in dies ſtatuam percutiebat, quia intus aurum deliteſcere credebat, ſed tandem nonnulli in meridie obſeruarunt locum, ad quem digiti vmbra dirigebatur, & facta ſcrobe, auri copiam inuenerunt. Non deeſſent hiſtoriæ de auro recitandæ, ſed vnam, aut alteram addemus, & poſtea huic rubricæ finem imponemus. Aquilius Dux Romanus à Mitridate captus fuit, & quia in illam Prouinciam ſola auri cupiditate ſe contuliſſe cognouerat, in os illius fuſum aurum infundi iuſſit, vt auri auiditas expleretur; quod non eſſet expertus, ſi abſque auaritiæ crimine fuiſſet inuentus. Auro vendidit Romanum Imperium Co. Curio, & Rex Iugurtha auro vendibile prædixit. Denique Cerebaroris populis aurum, ob puritatem, & alias prærogatiuas huius metalli, numen quoddam eſt creditum; ideoque nonniſi expiati illud quærunt; immò à congreſſu, potu, cibo, & omni oblectamento abſtinent, vt religiosè illud legant. H

Auri auiditas quid præſtet.

Aurum numẽ creditum.

SOMNIA.

QVANDO oculis alicuius obrepſerit ſomnus, & aurum conſpicari ſibi viſus ſit, ex mente Cardani, metum propter auri pretium expectare debet, nec non inſidias, & difficultates propter metalli pondus. His addit ineſſe mæſtitiam, & honorem, quæ omnia ab auro per quietem viſo ſignificari poſſunt. Immò per ſomnum auri fabrum eſſe, inde Cardanus maleficium arguendum

Libr. 1. ſomn.

dum esse monet, cum hic artifex venena pertractet, dum in auro purificando argẽtum viuum sublimatum adhibent; deinde ex implicationibus torquium, & monilium aureorum ob præstantiam metalli præsagienda est tractatio negotiorum, quæ ad viros natalium claritudine conspicuos attineat. Sed res huius generis contemplari, nil aliud est, nisi totum tempus in illiteratis fabulis terere. Habemus quidem pro comperto ab inuentione annuli aurei per quietem, pontificiam dignitatem præsagiri, cum Petrus de Natalibus verba faciens de Diuo Lanfranco Confessore sic scripserit. Huic eum nuntiatum fuisset, quòd Anselmus monachus eius discipulus in lecto per quietem annulum aureum reperisset, Episcopum omni ex parte integerrimum cum futurum prædixit, & euentus præsagio respondit, cum non multò post in exercendis pastoralibus munijs, animarum salutem, & gregis institutionem diligentissimè obseruauerit. *Li. 6. ca. 4.*

SIMVLACRA.

STATVAM Apollinis sceptro aureo, iuxtà sententiam Homeri, Antiquitas exornabat, quoniam hoc pretiosum metallum Apollini, nempè Soli sacratum esse credebat. Ouidius quoq; ratione dominij, aurum conuenire Soli existimãs, eius currum cum temone, & axe aureo descripsit. Nisi velimus asserere ope Solis cũcta arua rerum quarumcumq; fertilia reddi, quamobrem nonnulli aurum pro indicio vbertatis assignabant, & Pindarus, ad denotandam Rhodi fertilitatem, ibi auro pluisse finxit. Pariter Ripa, in delineandis multis simulacris, auro vsus est. Etenim statuã Herculis cum tribus pomis aureis, ad demonstrandam virtutem heroicam, figurauit; nam tribus illis pomis aureis, tres virtutes heroicę, nimirum moderatio, iræ, temperantia auaritiæ, & contemptus diuitiarum ostenduntur. Item, in repræsentanda Ratione, exhibet iuuenem auro coronatam; nam veluti aurum inter metalla est singulare, ita eiusdem conditionis est Ratio inter potentias animæ, quæ suam sedem in eminentiori corporis parte collocauit. Immò, ad exprimendum Academię Simulacrum, vtitur etiam icone mulieris auro coronatæ; quandoquidem aurum in hoc simulacro significat opus ab Academico euulgandum, diligenter prius in mente ponderandum, & perficiendum esse, quemadmodum aurum prius informare purificatur, & perficitur, antequam in aspectum publicum producatur. Apud eundem Auctorem icon Iustitiæ auro coronatur, & vestitur, cum Iustitia instar auri pura, & incorruptibilis esse debeat. Icon verò submissi animi est figura mulieris coronam auram dextro pede calcantis, sic enim rerum pretiosarum contemptio demonstratur. Pro Generositate, mulier auro coronata pingitur: Siquidem veluti aurum purũ nobile, & refulgens est, ita vir generosus his conditionibus gaudere debet, cum scripserit Philosophus illud esse generosum, quod à natura sua non degenerat. Item, ad patefaciendam Magnanimitatem, auctore Ripa, mulier vestibus aureis induta, & corona aurea imperiali redimita describitur: etenim aurum, ad pariendos nobiles, & potentes animi liberalis, & magnanimi effectus, materia idonea esse dicitur: cum aurum olim nobilitatis, & potentiæ Insigne fuerit, quoniam Phænices, pro indicio potentię, suorum Deorum Sacculos auro plenos ferentium simulacra exhibebant. Similiter Antiquitas aurum tanquam stemma nobilitatis reputabat, dum aurea monilia collo puerorum nobilium, & diuitum suspendebat, vt ab alijs discriminarentur. Pariter huc respicientes forsan Hæbrei diuites, suas primitias in canistris auro velatis offerebant, cum cæteri canistris simplicibus vterentur. *L. 1. Iliad.* *Lib. 3. Metam.* *Virtutes heroicæ quæ.* *Icon Iustitiæ quale.* *Lib. 2. Rhetor.* *Aurum nobilitatis signum.*

Insuper pro simulacro delectationis, Ripa monstrat iuuenem torque aurea decoratum, propter immensum oblectamentum, quod, viso auro cuncti homines percipiunt. Pariter ad simulacrum Lætitiæ fingendum, delineat mulierem cum patera aurea in manu; nam sicuti aurum, ad Medicorum mentem, spiritus vitales roborare dicitur, eodem modo aurum lætitiam producere valebit. Ad demonstrandum exercitiũ, figurauit Iuuenem manu dextra circulum aureum tenentem; quoniam similis circulus ratione figuræ, & ratione materiæ, argumentũ perfectionis esse potest: circulus enim est figura perfectissima principio, & fine carens, cum præterea aurum inter cætera me- *Circulus aureus q d denotet.*

metalla ſummam perfectionem aſſequatur. Poſtremò, in manifeſtanda Auaritia, E
monſtrat iconem mulieris aurea, & longa catena cinctæ, cuius maior pars per terrã
trahitur: ita enim nobis inſinuat hominem lucris, & opibus inhiantem, auro abuti, &
hoc non aliunde pendere putamus, niſi quia

Feruet auaritia, miſeraq; cupidine pectus.

VSVS IN CIBIS.

MVLTI non eſſe negandum arbitrantur aurum cum cibarijs non permiſceri, quandoquidem in inſtructa epularum magnificentia, multa edulia, & bellaria auro velata collocantur. Animaduertendum tamen eſt, quod aurum etiamſi cum cibis ſit permixtum, tamen propter materiæ ſoliditatem, & caloris humani imbecillitatem nutrire minimè poteſt. Id autem exemplo itinerantiu m liquidò conſtare opinamur, qui ob timorem prædonum aliquando nummos aureos F
complicatos more catapotiorum ingurgitarunt, nihilominus illos ex fæcibus ponderè minimè diminutos collegerunt. Similiter in obſidione Hieroſolymitana, multi aurum in ventrem dimiſerunt, nec tamen inde nutriti ſunt; quoniam, teſte Ioſepho Hæbreo, ab Arabibus, & Aſſyrijs, vna nocte, duo millia Iudæorum cadauera aperta sũt, & aurei nummi in eorum ventriculis tanquam in arca intacti ſeruabantur. Ex altera parte aliqua animalia auro nutriri poſſe multi pronunciant; quoniam Accolæ Benaci lacus ſibi perſuadent illos piſces, quos Carpiones vocant, è puro auro alimentum ſumere. Pariter Accolæ lacus Paladron in Sabaudia piſces ibi auro ſuſtentari arbitrantur. Immò Laudenſes referunt in Mediolanenſe territorio piſcem *Temula* nuncupatum auri paſtu pinguefieri. Denique in foro piſcatorio Lugduni piſces venales ſæpè exponuntur, quos non alium cibum, niſi aurum guſtare aſſeuerant. Hoc autem à veritate alienum eſſe exiſtimamus; primò, quoniam Bellonius vir eruditus, & rerum naturalium diligentiſſimus obſeruator, facta horum piſcium anatome, alijs cibis, prẹter aurum, veſci conſpicatus eſt; ſecundò propter rationes in primo capite G
huius libri allatas, quibus nullum animal metallis nutriri poſſe demonſtrauimus.

Aurum a colore nati uo non ſuperatur.

VSVS IN MEDICINA.

Li. 33. nat. hiſt. cap. 4. Lib. 1. Baſil. Chym.

PLINIVS inter alios Auctores aurum putat dignis celebrandum encomijs, quoniam in medicina plurimis viribus polleat. Pariter Ioãnes Daniel Mylius prẹrogatiuas auri omni laude cumulatiſſimas cõtemplatus in compoſitiones præſtantiſſimorum medicamentorum aurum meritò ingredi iudicauit; & præcipuè cum affectus cordis facilè tollat; namq; ſua frigiditate prauas exhalationes à corde arcet, & ſiccitate earum putredini reſiſtit: quapropter Principes aurea pocula tanquam in his affectionibus præſtantiſſima procurant. Hodie igitur Medici ex laminis, folijs, virgis, & puluere auri non modicam pro auxilijs deſumunt frugem. Plinius in primis laminam auream infantibus ſuſpendit, ne maleficia illis noceant: hæc lamina in ore H
detenta anhelitus graucolentiam tollit, & oris gratiam conciliat; coquitur etiam cum edulijs ægrotantium, vt putredinem arceat. Item laminæ auri candefactæ in vino pluries extinguuntur, vt ſplenetici, & obſtructi illud bibentes prorſus liberentur; immò hoc vinum, vagante peſtilentia, tãquam optimum Leuinus Lemnius commendat; illud etiam cum modico tartari permixtum ad mendas faciei emendandas ſummoperè probat. Langius auream laminam febricitantium linguæ imponit, vt cruciatus ſitis mitigetur. Eamdem Laminam Mizaldus renibus applicat, vt dolores nephritici ſedentur. Eadem ex Arnaldo Villanouano ſupra cerebrum geſtata illud roborat, & regioni cordis appoſita lẹtitiam auget. Alexius Pedemontanus lamina auri candente pilos diligenter perurit, ne impoſterum renaſcantur.

Lamina aurea pro Infãtibus.

Lamina aurea pro febricitãtibus.

Præterea aurum cum ſit metallum perfectiſſimum in tenuiſſimas extenditur bracteas, quas Vulgus folia auri appellat: etenim hæc folia cum cæteris mixta medicamentis faciliùs ad partes humani corporis ſe ſe inſinuare valent, hac de cauſa hæc ingre-

grediuntur Electuarium de gẽmis, Confectionem lætificantem Galeni (nisi perperam Galeno adscribatur) Auream alexandrinam Nicolai Myrepsici, Confectionem Alchermes, Diamargaritõnem, & multa alia præsidia cardiaca, quæ breuitatis studio, omittuntur. Præterquamquòd medicamenta, quæ in bolo à Medicis præscribuntur, vt plurimum folijs auri inuoluuntur. Insuper succus limonum, in quo per spatium dici naturalis infusa fuerint folia puri auri cum modico vini albi, & pulueris Angelicæ, ex Mizaldo, pestilenti morbo medetur. Deniquè folia auri imposita vlceri carnem sine morsu exedere dicuntur; idcircò ab auro fistulas, & hæmorrhoides sanari multi Auctores perhibent.

Cauterium virga auri candente inustum laudant Chirurgi, vel quia saniem non producat, vel quia velocius sanetur: sed satius est asserere meliorem esse ab auro inustionem ob metallicam siccitatem, vel quia aurum cum sit perfectissimum, & nihil ab igne patiatur, contumacem escharam non producat.

Scobs auri in medicina.

Ampliùs scobs auri in medicina ad multas affectiones conducit: primò, iuxta mentẽ Dioscoridis, medetur illi; qui ab argento viuo vel intrinsecus sumpto, vel extrinsecus applicato læsus fuerit: præcipit enim Dioscorides deuorandam esse auri limaturam, quia totum hydrargyrum illi adhærescens per secessum educitur. Renodeus ad tollendos puellarum fædos colores, loco calybis, auri limatura vtitur, & vnà cum alijs ad id idoneis medicamentis electuarium componit. Pariter Matthiolus in commentarijs ad Dioscoridem, pro roboranda oculorum acie, scobem auri extollit, dummodo porphyritico lapide ita læuigetur, donec tactum ferè effugiat, & hoc auri pollen oculis immittit. Hinc fortè mulieres clinicæ edoctæ oculos infantium variolis laborantium, auro admoto, sæpè fouent, vt roborati variolarũ noxam minimè sentiant. Item auri puluis alopecias sanat, dum excrementa sub cute latentia, vi metalli pedetentim exsiccantur. Hic puluis in electuarijs mixtus elephantiasim arcet, nec non scabiei, & lepræ plurimum prodest: hac de re Osiander Theologus auream catenam collo gestauit, ne lepra vexaretur. Sunt etiam, qui ex puluere auri exhibito melancholicos vtilitatem immensam esse percepturos opinantur, qui postea à Brasauolo in suo simplicium examine irridentur, dum inquit; satiùs esse illos peluibus auro plenis exhilarare. Demùm ex auri scobe, vt aliqui attestantur, vnguentum parabatur, quod Magorum suasu, gratiam illis comparabat, qui Eliochryso herba coronabantur: sed nos hodie non auri inunctione, sed largitione gratiam conciliandam esse affirmamus; præterquamquod putamus huiusmodi vnguentum esse potius aptum ad auferendas noxas ab argento viuo humano corpori inflictas.

Lib. 2. de mat. med.

Li. 5. c. 50.

Lepræ remedium.

Chymiatri quoq; suis auri præparationibus incredibilem medicinæ vtilitatem se allaturos esse existimant. Parant igitur aurum potabile, & ex auro calcem, crocum, sal, sulphur, tincturam, oleum, vitriolum, florem, & deniq; aurum vitę extrahunt, quas prępparationes apud Libauium, & alios Halchemię professores vnusquisq; legere poterit. Insuper ad vsus medicos aurum etiam volatile per fumum Saturni, vel ope hydrargyri cõficiunt. Tinctura auri vocatur à Chymicis essentia Solis per vini spiritum extracta. Aurum potabile appellant, cum id vnà cum alijs spiritibus, & liquoribus in potionem resoluitur, propterea ad hoc peragendum opus, parant oleum vitrioli solutiuum auri. Oleum auri est cum ex sola auri substantia per se fit oleum purum. Extollunt postea hæc medicaminum genera ad elephantiasim ad Phagedenica, & canceros vlcera, ad lepram, ad cor roborandum, ad vitales recreandos spiritus, & deniq; ad omnis gẽneris ægritudines exterminandas, immò & ad iuuentutem renouandam; nihilominus isti Authores Chymici omnes perierunt, cum tamen vnam iuuentutem vix transigerint.

Aurum potabile.

Aurum volatile.

Oleũ auri.

VSVS

VSVS IN TEMPLIS, & Sacrificijs.

PRISCIS temporibus aurum ad varia opera non fuit in vſu; immò rariſſimus in Græcia fuit auri vſus, cum ſolis in templis aurũ conſpici ſolitum eſſet: quapropter tanta huius metalli facti raritas fuit apud Philippum Regem, vt magnum reputaret, ſi aurea phiala, & etiam parua potiretur. In templis poſtea Ethnici multa ex auro fabricata, & potiſſimùm ſtatuas collocarunt. Gorgias Leontinus Delphis in templo primus ſtatuam ex auro ſolido ſibi locauit. Aeſculapij ſtatuæ ex auro cum barba aurea meminit Cartarius in libro de ſimulacris Deorum. Corinthi erat ſtatua Iouis Olympici aurea à Cypſelo Tyranno poſita. Clemens etiam Alexãdrinus ſcribit de ſtatua Iouis aurea quindecim cubitorum, & aureo amictu tecta. Huius meminit D. Ambroſius, dum ait. *Namq; is cum veniſſet in templum, Iouis amictum aureum, quo tegebatur ſimulacrum, detrahi iuſſit, dicens aureum hyeme frigidum, æſtate oneroſum eſſe.* Denique multa alia ex auro ſimulacra in templis ethnicorum conſpiciebantur: quamobrem legimus apud Simeonem Metaphraſtem, quòd aurum ex confractis Idolis collectum pauperibus diſtribuebatur. Haomanes quoque gentis Scenitarum Tribunus, teſte Euagrio, ſtatim atq; Baptiſmi Sacramento fuit renatus ſtatuam Veneris auream liquefieri, & pauperibus erogari iuſſit. Præter ſtatuas, in templis Ethnicorum nonnulla etiam aurea obſeruabantur. Refert Plinius olim Raphanum adeò cæteris cibis fuiſſe prælatum, vt Raphanus ex auro in templo Apollinis Delphici dicaretur, vbi & Tripodes aureæ ſeruabantur. Item Thebis in templo Iſmeni Apollinis erat clypeus aureus, cuſpis aurea, nec nõ haſtile cum cuſpidibus aureis. Columnæ aureæ in Aegyptio Herculis templo erant, & Lychnus aureus Athenis in arce Mineruæ, quem Callimachus fabre fecit. De Sacrificijs habemus, quòd Incolæ Tuniæ regionis Solem, & Lunam venerantur, illiſq; terram offerunt, manibus prius nonnulla voluentes ſuffumigia ex herbis parata, quibus aurum admiſcent. Lignum quoq; viſcum quercinum à Piſcis in tãto honore, & pretio fuit habitũ, vt, in illo colligendo, aurum adhiberetur: quandoquidem à Sacerdote veſtimentis albis induto falce aurea præcidebatur, & ſago albo recipiebatur.

Statua ex auro ſolido

Lib. 2. de Virg.

Li. 6. c. 21.

Li. 19. nat. Hiſt. ca. 5.

Raphanus aureus.

Ligni viſci quercini colligendi mos.

Apud Hæbreos templum Salomonis auro erat micantiſſimum, & præcipuè cum illa trabs aurea tanti ponderis illud redderet illuſtriſſimum. Craſſus tamen, referente Ioſepho, aduerſus Parthos militiam ducens, Iudeã peruenit, & omnia exercitu perſcrutatus, res aureas templi, quas Pompeius non tetigerat, abſtulit, & potiſſimùm trabem illam auream verſatilem ponderis trecentarum minarum, quod pondus hoc ſeculo ad ſeptuaginta quinq; aureorum millia extenderetur. Deinde a ſumma templo altitudine ad pauimentum vſq; parietes laminis aureis erant obtecti. At locus ille, qui Sancta Sanctorum dicebatur, vt habetur in Sacris Paginis, ſexcenta auri talenta in laminis, & clauis aureis habebat. Pariter, eodem Ioſepho teſte, templum Herodianum templo Salomonis fuit magnificentius; namq; partem interiorem immenſa auri copia exornabat, & exteriorem faciem aureę laminæ ita coruſcantes decorabunt, vt intuentium oculos hebetarent, & templi portam munibant columnæ argenteę cum capitulis aureis vite aurea circumdante, cum racemis ſtaturam humanam ęquantibus pondo mille talentorum aureorum. Pręterea narrat R. Beniamin, in ſuo Itinerario, Pſalmorum verſus in columnis Synagogæ litteris aureis fuiſſe exaratos. Inſuper in pontificali Aronis ornamento Superhumerale erat aureum, & ex Fimbria tunicę talaris aurea tintinnabula pendebant: quandoquidem in diuinis Sacrificijs vſus auri commendabatur, vt habemus in Apocalypſi, vbi candelabra aurea, Angeli zonis aureis cincti, & viginti illi Seniores phialas aureas odoramentis plenas geſtantes recenſentur.

Lib. 12. de Ant. Iud. cap. 13.

Lib. 1. Paral. p. c. 3.

Loco cit.

Templorũ ornamẽta antiqua. In Exod. cap. 18.

Cap. 5. & cap. 15.

Reſpublica quoq; Chriſtiana auro ſua templa venuſtat, dum altaria ex ſolido auro conſtruit, qualia Romę, & Conſtantinopoli viſa fuerunt. Franciſcus Aluarez publicat altare ex auro ſolidum in Regno Goane Ditione Pretoianis ab Helena Aethiopię

Altaria ex auro ſolido.

piæ regina fuisse erectum. Tabula aurea pedibus duobus longior, vno altior, & digito crassior Luneburgi in templo Diui Michaelis Archangeli conspicitur: quamobrem iusta de causa poterit hoc carmen recitari.

Templa micant auro, radiatq; altaribus aurum.

Referunt etiam Historici fuisse in templo Moguntino crucem ex solido conflatam auro ponderis mille, & ducentarum marcharum, cum hoc versu subscripto.

Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras.

Immò malleus campanarum aliquando fuit aureus, vt recitat Anastasius in Leone quarto, dum inquit. *Fecit etiam ibi campanile, & posuit campanam cum malleo aureo.* Tanta erat pietas apud Christianæ fidei cultores in custodiendis Euangeliorũ libris, vt illos auro, & gemmis decorarent. Namq; ex Gregorio Turonensi Childebertus Rex in Thesauro suo habuit viginti Euangeliorum exemplaria puro auro, & gẽmis ornata. Clericos etiam zonis aureis olim fuisse vsos constat apud Metaphrastem in Vita Sancti Tarasij Archiepiscopi, quoniam vir Sanctus imperauit illis, qui erant relati in numerum Clericorum, vt zonis aureis depositis, cingulis ex pilis caprarum contextis vterentur. Demum apud Christi cultores, aurei calices maximi pretij in templis seruantur, quos Sacerdotes in immolanda Deo cælesti hostia adhibent. Baronius memorat calicem aureum ponderis librarum triginta, cum patena librarum viginti octo, iussu Gregorij Vndecimi fabrefactum. Calix etiam aureus maximus, & celeberrimus est Marseburgi donum Henrici Imperatoris. Hac etiam ætate in quotidiano Missæ Sacrificio calicibus aureis, & argenteis vtuntur, quemadmodum in Concilio Remensi statutum fuit. Ideòq; interrogatus aliquando Bonifacius Episcopus, & Martyr, num liceret Sacerdotibus, in diuina Re facienda, calicibus ligneis vti, respondit, vt habetur in Concilio Triburensi, aureos quondam Sacerdotes calicibus ligneis fuisse vsos, sed hodie Sacerdotes lignei calicibus aureis vtuntur.

Malleus campanarũ aureus

Lib. 3. hist. Frãc. c. 10.

In Annal. Eccl. anni Christi 731.

Calices aurei. Cap. 6. Canon. 18.

VSVS IN MONETIS.

SVNT duo metalla aurum, & argentum, quæ pro monetis cudendis fuerunt vsurpata, quoniã, teste Alberto, specifica virtute adiuuandæ hominis temperaturæ potiuntur; dum visum, & facultatem vitalem mirandum in modum roborant. Præterquamquod hæc metalla cęteris nobilitate, & præstantia antecellunt, & per diuturnos annos durant. Refert tamen Ortelius non in omni Regione monetas ex auro conflari, quoniam in toto Pretoianis regno aurum purum, & minimè signatũ pro moneta penditur. Cætera quæ ad monetas ex auro fabricatas attinent in primo capite huius libri legenda sunt.

Aurũ vbi non cudatur.

VSVS IN PICTVRA.

EX auro Pictores non vulgarem percipiunt vtilitatem; primò quia, deficiente Cæruleo transmarino, laminas aureas supra ollam aceto plenam suspendunt, nam tunc aurum cyaneum colorẽ amœnissimum spargit, quod prædicto libentissimè præferunt: huius meminit Augurellus his versibus.

Aurea cyaneo conspirans arma colori,
Cum floret miræ in morem rubiginis aurum
Suspensum supra os ollæ caudentis aceti.

Li. 3. Crysop.

Deinde vtuntur etiam auro soluto, dum limaturam auri triduo mergunt in succo à foliis Iuniperi expresso; etenim, hoc temporis spatio, aurum instar aquæ soluitur, quæ in substantia aurum æmulatur. Hac mistura Pictores ad figuras, & litteras aureas delineandas adhibere possunt. Antiquitùs etiam litteræ aureæ erant in vsu, quia diuina Lex litteris aureis erat notata, vt Aristæus docet in Historia de Sptuaginta Interpretibus, dum inquit. *Hi postquam cum muneribus, & pellibus, in quibus diuina Lex aureis litteris hebraico sermone conscripta erat.* Alexius Pedemontanus in pingendo, & scribendo, aurum hoc modo concinnat. Folia auri guttis mellis terendo permiscet, & mi-

Litteræ aureæ quo modo scribantur.

miſturam in oſſeo vaſculo ſeruat, eiq; oblata pingendi, vel ſcribendi occaſione, E
aquam gummatam addit. Deniq; libros auro obducunt, dum ſumitur portio boli, &
ſacchari candidi modicum, quæ cum albumine oui miſcentur; deinde liber ſub præ-
lo aqua ouorum linitur, qua exſiccata, prædicta miſtura obducitur, hac item ſiccata,
diligenter fricatur, aqua communi humectatur, & folia auri ſuperpoſita dente le-
uigantur.

VSVS IN VESTIBVS.

Lib.8.nat. Hiſt.ca.48

NON eſt in dubium reuocandum Priſcos veſtium luxui indulſiſſe; quoniam, auctore Plinio, aurum in tenuiſſima fila ducebant, quod ſtamini circundatum, vel etiam ſine ſtamine texebant, & ex hac tela veſtes ſuebant, quas attalicas Latini, & Itali *veſte di brocato d'oro*, appellitant. Et quamuis aurum hoc cum argento habeat commune, nihilominus aurum ſemper in tenuiores bracteas, & ſubtiliora fila extenditur. Itaq; ad manifeſtandam veſtium ſuperbiam, vnam tantùm hiſtoriam recitabimus. Romæ anno ſalutis quadrageſimo quarto poſt milleſimum, & quingenteſimum, dum fundamẽta Baſilicę Sancti Petri iacerent, effoſa eſt capſa marmorea, in qua Maria vxor Honorij Imperatoris fuit condita; cuius corpus, exceptis dentibus, & nonnullis oſſibus, erat abſumptum; nihilominus veſtis, & pallium, quibus cadauer inuoluebatur, intacta erant, & tanto auro onuſta, vt inde triginta ſex auri libræ extractæ fuerint.

Veſtis attalica quæ

F

VSVS IN OPERIBVS, quæ in officina auraria parantur.

ARTES ſi ratione ſubiecti nobilitatem, & præſtantiam adipiſcuntur, procul- G
dubio aurificina dum verſatur circa aurum nobiliſſimum, & præſtantiſſimum
metallum maximoperè nobilitatur, iuxta hoc diſtichon.

Artem ſi reddunt pretium, res, munera claram,
Ars nulla eſt clari clarior aurificis.

Ex auro igitur fabricantur inaures, quas non tantùm gratia ornamenti Antiquitas auribus ſuſpendebat, verũ etiam tanquam Inſigne nobilitatis, quem morem Apuleius memorauit. Alij aſſeuerant hæc auriũ Inſignia tanquam amulera aduerſus faſcinationes à Priſcis geſtata fuiſſe. Niſi velimus prædictis addere, inauribus aureis, olim amicorum natales dies celebrari, cuius conſuetudinis meminit Plautus his verbis. *Non meminiſti inaurem auream ad te afferri natali die.* Deinde ſecedit aurũ in vſum annulorũ cũ annuli ferrei in ſignũ vinculi à Prometheo inſtituti fuerint, ſed poſtea ſucceſſerunt aurei pro ſymbolo bellicæ virtutis apud Romanos; vel, vt notat Plinius, in gratiam dignitatis, quia aurei annuli publicè dabantur illis, qui ad exteras Nationes Legati erant ituri, quos in publico tantùm ferebant, cum domi ferreis annulis vterentur. Verùm tractu temporis, abolita hac conſuetudine, omnes ferè Romani annulis aureis digitos exornabant, quamobrem narrat Eutropius tres modios annulorum aureorum ab Annibale Carthaginem fuiſſe miſſos, quos è digitis equitum Romanorum, Senatorum, & Militum detraxerat.

Inſigne Nobilitatis Antiquorum quale.

In Epidico.

Li.33.nat. Hiſt.ca.2.

Ann.ferrei.

Lib. 3. de Geſt.Rom.

F

Amplius ex auro varia formantur vaſa, & primum pocula, nam his inter Philoſophos Arceſilas vtebatur. Item crateras ſex aureas miſit Gyges Delphos, quæ triginta talenta pendebant. Immò patinæ, & pelues ex auro in ingenti epularum apparatu ſunt adhibitæ. Legimus apud Sabelicum anno ſalutis nonageſimo poſt ſeptingenteſimum, imperante Carolo Magno, Ducẽ gentis, Ingonem nomine; prouincialibus ſumptuoſum conuiuium præparaſſe, & agreſtibus ad conſpectum ſuum intromiſſis in vaſis aureis, Nobilibus verò, & Dynaſtis procul in fictilibus miniſtrari iuſſiſſe, & de hoc interrogatum reſpondiſſe, non tam mundos eſſe, qui Vrbes, & palatia colunt, quam qui humiles caſas habitant.

Lib.3.

Vaſorum aureorum in menſis vſus.

Præ-

Præter hæc, vrnas ad cineres cadauerum condendas ex auro constructas fuisse constat; nam ossa Traiani Imperatoris in vrna aurea supra columnam cochlidem seruari tradit Eutropius. Pariter in vrna aurea Rex Antigonus ossa Pyrrhi inclusit, & Rex Aegypti filiæ cadauer in Vaccam auream coniecit. Hodie in Pegu, vt recitat Balbus in suo Itinerario, amplissima ex auro vasa formãtur, in quibus Elephantis albis in Regis aula nutritis alimenta præbentur. Tandem ollas aureas ad recipienda alui excrementa habuerunt Heliogabalus, & Bassa, quem postea Martialis illusit. Diuitum quoq; luxus eò deuenit, vt lucernas aureas fabricare sint ausi; id colligimus ex Diuo Ambrosio in Hexamerone, quando inquit. *Sed fortè doles, quòd nullum tibi aureorum lychnorum lumen refulgeat.* Sceptra Regum esse, & fuisse aurea non est in dubium reuocandum: canit enim Ouidius hunc in modum. *Lib. 6. c. 8.*

Aurea cur dextræ sceptra dedere tuæ.

Pariter coronæ, & diademata Regum ex hoc metallo præstantissimo concinantur: etenim corona est simplex circulus aureus, quo Reges in minoribus solemnitatibus caput redimunt. Diadema verò est quasi duplex corona, quia priori circulo aureo alter circulus aureus, & gemmis tectus additur; & quamuis Imperator triplici corona decoretur; vna tantùm est aurea, qua à Summo Pontifice redimitur: quandoquidem ferream ab Archiepiscopo Colonienſi, & argenteam ab Archiepiscopo Mediolanensi recipit. Item Priscorum luxus haudquaquam est occultãdus, cum Homerus scripserit aurum crinibus aliquando fuisse complicatum, nec magna admiratione teneri debemus, quoniam Galienus Imperator aurea scobe capillos aspersit, quem postea nonnulli imitati eodem auri puluiſculo purpuream comam exornarunt vt cęsariem Castoris, & Pollucis æmularentur, quam Lucianus auream illis assignauit. Heliogabalus, qui assiduo luxui seruiebat, limatura & ipse aurea porticum strauit. Verùm Assectatores Antiochi Regis Syriç clauos aureos crepidis subiecerunt. Immò in Antiochi Soteris exercitu tanta fuit auri copia, vt Milites gregarij ex auro caligas sibi compararent. Prædictis addit Tertulianus aureis vinculis, & catenis reos olim fuisse vinctos, vt eò locupletiores, quò nocentiores essent: propterea compedes aureas fabricauit etiam Antiquitas, quibus Darium, Cyrum, Agrippam, & Baiazethem impeditos fuisse comperimus. Quid plura? retibus aureis piscatus est Nero, nauem auream fieri curauit Cleopatra, currum aureum à quatuor Regibus captiuis tractum Sesostris Aegyptius habuit. Aurea lectica Rex Indię vehebatur. Orodes Parthus in lectis aureis cubabat. Midas Rex Phrygiæ sellas aureas possidebat. Immò Antiquitas strigilibus ex auro fabrefactis vtebatur: huius consuetudinis meminit Matthiolus in Commentarijs ad Dioscoridem, quando inquit, quod serui in balneis non solum corpus abluebant, sed etiam strigilibus abluebant, quas alij ex auro, alij ex alia materia sibi comparabant. Olim etiam in Aponi fonte talos aureos visos fuisse Suetonius narrat, quos, temporis tractu, furum auaritia eripuit. Amplius simulacra animalium, & plantarum Antiqui ex auro formarunt, & equos rebus aureis exornarũt: quãdoquidem Aquilam auream in vestibulo templi Hierosolymitani Herodes statuit, pariter Aquilam auream Clearchus Tyrannus sibi prędferri iussit, & Xerses Platano aurea delectatus est. Tandem aurea træna equis aptarunt, quem morem apud Diuum Chrysostomum damnatum esse comperimus. Calcaria etiam aurea fabricata fuisse legimus in Actis Sanctæ Edendrudis Virginis: nam Hęricus Imperator cognomento Pius morbo graui oppressus, cum huius Virginis intercessione, optatæ sanitatis effectum fuisset consecutus, non solum reliquias huius Sanctæ in annulo gestauit, sed etiam duo calcaria aurea tumulo eiusdem obtulit. Deniq; Poppea Neronis soleis ex auro factis pedes quadrupedum nobiliorum induit.

Coronæ aureæ vsus.

Scobis aureæ vsus.

Lib. de habitu mulier. cap. 7.

Rete aureum.

Naues aureæ.

Li. 1. c. 31.

Homil. 21 lib. ad Corinth. c. 9.

Soleæ aureæ equorum.

VSVS IN ARMIS.

CVM diuersa armorum genera, nimirum tam in tutelam, quàm in perniciem fabrefiant, hæc cuiuscumq, generis ex auro Antiquitas sibi comparauit: namque, vt superius recitatum fuit, clypeus, cuspis, & hastile hæc omnia ex auro Thebis in Tẽplo Apollinis Ismeni appensa fuerunt munera, quibus Crœsus Amphiaraum

raum donauit, lorica aurea nonnullos fuiſſe vſos Capitolinus in Maximino iuniore tradidit, vbi etiam hanc fuiſſe Ptolemeorum conſuetudinem pronũciauit: propterea vnum è Ptolomeis aurea lorica indutum in Nilo perijſſe referunt. Perſæ gladios aureos, caſſides, & thoraces habuerunt. Thecas gladiorum fuiſſe aureas prodidit Diuus Ambroſius de Elia, & ieiunio, vbi de militibus verba faciens ſic ait. *Aureis thecis includunt cultros ſuos.* Virgilius quoque armorum ex auro paratorum meminit ſic canens.

Cap. 13.

L. 11. Aeneid.

Aureus ex humeris ſonat arcus, aurea vati
Caſsida.

Præterea in bello multa alia ornamenti grãtia fuerunt ex auro conſtructa, vt fibulæ tribunitiæ ex auro geſtabantur. Similiter multa Inſignia ex auro coruſcabant: Siquidem Perſæ, auctore Cælio Rhodigino, in prima acie Gallum aureum præferebant.

Li. 6. lect. antiq. c. 13

VSVS IN VARIIS.

NARRANT illi, qui in Catoptricis operam conſumunt, ex auro præſtantiſſima ſpecula parari poſſe: nam Miramus in prima parte ſpecularis docet varios modos, quibus ſpecula ex auro conflari poſſint: ſiquidem quam hac in re operam locant, nemo vt credimus, perſoluere poteſt. Præterea ex auro puluis pyrius paratur, quem Chymici, & potiſſimùm Libauius aurum fulminatum nuncupant. Refert enim Kircherus Ieſuita vir eruditus in ſuo opere de facultate magnetica, ex auro puluerem pyriũ hac ratione parari. Aurum in calcem redigitur aqua forti, ſale ammoniaco, & oleo tartari præcipitati. Etenim hæc calx ſtatimatq; ſentit odorem ignis ſpontè ſua in flammam abit, & ſi fuerit aliquo incluſa inſtrumento, ingenti ſtrepitu, & fragore egreditur. Immò exigua portio huius pulueris magno ſonitu, & intẽſa efficacia omnes vires pulueris pyrij vulgaris longè ſuperat. Verùm hic puluis à puluere nitrato alio effectu diſcrepat: ſiquidem vulgaris accenſus ſuperna petit, at ex auro paratus ad inferna deſcendit, & ſi accendatur ſupra laminam non aſcendit, ſed lamina perforata inferiorem locum petit, quem effectum hic vir pereruditus proprijs oculis obſeruaſſe teſtificatur.

Ca. 3. Iſagog.

Aurum fulminatum quid ſit.

DE ARGENTO. Cap. III.

ÆQVIVOCA.

HOC iam abijt in ora vulgi, argentum inter metalla ſecundum perfectionis locum occupare, & auri vires quadantenus æmulari: præterquamquòd circumfertur hæc Halchemyſtarum ſententia, talem gradum apud aurum eſſe argento aſſignandum, qualis Lunæ apud Solem attribuitur, cum autem, reſpiciendo ad ſplendorem, Luna poſt Solem in ſecũda ſede collocetur; aſſimiliter optima de cauſa talis locus argento eſt tribuendus: quamobrem ratio ordinis pro argento hoc caput expoſtulabit. Cunctis prorſus obuium eſſe opinamur, argentum ab æquiuocatione non eſſe alienum; cum interdum abſolutè ſumptum pro metallo, interdum pro argento facto, & aliquando pro argento ſignato vſurpetur. Seneca ſanguinem hominum pecuniam appellauit, & Ariſtophanes apud Stobæum in eodem ſenſu argentum hominum ſanguinem eſſe pronunciauit. Pariter Horatius alloquens Criſpum Salluſtium hiſtoriographum, pro pecunia, argentum abditum in theſauris nihil valere dixit, innuens diuitiarum ſplendorem nullum eſſe, niſi fuerit in honeſto vſu his verſibus.

Lib. 7. de Benaſ. ca. 10.

Lib. 2. Carm. ode 2.

Nul-

Nullus argento color est auaris
Abditus terris, inimice Lamna
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat vsu.

Pariter apud Græcos ἀργύρος significet quidem metallũ, sed æquiuocationem effugere non potest; quandoquidem hoc vocabulum apud Xenophontem nummos ex quocumq; metallo conflatos designat; quemadmodum Galli, nostra ætate, argenti nomine, pecuniam cuiuscumq; generis intelligunt: id etiam ex sacris litteris facilè colligitur, cum apud Isaiam pecunia, argenti voce, indicetur, cum inquit. *Absq; argento redimimini*. Præterea Latini eodem argenti vocabulo, vt habetur apud Ciceronem, argenteam supellectilem significant: immò, & argentum mensarum apparatum, quòd argentum escarium nuncupari deberet, simplici nomine argenti, designarunt, quemadmodum Virgilius his versibus exponit. *Cap. 52.* *Lib. 6. in Ver.*

Ingens argentum mensis, cælataq; in auro
Fortia facta patrum. *Li. 1. Aeneid.*

Tandem Halchemiæ Professores, argenti vocabulo, salem album argentei ferè coloris cognominant; namq; primã metallorum materiam in venis metallicis delitescentem salis quamdam speciem esse asseuerant: propterea, referente Ioanne Bracescho, naturam imitati, metallum in salem albissimum transmutare nituntur, quem postea argentum indigitant. At Ioannes Garlandus argentum populi apud Chymistas salem amarum interprætatur. Deniq; Argentum est castellum, quod Pado flumini imminet. *In li. de ligno Vitæ.*

SYNONIMA, ET ETYMVM.

NON in eorum serie argentum collocandum esse putamus, quæ nominum multitudine redundant; immo neq; adea spectat vocabula, quæ à remotis vocibus etymologiam desumptum: quandoquidem Latinorum nonnulli argentum dixerunt, quasi ardens gentem, cum illius desiderio gẽtes ferè omnes conflagrare ferantur. Nihilominus satiùs esse opinamur ab emporio Græcorum huius vocis etymum nobis esse comparandum: etenim illis argentum ἄργυρος, & ἀργύριον dicitur, quam vocem Etymologus deriuat ἀπὸ τῦ ἀργὸς cum argentum candorem excellentissimum præseferat, & ἀργὸς candidus exponitur Chymici argentum vocant Lunam. Hebreis dicitur Chesseph. Gallis Argent. Italis. Argento. Germanis Sylber. Hispanis la Plata.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

MATERIAM argenti ex substantia sulphuris, & argenti viui dimanare Albertus Magnus, & Mylius pronunciarunt. Brasauolus tamen argentum statuit esse argentum viuum condensatum sulphur virtute comprehendens; cum ex frequẽti pertractatione argenti, odor sulphuris persentiatur. Sed in argento, & auro sulphur diuersa ratione latibulari asseuerat; quandoquidem auro sulphur in actu, & argento sulphur in potentia assignat. Veri autem Philosophi, & diligentes rerum naturalium scrutatores argentum ex substantia magis aquea, quàm ignea prodire affirmant; ideòq; illud in temperatura frigida, & humida constituunt, quicquid alij de temperamento frigido, & sicco argenti dixerint: immò Albertus, & ipse argentum frigidum, & siccum non sine aliqua humiditate contemplatur. *Li. 4. Miner. cap. 5. L. 2. Basil. Chym.* *Temperamentum argenti.*

Quoad alias affectiones, considerandum est argentum tractabile, & sonorum; auribus enim non iniucundum tinnitum communicat, & si purum sit, hominis halitum recipit, & nubem protinus discutit. Cæterùm si comparetur ad aurum, profectò minus perfectum est: quocirca Chymici dicere solent; veluti se habet Luna ad Solem, ità se habet argentum ad aurum, sed Luna est minoris luminis, ita & argentum minoris pretij, & ponderis esse debet. Similiter si meditemur vtriusq; metalli proprietates, maximum inter vtrumq; discrimen inueniemus. Primùm in eruendo a fodinis

argento, non ità purum, vt aurum colligitur, ſed terræ, & ſordibus adeò permixtum, E vt illius purificatio immenſum laborem expoſtulet. Inſuper argentum purificatum malleo quidem dilatatur, ſed minus quàm aurum, cum maiorem duritiam, & craſſitiem nanciſcatur. Deinde auro, & plumbo eſt leuius; ſiquidem liquefactum illis inſtar olei ſupernatat, diuturno igne diminuitur, & in locis humidis abditum corrumpitur; quibus affectionibus aurum minimè vexari in ſuperiori capite manifeſtauimus. Itaque Authores non debent magna admiratione teneri, quando argentum, cum ſit candidiſſimum lineas nigras corporibus imprimat, quod non aliunde, niſi ab impuritate metalli dimanare meritò exiſtimamus. Quare Plinius ſemper præcipuam gratiam, præ cæteris metallis, auro tribuebat, non ratione coloris, quia hunc in argento clariorem, diei magis ſimilem; ideoq; ſignis militaribus magis conuenientem tanquã longius refulgentem commendabat. Tandem argentum à natura hoc habet inſitum, vt à familiaritate ſulphuris, ſtanni, & ferri abhorreat: veluti cuncta animantia, & potiſſimùm Canis, teſte Plinio, odorem ab argentarijs exeuntem mirum in modum abominantur. F

Argentũ ſupernatat auro, & plũbo.

Lib. 33. cap. 3

DIFFERENTIÆ.

Pſeudargyrum.

ARGENTVM ignem non expertum merũ, & omni ex parte verum appellatur, vt diſcriminetur ab illo nato in monte Tmolo, quod Pſeudargyrum Auctores vocitant, ſed poſtea quale ſit non explicant. Dubitandum eſt hoc eſſe illud argẽtum ſterile, quòd Antiquitas theatricum nominabat; cum in laminas extenſum in theatris ſuſpenderetur, & *Extar* Latinis dici Chariſius referebat. Verũ in præſentia de vero argento, & non de falſo verba facimus, de quo multi ambigunt, an venã propriam habeat, vel potius cum cæteris metallis cõmunem mineram participet; cũ plerumq; argẽtum alijs permixtum inueniatur. Non debemus inficiari multa metalla in fodinis permixta reperiri; verumtamen credendum etiam eſt argentum propria vena potiri: quandoquidem omnis materia, quæ in metallum conuertitur, in ſua G ſpecie pura eſſe poteſt. Propterea aliud argẽtum in profundiori terræ gremio venam poſſidet, aliud verò in ſuperficie terræ, quæ vena, ſecundum Plinium, crudaria appellatur. Itaq; diſcrimina argenti in ſua vena conſiderata poſſunt deſumi, vel à materia, cui permiſcetur, vel à colore, vel à figura, vel deniq; à regione, in qua venæ argentariæ reperiuntur.

Vrna crudaria.

Ratione primi, aduertendum eſt in Germania repertos eſſe lapides, qui per totam ſui ſubſtantiam argentum habẽt diſeminatum, interdum inueniuntur, qui venas argenti per materiam lapideam extenſas demonſtrant. Deinde argentariæ etiam venę per viſcera terreni ſparguntur, & ex his collectum metallum purius eſt, quam illud, quod in petris deliteſcit. Demum, vt notat Geſnerus, inuenitur quoq; in quodam Germaniæ loco *Fribergo* nuncupato (quæ vox montem liberũ ſignificat) argentum, quod molle eſt, pauciſq; abundat excrementis.

Hic damus primo loco iconem ſaxi ex agro Picentino, in quo minera argenti, nonniſi ex lapidis contritione apparet. Saxum eſt coloris leucophæi, cuius medium marga lapidea occupat, & portio ſaxi margam ambientis eſt coloris albicantis. In hac eadem tabella lector conſpicabitur ſaxum ex multis ſcrupulis ſimul copulatis à natura conflatum, quod ex eodem loco fuit delatum. Neq; de hoc ingens admiratio aliquos inuadere debet; quandoquidem Cardanus & ipſe argentum rude in cryſtallo genitum obſeruauit: etenim natura tantæ rerum varietati argentum admiſcere voluit, vt in illo extrahendo, & perficiendo, multiiugis curis, atq; vigilijs humanus animus angeretur. Nihilominus monſtramus etiam hic figuram argenti puri natiui, ſed hoc rarò inueniri opinamur: immò in eadem tabella pingitur lapis apprimè æmulans Belzoinum, qui maculis alternis inſtar argẽti reſplendentibus eſt refertus, cum quibuſdam alijs nigricantibus, & aliqua ex parte caſtanei coloris. H

Argentũ purum natiuum rarum.

Sa-

Saxum cum minera Argenti ex Agro Picentino.

1



Saxum ex pluribus calculis à Natura productum ex eodem loco.

3



Argentum purum natiuum.

3

Lapis Belzoino ſimilis.

Sin contemplemur colorem argenti rudis, & mineralis, homo non poteſt imaginari G tantam colorum varietatem, quę in venis argentarijs obſeruatur, cum natura in operibus ſuis ſemper mirabilis appareat. Itaq; Metallarij Germani varia argenti genera quoad colorem ſunt meditati. Primum eſt argentum rubrum cæruleo colore conſperſum, quod aliquando ad colorem iecoris vergit. Secundum eſt plumbi coloris, & quandoq; refert Galenam, in hoc autem ab ipſa diſcrepat, quoniam Galena friabilis eſt, & hoc argenti genus conteri minimè poteſt, immò dētibus compreſſum dilatatur, quod Galenæ haudquaquam cōtingit. Tertium genus eſt nigrum, & in illa nigredine interdum argentum plumbei coloris refulget, quia ſcintillas argenti rubri, & quandoq; candidi repræſentat: hoc autem quo magis illis abundat ſcintillis, tantò maiorem argenti copiam in excoctione reddit.

Quartum genus ad purpureum tendit colorem, & hoc vbertate argenti ſcatet, & copioſum in fodinis montis Turcici iuuenitur: immò aliquando colore lureo, & viridi minera eſt referta, rariores colores in hac argenti vena ſunt iecoris, hæc olim Fribergi, & nunc Mariebergi effoditur.

Quintum genus cinerei eſt coloris, & ſaxum rufo colore eſt aſperſum; minera tamen cinerea maximè ſubdura argenti feracior eſt. Hæc duo poſtrema genera Plinio, & Veteribus tantùm cognita fuiſſe arbitramur; nam Plinius loquens de hac minera, terram aliam eſſe rufam, aliam cineream teſtificatur; cum cæteræ ſpecies ſuperius enarratæ, nullibi apud Priſcos memoratæ inueniantur. *Li. 33. c. 6.*

Hoc in loco repræſentatur figura Argenti rubri rudis, quo flammæ admoto, exhalatio rubicunda euaneſcit, & purum argentum refulget, quod à Ioachino Camerario fuit communicatum Clariſſimo viro Vlyſſi Aldrouando. In eodem tabella apparet icon argenti trichitis, de quo paulò inferius ſermonem habebimus. Pariter hic exhibemus iconem argenti cærulei ab eodem Camerario dono dati, cuius purificatio cōſiſtit in auferenda exhalatione cærulea quam in locis ſubterraneis contraxerat.

Argentum Trichites siue capillare.

Argentum rude rubrum.

Argentum rude cæruleum.

Massæ argenti magnitudine orob

Ratione figuræ, argentum varijs formis præditum in fodinis sæpè inuenitur, nam interdum saxis adnascitur, & oculi figura extuberat; immo quandoque tanquam bractea lapidi adhæret; sæpius vuæ speciem repræsentat: aliquando figuram virgularum, vel aliarum rerum præ se fert. Est etiam repertum grana milij referens in terra aquosa, quod est valdè impurum, & diuturna præparatione indiget. Iosephus Acosta in historia Indiæ narrat se vidisse argẽtum naturale instar pruinæ densatum, & aliud veluti in frusta dissectum, quod figurã tuberum terræ exprimebat, & propterea ab Indis Papas argenti vocatur, quod est rarissimum. Denique flexum, expansum, & instar ramorum arboris diuaricatum, tessellatum, turbinatum, acuminatum, tribus, quatuor, vel pluribus angulis constans argentum à Metallarijs sæpè sępius in fodinis obseruatur.

Figuræ argenti in mineris variæ.

Papas Indorum.

Hic delineatur argentum purum extra pyritem metallorum matricem à natura genitum communicatum à clarissimo viro Ioachimo Camerario rerum naturalium perquisitore diligentissimo. Vocatur hoc argentum trichites, nempè capillare, quoniam instar multorum pilorum simul conglobatorum à natura fuerit procreatum. Figura huius argenti refert formam illius macri succi, qui alumen trichites cognominatur; cum & ipsum ex multis capillamentis integratum esse videatur. Simile argentum aliquoties Gesnerus in lapide plumbario, quasi in cauernis repositum, est conspicatus: quapropter in suo Fossilium libro iconem argenti fruticantis ceu pilos crispos, & cincinnos exprimentis exhibet. Eamdem iconem Studiosis rerum naturalium hoc in loco dare conspiciendam non piguit.

Argentũ trichites.

Argenti Frutex pilos criſpos, & cincinnos referens.

Argentum eſt etiam aliquando ita ſolidum in vena, vt de illa magnæ, & paruæ maſſæ decutiantur: tale repertum eſt in Germania, cuius figura menſam æmulabatur, & Dux Saxoniæ tali maſſa argenti pro menſa ſe vſum fuiſſe gloriatus eſt.

Maſſa argenti inſtar tabulæ in mineris.

In Muſæo Calceolarij viri in rebus naturalibus peritiſſimi multæ argenti mineræ ex varijs regionibus delatæ viſuntur. Prima eſt minera argenti ex valle Ioachimica, eſtq; lapis ſciſſilis ſatis ponderoſus colore ad ſpadiceum vergente, granis argenteis aſperſus. Secunda eſt minera Annebergica, nimirum lapis in colore ſpadiceo ſatis lucidus multũ argenti continens: hanc fortè intellexit Cardanus, quando dixit hanc mineram adeò fœcibus carere, vt in purificatione decimam tantùm ſui ponderis partem amittat. Tertia argenti minera eſt Suecica, quæ in colore nigro aliquam viriditatem monſtrat; immo æs innatum compræhendit. Quarta eſt minera argenti Bohemica æs, & aurum continens, quod ex coloribus facilè manifeſtatur. Quintò obſeruatur argentum foſſile Annebergicum, cuius micæ in terra flaua refulgere viſuntur, quare nonnulli argentum eſſe flauum exiſtimant. Demùm apud Calceolarium conſpiciuntur argenti granula coloris flaueſcentis iuxta adamantem pyramidali forma, in proprijs venis formata, quæ ex pyrite aurei coloris naſcuntur.

Lib. 6. de Metall.

Variarũ Mineraũ ſpecies.

INVENIENDI, ET PRÆPARANDI ratio.

IAM cunctis metallarijs manifeſtarium euaſit argentum in terreno cinereo, & obſcuro generari, ibiq; inueniri, vbi pyrites multi conſpiciuntur: immò veluti pyrites aureo colore aſperſi venas aureas, ita pyrites albicantes minutis maculati granis venas argenteas indicare ſolent: propterea locus, vbi pyrites candidior, rarior, & minutior obſeruabitur, maiorem ſpem venarum argenti præbebit. Inuenta igitur, & aperta argenti vena, foſſores tandiù in eruendo argento proſequuntur, donec aluminis minerã inueniunt; quandoquidem, reperto hoc ſucco concreto macro, venæ argenti finem prædicunt. His igitur intellectis, ad argentum effoſſum purificã-

Mineræ argenti finis.

dum

A dum accedendum est, quod nonnisi cum nigro plumbo', aut cum vena plumbi Galena cognominata excoquitur, quę vt plurimum iuxta plumbi fodinas inuenitur. Interdum metallarij, ex Cadmia bituminosa, virtute ignis, argentum eliciunt, quia paucam illius quantitatem in se contineat. Aliquando Minium, cuius vomica est argentum viuum, à metallarijs in argentum excoqui Plinius testificatur. Verùm quando argentum auro, vel Æri fuerit permixtum, multa pro separatione metalli magisteria adhibentur, quæ Georgius Agricola diligenti examine prosequitur. Præterea nonnulli ex Hydrargyro purum argentum extrahere profitentur, & artificia in hoc opere adhibenda Vuecherius proponit, quæ nam ad rem faciāt, experientia docere potest. Hoc quidē pro comperto habemus, quòd Picus Mirandulanus narrat, uimirum suis temporibus accidisse, vt argentum viuum cum plerisq; alijs rebus pro equi medicina permixtum in purum argentum fuerit transmutatum. *Lib. 10. de re metall.* *Lib. 10. de secretis.*

Posteaquam argentum ingenti laborum difficultate fuerit excoctum, & elaboratū, caret illo albore, qui in argento desideratur; quocirca artifices tartarum cum sale
B communi in aqua miscent ad ignem, in qua argentum nonnihil feruefaciunt, & inde illud extrahunt candidissimum. Insuper sunt nonnulli, qui albitudinem argenti colore flauo inficere nituntur, vt hac coloris prærogatiua aurum æmulari possit. Alij verò laboribus animum, & corpus fatigant, vt argentum in aurum transforment; sed de his operationibus varij modi legendi sunt apud Ioannem Baptistam Portvm, vbi de transmutatione metallica verba facit. Postremò argentum tritariam auro inducitur; primus operandi modus est, quando supra tenuem argenti bracteam alia auri similiter tenuis ponitur, & malleo percutiuntur, donec firmissimè cohæresçant: secunda ratio est, quando supra crassam argenti bracteam denarius aureus collocatur, atq; malleo latissimè extenduntur: tertia ratio est, quando opera ex argento facta ope argenti viui, auro perfunduntur; & hæc de modis elaborandi, & præparandi satis superq; dicta sunt. *Lib. 2. de Auro c. 7* *Li. 5. mag. nat.*

C

LOCVS.

QVI solerti indagine argenti sedes inuestigant, vt inde ad sua commoda illud trahant, possent accedere ad plumbum, ad pyritem, ad quædam marmora, & præcipuè ad lapidem Islebanum, in quibus omnibus aliquādo argentum latibulatur. Verùm satius erit argentum in fodinis rimari, in quibus interdum purum absq; vllo fornacum opificio inuenitur, quod Plinio ignotum fuisse arbitramur, cum scriptis mandauerit argentum non nisi in puteis reperiri, carēs illis scintillis, quæ in auri minera refulgere solent. Nihilominus in Argentanis bracteæ tenuissimæ huius metalli saxa amplectētes, & corruscantes aduersus opinionem Plinij visuntur. Itaq; ad hoc metallum procreandum montes potissimùm idonei esse feruntur: quapropter in Cosmographia vniuersali legimus, quòd mōtes Hispaniam à Gallia diuidentes Pyrinei nuncupati, vel quia igne fulmineo sæpè petantur, vel quia antiquitùs pastores ibi syluas incenderint, vehementia ignis guttas quasi per-
D colati argenti stillarunt: quare Phœnicię mercatores, hoc intellecto, alijs mercibus illuc accedentes inde magnā argenti copiam sibi compararunt. Præterea Plinius memorat fluuios Gangem, & Cophon Indiam alluentes, & argentum deferentes. Poetæ Eridanum, Peneum, Erymanthum, & Acheloum, tanquam amnes argentiferos suis carminibus celebrant: verumtamen in fluuijs argentum rarissimè inuenitur. Nos in præsentia legentium commoditati inseruientes loca peculiaria argenti natalia, iuxtà seriem alphabeticam, recensebimus. Primùm in Albertania magnus puri argenri thesaurus extrahitur, & iuxta Cosmographiam vniuersalem, Alsatia Argentum, Plumbum, & Æs producit, quoniam singulis annis, ex illius montibus rubicundis quingentę cum sex millibus marchæ argenti eruuntur. Alybæ regioni non procul à Mysia argenti fodinas Homerus attribuit. Alyzones populos iuxtà Pharnaceam insulam argenti, & ferri diuites Strabo cōstituit. Per Americam flumen decurrit ab Hispanis *Plata* nominatum, fortassis propter latitudinem, vel potiùs ob argenti fodinas, quæ in vicinia apertæ sunt, quas Incolæ *Plata* suo idiomate nuncupant. Anapheste Tri- *Flumina argētifera.* *Li. 33. c. 6.* *Plata qd sit.*

bus

bus Atticæ,ad mentem Strabonis,argenti mineras poſſidet. Angola non ſolum argento, ſed etiam alijs metallis abundat. Argentarium Hetruriæ montem Claudius Tolomeus in ſuis Epiſtolis argenti feracem prædicat. Aroſa ſcatet argento, cuius minera eſt adeo diues, vt quindecim argenti libræ excoctæ vnam auri reddant. Apud Argyram argẽti fodina eſt,quæ noſtris etiam temporibus eſt conſpicua. Argyras, & Chryſas Indos populos argenti,& auri Plinius feraces pronunciat;quod etiam vtriuſq;vocabuli etymologia docet. E

Loca natalia argenti inchoantia à lit. B.

Bamba regio montem habet argentarijs celebre m,qui ad regnum Angolæ attinet. Bohemia cum Myſnia de fertilitate argenti certat.In territorio *Beluedere* nuncupato argentanæ apertæ ſunt. Boſna penès Danubium, ex Boteri relatione, Regio eſt montibus referta, vbi copia argenti colligitur. In Britannia noſtris temporibus Scoti argentum fodiunt ad Glaſcham cænobium, & Veruicum oppidum, quod ſitum eſt iuxta fluuium Tinnam, ipſi *Tuidam* cognominant.

Littera C.

In Calabria eſt mons argenti lapideus. Cange regnum argentanis ſcatet,vt ex epiſtolis Ieſuitarũ de rebus Iaponis colligitur.Caphras populos argenti fodinis affluentes Ioannes Petrus in Hiſtoria Indię commendat.Carnea non caret argento. In Carpatho monte argentum rude rubrum effoditur, ex quo plerumq; aurum extrahitur. F

Lib. 3.

In Catalonia eſt mons Cannarum nuncupatus, in cuius confinio argẽtariæ viſuntur. Apud Cellaſelos argentum eruitur. Celleferdi in Saxonia Metallarij circa argentum operantur.Chinam margharitarum & argenti ditiſſimam faciunt. Chitriacum habet argenti fodinas apud Heduos populos. In Corbiani territorio magnæ Greciæ Leander in ſua Hiſtoria mineras argenti conſtituit, ſed maiorem copiam in eodem territorio penès Bombucum eſſe dicit. Cottebergi in Bohemia argentum habetur. Denique in Cutna argenti copia eſt.

littera D.

Damaſtij metalla argenti circa Ionium pelagus in Illyride Ortelius refert Straboném collocaſſe.In regno Dangala verſus Nilum in loco *Coriora* cognominato minerę ſunt argenti, ſed ob imperitiam non effodiuntur. In Dottnau non procul à Baſilea argentum extrahitur.

littera E.

Prouinciam *Eſtremaduram* nuncupatam nimirùm Vctonicã Ioannes Boterus argẽti fertilem eſſe diuulgat.In Hetruria, & potiſſimùm Serauicię nonnullæ argenti venæ producuntur. Euphaliæ montem argenti ditiſſimum Munſterus magnificat. G

Germaniæ nulla eſt regio comparanda, quæ argenti magis ferax ſit; cum plurimis in locis argentariæ recluſæ ſint: quamobrem in Coſmographia vniuerſali hæc regio mirandum in modum celebratur.

littera H.

Heluetię montibus aliquas argenti venas Ioannes Boterus aſſignat:veluti Coſmographia vniuerſalis in Hircinia ſylua nonnullas argenti mineras collocat.Argentum multis quidem in Prouincijs effoditur, ſed Hiſpania copioſum, & pulcherrimum, vbi operariorum multa millia,referente Botero,circa argentanas verſantur. Noua tamen Hiſpania, vt recitat Ioſephus Acoſta, magnam argenti farraginem cæteris regionibus cumulat.

Li. 4. Hiſt. Ind. cap. 5

littera I.

Iapan inſulam,quam Paulus Venetus Ziapangu indigitat,opibus argenti diuitem facit. In Illyride propè Ionium pelagus argenti metalla conſtituit Ortelius. India argento affluit, ſed ibi non tot argenti mineræ, quot apud Bactros conſpiciuntur. At Indię occidentalis non ſolum montes aſperi, & colles deſerti,ſed etiam loca campeſtria argentum natiuum producunt.Ioachimica vallis argenti non eſt indigens.In Iſpruch ex minera Plaiper copia argenti eruitur,immò & Italiæ aliquę argenti venæ ſuppetunt,de quibus in primo capite ſermonem habuimus. H

Littera L.

Sancti Laurentij inſulam vnà cum alia parua inſula argenti diuitijs perinſignem Liuius Sanutus in ſua Geographia memorat. Laurion locus in montanis Atticæ ſpectans mare argenti fodinis nobilitatur. Leberam vallem venis argenti refertam Germani commendant. Leonis mons propè Spoletum non caret argenti venis: quandoquidem Antonius Gigas in rebus naturalibus peritiſſimus fragmentum huius mineræ doctiſſimo Vlyſſi Aldrouando miſit.In Longobuco argentariæ viſuntur.Demum in Lucaia inſula opulentas argenti mineras Tenetus extollit.

Li. 2. Hiſt. Amer.

Maiolę montem opibus ampliſſimis venarum Mercurij, Ochræ,& Argenti auctum Auctores prędicant. In Mansfeldiæ lacu ſaxa è fodinis eruta conſpiciuntur, in quibus

A bus piscium, ranarum, & aliorum reptilium formæ diligenter à natura effigiatæ cognoscuntur, vt scribit Ortelius in Mansfeldia; saxa igitur illa sunt fissilia, cuproque prægnantia,& virtute ignis argentum etiam reddunt. Mexicana regio tantis argenti facultatibus pollet, vt, loco ferri, teste Iosepho Acosta, soleis argenteis equorum pedes muniant. Milo insulæ Ortelius in theatro Orbis argenti mineras assignat. Misenam habuisse ingens argenti pelagus, inde colligere possumus, quoniam, auctore Agricola, ante trecentos annos, solæ argenti mineræ Henrico Principi, qui primus ad Misenam se contulit, tantã huius metalli copiam sunt largitæ, quanta sufficeret empturo Bohemiæ regnum: quamobrem Princeps ille arborem grandem ex argento conflari iussit, & propè Horthusam Turingiæ oppidum statuit. Morpio mons est metallifer, in quem natura argenteas venas ampliter congessit; vnde Rex Lusitanorum, aperta illa minera, opibus amplissimis auctus est, si veritatem Tevetus est assecutus.

Littera M.

Lib. 4. hist. Ind. cap. 4.

Lib. 1. de nat. fossil. Arbor argenteus vbi.

Apud Hormannos Munsterus argenti venas esse promulgat. Oeniponti comitatus multis alijs regionibus ob mineras argẽti antecellit. Olibam territorio argentanæ non desunt. Oringin ciuitatem describit Liuius Sanutus in finibus Melessum, vbi argentariæ conspiciuntur.

Lib. 2. Hist. Armen.

Palestina olim opibus argenti, sed aliunde delati ad luxuriã vsq; fuit plena; nam, regnante Salomone, vt habetur in sacris paginis, tanta copia argenti, quanta lapidum Hierosolymis fuit. Plata ciuitas anno trigesimo octauo post millesimum, & quingentesimum ædificata, vt Lopez,& Acosta referunt, à copia venarum argenti fuit denominata; siquidem vocabulo *Plata* argentum indicatur. Item in Pampalone diœcesi, ex sententia Munsteri, argentum effodiunt. Peruana Prouincia ob diuitias auri, & argenti iam popularem auram captauit. Poloniæ redditus regios ex sale & argento esse Ioannes Boterus promulgat. Pomerania ob mineras argenti superbit. Ex Potosi monte Peruanæ regionis quotannis tantam argenti eliciunt copiam, quę ad quindecies centena millia ascendit. In Quito mons altus est, ex quo argentum ita purum extrahitur, quod exigua purificatione indiget.

Littera O.

Lib. 3. Reg. cap. 10. Plata quid.

In Samnorum gẽte (Paulus Venetus legit Saunorum) regem Colchorum plurimum argenti eruisse Plinius pronunciauit. Sardiniæ famam ob mineras argẽti Ioannes Boterus diuulgat. Saxoniæ metalla argentea, cum sint copiosa, auris popularibus impelluntur. Scandiam regionem salubrem,& argenti fodinis abundantem Boterus significat. In Schauutz Tirolis oppido magna argenti vbertas quotannis habetur, vt Ortelius in Theatro Orbis scriptis mandauit. In territorio Sessæ sunt mineræ auri, & argenti, necnon in Semana sylua, quæ hodie ex Turingis nomen accepit. Setas Indiæ populos argento abundantes cõstituit Plinius. Ex Siderocapsæ fodinis auctore Bellonio, ingens auri, & argenti summa Turcarum Imperatori accedit. Siciliæ non desunt venæ argenti, quamuis, teste Botero, non eruantur. Propè Stagyram Aristotelis patriam, quæ nostris temporibus *Nicaldi* cognominatur, argentana obseruatur. In Stiria, ex Botero, mineræ argenti sunt diuites. Stercingi oppidum habet montes venam argenti producentes, vt Georgius Fabricius testificatur in Itinerario Chemnicense, dum inquit.

Lib. 33. cap. 3.

Littera S.

Lib. 6. nat. hist.

Lib. 1. Obseru. Aristotelis patria quæ.

Quis verò argentiuios in montibus illis
Eruit inuentos? quos nunc Stercingia tellus
Suaciacis similes gremio de diuite fundit.

Demum in Suetia ex loco *Nigra sylua* cognominato argentum effoditur. Apud Tartasiæ vrbem multas argenti fodinas Ortelius collocat. Tabor Bohemiæ ciuitas, iuxta Cosmographiam vniuersalem, ditissimas argenti fodinas possidet. Thassum vrbem Herodotus argẽti venis illustrem fuisse scripsit. Thracia habuit argentanas in Pangeo monte, quas Philippus Macedonum Rex occupauit. Deniq; Transilu nia rerum omnium feraciissima maximè verò auri, & argenti ferax est. In Trepani diœcesi minera est argenti celebris; vnde locus ille Argentea cognominatur.

Littera T.

Valentiæ regnum mons quidam nobilitat, cum mineram argenti feracem habeat. Territorium Vestrors Boterus exaltat; cum inde optimum argentum extrahatur. Vngariam Ortelius in Theatro orbis summis laudibus cumulat, cum argentum, aurum, & cuprum cæteris regionibus impertiatur, quibus metallis semper redundat. In territorio Zefaloniæ propè montem est argenti vena, quę ab hodierno vulgò Argentea nomi-

Litteræ V.

nominatur, ſed non recluditur. Poſtremò Zeilan habet inſulam *Euerſi* nomine, quæ E argenti copia gloriatur.

DENOMINATA.

AB argento non ſolum aliqua virorum nomina, & cognomina fuerunt deſumpta, verum etiam ab ipſo plantæ, lapides, loca, fluuij, montes, & multa alia denominantur, de quibus in hac Rubrica ſigillatim agemus. Primùm Argyrippus fuit nomen proprium adoleſcẽtis, cuius Plautus in Aſinaria meminit, quæ vox equum argenteum ſignificat. Argentaria Polla fuit Lucani poetæ coniux, & Poetria, quia, mortuo marito opus Pharſaliæ emendauit. Argentinus, & Aeſculanus Dij ab Antiquitate dicti fuerunt, quia, ex Budeo, locupletandorum hominum poteſtatem habere credebantur. Præterea Cupido ob candorem, à Poetis vocatus fuit argenteus, & Elecebræ argentariæ à Priſcis, teſte Feſto, vocatæ fuerunt Meretrices ab eliciendo F argento, locus eſt apud Plautum, vbi nunc illecebræ argentariæ leguntur. Tethis apud Homerum ἀργυρόπεζα dicitur, pariter Venus apud Pindarum, quia argenteos pedes nimirum formoſos, & candidos habuerint; & apud Atheneum ἀργυρόπους argenteos pedes habens appellatur: quocirca Pontanus ob læuorem, & candorem argento ſimilem aliquando ceruicem, interdum collum, & quandoq; omnia humani corporis membra argentea nuncupauit, dum cecinit.

Argyrippus quis.

Lucani vxor qualis.

Lib. 5. de Aſſe.

Elecebræ argẽtariæ qua.

Nudabant liquidis argentea membra ſub vndis.

Argyraſpides vocati fuerunt argentea ſcuta ferentes, veluti Chryſaſpides ab aureis clypeis quidam fuerunt denominati. Argyrognomones ſunt pecunię permutatores, quos latini Campſores indigitant. Argyritæ apud Budeum ſunt quidam Agones ab argenteo præmio ità denominati. Præterea Argentarius dicitur, qui aliquid argento perfundit, aliter Tector argentarius apud Varronem appellatur. Alioquin Argentarius vocatur etiam ille, qui argentum exercet, ſeu apud quem pecunia deponitur. Sin nomen hoc adiectiuum euadit, tunc ſignificat omne illud, quod attinet ad argentum. G Inſuper ἀργυρώνης vocatur, qui pecunia redundat, & φιλάργυρος argenti cupidus, & auarus; hinc oritur Philargyria argenti auiditas. ἀργυροχόος, qui fundit argentum, & argentarius faber exponitur. At ἀργυρότοξος eſt, qui arcum habet argenteum; ideoq; à Poetis pro epitheto Apollinis vſurpatur. ἀργυροκόπος eſt, qui argentum ſignat, & ἀργυρολόγος, qui argẽtum colligit, hunc Latini Collectorem & Exactorem cognominãt.

Argyraſpides, qui dicit.

Philargyria qd ſit.

Verùm ad vegetabilia ſi noſmet conuertamus, inter hæc ab argento nonnulla cognominari comperiemus. Plinius aliquando florem argenteum nominauit, quoniam ob candidum coloris læuorem, argentum æmuletur. Narciſſus ille totus albus habens ſenos, ſeptenos, & interdum denos flores cauli inſidentes, qui priori loco apud Cluſium deſcribitur, ab Italis propter eamdem rationem *Tazzetta d'argento* nuncupatur. Planta illa, quæ ab eximijs vitutibus Potentillæ nomem inuenit, ab aliquibus Botanicis Argentina ab argenteo foliorum ſplendore nominatur. Alchimillæ altera ſpecies Camerarij in Epitome Matthioli, quæ Pentaphyllõ alpinum petreum minimum à Lobelio vocatur, Argentaria petrea in Horto Geſneri dicitur; quoniam auerſa H pars foliorum quemdam ſplendorem argenteum referat. Item in Horto Camerarij memoratur Scabioſa graminea folio argenteo, quoniam hæc planta folijs oblongis, gramineis, & valdè albicantibus ſit inſignita. Demùm in Aduerſarijs deſcribitur quędam planta nomine Polygoni montani niuei ſericei, quæ à Bauhino in Phytopinace Polygonum minus argenteum à foliolis exiguo vellere ſericco, & argenteo candore lucentibus nuncupatur.

Narciſſus totus albus.

Argentina.

Argẽtaria petrea qua.

Polygonũ argenteũ.

Amplius admirari debemus, quòd Fluuij, Vrbes, Oppida, Montes, Suburbia, & alia quædam loca peculiaria ab argento nomen habeant. Primùm ἀργυροῤῥύθης argentifluus exponitur, & de amne argentum vehente pronunciatur, qualis forſan eſt fluuius Galliæ Narbonenſis Argenteus dictus. Item iuxta Paraguay flumẽ argenti appellatum, vel ab argenteis arenis, aut ab argen o aquæ candore, vt Argyrondas Aetoliæ amnis. Immò in Tarteſio Hiſpaniæ agro fontes argenteos eſſe Steſichorus tradidit. De Vrbibus, habemus Argentoratum vrbem Germaniæ ſuperioris inſignem; quam

Itali

Itali Argentinam vocitant. At Argentanum est Vrbs Brutiorum in Calabria, & Argyrina vrbs fuit Apuliæ, Argypana à Polybio nuncupata. Argyruntum olim Plinio fuit oppidum, nunc pagus Illyrici in Liburnia. Argentomagum, vel Argentomachum est oppidum Galliæ Celticæ in Hormania. Argenteolũ oppidum est Hispaniæ Tarraconensis in finibus Asturum. Argentuaria, vel Argentaria oppidum est Germaniæ superioris ad Hellum flumen. Argyra quoq; caput oppidorum insulæ Taprobanæ ex argento nomen traxit. Est etiam Castellum in nostris regionibus nomine Argentum, quod Pado iminet. Bizantij sunt duo suburbia, quorum alterum ab auro Chrysopolis, alterum ab argento Argyropolis nominatur. Mons argenteus est in Hispania Tarraconensi a nonnullis Argentarius dictus; Argentarius etiam vocatur mons Tusciæ in ora australi, cuius paulò ante meminimus. Immò in territorio Bononiensi mons est *Arienti* nomine, villa Illustrissimorum Paleotorum, qui ab argento nomen inuenisse credidit doctissimus Vlysses Aldrouandus, cum ibi pyrites varios, necnon speciem quamdam minij fossilis obseruauerit, quæ omnia montẽ hunc metalliferum esse indicant. Cæterùm Argentana, vel Argentaria, & Argentifodina, est locus vnde argentum extrahitur. Alioquin Argentaria est etiam mensa, vel officina, in qua argentum, aut cuditur, aut præparatur; cum Argyrotheca, vel Argentarium significet armarium, in quo vasa argentea conseruantur. Amplius metallica nonnulla, vel quædam ex his conflata à nomine argenti non abhorrent, vt Hydrargyrum, quod argentum aqueum denotat, Pseudargyrum, quod argentum adulterinum indicat. Argentum textile vulgò *Tela d'argento*, moneta candida, seu argentea est, quæ ex argento facta signatur. Spodium argenteum, alio nomine Laureotis, est genus cineris in purificandis metallis genitum, quod excrementum tenue excoctionis argenti appellari potest. His additur terra argyritis, ex qua argentum effoditur. Item ἄργυρίτις ψάμμος, nempè arena argentei coloris ità Dioscoridi cognominata. Talcum stellam terræ nuncupatum, quia instar stellæ splendore argenteo refulgeat, Veterum Argyrodamantem esse nonnulli existimarunt.

Argentina vrbs.

Arienti Villa Illustrissimorum Paleotorum.

Pseudargyrũ quid sit.

Spodium argenteũ quid.

Lib. 5. cap. 101.

Quemadmodum à forma, à similitudine, & à figura, similiter etiam à colore nomina rebus imponuntur: quamobrem non est mirandum si plurimi lapides ab argento denominentur. Primitùs inter genera magnetum nonnulli argenteum collocant, quia trahendi argenti facultatem possideat, veluti de magnete aureo Pantarbe nominato superius relatum fuit. Quisnam propriè sit hic magnes, cuiusuè formæ, vel coloris non est author, qui indicet, nec qui se eum vidisse memoret. Argyrites est lapis coloris argentei obscuri Stigmatibus aureis insignitus. Item Argyrodamas est lapis pellucidus inter gemmas numeratus, qui partim ab argento, partim ab adamante nomen traxit Cælius Rhodiginus argenteos quosdam lapides recenset, in quibus rei, & accusatores consistebant. Monstratur etiam quædã gleba, vel lapis ex arenis quibusdam splendore argenteo radiantibus constans, ideòq; Argyrammos, vel Ammoargyros nuncupandus est, vel potiùs mica sterilis nominandus, quia rerum metallicarum imperitos decipere possit: quapropter Germani hunc lapidem proprio idiomate Argentum felium indigitant, vel quoniã instar oculi felium noctu radiet, vel quoniam hac voce quid inutile significare velint: quandoquidem ex hoc lapide argentea illa arena nullius valoris paratur, quæ in siccandis tantùm scripturis vsurpatur. His addatur Lithargyrium alio nomine spuma argenti, vel etiam argyritis vocatum; cum aliquando colorem argenti monstret, aut quoniam in excoquendo argento tanquam excrementum separetur. In numero horum denominatorum Hermolaus Barbarus, in scholijs ad Dioscoridem, lapidem selenitem recẽset; ideòq; illum Argyrolithum nominat, cum instar argenti refulgeat: hic lapis à vulgo italico *Talco* cognominatur.

Magnes argẽteus.

Lib. 12. lec. antiq. cap. 19.

Argentũ felitũ quid sit.

Argyrolithos.

Posteaquàm in Argyrolithum incidimus, à ratione alienum non esse iudicabimus hoc in loco delineatos dare nonnullos lapides argyrolithi nomine decorandos; cum aliquem argenti splendorem repræsentẽt. Primò conspicitur Argyrolithos cymatilis, cuius vndæ argentei sunt splendoris. Deinde figuratur lapis ad filicum genera reducendus, colore nigricante, cum fascijs argenteum lẽuorem exprimentibus; quare meritò argyromelanos lapis poterit appellari. Et in eadem tabella apparet λιθόστρωτος, nempè lapis ex lapidibus stratus, est Lithostrotos læuore argenteo micans: etenim quemadmodum ars ex lapillis diuersorum colorũ lithostrota componit varias æmulantia

ARGYLROITHOS CYMATILIS.



lantia picturas, ſimiliter natura quodammodo artem ludificans multos lapillos ſimul iungit, vt in hoc lapide ab agro Bononienſi effoſſo lector poterit contemplari.

Argyromelanos lapis.

Argyrolithoſtrotos.



Tertio loco conſpicitur lapis lineis coloris argentei decoratus; ideòq; iuxta de-
cauſa αργυρογραμμώδης λίθος eſt nuncupandus.

Argyrogrammodes lapis.



Quarto loco monſtratur ſaxum corticoſum, cuius cortex, ob læuorem, armaturam
argenti æmulari videtur: quapropter Argyroplites dicitur.

ARGYROPLITES IN SAXO CORTICOSO.



Quinto loco exhibetur fruſtum eburis in lapidẽ verſum, quod ſuo lęuore cõlorem argenteum demonſtrat; ideòq; Argyreburites dicitur.

ARGYREBVRITES.



Sexto loco figuratur concha lapidea argentea, quæ conchites argyrodes, vel potiùs Argyroconchites vocatur referens figuram conchæ Margaritiferæ.

Argyroconchites.



Septimo loco pingitur pecten lapideus argentei coloris vtraq; parte concauus qui Argyroctenites dicetur, quia apud Græcos κτεὶς pectinem, & κτένιον pectunculum significat. In eadem tabella conspicitur altera species pectinis lapidescentis eiusdem coloris, nimirum albi refulgentis, cum testa superiore, & inferiore aliquo modo eminente, & cum vtraq; aure, vna altera minore: hinc argyroctenitis altera species nominabitur.

Argyroctenites.



Argyroctenites alia.



Poſtremo damus tabellam, in qua variæ conchæ lapideæ coloris argentei delineantur. Prima facie apparet Purpura lapideſcens maculis argenteis aſperſa. num. 2. Conchites cortice externo coloris argentei obſcuri. Rurſus numero 1. & 2. Conchæ ſeſſiles argenteæ lapideſcentes.

Tandem multa quoq; ſunt recenſenda, quæ ab argento nomen accipiunt; quandoquidem color dicitur argenteus, quia ſuo candore æmuletur argentum, itẽ ſplendor argenteus ob candorem argento ſimilem. Quapropter Latini quicquid læuore, & candore eſt conſpicuum, argenteum vocitare ſolent. Pariter apud Poetas lilia ſunt argentea, & apud Ennium argenteus anſer, in Capitolio Romæ volitauit. Lunam argenteam Iulianus in Epiſtolis nominauit, & ſanctus Zeno in ſermone de Reſurrectione, argenteum Lunæ globum appellauit: propterea huc reſpiciens Baptiſta Mantuanus canebat.

Lilia argentea. Epiſt. 19.

Atq; ſoporiferos niueis argentea bigis
Luna vehit radios.

Aqua ſimiliter dicta fuit argentea, quoniam limpida ſit inſtar argenti. Aetas Iouis argentea virorum heroicorum ab Heſiodo fuit celebrata. Cæterùm Argentangina, vel Argyranche eſt nimia argenti auditas, de qua in Adagijs verba fecimus: eſt etiam quædam vnguenti, vel linimenti ſpecies *Argentata* dicta, quæ ad dealbandam faciem adhibetur, & ab Alexio Pedemontano deſcribitur. Alioquin argenteum vocatur, quod eſt argento tectum, & argenteum, quod ex argento conſtat, & argentoſum, cui argentũ eſt immixtum. Argyromata dicuntur vaſa argẽtea, & ἀργυρία apud Atheneum eſt phialia argentea, & hæc de denominatis dicta ſufficiant.

Aetas argentea.

Argyromata quæ

Pur-

1

Purpurites cum maculis argenteis.

2

Conchites argentei coloris obscuri



1 2

Conchæ argenteæ fossiles lapideæ

EPITHETA.

IN aſſignandis rerum Epithetis, Authores,& potiſſimùm Poetæ qualitates, affectiones, & prærogatiuas cuiuſcumq; rei ponderare ſolent, vt inde cogruenti a rebus epitheta eliciant. Argentum enim quoad colorem, ſplendorem, materiã, & puritatem conſideratum,variam epitheta tùm apud Græcos, tùm apud Latinos promeruit. Latini igitur Metalli reſpicientes materiam,argentum ſolidum,& lentum nuncuparunt.Græcis verò ἀνήριθμος ἄργυρος nempè argentum innumerum,& immenſum ob copiam dicitur.Ratione coloris Græcis ἀργοχρὸς ab inſigni albore,Latinis albũ vocitatur. Aliquando tamen nuncupatũ fuit liuens,quoniam talem colorem ante perfectam purgationem repræſentare ſoleat: quapropter Calaber & ipſe in hoc ſenſu ἄργυρον νεφοεντα appellabat, cum νεφοεις caliginoſus exponatur. Ratione ſplendoris, Latini nominarunt argentum clarum, & nitidum: hac eadem ratione Græcis αἰγλήεις, nimirum fulgens, & coruſcans, necnon καθαρὸς etiam dicitur ob inſignem illius puritatem: hinc Latini purum, & aliquando puſtulatum indigitarunt; cum ſæpiùs excoctum puriſſimum euadat: quamobrem Suetonius ſcripſit Neronem exegiſſe argentum puſtulatum, & aurum obryzum. Quamuis alij per argentum puſtulatum, intelligant argentum factum, & cælatum,quod manui tangenti aſpredinem cęlaturæ tanquam puſtulas offerat.

Argentũ cur caligi noſum.

ADAGIA.

CVNCTIS exploratum eſſe coniectamus ab illis rebus ſæpè prouerbia dimanare,quæ in hominum ore habentur frequentiùs. Ab his autem argentum non excluditut, quapropter *Argentanginam pati* eſt prouerbium, quod in illos iactari poteſt,qui accepto argento, vel alio munere, anginaſe laborare fingunt, neverbum vllum de negotio proferant:natum videtur prouerbium ex hiſtoria ab Aulo Gellio recitata in Noctibus Atticis; etenim Demoſthenes cum aduerſus Legatos Mileſiorum, qui auxilij petendi gratia, Athenas ſe contulerant, acriter in concione dixiſſet,inſiſtendo quominus poſtulata impetrarent,cauſa in diem poſterum reiecta, Legati Demoſthenem adeuntes copia argenti, ne contra ſe ipſos diceret,redemerũt. Poſtridie cum res denuò foret agenda, Demoſthenes, collo faſcijs circumuoluto in concionem prodijt, ſimulans ſe angina laborare,illiq; hunc affectum eſſe impedimẽto,quomin ùs iuxtà cõſuetudinem dicere poſſet. Verùm quiſpiam ex populo, re clam intellecta, ſurgens dixit ipſum non angina, ſed argentangina laborare, quoniam argentum à Legatis acceperat. Huc ſpectat aliud. *Argenteis haſtis pugnare*. Quando ſcilicet negotium non alia ratione, niſi largitionibus, & muneribus perfici poteſt. Huius originem deriuant ab oracvlo quodam Apollinis Pythij, quod Philippo Regi conſulenti qua ratione victoriam in bellis conſequi poſſet,reſpondit hũc in modum. *Argenteis pugna telis*. Volebat enim inſinuare Regi, vt largitionibus, & muneribus aliquos ad proditionem ſolicitaret,atque hac ratione victoriam eſſe potiturum,cum argenteę haſtæ ſint illæ, quæ per cuncta hoſtium caſtra tranſeunt. Ab hoc non multũ recedit aliud. *Argentum accepi, imperium vendidi*. Profertur in illos, qui acceptis beneficijs,& muneribus libertatem amittunt:quandoquidem apud Terentium inducitur pauper quidam vxorem benè dotatam ducens, cui poſtea imperare non poterat. *Argentea fames*. Adagium eſt,quod effertur de inſtructa non epularum,ſed argentearum lancium magnificẽtia: in illis enim comeſſationibus,in quibus plus apparatus, quàm cibi, & plus ſplendoris, quàm obſoniorũ conſpicitur, conuiuæ argentea fame cõuiuari dicuntur. *Equus argento circumtectus*.Spectat ad hominem diuitem, ſed indoctum;quare non multùm recedit ab illo.Rex illeteratus eſt aſinus coronatus. Huius generis aliud circũfertur. *Bos in quadra argentea*. Hoc iactari poteſt in illum, qui egregium aliquod facinus pollicetur, & tamen non niſi fallaci verborum gannitu pollet, cum ſit tantummodò ad voluptates, non autem ad negocia peragenda ido-

Argentã ginã quæ.

Argẽteis haſtis pugnare qd.

Argẽtea fames qualis.

Aſinus coronatus quis dicatur.

idoneus. *Argenteo vomere arare.* Prouerbium hoc legitur apud Cæliũ Rhodiginum, quod diuulgandum est, vt ipse refert, de opere inutiliscũ hoc metalli genus agrorum cultui minimè aptum esse videatur. *Argenteum manubium habere.* Scribit Gesnerus hoc adagium à Germanis de artibus proferri, quæ artificem quemlibet peritum alere, & sustentare possiunt. Deniq; *Fontes argentei* perhibentur esse potentes, quando loquuntur, quoniam sibimetipsis contradici non permittunt. *L. 26. lect. antiq. c. 4.*

MYSTICA.

ADMIRABILEM mysticorum doctrinam pro quodam numine obseruandam esse censemus: quandoquidem ex voce argenti non iniucunda viri eruditi eliciunt. Primitùs per argentum commixtum, in sacris Paginis memoratum, bona naturalia criminibus inquinata Lauretus interpretatur, & per argentum electũ, in Prouerbijs notatum, labia iusti Beda exponit. Illud verò argentum in saccis filiorum Iacob occultatum, ad mentem Laureti, Hebreos operibus legis confidentes significat. At argentum, quod, apud Danielem, pectus simulacri Nabucdonosor integrabat; veritatem significasse perhibetur. Per argentum, quo tabernaculum Dei in Exodo ornabatur, Origenes confessionem fidei, & puritatem conscientiæ manifestat. Ab argento memorato in Psalmo quarto supra centesimum, littera legis & Prophetę designantur; quandoquidem veluti argentum absq; frequenti vsu obscurum euadit; pariter littera legis & Prophetæ, ante Christũ natum, veluti in tenebris versabuntur, sed ex mente Laureti, post aduentum Domini, eorum doctrina adeò perspicua, & illustris euasit, vt omnibus innotuerit. Quando autem legitur in Ecclesiastico. *Quomodo vmbra sapientiæ, sic vmbra argenti.* Diuus Hieronymus exponit confidentiam siue sapientiæ, siue argenti, quàm homines amplectuntur, tandiù durare, donec vmbra diei euanescat. Ideò satius esset, vt Christianæ fidei cultores comburèrentur sicuti argentum, vt habetur apud Zachariam; quandoquidem Lauretus hoc mysticè interpretans scribit Christi fideles in ærumnarum incendio purgari, & saluari. Idem Author explicat etiam quid sit argentum diuidere apud Iob, nimirum inquit illo in loco intelligendum esse virum iustum, qui veritatem à falsis Hæreticorum assertis segregat.

In Genes. cap. 43. *Cap. 10.* *Cap. 35.* *Cap. 7.* *Cap. 13.* *Cap. 27.*

Plerumq; in sacris paginis, argenti nomine, ob puritatem & candorem metalli, eloquia, & verba Dei designantur: etenim Psalmographus canebat. *Eloquia Domini, eloquia casta argentum igne examinatum.* Abbas etiam Ioachinus in Apocalypsi, argento, eloquentiam in emolumentum Ecclesiæ redundantem pronunciat. Item Diuus Gregorius, argento, significat scriptores diuini eloquij, quorum assertа, præ cæteris luce virtutum coruscant. Immò idem Diuus Gregorius, per argentum multiplicatum apud Oseam, eloquia veritatis luce referta nobis suppeditari demonstrat. Neq; hoc recedit à sensu Diui Hieronymi, qui, per argentum in Genesi, Eloquentes vi verborum, nec non ipsum sermonem ostendit. Immò alio in loco Genesis, vbi legitur. Argentum candidum, nitidum, & sonorum, quo Abraham redundabat, Diuus Augustinus explicat verbum Dei, quo Abraham refertus erat; & ad stabiliendam hanc sententiã, accedit Argenti vbertas temporibus Salomonis, cuius sacra Pagina meminit, qua, ex sententia Laureti, Preconum Euangelij copia verbum Dei per Ecclesiam diuulgantium significatur. Aliter exponit Diuus Hieronymus argentum desiderabile apud Oseam, nimirum eloquium Hæretici artificiosum, quo ipse sua dogmata componit: propterea Argentarius apud Isaiam, eodem Diuo Hieronymo interprete, denotat Hæreticum, qui ad persuadendos cæteris suos errores, eloquentem sermonem concinnat, in quo postea nihil nisi fucatum est. *Psalm. 11.* *Lib. 18. moral. Cap. 26.* *Cap. 2.* *Cap. 24.* *Cap. 13.* *Lib. 17. de ciuit. Dei cap. 5.* *Lib. 3. reg. cap. 10.* *Cap. 9.* *Cap. 40.*

Item habetur apud Amos, quòd vendiderint pro argẽto iustum. Hæc verba mysticè exposita, Deum redemptorem argento fuisse venditum insinuant, & hac ratione argentum prouenit à dimensione Ghedula loco misericordiæ Dei; quoniam, argento, Dei misericordia, veluti auro Dei iustitia in sacris litteris significatur; cum autem à dimensione Geburah, nimirum ab Aquilone, iuxta assertum Iob, proueniat; cum Geburah sit dimensio aquilonaris, per quam Deus reos punit; nam ex hac parte omnis *Cap. 2.*

omnis terror dimanat. Argentum verò Tribunal Meridionale reſpicit, ex quo E
Cap.37. immenſa Dei pietas, & clementia fluit. Hinc patet, cur argentum in ſacris paginis ſæpè auro præferatur. Iuſtus igitur apud Amos iuſtum alios iuſtificantem designat, qui eſt Deus homo Chriſtus viuificans, & redimens, & ob ſingularem pietatem, & miſericordiam venditus eſt, quia voluit, & huc reſpexit Amos, quando dixit. *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non conuertam eum*
Loco cit. *pro eo, quòd vendidit pro argento iuſtum.* Poſteaquàm in venditionem Chriſti incidimus, notandum eſt, quòd per triginta argẽteos pro mercede appenſos apud Zacha-
Cap. 11. riam, iuxta ſententiam Diui Hieronymi, triginta argentei venditionis Chriſti ſignificantur. Hùc etiam ſpectant viginti argentei, quibus in Geneſi Ioſeph fuit venditus;
Cap.32. licèt in venditione Chriſti triginta fuerint: ſic enim Gloſſa ordinaria in Geneſim exponit. Alioquin argentei decem, & ſtateres ſeptem pro agro apud Ieremiam, exponente Lyrano, conſiliorum perfectionem ſeptiformi diuini Spiritus gratia munitam, pro agro diſciplinæ cæleſtis indicant. At argenteis quindecim, quibus Hoſe adulte-
Cap.3. ram conduxit, vt habetur apud Oſeam, Lyrano interprete, exitus populi de Aegypto F
Cap.8. manifeſtatur, qui luna quinta decima, ſiue die primi menſis contigit. Deniq; per argenteos mille pro fructu vineæ in Canticis, iuxta Diui Hieronymi expoſitionem, omnia bona temporalia pro Chriſto tradita deſignantur.

MORALIA.

IVXTA qualitates, & prærogatiuas argenti doctrina moralis tradi ſolet. Primùm ratione puritatis, ſcribebat Theophilatus, quemadmodum argentum Soli obiectum radios micantes in eumdem reflectit; pariter & nos ſacro Baptiſmatis fonte purgati, & ſpiritus ſplendore illuſtrati fulgorem quemdam ſpiritualem ex ad-
Moyſes facies qualis. uerſo effundimus, & eamdem imaginem à ſpiritus gloria in gloriam, & claritatem noſtram trãſferimus: quandoquidem Moyſes Dei ſplendore inſpecto, in eius gloriæ imaginem eſt transformatus, quoniam ipſe ſplendorem gloriæ participauit, ipſius G enim facies refulgebat, cum noſtri figuram repræſentaret. Hinc argentum puritatis ſymbolum eſſe intelligimus: hac etiam de cauſa Orpheus, referente Cælio, cecinit
Lib. 13. lect. antiq.ca.21. Saturnum generi argenteo imperaſſe, quoniam homines primæuam degentes vitam argenteos appellauit. Si conſideretur argenti ſonus, eſt ſuauis, & magnus comparatione ad tinnitum auri, quod parùm ſonat, & tamen aurum argento præponitur. Illi igitur peccantes, qui corriguntur, nec tamen clamant, neq; detrahunt, tanquam aurũ
Hypocrita aſsimilatur argento. Cap.7. argento ſunt præferendi. Præterea argentum ſuauem emittit ſonum, & cum ſit albiſſimum lineas nigras corporibus imprimit. Hypocrita ab his affectionibus argenti nõ recedit, quandoquidem ſuauem ſimulatæ eloquentiæ ſonum edit, & licet ſit albi coloris, nempè honeſti aſpectus, nihilominus nigras lineas, ſcilicet praua opera fundit; cum, iuxta mentem Matthei, arbor mala bonos fructus producere nequeat.

Si contemplemur argentum in igne poſitum, liqueſcit quidem, ſed ab illo ablatum ſolidum, & albiſſimum redditur; vir iuſtus his conditionibus gaudet, quoniam ceſſante calamitatum flamma, conſtantia confirmatur & albedinem caſtitatis acquirit. H
In Eccleſiaſt.ca. 2. Peccãtes qui ſimiles ſint argento. Rubet etiam argentum in fornace, & liqueſcit, ſed poſtea extractum, & fuſum frigeſcit, & dureſcit: rubent etiam nonnulli ob charitatem, & ob miſericordiam liquefiũt, dum in fornace ærumnarum morantur; inde tamen exeuntes frigore impietatis corripiuntur, & duritia obſtinationis vexantur: quare illis aſſiduus calamitatum ignis bono eſſet; cum in ſacris litteris legatur. Quòd igne aurum, & argentum probatur. Rurſus peccantes argento in igne poſito aſſimilantur; ſiquidem hi in flamma cupiditatis, & proſperitatis liqueſcunt, ſed poſtmodum ad frigus pœnitentiæ ducti conſtãtia firmantur, & caſtitate albeſcunt.

Amplius argentum ſub terra poſitum rubiginem contrahit, ſed arena confricatum candorem priſtinum recuperat; ſimiliter Chriſti cultor aliquando criminum rubigine infeſtatur, ſed ſtatimatq; arena pœnitentiæ inſpergitur, claritatem perfectionis, & honeſtatis induit. Dicendum etiam eſt, quòd viri prudentes terrena interdum meditantes rubigine alicuius cupiditatis inficiuntur, ſed hi, inſtar argenti, ſale confricati,

nimirum contemplatione sapientiæ, quæ saporem æternorum bonorum nobis repræsentat; tunc pristinum cõscientię alborem adipiscuntur. Præterea nonnulla sunt, quæ melius in argento, quàm in alia materia suam virtutem conseruant V. G. Iaspis in annulo argenteo inclusus, & balsamum in vasculo argenteo consitum: dicamus igitur ab Iaspide sacram paginam, & ab argento virum iustum repræsentari: etenim sacræ litteræ visionem intellectiuam roborantes maioris sunt valoris, quoad humana n_ vtilitatem, quando in viro iusto, & perfecto conseruantur. Vel dicendum est, quòd Christianę pietatis cultor tanquam argentum, famę honestatẽ conseruare debet; cum odor balsami suauitatem boni exempli respiciat. Demùm Euangelij Præco quoad omnes conditiones argento est assimilandus: namq; si argentum est purum, clarum, durum, sonorum, & liquabile; pari ratione Euangelij Præcones quoad conscientiam puritate gaudere debent; iuxta illud Malachiæ. *sedebit conflans, & emundans argentum.* Quandoquidem hi ex verbis sacræ paginæ multa documenta Christi cultoribus salutaria conflant, deinde constantia, & perseuerantia duri, & firmi euadent: clari sapientia diuini eloquij, & doctrina sonori erunt; iuxta illud Prouerbiorum. *Argentum electum lingua iusti.* Tandem misericordia liquabiles esse debent. Postremò argentum signatum viro scelesto simile censetur, qui cum probis versans illos seducit, atq; corrumpit: propterea argentum in hoc sensu à Lycurgo fuit vsurpatum, qui, teste Iustino, ciues suos delitijs corruptos cum ad temperantiam traducere, & virtutis studiosos reddere vellet, auri, & argenti vsum veluti omnium scelerum materiam à Republica Spartanorum sustulit.

Iaspis in qua materia melius conseruetur.

Cap. 3.

Vir scelestus cui assimiletur.

MIRACVLA.

QVI in diuino versantur famulatu veluti aurum, ita & argentum ex quacumq re, diuino verbo, conficere possunt. Etenim Ioannes Patriarcha Alexandrinus cognomento Eleemosynarius, cum naues eius frumento onustæ in Britanniam fortè fuissent à tempestate propulsæ, vbi habitantes caritate annonæ plurimùm laborabant, Stanno frumentum fuit permutatum: sed mirum tunc accidit. Omne id stannum, vt in emolumentum Ioannis cederet, cuius pietate fuerat fames Britanniæ gentis sublenata, in purissimum argentũ diuino munere conuersum est. Leontius Episcopus in Vita ipsius Eleemosynarij. Hæc habet. Alia huius generis apud Surium supra vim naturæ de argento patrata miracula legenda sunt.

Stannum in argentum mutatur.

SIMVLACRA.

PVBLICA consuetudine receptum erat apud Ethnicos, pro aliqua re obtinenda, vouere, & tabellas pictas rem ipsam, cuius compotes facti fuissent, repræsentantes in templis Deorum suspendere. Immò has tabellas aliquando ex argento varia exprimentes simulacra fabricabant. Huius moris meminit etiam Cicero in Verrem. Alijcitantes Dionem referunt non consueuisse hæc simulacra ex terra fictili formare, ne Numen iniuria afficeretur, sed æreas, & argenteas Dijs fuisse gratas dixerunt, quoniam tabellæ semel dicatæ perpetuo in Templis manerent. Nonne etiam Beta argentea fuit in templo Apollinis Delphici? Ripa, ad figurandam ætatem argenteam, simulacrum iuuenis argenteis vestibus indutæ exhibet; veluti simulacrum aetatis aureæ habitu aureo ornatum effigiabatur. similiter in exprimenda icone Vsuræ mulierem annosam multa vasa argentea stringentem pingit. Romani antiquitùs in summitate hastarum simulacra argentea Aquilarum gestabant, quæ vnguibus fulmina aurea stringebant, & Plinius scriptis mandauit, studio hæc simulacra potius ex argento, quàm ex alio metallo fuisse constructa, quoniam argentum præ alijs metallis & diei sit simile, & clarius refulgeat.

Lib. 4.

Beta argẽtea vbi.

Aquilæ argenteæ. Lib. 33. cap. 3.

VSVS IN MEDICINA.

IN vſu medico argentum non vulgarem habere commoditatem perhibetur. Quandoquidem Medici dogmatici illius ſcobe, & tenuiſſimis bracteis vtuntur; cum hoc metallum tremori, & palpitationi cordis opituletur, cerebrum roboret, putridam in vlceribus carnem blandè exedat, & tandem in Mania, & alijs affectibus melancholicis multum adiumenti afferrat. Quamobrem cum inter cardiaca pharmaca numeretur, ingreditur Electuarium de gemmis, Lætificãtis Galeno adſcriptũ, Auream Alexandrinam, & omnia ferè antidota, quibus aurum etiam permiſcetur. Immò argentum refrigerando, & ſiccãdo ſcabiei, & prurigini medetur, ſi cum oleo tartari mixtum, vt notat Mylius, adhibeatur. Item alij limaturam argenti cum hydrargyro permiſcent, & hanc medicinam in ſanandis hæmorrhoidibus mirum in modum extollunt. Deniq; folijs argenti, deficiente auro, medicamenta in bolo præſcripta inuoluuntur. F

Oleum lunæ.

Sal Argẽti.

Chymiatri argẽtum potabile parant, deinde calcem, crocum, quintam eſſentiam, oleum, & ſalẽ, quas omnes præparationes apud Libauium, & alios Halchemiæ profeſſores legere licet. Oleum argenti, ſiue Lunæ in morbis cerebri magno vſui futurum prædicant; propterea in ſananda epilepſia huius tres, vel quatuor guttas cum aquaſ florum Betonicæ, Saluiæ, & Meliſſæ patienti propinant. Salem quoq; non ſolum in prædicta affectione, ſed etiam in alijs morbis capitis minimè infrugiferum diuulgãt; cũ omnes cerebri humiditates ſuperfluas abſumere dicatur. Immò ex huiuſmodi ſale ſumpto à granis quatuor ad grana quinq; cum ſemidrachma olei Iuniperi, hydrope laborantem ampliſſimum fructum eſſe conſecuturum pollicentur, & tandem ſtomacho labefactato plurimum prodeſſe aſſeuerant. Ad finem, in Pharmacopæis mortaria argentea cum piſtillis pariter argenteis, ad gemmas conterendas pro confectione hyacinthina ſeruari debent, ne à puluere lapidis porphyritici alteretur, qui ob contactum angulorum duriſſimarum gemmarum produci poſſet; neq; aliud metallum ad hoc peragendum opus idoneum eſſe videtur, quoniam colorem, & qualitatẽ gemmarum inquinare, & alterare poteſt; cum autem in mortario argenteo præparatæ fuerint, hoc incommodum à gemmis proculdubio arcetur. G

VSVS IN MONETIS.

Li. 33. c. 3. OLIM in Luſitania, loco pecunię, argento non ſignato vtebantur; namq; ex virgulis argenteis tantum abſcindebant, quantum rei permutandæ pretio æquari poſſet. Cęterùm hoc non recedit à doctrina Plinij, qui de ponderandis pecunijs apud Romanos, ſcriptum reliquit, quòd ante Pyrrhum regem deuictum, populus Romanus argẽtum ſignatum non habebat, ſed appendebatur, & quod hoc ſit veritati conſonum, inde patet, quoniam hodie etiam libella dicitur. Item *In tract. de mut. monet. c. 4.* Nicolaus Oreſmius diuulgauit, cum primum cæpiſſent homines mercari, in moneta H nullam iconem expreſſam fuiſſe, ſed portio argenti, vel æris pro potu, vel cibo ad põdus daba ur.

Li. 33. c. 4. Ex argento autem ſignato immenſam vtilitatem perceperunt Romani ſub Q. Fabio Conſule, quinq; annis ante primum bellum Punicum, ſi veritatem Plinius attigit, & nota argenti fuerunt bigæ, & quadrigæ, hinc nummi bigati, & quadrigati appellati fuerunt, & quoniam nummus argẽteus pro decem libris æris permutabatur, ideò denarius fuit nuncupatus. Verumtamen argentum pro moneta fuit ex vſu anteſ Abrahamum, & pecuniæ ſycli vocabantur, namq; Abraham illis eſt vſus, vt ſepulcrũ vxoris in Ditione Canaham emeret, vt in ſacris Biblijs legitur. Quocirca nummum *In Geneſ. cap. 23.* argenteum aureo fuiſſe priorem cognoſcimus. Denarius igitur argenteus eſt valoris drachmę atticæ, quæ noſtris temporibus poſſet nominari *vn Giulio d'argento.* Pręterea conſueuerunt libram argenti in ſexaginta argenteos diuidere, veluti inſtitutio Imperatoris declarat; ita vt quinque argentei vnciam argenti complerent.

His

His ita expositis, magna agitatur controuersia inter Authores, de argenteis denarijs, quibus Christus Redemptor noster fuit venditus. Cornelius Iansenius arbitratur nullum discrimen cadere inter illos argenteos, & syclos in sacris paginis memoratos; namque si illi triginta argentei sunt illius generis, cuius hodie Romæ, & Parisijs seruati visuntur, quorum altera pars hominis faciem, altera verò flosculum exhibet, colligit Iansenius illos triginta argenteos æquare summam florenorum argenteorum septem, & semis, quia singuli eorum didrachmi ponderis esse videntur, cum in sacris litteris argenteus didrachmum nominetur. Alij aliam circa hos argenteos referunt opinionem, quas omnes apud Baronium in Annalibus Ecclesiasticis licet legere.

Triginta argentei qui.

Anno Christi 34.

Præterea huius metalli opera pro cudendis monetis non discrepat ab auro, nisi in hoc, quòd aurum in virgas, & argentum in laminas trahitur, quæ postea ad formam monetæ cæduntur, & aqua salis, tartari, & aluminis dealbantur. Sed aduertendũ est, quòd tractu temporis tanta creuit hominum auaritia, vt ad augendam huius metalli massam portio æris addita fuerit: quamuis nonnulli asseuerent hanc misturam esse admittendam (legam vocant) ad maiorem argenti solliditatem, & firmitudinem. Hęc eatenus est admittenda, quatenus à Principibus permittitur, vt in primo capite huius libri explicauimus. Itaq; veluti auro portio argenti, quam pariter Opifices *Legam* vocant, sic argento portio æris permiscetur; & quemadmodum aurum argento mixtum à veri perfectione recedit, pari ratione æs argento additum argenti perfectionem diminuit, & quantitas metalli augetur. V. G. si quantitati argenti partium duodecim vna æris addatur, tunc argentum esse vndecim legarum pronunciandum est. Item si duæ partes æris ad decem argenti, & quattuor ad octo accedant, tunc quantitas argenti semper erit nominanda. Hanc autem misturam, seu legam pro regionis consuetudine, in qua moneta cuditur, variam esse asseueramus. At hæc mistura vsq; ad medietatem procedere potest, namque si illam excederet, argentum suum candorem amitteret.

Argentũ vndecim legarum.

VSVS IN PICTVRA.

QVONIAM Pictores, & Miniculatores cyaneo colore transmarino sæpissimè vtuntur, interdum, illo deficiente, varijs artificijs similem colorem sibi comparare conantur; ideoque ad argentum confugientes, illud in laminas ducunt, quas cum sale ammoniaco trito in vase figulino claudunt, quod sub fimo per spatium quadraginta dierum sepeliunt, & inde argentum ærugine cęrulea infectum extrahunt. Alij Cæruleo vulgare officinarum cum acri aceto dissoluto laminas argenti illinunt, easque supra ollam lotio plenam ad cineres calentes reponunt, & inde, teste Mizaldo, Cæruleum transmarinum optimum eliciunt. Miniculatores in figurandis litteris argenteis, multifariam argento vtuntur, sed potissimùm illud cum hydrargyro, & aceto acerrimo supra lapide porphiritico diligenter læuigant, idque exsiccatum, data scribendi occasione, cum aqua gummata dissoluunt. Alij absque argento litteras argenteas formare profitentur, dum sumunt stanni optimi vnciam, argenti viui vncias duas, omniaq; cum aqua gummata siccant. Sin cuprum dealbare velint, tunc sumunt oleum Lunæ arte chymica paratum, quòd etiam Album Lunæ, referente Alberto, dicitur, quemadmodum quod extrahitur ab auro, Rubrum Solis vocatur. Hodie portio argenti aqua forti dissoluitur, addito tanto salis ammoniaci, & tartari, vt fiat crassamentum, quæ materia in trochiscos formatur, & exsiccatur, quibus cum modica saliua supra cuprum fricatis, color albissimus illi communicatur, dummodo ab acribus succis defendatur.

Argẽtea littera quomodo figurẽtur.

Lib. 4. miner. ap. 5.

VSVS IN BELLO.

Tubas argenteas qui habuerint.

MOYSES præcepit tubas præliares ex argento, ob metalli tinnitum, eſſe conflandas, quarum clangore milites ad bellum promptiores redderẽtur, & maior hoſtibus terror incuteretur. Quidam milites Alexandri magni clypeis argenteis muniebantur; ideòq; Argyraſpides nominati fuerunt. Clypeum quoq; Barchini Aſdrubalis argẽteum pondo centum triginta octo fuiſſe Liuius tradidit. Item, ex Varrone, Iberi populi ſcuta argento cælata habuerunt. Immò Parthorum arma tam in perniciem, quàm in tutelam ex argento formata fuerunt. Carthaginenſes, deficiente ferro, & ære, aureis, & argenteis armis vſi ſunt. Demùm Maximinus Iunior argenteam loricam, & enſes argenteos adhibuit. Hodie in orbe nouo, ob argenti vbertatem, bombardas bellicas ex argẽto ſolidiſſimo conflant: propterea Indi, referente Maiolo, huius generis tormẽtum maximum ex argento fabrefactum nomine Columbam ad Carolum Imperatorem miſerunt. Equos tandem argento ornatos Diuus Baſilius in Homilia ad diuites memorat hunc in modum. *Præparant equos ad profectionem, & cingula, & frena, & collaria, omnia argentea rapetis purpureis ornantes veluti ſponſos.*

Colloq. 19

VSVS IN VARIIS.

EX argento ſolido eadem fiunt opera, quæ ex auro formantur, ſed multò plura, quoniam, iuxta nonnullorum ſententiam, argentum ſit copioſius, neq; vt aurum occultetur. In primis dilatatur, & veluti aurum texitur, namque in fila attenuatum argentum netum vocatur. Propterea circa opera argenti varij Artifices, nempè Textores, Phrygiones, Bractearij, Cælatores, Statuarij, & Fabri argentarij verſantur, qui olim in ſuis operibus ex argento fabricatis, monente Seneca, propria nomina inſculpebant. De ſtatuarijs, cunctis patet, ab ipſis Cæſari Auguſto ſtatuas argenteas fuiſſe cælatas. Item magnus fuit vſus, vt nũc etiam eſt, vaſorum argẽteorum in Eccleſia, quòd inde elicimus, quia lucernæ erant argenteæ, vt in Actis Proconſularibus apud D. Auguſtinum legitur. Amplius apud Anaſtaſium in Vita S. Innocentij hæc habentur. *Obtulit ad ornatum Baptiſterij Ceruam argenteũ fundentem aquam penſantem libras vigintiquinque.* Et in Vita S. Hilarij. *Fecit ceruos argenteos tres fundentes aquam penſantes ſingulis libras triginta.* Ex hoc metallo omne vaſorum genus, nimirum pocula, patinæ, pelues, vrnæ, crateres, & ſimilia ab opificibus ſeruantur. Quamobrem Alyettes Lydorum Rex, vt refert Herodotus, cum ex morbo conualuiſſet, Delphis grandem argenteum craterem donauit. Creſſus quoq; vigente Perſarum bello, hæc donaria fieri iuſſit, nempè argenteum craterem ſexcentarum amphorarum capacem, quatuor dolia argentea, vas manale, & aquiminarios. Heliogabalus menſas, capſas, & lectos ex argento, & Claudius Cæſar eſſedum argenteum habuit: lecticam pedibus argenteis Xerſi fuiſſe ſcribit Harpocration. Sellam argenteam à Teribazio Harmenio poſſeſſam Xenophon celebrat. Neq; mentem noſtram occupare debet admiratio, ſi Plinius aliquando ſcripſerit eò luxum deueniſſe, vt carrucas argento cælarent. Prẽterquamquòd Chriſtophorus Acoſta in libro Aromatum diuulgauit, ex regione Sinarum vaſa argentea diuerſi generis ſummo artificio, & diligentia elaborata aduehi. In Hiſpania Turditani argentea præſepia poſſederunt. Claudij Marcelli cineres in vrna argentea Annibal condidit, & Antiochus a Parthis cæſus in loculo argenteo domum remiſſus fuit. In aula Soteris Antiochi omnia coquinæ inſtrumenta erant argentea. Sed magna admiratione non tenemur; quandoquidem noſtra ætate, ex Geſnero, Eminentiſſimus Albertus Cardinalis Moguntinus habuit omnia vaſa, quibus menſa inſtruebatur, etiam ſportas, & caniſtra argentea. Gaſpar Balbus apud Indos maxima ex argento vaſa obſeruauit, quibus in aula Regis pedes Elephantorum alborũ lauantur. Nonne & Domitianus Imperator vaſa ad excipienda ventris onera fuerunt argẽtea? & forſan hodie ſimilia in aulis Principum ſeruantur.

Epiſt. 165.

Cerui argẽtei vbi.

Argẽtea præſepia vbi.

Sportæ, & caniſtra argentea vbi.

tur. Nero nutriebat mulas, quarum pedes soleis argenteis armabat. Immò quidam virgas cauearum ex argento fieri iubebat. Iudæi opulenti cultellos, qui in circumcisione adhibentur, argento inclusos seruant. Amplius Hebræi solent insculpere in lamina argentea nomen Sabati, quam postea legis volumini appendunt. Quid plura? Etruscus ciuis Romanus Thermas ex argento possedit, de quibus siccanit Statius in Syluis. *Thermæ argenteæ.*

——— *argento felix propellitur vnda*
Argentoq; cadit.

Sed hoc alicui mirum non videatur; quandoquidem, apud Tectosages, molæ conflatæ ex argento fuerunt inuentæ. Postremò notandum est materiam argenteam esse aptissimam ad compositionem speculorum, veluti Plinius, Vitruuius, & Cardanus referunt. Primus autem, qui specula ex argento fabrefecit, ætate Pompei Magni, Praxiteles fuit. Hæc autem specula optima esse feruntur, quando auro terminantur. *Molæ argenteæ.*

DE ÆRE. Cap. IV.

ÆQVIVOCA.

CARLANDVS, iuxta sententiam Professorum Halchemiæ, æs argenti fratrem esse pronunciauit, ideòq; si in præcedenti capite de argento sermo est habitus, iusta de causa hoc in loco æris historia erit examinanda, dummodo, ex more, primùm ambiguitatem vocabuli ponderemus: quandoquidem, æris nomine, non metallum tantùm intelligitur, sed interdum statua ænea, vt legitur apud Horatium. Aliquando æs pro rostris nauium (fiebant enim ex ære) necnon pro tuba Virgilio pluribus in locis vsurpatur, quando canit. *Ed. 4. Car. Lib. 1. & 6. Aeneidos.*

Ære (ideſt tuba) *ciere viros, martemq; accendere cantu.*

Æs apud Ouidium pro galea legitur, quando ipsa deposita, faciem nudatam exprimere volens loquitur hunc in modum. *Lib. 8. metam.*

Cum verò faciem dempto nudauerat ære,

Immò quemadmodum apud Virgilium ære exprimetur tuba, ità apud Martialem tintinnabulum ære significatur, quo à Gymnasio lauaturi ad Thermas reuocabuntur: ita enim canit in Apophoretis.

Redde pilam sonat æs thermarum, ludere pergis?

Insuper æs pro pecunia vsurpatur: propterea apud Vlpianum habemus, quòd æris appellatione, nummi etiam aurei, & argentei intelliguntur, quoniam pecunia ære cudi cæpta est, & inde postea factum est, vt cuiuscumq; metalli pecunia, æris nomine, denotaretur: quamobrem in hoc sensu sic loquitur Marcellinus in Chronico. *Martianus Augustius suis statuit decretis, ne qui Consules fieri cupiebant, nihil æris in populum spargerẽt, sed statutam pecuniam ad reparandum Vrbis aquæductum impenderent.* Pariter nummorum solutio apud Columellam æris enumeratio dicitur. Immò æs vetustum pro moneta veteri in fastis Ouidianis legitur. *Tit. de verb. sign.*

Curq; iuuent nostras era vetusta manus. *Lib. 1.*

Hinc æs militare apud Gellium pro stipendio militum sumitur, & voce æris alieni debitum significatur. Tandem Aes Hermetis apud Chymistas Solem, nempè aurum indicat. Item æs in Dictionario Paracelsi non semper denotat Cuprum, sed quandoq; aurum, vel argentum purum absq; permixtione alterius materiæ in visceribus terræ genitum, cuius modica quantitas olim in Galilea fuit obseruata, cum nostris temporibus id rarissimè contingat. Pariter in litteris græcis hæc vox χαλκὸς æs exprimens ab æquiuocatione non est immunis, quoniam non solum metallum, de quo in præsentia agitur, sed etiam quicquid ex ære conflatum est, veluti vasa & arma designat. Immò χαλκοῦν pro qualibet pecunia Græci accipiunt: quamobrem apud ipsos pecuniæ indigus ἄχαλκος vocatur, & in hoc sensu leguntur hæc carmina apud Lucilium. *Aere intelligitur aurum.*

Lib. 2. Epigr.

Ἑρμοδότου τόδε δογμα τὸ πάνσοφον, εἴ τις, ἀχαλκεῖ
Μηζέτι πειπήτω, θεὶς τὸ χιτωνάριον.

Idest.

Hermodoti hoc dogma eſt, quiſquis miſer indiget ære, idest pecunia,
Philoſophi aſſumat pællia diues erit.

Similiter Chalcos apud Plutarchum, in Vita Catonis ſenioris, nummum ęreum ſignificare videtur; cum traditum ſit à viris eruditis Obulum Atticum complecti chalcos octonos, & ſecundum Plinium, denos; nam quadrans binis Chalcis conſtabat, vnde dichalcus fuit appellatus.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

Lib. 16. Orig.

VARRO etymologiam æris paucis perſtringens ab Aſſe deductam eſſe voluit, quoniam As libram ſignificat, & Aes ante ſignatam monetam appẽdebatur. Iſidorus tamen æris originem, veluti & auri à ſplendore aeris deriuat. Nos autem æs ab auro eſſe denominatum aſſeueramus, quaſi dixerimus, aurum es, propter maximam ſimilitudinem, & conuenientiam, quam æs cum auro habet: niſi velimus hoc etymum ab αἶα, nempè terra deriuare; cum olim ære terra finderetur. Æs à Barbaris, authore Cęſalpino, Cuprum appellatur; cum cyprium æs Palladius Cuprum nuncupauerit. Sed ſatius erit, ſi dixerimus ęs à Romanis Cuprum fuiſſe vocatum, propter nobiliores huius metalli venas, quæ in Cypro inueniebantur: ſic enim Alberto, Valeſio, & Mylio, Cuprum, quaſi Cyprium nominatur, quoniam in illa inſula laudatiſſimum effoderetur.

Aeris græca nomina.

In Græcorum libris æs nuncupatur χαλκός, item χαλκεῖον: deriuant autem Græci hanc voeem χαλκον παρα τὸ χεῖν τὴν ἀλκὴν, quoniam hoc metalli genus magna fortitudine polleat. Ni hilominus Ioannes Grammaticus in Commentarijs ad Heſiodũ, hanc vocem, nempè χαλκὸν à gente Chalybũ inflectit, itaut æs vocetur chalcos, quaſi chalybos, ſiquidem ab his populis primùm in Scythia inuentum fuiſſe ferrum perhibetur, quod ipſi poſtea nomine (Chalcon) indigitarunt, cum ante vſum ferri non diſſimili voce æs appellaretur: quapropter hoc nomen etiam, Euſtathio teſte, ferro impoſuerunt. Vnde quando apud Homerum χάλκεον legimus, Expoſitores, iuxta veterem conſuetudinem, non æreum, ſed ferreum interpretantur. Chymiſtæ hoc metallum Venerem cognominant, vel quia ſit eiuſdem coloris cum ſtella Venere appellata, vel quia huic planetæ æs ſacratum eſſe exiſtiment. Alij, ratione coloris, aurum ęmulantis, ęs Aurichalcum nuncuparunt, cum tamen & ſubſtantia, & colore ab Aurichalco diſcrepet. Itali æs vocant Rame, quaſi Aeramen. Germanis dicitur Ertz, & Cupfer. Gallis Arain, Cuiure, Leton. Hiſpanis Cobre.

Aes Veneri ſacratum.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

Cap. 37.

OMNES affectiones, & dotes huius metalli breuibus comprehendunt Dioſcorides, Galenus, Plinius, Iſidorus, Albertus, Porta, Mylius, Valleſius, & Agricola: dum hoc quidem ex ſulphure rubro, & argento viuo non prorſus immundo in terræ vtero conflatum conſtituunt. Alij conſiderant hoc metallum in montium lapidibus genitum ex ſubſtantia elementari terrea paucæ humiditati permiſta: idcircò æs in comparatione ad cætera metalla, firmiſſimum, & ſolidiſſimum prędicant: cum Iob Cęlos quaſi ex ęre fuſo ſolidiſſimos pronunciauerit. In generatione ęris, ſubſtantia eſt aliquantulum aduſta, vnde robur metalli dimanare aſſeuerant: quare Philoſophi ęris temperaturam calidam, & ſiccam eſſe diuulgant; eius tamen ſiccitas ſiccitate ferri minor eſſe creditur. Deinde rubet quidem ęs, ſed poſtea eamdem cum argento duritiam, & liquefactionem participat: hinc Halchemiæ Profeſſores æs tanquam argenti fratrem promulgant.

Aes frater Argẽti.

Lib. 34. cap. 9.

Sin meditemur æris fuſionem; hoc Natura illi congenuit, referente Plinio, vt ingruente magno frigore, meliùs, & citiùs fundatur, ſed vehemens flammarũ examen

non

non tolerat, nam totum comburitur: vnde colligẽdum est multum exhalationis combustibilis ei inesse; præterquamquòd, in comparatione ad cętera metalla, odorem sulphureum, & fętidum spargit. Deinde si lapillus, vel lutum, vel lignum, vel carbo madidus, teste Agricola, in ęs adhuc fusum in catino inciderit, tunc catinus fremens instar tonitru, omne æs contentum euomit, & quicquid tetigerit, lædit, & incendit. Si conuertatur sermo ad æs factum, notandum erit, quòd æra sæpius detersa citiùs, quàm neglecta rubiginem contrahunt, & ab hac labe immunia, ex Plinio, pice liquida seruantur. Verùm oleo linita, vel sale, & aceto madefacta illicò ærugine vexantur, quamuis ab hac postea non consumantur. Quamobrem opera ænea æternitatem ferè assequi traduntur. Immò æs in speciem argẽti facilè tingitur, vt in Rubrica Præparationis exponetur. Tandem rerum naturalium inquisitores illam aquam esse optimam retulerunt, quæ in vase æneo diù contenta illud nõ maculauerit: item aquam in vasis æreis seruatam notabili incremento attolli obseruarunt, quando nubes in pluuiam densantur; idque inde nasci coniectarunt, quoniam Venus mari, & æri dominetur.

Lib. 11. de re metal.

Æs in speciẽ argenti tĩgitur.

DIFFERENTIÆ.

PRIMA facie æs natiuum, & factitium se se offert ponderandum. Natiuum vocatur, quod tale ex propria vena eruitur, factitium verò, quod violentia ignis ex lapidibus ære prægnantibus, Cadmia, & terra ærosa extrahitur. Aes natiuũ ratione substantię consideratum, magnam varietatem induit: namque interdum cum alijs metallis mixtum inuenitur, aliquando ei plumbum candidum, aliquãdo aurum, & quandoq; argentum inest. Natiuum tamen etiam purum in metallíferis montibus generatur, quod minimo indiget labore, vt ad humanum vsum trahatur. Neq; hoc nos magna debet admiratione afficere, quandoquidem si naturæ vis eò peruenit, vt aurum, & argentum purissimum in subterraneis locis generauerit, quemadmodum in antecedenti capite expositum; pariter in metallis minus perfectis idem præstare poterit: veluti in fodinis agri Volaterrani obseruauimus, quæ iussu, & sumptibus Magni Cosmi Hetruriæ Ducis apertæ fuerunt. Immò aliquando æs purum, & figuratum, & absq; figura repertum est, sicuti lector in hac icone contemplari poterit: vbi apparent grana cum multis angulis variarum figurarum hoc modo à natura formata in quibus quædam parua puncta, veluti scintillæ aureæ micantes conspiciuntur: quapropter hoc æs natiuum figuræ pangoniæ à nobis fuit appellatum.

Æs natiuum quale.

Æs natiuum figuræ pangoniæ.

1



Ratione coloris, æs maximè variat, rubet enim, viret, flauescit, candicat, aurescit, & interdum ad colorem purpureum, plumbeum, & nigrum vergit. Quandoq; in venis reperitur sui coloris, instar bracteárum, adhærens lapidi duro coloris spadicei, vel inuenitur in fluoribus purpureis, in lapide duro candido, necnon in lapide sciffili Mansfeldio suum habens colorem: licèt in hoc lapide interdum flaui coloris obseruetur. Item æs natiuum rubrum ab omnibus metallis liberum apud Mansfeldienses

Æs varij coloris.

eruitur. Immò ſui coloris eſt æs ſuacenſe in Alpibus Rheticis, quod portionem auri participare ſolet. Æs etiam foſſile rubrum nonnihil argenti continens ex illa parte montis Carpathi effoditur, quam Cepuſiam, teſte Agricola, nominant. Obſeruantur quoq; quidam lapilli duriſſimi in nigredine rubentes in fiſſili lapide incluſi, renibus animantium ſimiles, qui colore Metallarios decipiunt, nam cum oculis diuites æris appareant, igne poſtmodum explorati, nihil metalli fundunt. Æs pariter violacei coloris, & plerumq;, cærulei lapidi fiſſili adhærere ſolet. Hic exhibemus delineatam æris mineram, quæ in fodinis ferri Iluenſibus fuit reperta, coloris eſt cærulei admixto colore ferrugineo, cum ſcintillis æris radiantibus, vndè æris prægnans apparet.

Lib 2. foſſil.

Æris Minera.

Minera æris in agro Placent.

Item æs inuenitur in lapidibus terrei,& cinerei coloris. Effodiuntur quandoq; lapilli, globulorum inſtar, duri, & ponderoſi, quaſi ex arenis compacti, quorum cutis eſt cinerea & fracti argenteo colore refulgent, ex quibus virtute ignis interdum æs, & quandoq; argentum exprimitur. Vidimus etiam mineram æris ex agro Placentino caſtaneo colore inſignitam, quoad illam partem, quæ ad minerã æris ſpectabat, nam alia pars lapidis erat ſubſtantiæ nigræ, quia mineram ferri præ ſe ferebat: quandoquidem æris minera fluenſis plerumque ferrum annexum habere ſolet. Hic dubitandum eſt, num æs Plinij hepatizon huc referendum ſit, quod ſuo colore hepar animalium amulatur. Æs autem in lapide fiſſili repertum ſæpè colorem nigrum imitatur. Immò vena ærea plumbei coloris eſt reperta, cui portio plumbei ineſt, qualis in Fodinis Germaniæ ſæpius habetur. Quod naſcitur cum plumbagine, plerumq, multiplici colore eſt refertum, quaſi Zonis aurei, crocei, flaui, viridis, & cærulei coloris ſit decoratum.

Æris minera coloris multiplicis.

Poſtpoſito æris natiui quocumq; colore, lapides eroſi parumper ſunt examinandi: nam quamuis violentia ignis æs exprimatur ab illo lapide, quem Cadmiam foſſilem vocant,

A vocant, in montibus, & riuis Cypri à Galeno obseruatam; nihilominus lapides ærarij à natura plerumq; figurati conspiciuntur. Etenim alij ramos arborum præ se ferunt, alij signis aureis delineati formas piscium distinctas repræsentant. Sunt autem hi lapides Ichthyomorphi circa Islebiũ frequentes. Immò hæc vena Islebiana quandoq; gallinaceò, quandoq; salamandræ, vel serpenti assimilatur. Quapropter Mũsterus scriptis mandauit in Mansfeldia regione metallifera saxa quædam fissilia effodi squamis piscium æreis referta, æreq; prægnantia, cuius generis alia vix in toto terrarum orbe inueniuntur. Verùm debemus admirari pulchrum naturæ ludentis in his lapidibus spectaculũ, dum in his variorum animãtium icones adeò accuratè effigiat, vt penicillo delineatæ esse videantur. Islebia est oppidum Comitum Mansfeldensium in Saxonia, vbi talis lapis instar laminæ durus, & ære abundans, formam piscis habens æreis squamis conspicuam, qualis in præsenti icone demonstratur.

Vena æris Islebianæ qualis.

B

Lapis Islebianus Ichthyomorphos, Spinos fortè Theophrasti.

C



D

Hic lapis aliquibus Spinos Theophrasti censetur; cùm tamen hic in metallis Thraciæ repertus non sit valdè grauis, cum lapides metalliferi insigni grauitate nõ careãt Georgius Agricola in Saxo Islebiano effigiem Lucij, Percæ, Passeris marini, & similium animantium obseruasse fatetur.

Secundo loco datur figura lapidis piſcem exprimẽtis; propterea Ichthyomorphos alter appellabitur.

Lapis Ichtyomorphos alter.



Tertio loco collocatur icon lapidis cum figura Harengi; ideo Harengites nuncupabitur. Quarto loco in lapide figura Encraſycholi apparet. Quinto loco in lapide pars Anguillæ cõſpicitur, & quoniam Anguilla Græcis ἔγχελυς nominatur; hæc icon inſcribitur lapis Encheliomorphos.

Haren-

Harengites.



Encrasicholi figura in lapide.



Vlyſsis Aldrouandi Lapis Encheliomorphos.



Pyritum varia genera.

Inſuper præter hos figuratos lapides in prædicta regione varia pyritũ genera inueniuntur, quorum alia ſolum æs, alia argentum, & æs continent, alia tandem ſunt ſterilia, quæ igne etiam ſtimulata nil prorſus metalli effundunt.

Aeris differentia à loco.

Amplius æs à loco diſcriminatur: qua de re dicitur æs Cyprium, Corinthium, Deliacum, Ægineticum, Cordubenſe, Campanum, Temeſeum, & Dodonæum. Antiquiſſima æris gloria Deliaco fuit aſſignata, proxima laus Cyprio, ſeu, vt alij volunt, Æginetico ab Ægina Græciæ Inſula, vbi æs minimè producitur, ſed officinarum temperatura nobilitata. Campanum à Campania Italiæ Prouincia denominatur, veluti Cordubenſe à Corduba Hiſpaniæ Vrbe celeberrima. Temeſeum ob antiquitatem ſummopere commendatur, ſicuti Dodonæum propter pateras, tripodes & vaſa ærea, quæ in templo Apollinis ſeruabantur. His addimus Salluſtianum in alpino tractu Centroni repertum, & Liuianum in Gallia inuentum, vtrumq; à Dominis cognominatum. Immò æs quandoq; Corybantium, & Saturnium fuit nuncupatum; cum illud Phryges, & miniſtri vocati Corybantes in ſacris Cybeles, & hoc Itali in ſacris Saturni adhibuerint. Reſtat æs Corynthium memorandum, quod in illius vrbis incendio ex varijs metallis confluxit; quemadmodum in primo capite huius libri explicauimus. Hic exhibemus æs Corynthium, in quo conſpiciuntur biga, & equi ad curſum diſpoſiti, cum icone Famæ, & ſimulacro Victoriæ coronam habentis, vbi eſt etiã Cupido palmæramum geſtans, penès quem Charitatis ſimulacrum iacet.

Huius æris Corynthij fit frequens mentio apud Antiquos Auctores ob metalli præſtantiam, cum ex illo varia, & pulchra ornamenta fierent.

Si ratione redditus, diſcrimen æris ponderetur; aliquando lapidi fiſſili æs ita copioſum natura impertitur, vt centenarius libras quadraginta æris contineat. Minera Keptnica in Miſnia plumbeum refert colorem, & quibuſdam venis flauis referta eſt, ex cuius libris centum, ope fornacis, duæ æris libræ ſupra viginti extrahuntur.

Mi-

Æs Corynthium figuratum.

Minera Iuaceburgensis venis aureis est decorata, lapidio; scissili assimilatur, hęc pro centum libris, viginti æris reddit. Tandem minera Anebergica, quę subrubei coloris est, sexdecim libras ęris restituit, dum centum huius libræ in fornace collocantur. *Mineræ rum reditus.*

Demum quoad opus, aliud est æs perfectè elaboratum, quod Mylius perperam vocat Orichalcum, aliud imperfectè præparatum, & Cuprum nominat: cum tamen orichalcum hodie ex lapide calaminari, & ære confletur: veluti singulis æris vncijs, addito senorum scrupulorum auri pondere æs pyropum resultat, cui color igneus nomen imposuit, quoniam hæc mistura, ex Plinio, flammas imitatur. At æs regale metallicorum nuncupatur, quod in fornacibus ab omnibus vitijs, & immunditijs expurgatum facilè malleo dilatatur; cui, ad mentem Plinij, æs caldarium opponitur, quia malleo percussum frangitur: cum tantummodo ad Lebetis, & Aheni formam recipiendam sit idoneum. Denique æs theatricum, vel coronarium id cognominatur, quod in laminas dilatatum, & felle Tauri tinctum, veteribus Latinis Lucar dictum speciem auri præ se ferebat, & olim in coronis Histrionum, vt scribit Plinius, nec non in theatris adhibebatur. Multi perperam opinantur hoc esse illius speciei, quę hodie, ornamenti gratia, in templis Italicis suspenditur, cum tamen hoc non sit æs felle tinctum, sed potiùs orichalcũ in laminas extensum esse existimamus. Chymici quoq; sua Æris discrimina assignant, vidélicet Cuprum naturale, herminium, & chymicum. Herminium nigrum esse, & ab Halchemia arcendum pronunciãt. Chymicum verò est illud, quod singulari artificio ex alia materia, quam ex vena metallica præparatur.

Æs pyropũ quale.

Lib. 34. cap. 8.

Æs coronarium quale.

ÆRIS RECREMENTA.

IN primo capite huius libri omnia metallorum recrementa fuerunt examinata, inter quæ squamam, scoriam, & florem æris enumerauimus; æruginem tamen propter duas rationes non memorauimus. Prima est, quoniam ærugo, & ferrugo inter succos concretos recensentur, de quibus tertio libro huius Tomi agendum erit. Secunda est, quia in hoc capite nonnihil de ea differendum erat. Itaq; æs infestatur vitio, quod æruginem vocant, & potissimùm si à contactu rerum acrium lædatur. Hæc igitur ærugo, quæ vulgò Viride, æris nuncupatur, à Dioscoride duplex, ni-

mirum

mirum natiua, & factitia conſtituitur. Natiua in metallis Cypri adhęrens lapidibus nonnihil ęris participantibus inuenitur, quę pauca eſſe ſolet: optima tamen à fodinis ęrarijs eruitur; quoniam Dioſcorides aliam ſpeciem à ſpecu manantem vitioſam eſſe monuit. At ęruginem factitiam triplicem eſſe perhibent. Prima vocatur raſilis, cum ex metallo ſupra ſuccos acres ſuſpenſo, & virorem contrahente abradatur, quam multifariam fieri Dioſcorides docuit: nam quandoq; Opifices laminis, & vinaceis aceſcentibus, quandoq; ſcobe vtuntur. Hodie limaturam cum tartaro, ſale, & aceto miſcent, & ęruginem, ſeu Viride ęris prępărant, quod infectoribus lanarum, & pannorum vendunt. Secunda ærugo factitia vocatur ſcolecia, nempè vermicularis, quoniam ad inſtar vermium cõcreſcat, & iuxta modum aſſignatum à Dioſcoride, & à Plinio prępăratur. Huius etiam generis foſſilem in lapide ęrario Plinius ſe obſeruaſſe teſtificatur. Tertia ęrugo factitia eſt Aurifabrorum vocata Santerna, & Arabicè Tincar, vel Borax, & nil aliud eſt, niſi chryſocolla factitia, qua hodie Aurifices vtuntur, quę fit quidem ex nitro, ſed nihil habet ęruginis. Ærugo in Gallia laminis ęneis, & vinaceis aceſcentibus paratur, nam hę laminę poſt multorum dierum ſpatium in Viride ęris vertuntur. At in Hiſpania ſulphure, & vitriolo ęs in calcem reducitur, quę ab opificibus *Feretto di Spagna* appellatur, & in multis medicamentis externis locum habet. Sed de his plura ſuo loco dicentur.

Ærugo factitiæ triplex.

Lib. 34. cap. 12.

ÆRIS VENENVM, ET MEDELA.

AVTHORES non proletarij naturam æris calidam & ſiccam vſq; ad tertium exceſſum, nec non valdè noxiam humanæ temperaturę conſtituunt. Pariter ex eorumdem ſententia, Scoria, Squama, & Ærugo huius metalli humanam valetudinem ſummopere offendunt. Immò æs cum ſiccitatem & caliditatem in principio quarti gradus nanciſcatur, proculdubiò venenata qualitate magis redundat, & ad ſtabiliendam hanc ſententiam, Ceſalpinus citat Arabes, & pręcipuè Serapionem, qui referũt vas ęneum piſcibus fixis adhuc calẽtibus ſuperpoſitum, eos adeò inficerẽ, vt inſtar veneni, lethales euadant. Quapropter ſi prædictorum aliqua portio in cibis, data opera, vel incautè aſſumatur, vel liquor, qui diù in vaſis æneis, vel manſerit, vel fuerit decoctus, hauriatur; proculdubiò varia ſymptomata patientem affligentia reſultabunt. Primò dolor ſtomachi, & ventris emerget, patiens vomitu, & fluxu alui infeſtabitur, inteſtina vlceribus vexabuntur, & interdum difficultas anhelitus patienti maximo erit incommodo. Verùm æs vſtum ſi cum alimentis, vel in medicamentis aſſumptum fuerit, tunc ſymptomata grauiora, & ſæuiora euadunt. Cauſa doloris ventriculi, & inteſtinorum à vellicatione, & roſione, ob inſignem æris ficcitatem, & caliditatem, nec non venenatam qualitatem dimanat; hinc vomitus, & alui fluxus emergunt. At difficultas anhelitus inde oriri creditur, quoniam ſubſtantia pulmonum à venenata æris ficcitate conſtringitur.

Signo effectum mõſtrantia.

Itaq; medicus cum valetudinem ab hoc metalli genere offenſam obſeruauerit, primò medicamentis, nempè aqua tepida, oleo, & butyro vomitionem procurare debet, vt materia venenata adhuc in ſtomacho contenta per partes ſuperiores educatur; poſtmodũ clyſteres ſunt præſcribendi, vt noxia materia in inteſtinis delitеſcẽs per feceſsum deturbetur. Rhaſis in hoc caſu commendat illa præſidia, quæ ad expugnandũ venenum arſenici ſublimati conferunt, quod medelæ genus ab Auicenna minime improbatur. Conciliator in ſimili caſu ſuccum mentæ, vel ſuccum Acori laudat, cuius drachmas duas cum vino exhibet, vel drachmam terrę ſigillatæ pariter cum vino albo propinat: immò ex corallo rubro præparato, & in potu ſumpto non vulgarem vtilitatem eſſe percepturum patientem teſtificatur.

Lib. 8. ad Almans.

In Tract. de Venen.

ÆRIS INVENIENDI, PRÆPARANDI, & miscendi ratio.

PLINIVS pauculis verbis complexus est quicquid ad inuentionem æris attinere videtur: siquidem primùm in Cypro inuentum fuisse diuulgauit, signa verò loci venarum æris non tetigit. Loca æris prægnantia, propter metalli impuritatem, varijs coloribus refulgere solent. Verùm ærugo, chrysocolla, & pyrites ærosi si inueniãtur, certissimum venæ ærariæ ibi occultatæ indicium esse possunt. His additur signum euidentius, nempè fractura lapidum, qui magis à materia ærea; quàm ab alia exhalatione metallica finduntur; propterea quòd æris substantia est adusta, & nimia huius materiæ caliditas portionem lapidum humidiorem absumens, illos necessariò fissiles reddit: quamuis, vt dicemus suo loco, id etiam à substantia hydrargyri prouenire possit. Insuper Plinius cũ alijs Antiquis, ex lapide æroso solum æs cõflabat, neq; aliud metallum ex huiusmodi lapide excoqui posse pronunciauit: cum tamen hodie non æs solum, sed interdum etiam argentum ex simili materia lapidea extrahatur. Verùm quidem est quòd huiusmodi lapides veluti etiam pyrites quandoq; sine metallo inueniuntur. Præterea Antiqui, & Recentiores varia excogitarunt artificia, vt æris venæ excoquerẽtur, vel vt æs ab argento segregaretur, quorum omnium rationem in suo opere metallico Georgius Agricola complexus est. Amplius ex alia etiam materia, quàm ex prædictis venis, & lapidibus ærosis æs parari solet: scribit enim Porta in Smolinicio oppido Carpathi montis Pannonię esse puteum, ex quo aqua in tres canales hausta effunditur, & ferrum illis impositum in æs vertitur, & tenuia frusta in lutum abeunt, quod postea ignibus excoctum in æs purissimum transit. Alij aqua vitrioli fossilis ferrum dissolutum perfundunt, vt in rubiginem conuertatur, ex qua postea miro artificio æs factitant. At examen æris impuri, scilicet quantum puri, & perfecti, vel quantam argenti portionem contineat apud Andream Libauium legatur.

Lapis æro-sus qualis.

Lib. 11. de re med.

L. 5. mag. nat. cap. 4.

Æs diligenter purgatum, & ab alijs metallis separatum Opifices multifariam colorare nituntur. Namq; interdum illi fuso cadmiam addunt, & æs colorem aureum induit. Aliquando Magnetidem, seu Talcum, & tunc speciem argenti repræsentat: quandoquidem ex Talco candido chymicis organis oleum extrahitur, quòd in ære dealbando est præstantissimum. Alij præterea apud Portam leguntur modi, quibus ex ære argentum mentiri possumus. Nonnulli metamorphosim æris in argentum assequi conantur, dum æquas portiones Auripigmenti, & Halinitri in vase vitreo supra carbones comminuunt, & huius pulueris semunciam singulis libris æris fusi addunt miscendo, donec in veram argenti formam transmutetur.

Li. 5. mag. nat. cap. 4.

Sin misturam respiciamus, hæc duplicis generis esse solet: vel enim æs cum alijs metallis, vel cum alijs fossilibus permiscetur. De vltima mistura paulò ante egimus, quãdo cum magnetide colorem argenteum, & cum lapide calaminari *Gelamina* nũcupato colorem aureũ acquirebat, nam hoc postremo modo præparatum, Aurichalcum appellatur. Itaq; æs antequam cum alijs metallis fundatur, eius fusio tarda, vel celer est ponderanda; cum Mizaldus, ad accelerandam æris fusionem, vngulas equi inter fundendum permiscear. Quemadmodum igitur cætera metalla suam habent misturam, quam Opifices *Legam* vocant: pariter æs ab hac non est alienum, non vt æris massa augeatur, veluti de auro, & argento relatum fuit; sed vt ab illo quædam visciditas auferatur, quæ impedit, quo minus rectè ad varia opera fundatur. Miscetur ergo cum Stãno, & Aurichalco; propria tamen, & optima mistura vel *Lega* perfectum Stannum esse traditur, vt opera sine malleo parentur, nam operibus malleo, & dilatatione egentibus, æs purissimum, & perfectum esse debet, quoniam æs mistum malleo frangitur. Hæc mistura, pro varietate operum, varia esse debet, nam aliam statuæ, aliam bombardæ, aliam Campanæ, aliam demum mortaria, & lebetes expostulant. Quandoquidem centum libræ æris, cum duodecim stanni pro tormentis bellicis maioribus metallum cõficiunt. Sed centum libræ æris cum viginti stanni, metallum pro

Mistura Aeris varia.

Cam-

Campanis conſtituunt. Hæc miſtura ab opificibus aliquando metallum, aliquando *bronzum* appellatur, iuxta maiorem, vel minorem ſtanni quantitatem, quam recipit. Nonnulli pro minori impendio Aurichalcum, vel Plumbum æri admiſcent, & ſimiliter *bronzum* pro varijs operibus conflare nituntur.

LOCVS.

ÆS procludubiò in proprijs venis, aliquando in argentarijs, ſed copioſiùs in mineris plumbi reperitur; ideoq; Metallarij Fribergenſes ſæpiùs obſeruarunt. Nos in præſentia, ex more, loca peculiaria, & natalia æris iuxta ordinem alphabeticum enumerabimus. Amyclas Politianus vocat æriſonas, quoniam olim ære claruerint. Anglia, & Angola non ſolum ære, ſed etiam alijs metallis abundant: Arabia deſerta ad vicum inter Petram, & Zoaram, æris, metalla ſunt. In Auſtria ſunt æris metalla omnium præſtantiſſima, cum vix alibi æs ſimile reperiatur, vt Ortelius in Theatro orbis narrauit. In Bohemia Cuperburgum, & Corteburgum ærarijs ſcatent, & in Britannia æs Scoti fodiunt.

Loca natalia Aeris.

In Camania æs effoditur, & apud Carthaginẽſes in mõte Smaragdicte æs eruebatur. In Carpathi montis parte, quam Cepuſiam vocant, ſunt tria æris metalla, Golmitium, Roſatula, & Smolinitium, vbi etiam atramentum ſutorium paratur. Catinus mons æris minera abundat, quæ ex libris centum, æris ſexaginta reſtituit. Apud Cellenſes thermas ſunt æris venæ, quoniam illæ a quæ, ex Coſmographia vniuerſali, naturam æris ſapiunt. In Centronum alpino tractu æs illud fuit inuentum, quod à Romanis Salluſtianũ vocabatur. In Chattis fodinæ æris veteres, & nouæ ſunt. Chalcitis inſula Aſiæ è regione Chalcedonis vrbis Bithyniæ ſita, æris metalla habuit. Item Chalcæ oppidum, quod ex æriſodinis nomen inuenit. Apud lacum Cotinas Ortelius ærarias, & argentarias collocat. Cuperburgum in radicibus Sudetorum montium æris mineræ eſt ferax. Cyprus, quam veteres Latini Æroſam nuncuparunt, laudatiſſima æris metalla habuit.

Salce oppidum cur ſic dictũ.

Foroiulianæ regionis montes ære abundant. In Euboeæ campo Lilanto, qui ſupra Chalcidem, ex ſententia Strabonis, eſt ſitus, admirabile æris, & ferri metallum commune reperitur, quod nuſquam alibi inueniri memoriæ eſt proditum.

Galliæ non defuerunt æris mineræ, ex quibus delatum fuit illud, quod Romani Liuianum appellarunt. Germania ſemper fuit, & adhuc eſt æris ditiſſima; quandoquidem in Germania ſuperiori habitantes tractum Obrincanũ ad Herſteinum, æs eruũt. Item Germani incolæ vallis Armenſis, tractus Sitteni in Sedunis, æs hodie effodiunt, præterquamquòd in Germania etiam repertum fuit æs illud, quod temporibus Plinij deferebatur. In Goſelaria regione Germaniæ, ad mentem Alberti, æs cum quibuſdam lapidibus miſtum inuenitur, qui pyritem aurei coloris æmulantur. Gothia, & Suetia fodinis huius metalli ſcatent, & Operarij, referente Botero, circa illas verſantes decimam æris partem Regi tribuunt.

Aes Liuianum vbi.

Inter Heluetiæ montes, vt Ioannes Boterus annotauit, mineræ æris ditiſſimæ latibulantur. Hiſpania æreis fodinis probè fuit ditata, vnde effoſſum fuit illud æs, quod Romani Marianum, & Cordubenſe nominarunt. Hundeſtruck, vt legitur in Coſmographia vniuerſali, Regio eſt, ad quam, eruendi æris gratia, certatim ab omnibus itur.

Aes Marianũ, & Cordubense vbi.

Indiæ Occidentali Ioſephus Acoſta diuitias æris perinſignes attribuit, quod Incolæ pro varijs tantùm inſtrumentis concinnandis eruebant, cum ferrum tunc apud ipſos non eſſet ex vſu. Islebia Regio Manſeldenſium diuitiarum æris nobilitate eſt clara, cum maiori copia lapidum æroſorum, quàm fructuum ſcateat. Apud Italos in agro Bergomatium, & in Campania ſunt æris metalla; immò in Communi Bombianæ territorio Bononiæ Dominicus Albanus Cauſidius, & vir omnigena eruditione clarus venas æris obſeruauit. Cur autem in Italia huiuſmodi venæ non effodiantur; multi cauſam Incolis aſſignant, quia ſint, vt Græci loquuntur, Micropſychi, vel quia careant illis facultatibus, quæ in foſſione metallorum deſiderantur. Liberia vallis apud Seleſtadiũ opibus huius metalli ampliſſimis eſt aucta, quod facilè funditur, ſed malleo dilatari haudquaquam poteſt.

lib. 4. hiſt. Ind. ca. 3.

Man-

Mansfeldia in cõparatione ad alias regiones est huius metalli opibus ad luxuriam plena, vt superius in Islebia recitatum fuit. Apud Massagetes æs copiosum effoditur. Materam vrbem Lucaniæ multi cognominatam volunt, quasi Matrem æris, licèt alij scripserint dictam quasi Matrem terræ, cum amplum territorium possideat. His additur Mauritania æris abundè diues. In Meliboci montis parte ad Saxoniam spectante, ęris metalla non desunt. In Meroe insula sua æraria, ex Botero, Æthiopes habuerunt. In Misnia ad Snebergum ęris fodina conspicitur. Monoemugi habet mineras æris, vt Boterus retulit. Immò in Morauiæ finibus æs purissimum eruitur. In Noruegia, post Bergum oppidum, vetus est regio Telemarchia dicta, in cuius montibus duo ęris metalla delitescunt. In Obriano tractu ad Hersteinum effoditur vena ęris nil argenti possidens; cum tamẽ alibi omnis ferè minera huius metalli aliquam argenti portionem contineat.

Mansfeldia Aere scatet.

Telemarchia regio vbi.

Palestinę montes, vt Ortelius refert, qui ad Arabiam spectant, magnam ęris vbertatem fundunt. In Phrygia propè Cisthenem vrbem ęraria olim fuerunt, vnde Delos Phryx fortè ortum duxit, quem Theophrastus ęris conflandi rationem monstrasse opinatur: quamuis secundùm Ortelium, Pœoniæ gentes primùm æra elaborauerint, & ferrum purgauerint. Polonię regno Ortelius, in Theatro orbis, æris fodinas assignat, quæ in montibus ab Incolis Tatriab cognominatis apertæ sunt. Pariter, iuxta mentẽ Ortelij, Prasias palus est Thraciæ, in cuius confinijs venæ æris generantur. Demùm Ager Puteolanus alumine, ferro, & ære mirandum in modum affluit.

Ager Puteolanus quibus scateat.

In Salasorum alpibus olim venæ æris creuerunt. Penès Sinopem vrbem antiquissimã Milesiorum coloniam, æris copia inuenitur. Sueui, quos Dalecarlos Agricola cognominat, in Cuperdala, nimirum in valle æris, circa fossuram huius metalli desudant. His additur Sumatra, quæ ingentem auri, argenti, & æris farraginem producit.

Vallis Aeris vbi sit.

Temesam Statius, & alij Authores tanquam ęreis venis fœcundam celebrarunt. Sed Strabo duas Temesas alteram Cypri, alteram Brutiorum in Italia constituit, hanc postremam ab Ausonijs conditam, & fodinis æris nobilitatam Calepinus memorat. In Troade ad Astyram vicum æris metalla non desunt. Immò in Tirolensi comitatu, vt Cosmographia vniuersalis docet, Opifices assiduis laboribus circa venas æris versantur. Vngaria quoq; æris non est indiga. Postremò recitat Boterus plures mineras æris in agro Volaterrano quàm fructus esse.

DENOMINATA, & Cognominata.

CVM multa diuersi generis memoratu digna ab ære denominentur; primùm à rebus animatis inchoabimus. Æsculanum Deum ab ære cognominatum Veteres inuenerunt, & tanquam patrem Dei Argentini, & pecuniarum largitorem coluerunt: hinc D. Augustinus admiratur, cur Antiquitas Deum etiam Aurinum non constituerit, quem Argentini filium, & Æsculani nepotem vocarent. Dionysius Rhetor, & Poeta cum Athenienſibus persuasisset, vt nummis æreis vterentur, auctore Cælio Rhodigino, ab illis χαλκᾶς, nimirum æneus fuit cognominatus. Pariter Didymus Grammaticus χαλκέντερος fuit appellatus, quasi, ob indefessum studiũ, ærea intestina habuerit. Chalcantem vatem à Poeta tantoperè celebratum ab æreo, vel purpureo colore nuncupatum fuisse multi asseuerãt; cum Eustathius chalcem purpuram interpretetur. A colore pilorum quidam cognomentũ Ænobarbi acceperunt, vt Fridericus primus Imperator χαλκοπώγων dictus, quasi æneam haberet barbam. Item Domitius eiusdem fuit cognominis, propterea quòd cum Castori, & Polluci victoriã ei nunciantibus minimè crederet, barba ab illis permulsa, ex fusca in flauam fuit conuersa, & ab æneo colore Ænobarbus fuit appellatus, quod cognomen postea familiæ Domitiorum fuit. At Æruscator vocatur ille, qui malis artibus pecunias colligit; ideò æruscare, quasi *buscare*, Veteres dixerunt, hinc inde fallacijs pecuniam cumulare. Ærarij apud Antiquos vocabantur milites stipendia facientes. Item Ærarij, qui monetam ex ære cudebant. Immò ærarij Prætores apud Tacitum, qui publicum Ærariũ tra-

Lib. 4. de ciuit. Dei cap. 21.

Lib. 10. lect. antiq. cap. 2.

Aenobarbi vnde dicti.

Aerarij fabri vbi nõ fuerint.

tractabant. His addantur ærarij fabri, Chalcotypi, vel Chalcurgi à Græcis nominati, qui opera ærea fabricant, quos Sybaritę, vt recitat Athęneus, in ſuam ciuitatem recipi noluerunt, ne ſomnus perturbaretur; immò ob eamdem cauſam gallos etiam in ciuitate ali non permiſerũt. Apud Gręcos χαλκοθώραξ exponitur ęreo thorace vtens, & χαλκοκάρδιος, qui ęneum pectus habet, metaphoricè tamen apud Theocritum fortis, & animo inuicto dicitur. χαλκάσπις ęreum geſtans clypeum, nec non bellicoſus vocatur. χαλκογράφος eſt, qui ęreis litterarum notis ſcribit, & πολυχάλκος dicitur ęre, nimirum pecunia abundans Apud Sophoclem χαλκόβοας exponitur ęre canens, Æriſonus, & Tibicen, & χαλκοπλάστης, qui ſtatuas, vel alia opera ex ęre fingit.

Animalia ab Aere cognomenta.

Amplius nonnullę beſtię ab hoc metallo nomen ſumpſerunt. Apud Ariſtotelem legitur Chalcis auis, quę ab ęreo colore nomen inuenit. Similiter apud eumdem eſt piſcis Chalcis, quem Theodorus Gaza Æricam vertit; licèt Ærica apud Metallarios ęruginem ſignificet. Pariter Chalcis Scoliaſti Nicandri eſt Serpentis genus, cuius tergus lineis quibuſdam ęreis diſtinguitur. Plinius hoc animal in lacertarum genere collocat, nec forſitan ſine ratione, quoniam nos id à lacerta chalcidica minimè diſcrepare exiſtimamus, cum multi Auctores hanc, ob exiguos pedes, ſerpentem eſſe opinãtur. Æripes dicitur æreos pedes habens, vel potius ęre munitos: quamobrem Ceruus, Equus, & Taurus, æripedes à Poetis fortè ob fortitudinem nuncupati fuerunt. χαλκόποδες etiam dicti ſunt Boues Æetę, item & furiæ, necnon ſpectrum illud, quod Empuſam vocant, quoniam pedes æneos habuerint.

Plantæ ab Aere denominatæ.

Nonnulla vegetabilia æreo nomine gaudere vidẽtur. Namq; χάλκιος apud Theophraſtum, & Plinium à Theodoro Gaza vertitur Æraria, eſtq; planta iuxta eorum mentem ſpinoſa, ſed ratio nomenclaturę ab illis non redditur. Cęſar Odonus in Theophraſtum huius plantæ deſcriptionem noſtræ pimpinellæ ſpinoſæ conuenire arbitratus eſt, rationem tamen etymi non aſſignauit. Nonnulli igitur plantæ etymologiam ab effectu deriuarunt, quoniam folijs huius plantæ vaſa ænea detergerentur, vel vt alij voluerunt, quoniam folia ſunt ærei coloris, nempè obſcurè virentis, & hoc poſtremum etymum Auctori hiſtoriæ generalis plantarum magis arridet, qui plantam hoc nomine delineat producẽtem folia iuxta ſupernam partem obſcurè virentia, qualis color in ære conſpicitur. Ludouicus Anguillara ſcriptis mandauit ad Chalcei naturam referendam eſſe illam plantam, quæ in Peloponneſo, ex Zacyntho nunc appellatur Chalcoma: eſt enim lignoſa, humilis, rubeus, & aculeata. Aera apud Dioſcoridem eſt illa planta, quæ à Latinis vocatur Lolium, & peſtis tritici, quæ cum ære nihil habet commune: quandoquidem græcè ſcribitur ἄιρα, hinc farina ærinea, ideſt loliacea, quæ non ab ære, ſed ab Æra nempè Lolio denominatur.

Lib. 37. cap. 5.

Lapides ab Aere denominati.

Cap. 21.

Deinde multi lapides tàm pellucidi, quàm opaci ab ære nomen deſumere videntur: quãdoquidem ſecundùm Plinium Chalcoſmaragdus gemma eſt venis æreis turbida, quæ in Cypro inuenitur. Similiter apud eumdem Chalcophonos lapis eſt niger pellucidus, qui illiſus, ęris tinnitum edit: quamuis, ſecundùm alios, ſit ſaxum fiſſile rubicundum in alpibus natum, quod mutua laminarum colliſione argutũ æris ſonum reddat: alioquin χαλκοφωνὸς habens ęream vocem, & χαλκοφανὴς ęreo colore ſplendens exponitur. Item ſpecies quędam adamantis cypria, quę ad colorem ęris vergit, Chalcodamas appellari poſſet. Chalcedonius apud Veteres gemma ab ęre denominata eſſe videtur; ſed in Apocalypſi χαλκηδὼν duodecim gemmis annumeratur, & D. Hieronymus Chalcedonium vertit. Geſnerus tamen putat gręcam vocem eſſe corruptam; quandoquidem legi deberet καρχηδόνιος, nimirũ carchedonius gemma, & ſpecies carbunculi, ità dicta à Carchedone, ſcilicet à Carthagine, cum olim à mercatoribus Carthaginenſibus hæc gemma Romam afferreretur. Aliter Chalcedonius lapis hodie vulgò dictus ad Onychem referendus eſt, vt ſuo loco explicabitur.

Lapides opaci ab Aere dicti.

Inter lapides opacos recenſetur Chalcolithos, nempè lapis æroſus in Aegypto repertus exiguæ molis, ſed ærei coloris, Othonna vocatus, & ad genus pyritum referendus. Chalcitis verò lapis eſt quidam rubicundus, ex quo vt plurimum æs excoquitur: hinc pyrites æroſi, & ſaxa æroſa dicuntur, quæ multũ æris in ſe continent. Aliquando inuenitur lapis cortice ærei coloris armatus, qui meritò chalcoplites erit appellãdus, veluti lapis argenteo, vel aureo cortice tectus, Argyroplites, & Chryſoplites vocabatur. Hic damus primo loco delineatũ pyritẽ æroſum figura œnophori, vel percę.

Æroſus

Ærosus pyrites figura œnophori, vel percæ.



Secundo loco delineatur lapis signis quibusdam æreis distinctus, qui non sine ratione Chalcostictos esset dicendus, sed libenter nominatur Allantites παρὰ τὸ ἀλλαντος, nempè à forma farciminis, immò ratione vtriusq; Chalcallantites vocari deberet.

Lapides apasi ab Aere dicti.

Præterea sunt nonnulla metallica, quæ ab ære denominantur. Apud Hippocratem legitur γῆ χαλκης, nimirum terra æraria, quæ nil aliud, nisi lapidem chalcitidem paulò ante memoratum significat, quemadmodum Galenus in commentarijs testificatur. Item Parætonium est genus coloris, quod à loco natali quodam Aegypti nomen inuenisse perhibetur, hoc spuma æris ab aliquibus nuncupatur. Immò illum concretum succum metallicum, quem Nuperi ab aliqua vitri viridis similitudine Vitriolum vocant, & Celsus atramentum sutorium, & germanicum, vulgus aquam cupri, Græci Chalcanthũ indigitant, quasi humorem ab ære efflorescentem dixerint. Nihilominus χάλκανθον, & χαλκὸς ἄνθος apud ipsos differunt, cum hoc postremum vocabulum florem æris tantummodò indicet, de quo supra verba fecimus. Orichalcum est metallum aurei coloris, ita nuncupatum, quia in montibus generetur, de quo insequenti capite sermo habebitur. Ærugo est recrementum, quod ab ære in locis humidis locato dimanat, & ἰὸς à Dioscoride dicitur. Chalcolibanum in sacris paginis videtus vocabulum ex ære, & thure compositum, fortè erit æs montis Libani. Suidas hoc esse genus Electri auro pretiosius asseuerat. Tandem subæratæ statuæ vocantur quæ intus æneæ, foris autem auro tectæ conspiciuntur.

Allantites lapis, ſeu Chalcallantites.



Iam accedendum eſt ad Vrbes, Loca, & Fluuia, necnon ad multa alia, quæ ab hoc metallo nomen inuenerunt. Primitùs multæ Vrbes Chalcides fuerunt nuncupatæ. Vna vetus in Euboea, vulgò *Negroponte*, vbi eſt Chalcitis inſula. Altera Corynthi. Tertia Aetoliæ. Quarta Syriæ, quam ad aliquorum mentem Monicus Arabs condidit. Quinta Scythiæ, de qua Homerus ſcripſit, vnde Lydus Scytha dimanauit, qui fuſionem, & temperaturam æris docuiſſe traditur. Alioquin Chalcedon eſt vrbs Bithyniæ iuxta Boſphorum Thracium. Chalcetorium eſt oppidum Cretæ, & Chalce oppidum Laryſſeæ, & Chalcea oppidum Libyæ; Polybius verò id non concedit, ſed Chalceam officinas ærarias eſſe arbitratur. Aeroſam, ob copiam metalli, Antiquitas Cyprum cognominauit. At Chalcis eſt fluuius, qui ab ære nomen inuenit. Porta quædam Romæ eſt Aeſculana dicta, quam & Raudeſculanam nominant. Immò apud Euripidem χαλκοπυλος æreas portas habens exponitur. Item χαλκόδους ὁδὸς eſt via per Ærarias ad inferos, vt Apollodorus ſcripſit, fortaſſis propter ingentem puteorum profunditatem, quibus æs effoditur. χαλκώρυχιον eſt æriſodina, & locus, in quo æs elaboratur, & officina æraria, & cupraria etiam nominatur. Aerarium eſt locus, in quo publica pecunia

Vrbe ab Aere dicta.

A cunia asseruatur ita cognominatum, quoniam prima moneta fuit ærea. Aerarium autem nomen adiectiuum indicat illud omne, quod ad æs, vel ad ærarium pertinet. Tandem prædia adærata apud Iuris Consultos dicuntur æstimata, quoniam adærare est ære æstimare.

Prædia adærata qualia.

Æra apud Antiquos vocabatur illa numeri nota in monetis æreis signata, ex qua pretium pecuniæ colligebatur. Item, ex Cælio Rhodigino, Astrologi vocabãt Aeram aliquod insigne tempus, à quo supputationes incipiebant. Pariter Baronius Æram peculiarem computandorum annorum rationẽ apud Hispanos esse scripsit. Sed Ærea apud Callimachum pro pila, vel globo æreo accipitur. Hinc ad alia multa ab ære denominata transeundum est. Primò Chalcea fuit titulus fabulæ à Menandro exaratæ. Item Chalcea erant festa quædam aliter vocata Athenea, quæ ab operarijs, & potissimum à Fabris celebrabantur. Hinc multi coniectarunt, vt refert Eustathius, Athenienses ærariam fabricam primos exercuisse. Aerosum vocatur, quod ære abundat. Aeratum quod ære est coopertum: idem est quod apud Græcos ἐπίχαλκον in superficie

L. 10. lect. antiq; c. 2. Anno Christi 225.

B æratum. Aereum, & aerificium, quod est ex ære factum, idem est, quod Græcis χάλκεον. Auctores tamen æreum metaphoricè appellant quicquid firmum fortè, & quasi inuictum est: quandoquidem apud Horatium legitur murus ahenus, & turris ob fortitudinem ahena. Pariter nonnulli dentes Chalceatos, quasi robustos, & fortes nominarunt. Immò æreum vinculum pro perpetuò nonnulli vsurparunt, rationem inde colligentes, quoniam hoc metalli genus ab ærugine non absumatur. χαλκοῦν nempe chalceum apud Græcos varias solet habere significationes, sed hæc vox potissimũ denotat quodcumq; vas ex ære formatum, propterea Bononienses vasa ærea ad hauriẽdam aquam apta *Chalcedra* vocant, quoniam χαλκὸς est æs, & ὕδωρ aqua. Pariter Aenum est genus vasis, cacabum, vel caldarium significans, & quando diphtongus interposita aspiratione diuiditur, tunc profertur, & scribitur ahenum: siquidem aeneum, & ahenum idem, quod æreũ esse perhibetur. Chalcothecas Antiqui poculorum æreorum repositoria indigitabant. Demùm ætas ærea, vel seculum æreum pro tertia illa ætate à Poetis sumitur, quæ successit argenteæ. Hanc Ouidius quãdoq; æratam appellauit. Postremò exchalciare est verbum à χαλκὸς formatum, nam ære spoliare, & nummos auferre significat.

Murus cur dicatur ahenus.

Differentia inter Aenum, & Ahenum.

C

EPITHETA.

IVXTA nostram consuetudinem non est antiquanda epithetorum æris memoria: quandoquidem Poetæ à loco natali æs Cyprium, Corynthium, & Temesæum dixerunt, item Deliacum, cum in Delo prima fuerit æris nobilitas: namq; Deorum, atq; hominum simulacra ex illo fiebant. Myron enim statuarius ille celeberrimus ære Deliaco semper vsus est. Neq; omittendum est Aegineticum, quod Polycletus Myronis æmulus, referente Plinio, in formandis statuis semper adhibuit. Aes ratione substantiæ consideratum, rigidum, solidum, & graue dictum est: hac de re apud Oppianum χαλκὸς οὐλητὸς legitur. Quoad colorem, Homerus χαλκὸν ἐρυθρὸν, nempè rubicundum cognominauit, & alibi ab eodem authore οἶνοψ χαλκὸς nimirum vinei coloris dicitur. Quando verò Poetæ splendorem metalli contemplantur, tunc illud coruscans, splendidum, micans, & decorum indigitant: quamuis decorum æs pro orichalco à Virgilio fuerit vsurpatum, quemadmodum Seruius est interpretatus. In hoc sensu ab Homero χαλκὸς διαυγὴς, νώροψ & ἠλεκτὸς scilicet pellucidus, & splẽdens cognominatur; immò ἀργυρόδινης argenteos vortices habens. Si varia respiciantur opera, quæ ab ære formantur; Latini in primis æs cauum, & concauum propter tubas nominant. Ab Homero vocatur σμερδαλέος terribilis, & Orpheus ἀπειθέα χαλκὸν, nempè inuisum nuncupauit, fortè ob arma, quæ olim in perniciem hominum ex hoc metallo fabricabantur. Item δικτύμος arborum excisor, quoniam ex ære cuneum ad arbores findendas parabant. Ratione vsus consideratum æs, Saturnium Poetæ dixerunt, cum id in Saturni sacrificijs Itali adhibuerint, pariter Corybantium à sacris Cybeles, quæ multò æris strepitu in Ida monte à ministris Corybantibus peragebantur. Deniq; propter sonum à metallo percusso dimanante Poetæ passim æs stridens, raucum, crepitans, sonorum, argutum, & canorum cognominarunt.

Statuæ ex qua materia fierent.

Aes decorum quid.

Aes cur Saturniũ dictum.

PROBLEMATA.

RERVM naturalium inquiſitores non conſumendi ocij gratia, ſed ad veritatem inueſtigandam ſolent indagare cauſam, propter quam æs deterſum, & nudum citiùs, quàm auro tectum æruginem contrahat. Multi reſpondent hoc inde oriri poſſe, quoniam metallum perfectum vim conſeruandi à corruptione imperfectum potiatur. Vel potiùs ſecundùm alios afferendum, eſt æruginem à contactu aeris humidioris reſultare, quapropter, interpoſito auro, hæc corruptio ab ære arcetur: hinc colligenda eſt ratio, propter quam vaſa ænea aſſiduè deterſa citiùs, quã neglecta ab ærugine infeſtentur; cum immunditia, ſeu ſordes aerem humidiorem impediat, quominus in æs ſuam actionem exercere poſſit. Secundò nonnulli inquirunt cauſam, propter quam vas æreum ad ignem aqua feruenti plenum fundũ non habeat ita calidum, quin digitis impunè tangi poſſit. Aliqui Philoſophiæ cultores, iuxta doctrinam Ariſtotelis, de terra frigida tempore æſtiuo, & de terra calida tempore hyemali, reſpondent in vaſis æreis aqua feruenti plenis naturam pellere totam aquæ frigiditatem aduerſus ingentes flammarum impetus, qui circa fundum vaſis maximè operantur: ideòq; frigiditas ibi collecta, niſi prorſus calorem à fundo arceat, efficit tamen, vt fundum vaſis impunè tangatur. Aut, iuxta aliorum mentem, afferendum erit, quòd vis caloris circa fundum agens ita æs attenuat, & emollit, vt facilè in contentum, tanquam in oppoſitum, relicto continente, operetur. Hoc exemplum habemus euidens in frixorio vaſe ex papyro confecto oleo pleno, & ſupra prunas poſito; namq; ignis primùm oleo, charta intacta, ſuam virtutem communicat. Quærunt alij vnde æris ærugo virorem concipiat. Viri in bonis diſciplinis celebrati reſpondent ærugines eſſe metallorum corruptiones; cum autem omnis corruptio generationi opponatur, neceſſe erit, vt metalla corruptionem induentia in quaſdam metallicas naturas degenerent, & hæ ſunt ærugines, quæ à primæ mixtionis coloribus, ex elementis concinnatæ minimè diſcrepant. Itaque, in æris corruptione eius ſubſtantia luminoſa minuitur, quæ aliqua ex parte aureum colorem referebat; hic mixtus cum nigredine in reliquo ære corrupto reſidente, virorem repræſentat; cum ex nigro, & flauo ſimul mixtis color viridis conſtituatur.

Aes deterſum cur citiùs æruginẽ contrahat.

Aerugo cur viridis

Color viridis ex quo fiat.

ADAGIA.

CVM hoc metallum antiquæ famæ celebritate ſit conſpicuum, multifariam cõſideratum varijs etiam prouerbijs occaſionem prębuit. Namq; nobis illud reſonans meditantibus, ſeſe offert hoc adagium. *Aes Dodonæum.* Quod proferri ſolet in illum, qui inaniter obſtrepens verbis potius, quàm ratione cauſam agit. Tradunt ortum prouerbium à duabus columnis ſublimibus in Dodona collocatis, quarum altera peluim æneam ſuſtentabat, altera ſimulacrum pueri manu flagellum attollentis; ventus autem quoties vehementiùs flabat, ſcutica peluim feriente, magnus inde tinnitus ad multum etiam temporis ſpatium reſonans exibat. Si reſpiciamus ad fortitudinem metalli, incidemus in prouerbiũ ab Horatio recitatum. *Aes circa pectus habere.* Id iactatur in illum, qui propter audaciam nihil non tentat, & aggreditur. Pariter ab Horatio in Epiſtolis aliud profertur. *Murus ahenus.* quod pro certo, & immutabili animi decreto vſurpari ſolet. Immò in hoc ſenſu apud Iob legitur. *Caro mea nõ eſt ænea.* Hoc effertur ad oſtendendum ferream fortitudinem in homine non reperiri. Cæterùm æs conſideratum, quatenus pecunię inſeruit, à prouerbijs minimè eſt alienũ: quandoquidem apud Horatium in Epiſtolis hoc habemus. *Quid diſtent æra lupinis.* Ad illum ſpectare videtur, qui rerum vilium, & pretioſarum diſcrimen ignorat. Natum inde prouerbium opinamur, quoniam Antiqui Hiſtriones in Comędijs pro pecunia lupinos numerare ſolebant: quocirca canebat Horatius:

Aes Dodonæum quid.

Cap. 6.

Nec tamen ignorat quid diſtent ora lupinis.

Pariter in hac ſignificatione dicitur. *Nullius æris doctor.* de illo, qui doctrinam inſul-

ſam

A sam profitetur, & inanibus quæstiunculis alios perturbat. At *Vicem erarij præstare.* pronunciatur de illo, qui pecunijs abundat. Item *In nostro ære esse.* spectat ad illum, quem nobis obstrictum officijs significamus. Hoc adagio in epistolis familiaribus Cicero vsus est. Demum apud Bononienses solet hoc circumferri. *Æs redolere, vel æs sapere.* Hoc effertur, quando res aliqua venalis, & potissimùm esculenta caro pretio venditur: sic enim pecunia, & mala æris qualitas respicitur, cum æsculenta, quæ diù in vasis æreis manserint, venenatam qualitatem contrahant, vt fusiùs suo loco fuit explicatum.

Doctor nullius æris quis.

Lib. 13.

MYSTICA, ET ALLEGORICA.

NE ficco pede prætereamus mystica, quæ ab æris natura desumi possunt; primò meditantes varias illius affectiones, dicemus, æs, qua parte speciem auri
B repræsentat, inuiolabilem Angelorum splẽdorem indicare; quemadmodum Diuus Dionysius est testificatus. At Diuus Gregorius exponens mysticum sensum illius æris, quod aspectu auri apud Ezechielem refulgebat, per hoc nobis insinuabat Hæreses veritatem simulantes, à qua maximè distant. Per æs candens apud Ezechielem, Diuus Hieronymus splendorem Diuinæ lucis, vel ex desiderio cælestium, ardorem prædicationis interpretatur. Verùm Diuus Gregorius in Ezechielem, hoc candenti ære, diuinum in Euangelio fulgorem, eiusq; Præconẽ diuino amore flagrantem designat. Per æs corruptum apud Hieremiam, Lauretus exponit homines, qui à splẽdidis virtutum ornamentis recedunt. At, ære, quod difficulter à rubigine consumitur, Diuus Gregorius angelicas virtutes exprimit; quæ, dissipatis superbientibus angelis, diuino amori tenaciter adhæserunt. Item Diuus Hieronymus in Isaiam, per duritiam æris, homines in omnium colluuione vitiorum inuolutos ostendit. Insuper legitur apud Iob. *Fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Diuus Gregorius, per hæc verba, hominum corda insensibiliũ intelligit, qui diuini mallei ictum
C recipientes, nulla tamen disciplinæ percussione mollescunt.

Cap. 15. *ex lect. Hierarch. Lib.* 32. *Moral. c.* 16. *Cap.* 22. *Homil.* 3. *Cap.*6. *Lil.*27. *Moral. Cap.*21. *Cap.*15. *Cap.*6.

Præterea æs in sacris litteris simpliciter consideratum mysticis sensibus non caret. Etenim æs, quod aufertur à meretrice, vt habetur apud Ezechielem, ex mente Diui Hieronymi significat gratiarum dona à numine superno animæ collata, quæ postmodũ ab illa peccante statim auferuntur. Æs, quod in Exodo in obsequium tabernaculi offerebatur, iuxta sententiam Origenis, fortitudinem, & patientiam demõstrat: quemadmodum quod erat in altari, indicat perseuerantiam, vt Lauretus annotare videtur. Quando autem alibi in sacris Paginis legitur Aes, quod erat in templo. Id, iuxta multorum opinionem, nobis prædicationem insinuat. Deinde olla ex ære, quæ apud Ezechielem erat liquefacienda, Diuo Hieronymo exprimente, Hierusalem euertendam prænunciabat. Tãdem quando Psalmographus dixit. *Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Diuus Chrysostomus pro mystica huius loci expositione præponderans, quod rigidũ, & inflexibile est, nomine æris, & ferri significari; tandem prodidit à Christo æneas mortis portas fuisse confractas, quas ex ære fabricatas Psalmographus retulit, vt immitem, & inexorabilem mortis necessitatem manifestaret. Arnobius in expositione huius Psami, portas æreas, prauas esse consuetudines tradidit, quæ nos ita claudunt, vt etiam arbitrium nostræ voluntatis includere conentur, cum tamen id nequaquam fieri possit. His tanquam coronidem addamus sententiam Platonis in volumine de Republica recitatam; vbi docuit viros omnes è terra primordium duxisse, & Deum in ipso ortu quibusdam aurum, alijs argentum, & nonnullis æs, & ferrum infudisse; quapropter, hac perutili allegoria, nobis insinuare volebat, primos esse dominaturos, secundos custodiam subituros, tertios artifices, quibus æs, & postremos esse futuros agricolas, quibus ferrum infusum fuerat.

Cap. 16.

Cap. 26. *Homil.* 9. *in Exod. Li.* 3. *Reg. cap.*7. *Cap.* 24. *Psal.* 106.

Homil. in Parasc.to. 6.

MI-

MIRACVLA.

VIRI integritate vitæ ſingulari, & admiranda ſanctitudine commendati, in rebus æneis diſſipādis, ſupra vim naturæ mirabilia patrarunt. Metaphraſtes monimentis mandauit tunc diuinum lumen in ære compingendo eluxiſſe; quando Diuus Procopius in Paneade Apollinis templum ingreſſus triginta ex ære ſtatuas contriuit, atq; hoc miraculo binas militum cohortes ad Chriſti fidem, & cultum conuertit. Verùm non oratione tantùm, ſed ſolo crucis ſigno, immò ſimplici oris Sanctorum virorum flatu deſtructa ſunt æra in ſtatuas formata, quæ nulla ferrei mallei percuſſione confringi potuerunt. Plurima ad hoc ſtabiliendum exempla recitanda eſſent; ſed vnum inſtar omnium erit illud Sancti Fælicis Martyris, qui cum templū ingrederetur, vbi plurimæ proſtabant ſtatuæ, eaſque de more diuina virtute demoliens, tandem ad æreum Serapidis ſimulacrum adductus, quod à Dynaſtis venerari iubebatur, vnica ſufflatione illud deiecit.

In Vita S. Procop.

MORALIA.

DOCTRINA, quæ humanis mentibus virtutem inſerit, vitia q; prorſus extinguit, & eliminat, minimè prætermittenda eſt. Quamobrē ex omnibus æris proprietatibus diligenter ponderatis multa ad chriſtianos mores attinentia hauriuntur. Ita in primis hoc metallū ex duris lapidibus eſt excoctum, rubrum, ſonorum, & ductile, ex quo poſtea tubæ potiſſimùm fabricantur. Multi homines, quoad narratas proprietates, æri aſſimilantur: namq; duri ſunt, antequam pœnitentiam amplectantur, ſed in igne mœroris collocati naturam æneam induunt, dum charitate rubicundi, & obedientia ductiles euadunt; immò facti præcones Euangelij ſubeunt tubarum munus, quibus criminoſi ad ſtatum gratiæ reuocantur: iuxta illud Iob. *Lapis ſolutus calore in æs vertitur.* Æs, quoad ſonū, in doctrina morali habet locum: quādoquidem ſi percuſſum illicò ſonum reddit: ſic hòmines perfecti æs imitantur, dum, permittente Deo, mœrore calamitatum confecti ſtatim reſonant dolentes non poſſe tantam Dei in nos benignitatem ex æquo reponere: namq; ad rem Iob exclamabat. *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala autem quare non ſuſtineamus.* Similiter ob tinnitum eloquentia æri aſſimilatur. De hac apud Hieremiā legitur. *Cor meum ad Moab quaſi tibia æris ſonabit.* Primitùs à Propheta cor nominatur, quoniam in locutione meditatio, & deliberatio cordis præcedere debet: deinde tibia æris memoratur, quæ ad harmoniam, proportionem, & mediocritatem quamdam ſoni pertinet. Sin contemplemur huius metalli fuſionem; æs, quod facilè funditur, malleo frangitur, & viciſſim quod diutiùs flammæ reſiſtit, malleo etiam obſequitur: pari ratione, qui adeò molles, & imbecilli ſunt, vt in flammis tentamentorum locati facili delectatione liqueſcunt, tales malleo calamitatum non reluctantur, immò inconſtantia diſiliunt. At vice verſa, qui tentamentorum ignem aſpernātur, hi malleo ærumnarum percuſſi, non diſſoluūtur. Item æs antequam malleo ad varias vaſorum formas ducatur, priùs in igne excoquitur, vt ab omni excremento depuretur. Aſſimiliter homo, vt poſſit per viam iuſtitiæ à Deo duci, priùs igne dilectionis excoquendus eſt: iuxta illud Iſaiæ. *Excoxi te, ſed non quaſi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Æs ex Metallicorum obſeruatione, meliùs, & citiùs tēpore frigido, quàm calido funditur: ſimili modo dicendum eſt de homine, qui meliùs, & citiùs tempore frigido calamitatum, incendio dilectionis liqueſcit, quàm tempore calido proſperitatum. Hoc in probè ditatis, & benè nummatis manifeſtum eſt, qui per ampliſſimum pelagus diuitiarum nauigantes, vix emendationis ſignum præbere poſſunt.

Tubæ & Aere.

Cap. 28.

Cap. 2.

Cap. 48.

Cap. 48.

Cæterùm ſi noſtra ad æruginem æris conuertatur oratio, ſciendum erit, æs, niſi ſtanno perfundatur, ærugine infeſtari. Idem dicendum erit de hominibus praua conſuetudine vtentibus, qui venenatam criminum æruginem contrahunt, niſi à panno albo, nimirum à viris caſtis defendantur. Amplius vaſa ærea abſq; ſtanno fœtidum odorem,

Criminoſi cui aſſimilentur.

A odorem, & prauum saporem cibis communicant: ita homines inhonesta,& pernitiosa libidine detenti cæteris malum famę odorem impertiuntur;idcircò stanno albo castimoniæ muniri debent. Insuper aliqui, ab arcenda à vasis æneis rubigine, interdum oleo, & interdum arena vtuntur : sic anima rubiginem peccatorum facillimè contrahit, nisi oleo eleemosynæ sępè liniatur , & arena pœnitentiæ identidem perfricetur. Item mixtio æris cum alijs metallis considerata non est ab hac morali doctrina explodenda: etenim æs, iuxta variã mixtionem, modò album, modò rubrum, modò fuluum euadit: pari modo homines cum viris iustis, & perfectis versantes, albi castitate,fului honestate, & rubri charitate fiunt. Vel etiam dicendum est æs in triplici discrimine esse constitutum ; cum aliud sit album ad modum argenti, aliud fuluum ad instar auri, & aliud in laminas attenuatum, & tinctum, quo Histriones vtebantur.Hanc triplicem æris differentiam eloquentia æmulatur.Prima est eloquentia Præconũ Euangelij,quæ ad purificationem, & dealbationem animarum spectat. Secunda est eloquentia Rhetorum, & Causidicorum, quæ vt plurimùm lucrum , & aurum respicit. Tertia est elo- B quentia Comicorum , quæ tantummodò delectationem spectatoribus affert. Postremò, quoad vsum, Medici referunt, ære vsto vlcera purgari, & carnem superfluam facilè tolli : pœnitentia huic æri assimilanda est , quoniam per confessionem purgat, & carnis inquinamenta destruit.

Eleemosyna,& Pœnitentia cui similes

Eloquentia quotuplex sit.

SIMVLACRA, ET STATVÆ.

VT summatim exprimamus, quæ ad statuas, & simulacra ex ære conflata attinent, sciendum est hæc Deorum, hominum, & bestiarum fuisse. Primum igitur æreum simulacrum Romæ statutum fuisse Cereri Plinius recensuit. Iouis *Lib. 34. cap.4.* postea ex ære statuas penè innumeras fuisse Auctores diuulgant.Pausanias in Peribolo Iouem æneum statuit , & alterum Iouem æneum Sparthæ omnium antiquissimum. Suidas quoq; recitat Iouem ex ære formatũ ab Antiquitate in ærarijs fuisse locatum, C quia opes, & facultates ab ipso viuentibus distribui posse opinabatur . Immò in Actis Sancti Gordiani habemus, quòd Sancta Marina Diuo Ianuario Presbytero in cubiculum introducto, simulacrum Iouis æneum ostendit, quod Sanctus, succenso igne, conflauit,& in cloacam proiecit. Amplius Sami in templo Iunonis, Bathilli statua ænea fuit, cuius Iuuenalis in Satyris meminit. Hinc transeuntes ad hominum statuas,primò incidemus in statuam æneam Alexandri Magni à Lysippo insigni statuario fabricatam, quam postea, teste Plinio, Nero Princeps inaurari iussit. Statuæ æreæ Socratis, necnon Artydamantis Athenis fuerunt ; vbi quoq; statuæ æneæ Narmodij, & Aristogitonis conspiciebantur,qui à tyrannide ciues vindicare conati sunt. Item Cæsar Augustus,referente Suetonio,Antonio Musæ Medico celeberrimo, statuam æneam iuxta signum Æsculapij locauit. In Tenaro videbatur statua ænea Arionis, Methymnei vnà cum Delphino, qui illum supra tergus suscipiens per mare vexit. Hodie in Capitolio Hercules ęneus cum claua, & pomis, Marcus Aurelius equo insidens, & aliæ æneæ statuæ in templo Sanctæ Mariæ Rotundæ conspiciuntur. Deinde statuas ex ære, quas D Græci, & Romani plurimis posuerunt, Plinius omnes diligenter memorat. Præterea in Mida Rhetiæ pago è regione Oenipontis æneæ statuæ antiquæ, & recentes Ducum Austriacorum sunt plurimæ, quæ partim eorum staturam puerilem,partim virilem repræsentant.Tandem statuæ ex ære Corinthio Venetijs in templo Diui Marci visuntur.

Iuris simulacra varia.

Alexãdri Magni statua.

Statuæ æneæ in Capitolio.

A statuis humanis ad simulacra brutorum si noster animus dirigatur: prima facie se se offerent Boues æneę, quas Scholiastes Pindari in Atabycio Rhodi Promontorio fuisse diuulgat. Vt omittantur ænea bucula Myronis , ænea Leæna Athenis visa, æneus equus Domitiani , & æneus Taurus Phalaridis, ad cuius formam Diocletianus Imperator infensissimus Christianorum hostis Bouem ęneum fabricauit , in quo , succensis flammis,Christi cultores ad necem vsq; cruciabantur. In Heraclea Elidis Peloponnesi Prouincia , fuit ænea equa , vt refert Cardanus , tanto artificio elaborata , vt equi tandiù illi inhire conarentur,donec fustibus inde abigerẽtur, cum inter tot alias statuas hanc solam vexarent. Item scribit Geruasius , referente Berchorio , olim Neapoli muscam æneam fuisse fabrefactam,quæ integra quandiù mansit,nulla musca ciui-

Simulacra brutorum ænea.

Lib. 18.de subtil.

tatem

tatem ingrediebatur. Deniq; in ſacris Biblijs habemus æneum illum, ſed myſticũ ſerpentem à Moyſe conflatum, cuius aſpectu populus à ſerpentibus læſus ſanabatur.

Serpens æneos vbi.

Neq; prætermittenda ſunt varia Idola, quæ à diuerſis Nationibus ex ære ficta fuerunt. Primitus cunctos in admirationem traxit coloſſus Solis Rhodi locatus, quem Chares Lyſippi diſcipulus fabrefecit; cuius altitudo erat ſeptuaginta cubitorum, & digiti qualibet alia ſtatua maiores erant. Hoc ſimulacrum, vt annotauit Plinius ſexto anno poſt quinquageſimum terræmotu proſtratum eſt. Pariter ab Indis varia Idola, quæ Cemmos vocant, ex ære formantur. Hic iconem Idoli Indici exhibemus, quod figuram Serpentis multis amplexibus æmulatur, & eius pars ſuperior ita lata eſt, vt quaſi teſtudinem referat, caput quodammodo criſtis inſignitum apparet, & duæ lineæ à capite ad caudam vſq; producuntur, vt numero 1. exprimitur. Alium Cemmum, ſeu aliud Idolum Indicum ex ære fictum oculis legentium repræſentamus, quod exprimit figuram nudæ mulieris, manibus ſupra caput locatis, cruribus, pedibuſq; coniunctis, vt numero 3. cernitur. Similiter apud Indos idolatras quandoq; viſuntur Cemmi ex ære, qui figuram alati pueri ſedentis referunt, qui niſi ab ipſis pro Cupidine conflati ſint, fortè Indi diuino quodam ſpiritu afflati Angelum exprimere voluerunt, vt in icone 2. apparet. Tandem ſub numero 4. Idolum inſtar Sirenis conſpicitur.

Idola ex ære.

INDICA IDOLA ÆNEA VARIA.

1 Idolũ æneũ figura ſerpentis.

2 Idolum pueri alati.

3 Idolum muliebre.

4 Idolum inſtar Sirenis.



1

4

2 3

A Hodie in Thauringia à familia nobili Dutgerodia Idolum quoddam æneum seruatur, inuentum in fundamẽtis Arcis Rothenbergiæ, quæ nunc deserta iacet. Hoc est statura pueri, cum manu dextra auri dextræ, & sinistra genu sinistro apposita. Idolum intus est vacuum, sed si aqua repleatur, & igne circumdetur, aquam ingenti sonitu in circumstantes euomit. Cum igitur simulacra Ethnicorum ex materia ænea, vt plurimũ fabricata sint, inquirenda est ratio, cur Psalmographus scripserit. *Simulacra gentium argentum, & aurum.* Diuus Augustinus respondet Idola plerumq; ænea, necnon lignea, & etiam fictilia olim fuisse, sed preciosam eorum materiam spiritus diuinus memorare voluit, nam quando quisq; quod illi gratiùs, & clarius est, aspernatus fuerit, multò faciliùs à veneratione viliorum se auertit. *Psal. 113.*

VSVS IN MEDICINA.

B IN multis affectibus, quibus humanum corpus afflictatur, æs tamquam præsentissimum remedium adhiberi potest. Hocq; in medicina vtilissimum esse inde colligimus, quoniam ære vulnerati citiùs, quàm ferro saucij curantur, & quamuis aquæ thermales ærugine infectæ vomitionem prouocent, nihilominus ori, glandulis, vuæ, & oculis non mediocri sunt adiumento: hinc Dioscorides ad ocularia medicamenta vasa ænea adhibet. Quocirca iure optimo scripsit Macrobius Operarios in fodinis æris versantes oculorum valetudine semper pollere, & alios oculis laborantes ad æraria accedentes pristinam sanitatem adipisci: hac de causa in pharmacopæis æs crematum, flos, ærugo, & squama æris seruantur, cum, ad mentem Dioscoridis, exsiccandi, & adstringendi virtute potiantur. Flos æris, ex eodem Auctore, non solum adstringit, sed carnem vlceribus supercrescentem reprimit, & claritati oculorum confert. Squama æris in Cypro optima habetur, quæ pariter ophthalmicis medicaminibus mixta, fluxionem oculorum cohibet, & asperitatem palpebrarum absumit. Aerugo gustui acrem qualitatem communicat, & ex Galeno digerentem facultatem participat; ideoq; cum C cera & oleo permixta ad cicatricem vlcera perducit. Hodie in officinis pro flore æris, ærugo adhibetur, cuius vires à Iodocio celebrantut his versibus.

Oculorum affectus vbi sanentur. Lib. 5. de nat. med. cap. 44. Lib. 9. de simp. med. fac.

Astringit, tenuat, lacrymas ciet, vlcera sanat;
Expugnat callos, duritiemq; loci
Exsiccat sordes auris, sed naribus intus,
Quando supercrescit inde premenda caro.

Demum æs vstum vocatur à Barbaris Calcecumenon, quod aliter Chalcos cecaumenos dici deberet, iuxta sententiam Dioscoridis, vehementer adstringit, exsiccat, & vlcera facilè persanat: ideò varia medicamina extrinseca ingreditur. Aes crematum in emplastro apostolico Nicolai Alexandrini collocatur. Aerugo ingreditur emplastrũ diuinum Nicolai Prępositi, vnguentum Apostolorum Auicennę, & vnguentum Aegyptiacum Mesue, quæ omnia medicamenta non sine aliqua mordicatione summopere detergunt, cum acrem qualitatem participent; nihilominus curationibus putridi vlceris non mediocriter conducunt. Halchemię professores vario artificio, æris seu Veneris, vt ipsi loquuntur, puluerem, calcem, crocum, quintam essentiam, tincturam, oleum, vitriolum, & florem parant, quorum omnium præparationes apud Andream Libauium legendæ sunt.

VSVS IN MONETIS.

VIRI multiformi supellectile eruditionis instructi, & in lectione multum exercitati primam monetam ære fabricatam fuisse diuulgant, & potissimum, cum ad rem Ouidius cecinerit hunc in modum.

Aera dabant olim, melius nunc omen in auro est,
Vitaq; concesit prisca moneta nouæ.

Post Vrbem conditam à Seruio Rege æs cum gemino Iani capite, & puppi nauis signatum fuisse multi pronunciant: cum tamen Ianus, vt alij voluerunt, primus gemino capite

Aes signatum.

pite alteram partem nummi, alteram verò puppi nauis ſignauerit, vt Saturno gratiam referret, qui naui ex Aegypto in Italiam vectus cunctis agriculturæ rationem monſtrauit, cuius hiſtoriæ Ouidius in faſtis ſic meminit.

At bona Poſteritas puppim ſignauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Lib. 5. de bell. ciuil. Olim etiam Britanni nummis æreis vſos fuiſſe Iulius Cæſar in Commentarijs teſtificatur. In Iaua nummus æreus valdè craſſus cuditur, in cuius medio quadratum foramen eſt conſpicuum. Hodie antequam æreæ cudantur monetæ, modicum argenti fuſo æri permiſcetur, non vt maſſa illius augeatur, ſed ratione argenti; cum ex illo tam paruæ monetæ cudi non poſſint, vt valori vnius denarij æquiparentur, nam monetæ ob exiguitatem tractari non poſſent: idcircò ſingulæ æris libræ tantam argenti quantitatem recipiunt, quæ numiſmatibus cudendis, detracta expenſa, æquiualeat; quod opificibus à Principe, & Republicis eſt permiſſum. Sicuti vice verſa, quando aliqui nummis ſubæratis vtuntur, crimine Stellionatus notantur, vt Saxones, qui ex Inſubribus ad ſedes antiquas reuerſi Belgis talia numiſmata dederunt. Verùm in toto Pre-

Crimen Stellionatus.

Monetarum varia genera.

1

1 Moneta Diaboli.

2

2 Moneta in Agro neapolitano effoſſa.



3

3 Moneta Sanctæ Helenæ.

toianis regno ærea moneta non est ex vsu, eiusque loco, vt Ortelius in Theatro Orbis annotat, æs purum & infectum appenditur. *Lib. 14. de Antiq. c. 12.*

Non debemus in præsentia omittere monetam Sanctæ Helenæ ex optimo Cyprio ære fabricatam, cum posteritatis memoriam promereatur. Hæc enim fuit illa integerrima Imperatrix, quæ in Palestina, ad inueniendam Christi Redemptoris nostri crucem, omnes suos conatus destinauit. Itaq; cudi iussit nummum æreum, cuius pars superior est rudis æmulans caput claui Cyprij, altera pars est concaua, & imaginem tantæ Reginæ expressam gerit, vt icon sub numero 3. demonstrat. Hac igitur moneta meritò exprimi caput claui voluit, vt monumentum clauorum, quibus Christus cruci fuit affixus, in posteritatis mente nunquam conscenescceret. Posteaquam egimus de monetis arte paratis, non erit à ratione alienum parumper rimari, an à Natura aliquod monetę genus formari possit: quandoquidem in locis subterraneis propè Senas, nempè duodecimo ab Vrbe lapide, in loco dicto *Vescouado* effodiuntur nummi ferè nnumeri figuram obuli nostri simulantes, in vtraq; parte quibusdam tuberculis aspeiri, qui ab exhalatione ęrosa proculdubiò formãtur. Hos nũmos monetã Diaboli Plebecula appellat, vel quia sint admodũ nigri, vel quia in sinu teræ sint inuenti, itaut in Inferno cusi credantur. Horum nummorum icon sub numero 1. conspicitur. Has Diaboli monetas apud Senenses repertas æmulatur nummus in Agro neapolitano effossus, & ærugine infectus; vnde eius naturam æream esse colligendum est. In hoc nummo nulla expressa apparet figura, sed obseruantur parua quædam tubercula, cum exiguis appendicibus, vt in icone 2. exprimitur.

Monetæ variæ.

Nummus Diaboli.

VSVS IN BELLO, ET IN ARMIS.

ÆS in prælio, & armis non parùm habere momenti inde nouimus, quoniam in primis tubæ cuiuscumq; generis ex ipso conflantur; itaut quandoq; hoc metallum pro tuba à Poetis vsurpetur, iuxta illud Alciati.

Qui clangore alios æris in arma cies.

Pariter Titus Liuius narrat æs interdũ, ratione soni, à Campanis in pugna fuisse adhibitum, dum scripsit, quòd imbellis Campanorum multitudo in muris dispositа, tantum æris crepitu clamorem edidit, vt præliantium animos auerteret. Præterea constat Antiquorum scriptis Græcos, Persas, Poenos, Hispanos, & etiam Romanos sub Seruio Tullo armis æneis tàm in tutelam, quàm in perniciem paratis vsos fuisse. Pausanias testis est non ex ferro olim, sed ex ære arma fuisse constructa, suamq; stabilit sententiam auctoritate Homeri describentis bipennem æneam Pisandri, & sagittas. Immò hasta Achillis ære præmunita, & in templo Mineruæ locata, ensis totus æreus Memnonis apud Nicomedenses in templo Æsculapij idem testificantur: propterea in Græcorum libris χαλκογορυστὴς non solum armis æreis munitus, sed etiam apud Homerum homo simpliciter armatus, quemadmodum apud Euripidem ἀλκέοπλος exponitur. Immò Combe Asopi filia fuit prima, quæ armaturam æneam inuenisse traditur; ideoq; Chalcis fuit cognominata, à qua deinde Chalcidi vrbi nomen fuit impositum. Itaq; æs prius ferro vsum inuenisse significat Hesiodus hoc versu.

Arma olim ærea.

Inuentor armaturæ æreæ.

Χαλκῷ δὲ εἰργάζοντο, μέλας δὲ οὐκ ἔσκε σίδηρος

Idest.

Aere laborabunt, necdum ferrum erat nigrum.

Deniq; omnia armorum genera ex ære fabricata apud Virgilium legimus; vbi ex ære galeæ, thoraces, loricæ, enses, secures, peltæ, clypei, tubæ, cornua, & naues rostratæ, & ære munitæ memorantur: qua de re à Græcis Chalceares nuncupatę fuerunt. Non est igitur admiratione dignum, si à Poetis passim nominentur cassis, & classis ærea, clypeus, & ensis ęneus, galea, & lorica ærata, hastile æneum, cohors ærosa, pelta, Sagitta, & securis ęrata, & demum thorax æneus, & telum ahenum Fuit etiam ęneum illud pectoris monimentum à Vulcano fabricatum, in cuius medio Gorgonis caput cõspiciebatur. In Iaua sclopos æreos habent, vt ex Diario Nauigationis in Iauam colligitur. Apud Gothos tormentum maius bellicum ex ære, triangulare visum est. Immò ad stabiliendum assertorum sermonem asseuerantiùs dicimus in Hercimijs effossos esse

Sclopi æ nei vbi.

thoraces, & gladios æneos, eo potiſſimum in campo, vbi Lotharius Elector Saxoniæ cum Henrico quinto Imperatore prælíatus eſt. Pariter cultri, framææ, & calcaria ænea in Luſatia inferiore cruuntur, & præcipuè Bechlingi in Thuringia regione: nam Henricus quartus Imperator Bechlingum expugnauit, propter Dodonem Thuringiæ, & Miſniæ Marchionem, qui illuc confugerat: quapropter armis æneis Saxones pugnaſſe veriſimile videtur.

VSVS IN PICTVRA.

HODIERNI pictores non tabulis ligneis vt Antiquiores, ſed æreis plerũq; ad pingendum vtuntur, & tunc hæc tabula varijs figuris delineata Cuprum pictum nuncupatur. Verùm non ſolum æs politum, & terſum huic arti, ſed etiam colores ex hoc metallo parati famulantur. Ideo Cæruleum commune, & etiam Color viridis, quos miniarij quoq; pictores adhibent, varijs artificijs ab ære extrahũtur. Pro Cæruleo communi concinnando, recipiuntur ſalis communis vnciæ tres, æruginis, ſeu Viridis æris vnciæ ſex cum aqua tartari locantur in phyala vitrea diligenter clauſa ſub lætamine octo dierum ſpatio, nam, referente Mizaldo, ærugo in optimum Cæruleum conuertitur. Sin procreandus ſit color viridis ad miniandum, vel ſcribendum idoneus; recipiatur lithargyrium, flos æris, & argentum viuum; hæc enim cum vrina infantis diligenter trita colorem viridem pulcherrimum, & ſmaragdo non abſimilem dabunt. Aliter flos æris ponatur in aceto acerrimo, donec liqueſcat, & colatus ſuper lapide porphyrite teratur cum aqua communi, addita pauca mellis portione, & inde color viridis reſultabit. Item, ad litteras virides delineandas, Mizaldus ſummit ſuccum foliorum Rutæ, cui florem Æris, & parum Croci addit, & aquæ gummatæ permiſcet ad opus peragendum. Omiſſa æris ſquama, quæ vitro tincturam communicat, accedemus ad aſſignandum modum, quo litteræ ſcriptæ ſint inuiſibiles, & poſt aliquot temporis ſpatium viſibiles, & virides appareant. Sumitur ergo ſuccus limonum, vel aurantiorum, quo litteræ ſupra cuprum politum exarantur; nam, tranſacto viginti dierum, ſpatio, litteræ virides leguntur. Huc referendũ videtur opus Cælatoris, quod ſcalpendo in lamina æris, quaſi delineando fingit; id aliquando ſine ferro peragitur; dum ſumitur vncia dimidia ſublimati, vncia vitrioli, media aluminis rupei, & tantumdem Viridis æris, quæ omnia in puluerem redacta, in quantitate ſufficienti ſucci limonum, vel aceti acerrimi aliquantiſper ferueant in olla fictili vitro oblita: deinde lamina ænea cooperiatur vernice communi cum modico cer liquefacta, ſupra quam graphio delineatis litteris, vel figuris, & facto cera circa laminam margine, tunc lamina prædicta miſtura tegitur, nam ſpatio ſeſquihoræ lamina ærea adeò excauatur, vt factam ferro cælaturam repræſentet.

Color viridis quomodo fiat.

Litteræ vt virides appareãt.

VSVS IN TEMPLIS.

SVMMIS aſſenſionibus Auctores probant templa ænea olim fuiſſe ædificata: namq; Minerua ſimile templum habuit inter Tenarium Promontorium, & vrbẽ Lacedæmoniorum, cuius Liuius meminit, idq; χαλκίοικον fuit cognominatum. Romæ fuit Ædicula ænea Concordiæ ſacrata, & æneum ſacellum Iani, quod Procopius memorauit. Pariter ſcripſit Pauſanias thalamum æreum in ſubterraneis locis ab Acriſio fuiſſe conſtructum, vt filia ibi cautiùs cuſtodiretur. Item templum Delphicum ex ære fuit fabrefactum, ſi Græci veritatem ſunt aſſecuti. Præterea multis in locis ædes ſacras, & turres laminis æreis eſſe tectas non eſt in dubium reuocandum. Olim etiam Romæ forum erat æneum nuncupatum, quia ſub tecto æneo erat tutum. Inſuper ſunt alia templa ex congerie lapidum conſtructa, ſed portas habent æneas. Omiſſis in præſentia æneis centum Babylonis portis tantopere celebratis, memorabimus nouas tẽpli Diui Petri in Vaticano, & quatuor antiquas, quarum prima in templo S. Mariæ Rotundæ conſpicitur, quæ olim fuit Pantheon, alia in templo Diui Hadriani, quod antea Saturno dicatum erat, tertia in ædibus Sacris Sanctorum Coſmæ, & Damiani,

Templa ænea vbi.

Portæ æreæ vbi.

quæ

A quæ Castori, & Polluci ab Ethnicis iam fuerant consecratæ, quarta visitur in templo Diuæ Agnetis extra Viminalem via Numentana, quæ ex Bacchi templo proximo illuc delata fuit. Aquisgrani hodie in Basilica ex ære solido valuæ conspiciuntur, quas Carolus Magnus fieri curauit. Nunc consultò omittentes æneas Herculis columnas octo cubitos altas, quæ Gadibus erant, accedemus ad illas, quæ ornamenti gratia in templis erigebantur. In templo Sancti Ioannis Lateranensis quatuor columnæ æneæ striatæ sunt, terra sancta repletæ foraminibus peruiæ, vt terra piorum manibus contangi possit. Olim in Capitolio, & in templis decreta tabulis æreis designabantur, vt Iosephus retulit. Item in ære scalptæ fuerunt leges duodecim tabularum, quas Pomponius Iuris Consultus eburneas fuisse perperam existimauit: etenim harum ænearũ Plinius, & Vlpianus meminerunt. Ab antiquitate legem ære incisam seruari Cicero expressit, dum in Catilinam inuehens æra legum liquefacta pronunciauit. Immò in Oratione pro Balbo fædùs columna ænea incisum seruari asseuerauit. Solebant etiam Veteres quadratas columnas ex ære formatas erigere, in quibus sceleſtorum hominum crimina vnà cum proprijs nominibus scalpebant, vt eorum infamia ad posteritatem vsque penetraret. Insuper statuę, & sepulcra ad tẽpla attinere videntur. Prostrabat in Panea-de quædam ex ære statua Christi pulcherrima, in cuius basi herba anonyma creuerat, qua ægritudines cuiuscumq; generis curabantur; hanc se vidisse Eusebius Cæsarienſis retulit. Aerea sepulcra duorum Pontificum, nempè Martini Quinti in monte Cælio, & Sixti Quarti in Vaticano conspiciuntur. Regum Anglicorum aliqua monumenta sunt ænea, sed omnium splendidissimum Henrici septimi commendatur. In templis quoq; candelabra, & organa seruantur. Candelabra antiqua ex ære sunt Romæ in templo Diuæ Agnetis illuc ex templo Bacchi translata, in quorum basibus sunt aues humana facie, capita arietum, & pueri vuas colligentes, omniaq; diligenter cælata obseruantur. Organorum etiam fistulæ ex ære interdum conflantur; immo in eodem organo quędam ęneę, quędam ligneę, & alię ex plumbo cãdido factę simul copulantur, & tunc in tali organo cornua, tibię, tympana, tubę, & alia instrumenta mirabili concentuum varietate audiuntur, quod Gaudentius Merula Medionali in Fano Ambrosiano se audiuisse testificatur. Insuper apud Romanos, vt scribit Seruius, flamen Dialis ęreis cultris tondebatur; cum ęs religioni sacrum crederetur.

Columnæ æreæ terra sanctæ repletæ.

Lib. 14. de Antiq. c. 12.

L. ad tab. ff. ad l. Iul.

Crimina columnis æreis olim incisa.

Lib. 7. cap. 14.

Organa ænea.

L. 5. Mirab. ca. 67.

Reliquum est, vt de Campanis ad templa attinentibus nonnulla dicamus; cum multi in hac sint sententia, Veteribus Campanas fuisse incognitas: nihilominus ęris sono vtebantur, quo impendentis alicuius periculi indicium dabatur. Huc spectare videtur illud Datij Papinij, quando cecinit:

——— procul auxiliantia gentes
Aera crepant.

L. 6. Theb.

Nisi vocabulo ęris campanas ex ęre conflatas intelligere voluerit. Antiquis non campanę, sed tintinnabula dicebantur, propterea super tectum templi Salomonis quadraginta tintinnabula, ad mentem Eusebij, fuisse perhibentur, quorum sono aues perterrefactę abigebantur. Immò temporibus Porsenę Etruscorum Regis passim tintinnabula ex vsu fuisse sepulcrum illius testificatur, vbi plurima de catenulis pendentia Plinius memorauit. Cęterùm vsus Campanarum in Asia ante Basilium Imperatorem non adeò fuit cognitus; quoniam Vrsus Venetorum Dux duodecim magnas ex ęre campanas anteà Gręcis incognitas ad eũ, anno salutis septuagesimo post octingẽtesimum, dono misit, vt Bergomas in historia Nicolai Primi Pontificis recitauit. Hic autem animaduertendnm est campanam non ita esse nominandam, quia ex ære cãpano conflata sit, sed quoniam Paulinus Nolę vrbis Campanię Episcopus in sua Ecclesia primus Campanę vsum inuenisse, & ad pia munia transtulisse proditur, vt eius sono remotis in locis habitantes ad preces diuinas, & conciones conuocari possent. Atq; hinc fortasse tenuit consuetudo, vt vocabulis Nol, & Campanę, tintinnabula ab hac Nola Campanię appellarentur. Item in Regno Pegu anno Domini quinquagesimo quarto post millesimum, & quingentesimum, ex Ferdinando Mandez Iesuita, ęnea campana ad palmos supra quadraginta quinq; patens, & diametro septendecim reperta fuit. Scella quoq; quid sit à multis ignoratur; cum sit campanę genus mediocris ponderis, & quantitatis, siquidẽ in Actis Sancti Pyrminij Episcopi hęc habentur. *Ibi quoddam pendebat vas fusile mediocris ponderis: vulgaris hoc vsus scellam nominat, quod mirę sonoritatis dulcedine audientium sensus afficiebat.*

L. 9. Præp. Euang. c. 4.

L. 36. cap. 13.

Campanarũ vsus quando cognitus.

Nola cur campana nominetur.

VSVS IN VASIS, & alijs inſtrumentis.

OPERA multò plura ex ære, quia vilioris ſit pretij, quàm ex argento fabricantur olim fiebant pocula, pelues, lucernæ, candelabra, tripodes, abaci, labra, & alia vaſa multorum generum, quæ in domicilijs, in coquina, & in balneis adhibebantur. Vaſa autem ex ære, potiſſimùm corynthio in tanto pretio fuerunt habita, vt ſæpè argenti, nonnunquam auri æſtimationem excederent. His Cæſar Auguſtus adeò eſt delectatus, vt teſtante Tranquillo, Corynthiacus fuerit appellatus: hac de cauſa retulit Plinius, quòd velut Antiqui argento aurum confundebant, vt inde Electrum reſultaret, ita argento, & auro æs addebant, vt vaſa corynthiaca tantopere celebrata formarent. Ideò non eſt mirandum, ſi Ioſephus de Antiquitate Iudaica ſcriptis mandauerit aliquod æs auro melius fuiſſe: quandoquidem inter manubias Dauidis æs huius generis inuentum eſt, ex quo Salomon vas in templo fabre-

Mare magnum quid fuerit.

fieri curauit, quod Mare magnum appellabatur. Fuit ex ære ampliſſimus ille crater triginta amphorarum capax, quo Lacedæmonij Cræſſum donarunt. Vaſa illa, quæ

Authepſæ Vaſa quædam.

Ciceroni authepſæ dicuntur, in quibus vel carnes frigidæ recalefiebant, vel in eis crudæ faciliùs elixabantur, ex ære conſtructa fuiſſe multi opinantur. Quamobrem vaſa domeſtica omnis generis fuiſſe ænea, & nunc etiam multis in locis eſſe cunctis arbitramur eſſe exploratiſſimum. In omnibus Ægyptiorum habitationibus tria vaſorum æneorum genera, ſcilicet Cyathus, Phyala, & Æthanion ſeruabantur. Pariter in hypocauſtis tria ex ære fuerunt vaſa, primum Caldarium, ſecundum Tepidarium, & tertium Frigidarium dicebatur, quæ tali ordine erant diſpoſita, vt ex Tepidario in Caldarium, quantum aquæ calidæ exijſſet, tantum de Frigidario in Tepidarium influeret, quam conſuetudinem Martialis memorauit. Ænea etiam fuerunt labra, quibus fontium aquæ excipiebantur. Ahenum erat vas ex ære conflatum, in quo Veteres aquam proportione calefaciebant, vas ampliſſimum, in quo tinctura purpuræ parabatur. Hodie opifices ad ſublimandam ardentem aquam, vas ęreum inſtar cucurbitæ; capacitas vulgaris dolij fabricant cũ pileo pariter æneo, & naſo flexuoſa ambage quindecim, vel viginti pedũ, qui poſtea vaſe ligneo aqua frigida pleno excipitur.

Antiqua vaſa Aeſtuarij tria.

Lib. 5. Epigr. 66.

Non deſunt alia ferè innumera inſtrumenta, quæ ex ære formantur. Scripſit Iſidorus, quòd veteres ante ferrum inuentum, ære terram ſcindebant; vnde fortaſſis dictum eſt arare, quaſi ærare, quocirca ad rem cecinit Heſiodus hunc in modum.

Aere laborabant nondum noſcentia ferrum
Secula.

Vmer æreus vbi.

Vomere etiam æneo Tuſci in deſignandis, & condendis Vrbibus vſi ſunt: veluti Carminius monimentis mandauit. Similiter Indi ærea habent inſtrumenta ad agricultu-

Lib. 11. de Italia.

ram attinentia: immò ad tripudiandum, laminam æris rotundam adhibent, quæ ſecundùm varium digitorum motum varios quoq; edit ſonos. Hami ad ineſcandos piſces ex ære fiebant, de quibus Ouidius ſic canebat.

Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra ſubeſſe putat.

Hami ærei

Gnomon horologij verticalis vmbræ indagator æneus eſſe debet; quoniam ex alia materia paratus iniuriæ ventorum, aeris, & imbrium expoſitus corruptione facilè vexaretur. Acus ex ære olim formabantur; propterea Ouidius in faſtis acum ahenam vocauit. Præſepe Mardonij fuit æneum. Solus æneis calceorum vſus eſt Empedocles,

Præſepe æneum vbi.

Æs hieroglyphicũ perpetuitatis.

vt Laertius ſcriptum reliquit. Vegetius clauos æneos pro nauibus configendis ferreis anteponendos iudicauit: quoniam ferrei, tractu temporis, rubigine abſumuntur; cũ ærei ſua ærugine veſtiti in fluctibus perennent; qua de cauſa æs pro hieroglyphico perpetuitatis vſurpatur: immo aliquod in longum tempus durans ære perennius eſſe pronunciamus. Hinc nonnulli, inquit Cardanus, ad carnem diutiùs ſeruandam, æreũ clauum ipſi infigunt, nam vis ſulphuris illam ſiccando, à putredine vindicat. Similiter quando plantæ vermibus laborant, eodem Cardano auctore, clauo æneo purgandæ ſunt, nam æris amarore plantæ à vermibus defenduntur. Lucernæ, & ipſarum ſpiræ ex hoc metallo conflabantur, iuxta illud.

Caro à putredine defenditur Aere.

Pen-

A *Pendentes Lychni spiris retinentur ahenis.*

Tubi aquas fontium deferẽtes, ex materia ærea ad perennitatem aliquando formantur, cum satiùs sit illos ex materia plumbea parare; quandoquidem aquæ per æneas fistulas fluentes æruginem lambunt, & haustæ intestinis non mediocrem noxam afferre possunt. Serra ænea sine dentibus Gemmarij cum puluere smiri lapidis,& aqua in secandis lapidibus duriſſimis vtuntur; namq; puluis æri adhærens lapidem fricat, sed non semper idem puluis illi adhæret,sed singulis momentis nouus serræ ab aqua suppeditatur. Amplius gladij erant ærei, si Festus veritatem fassus est, & potissimùm illi, quibus in sacrificijs Sacerdotes vtebantur. Insuper annuli ex varia huius metalli specie conflati sunt. Annulus ex ære corynthio cum effigie Iouis, & Iunonis visus est. Annulus ex ære cyprio inuen us est in Lucio pisce, qui anno salutis sexagesimo septimo post millesimum, & ducentesimum captus est in stagno circa Haillum imperialem Sueuis vrbem. Hic annulus in branchijs sub cute erat cum hac inscriptione. Ego sum ille piscis huic stagno omnium primus impositus per manus Friderici Secundi

B Mundi Rectoris:sic enim ex Græco Ioannes Dalburgus Vuormatiensis Episcopus trãstulit. Cymbala ex ære fabrefiebant,quibus Corybantes Cereris Sacerdotes in Sacris faciendis vtebantur. Similiter ærea cymbala die Parasceues ligneis instrumentis pulsabantur; id in suo Cronico Flauius Liuius significauit, quando hæc verba protulit. *Gothi per imperium grassantur, qui multas à Constantinopolitanis consuetudines acceperunt, & inter alias feria sexta maioris hebdomadæ ærea cymbala pulsare ligneis instrumentis.* Denique Antiquitas ex ære globos æneos iuxta internam partem inanes. Aeolipilas vocatos faciebant cum foramine angustissimo, per quod aqua infundebatur: etenim his igni admotis, cum aqua feruere cæperit, mox inde flatus euidens cum magno strepitu prosilibat. Sydera etiam ærea permagni ponderis, iuxta Mineruæ simulacrum, erat Athenis,qua suam fortitudinẽ Athletæ explorabant;nullus enim ad luctam introducebatur, nisi hanc sphæram eleuare potuisset.

Serra ærea qui vtantur.

Gladij ænei.

Annulus aneus in pisce inuẽtus.

Anno Christi 300.

Sphæra ænea magni põderis.

C

VSVS IN VARIIS.

ANtiquitas in Eclipsi Lunari æs adhibebat, quoniam eius sonitu Lunæ deficientis lumen reuocari posse credebat. Immo æris tinnitum aduersus venefica plurimùm valere opinabatur.Item in funeribus ęs habere locum tradebatur; cum æs pollutionum expiatorium vocaretur: ideoque in purificationibus vniuersis habuit locum, vt Apollodorus in libro de Dijs scriptum reliquit. Insuper in excantationibus hoc metallum Veteres adhibebant: nam Sophocles in illa Tragędia, cui titulus est Rhizotomi, describit Medeam herbas falcibus æreis secantem, & succum ab illis expressum in cados æneos infundentem: quare Virgilius huc respiciens cecinit.

Aes habuit locũ in expiationibus.

Falcibus & Messæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ.

D Sin prosequamur alios æris vsus, notandum est, quòd nonnulli elychnia in atramento sepiæ,& æris ærugine insuccata in lucernis ahenis accendunt,cubiculo clauso & cęteris luminibus amotis, vt circumstantes partim ærei,& partim Aethiopes videantur. Quandoq; ramenta æris in aqua valenti dissoluuntur, vt in illa ferrum madefactum colorem æneum acquirat. Gluten pro auro consolidando, aut potius argento, quod Opifices vocant *Saldatura di terzo* duas argenti vncias,& vnam æris recipit. Aes prębet materiam foliolis, quæ substernuntur gemmis in annulo, quæ multifariam ex ęre concinnantur;veluti apud Portam legere licet. Postea gemmarum ferè omnium adulteria absq; ære parari non possunt. In primis Smaragdus simulatur tenuissimo puluere æris cremati adiecto croci ferri dimidiato pondere. Item pseudotopacius polline æris vsti cinnabari, & christallo cum quadruplo stanni combusti perficitur. Qui cyaneam gemmam sapphiri speciem aquam marinam vulgò dictam colorare volũt, puluisculum æris cremati vitro fuso permiscent. Tandem ad fingendum chrisolitum,tantillum æris vitio additur, vt aliquantisper vireat.

Faciũ vt colorem æris acquirat.

Lib. 6. Mag. nat. cap. 13.

Adulteria gẽmarum.

Deniq; ſpecula olim non ſine ære conflabantur: propterea legitur in Exodo. *Fecit labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* Vbi Cornelius à lapide aſſeuerantiùs dicit labrum illud lauatorium propriè ex ſpeculis æneis fabricatum fuiſſe. Hodie in his ſpeculis concinnandis ſumuntur tres partes æris, & vna ſtanni, & ad maiorem ſpeculo conciliandam claritatem, decima octaua pars Antimonij additur, & ab alijs vigeſima quarta pars argenti puri permiſcetur: namq, ex hac miſtura ſpecula nobiliſſima conflantur. Prædictis tanquam coronidem addamus, æs in puteis effodiendis non eſſe ſpernendũ, quoniam ſignum vicinæ aquæ polliceri poteſt. Sumitur ergo ænea peluis oleo perlita, & inuerſa ſuper fundum putei collocatur, deinde ſumma foſſura arundinibus operiatur; poſtera die, ſi ab ere ſudor ſtillauerit, foſſores proximam eſſe aquam præſagient.

Cap. 38.

Speculæ ex Aere.

Aes in fodiẽdis puteis adhibitum.

DE ORICHALCO.
Cap. V.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

VT à nobis faceſſat omnis ſuſpitio aſſentationis, liberè fatemur Orichalcum inter metalla eſſe recenſendum, non ſolùm quia Plinius, Scaliger, & multi alij retulerint natiuũ in venis ſuis reperiri, ſed quoniam ſicuti in Haſdo pago lapis inſtar Lunæ adoleſcentis curuatus inuenitur coloris aurei armatura indutus, & mediocriter durus, qui aliquando ferrei coloris conſpicitur; & quando in terra aluminoſa, & atramentoſa ſtabulatur, ſemper aureo colore ſplendet; quandoquidem virtute aluminis, & atramenti ferrum in Aurichalcum tranſmutatur: ita aſſerendum erit, Orichalcum in viſceribus terræ generari, & abſq; vllo artificio à natura etiam tingi poſſe. Itaque ambiguitatem nominis contemplantes nullam in latinis libris inuenimus, niſi dicamus Orichalcum familiæ cuiuſdam nobilis Ferrarienſis fuiſſe cognomentum, ex qua prodijt Medicus ille Orichalcus celeberrimus, qui noſtris temporibus floruit. At in græcis litteris ὀρείχαλκος æquiuocatione non caret: ſiquidem hæc vox adiectiuè etiam ſumitur, & tunc indicat id omne, quod ex Orichalco confectum eſt: namque apud Suidam ὀρείχαλκος σήλη legitur.

Orichalcũ natiuum vbi.

Quoad Synonima, & Etymum, Iſidorus hoc metallum nominat Aurichalcum, & dictum eſſe opinatur, quia ſplendorem auri, & duritiam æris poſſideat: immò hanc vocem ex vocabulo latino, & græco compoſitam eſſe prodidit. Cęlius Rhodiginus monimentis mandauit ſe in nonnullis fragmẽtis legiſſe Aurichalcum enunciatum fuiſſe veluti dictionem ex auro, & ære integratam; cui fauere videtur Feſtus dicens ex auro, & ære Aurichalcum componi, quaſi aureum æs dixeris. Hos viros eruditos in veritate verſari concedendum eſſet, niſi quantitas primæ ſyllabæ huius vocabuli eorum ſententiæ refragaretur, quæ vbiq; correpta legitur. Statius ſic canit.

Lib. 16. *Orig. ca.* 19.

Emicat effigies, & ſparſa Orichalca renident.

Satius igitur erit ſequi Græcorum ſententiam, quibus ὀρείχαλκος communiter dicitur, licèt etiam ſcribatur ὀριχαλκος, & æs montanum exponitur: quamuis Scholiaſtes Heſiodi æs candidum in montibus naſcens ſit interpretatus. Deriuant igitur hoc nomen Græci ἀπὸ τοῦ ὄρεος, καὶ χαλκὸς, quaſi ſit ὀρείος χαλκὸς nempè æs montanum. Apollonij tamen interpres Orichalcum ab Orio quodam inuentore cognominatum fuiſſe exiſtimauit. Gallis dicitur Cuiure, Laiton. Germanis Meſſæ, Oder moſch. Hiſpanis Laton moriſco. Aliquibus Italis vocatur *Rame alchimiato.* Vt plurimum tamen apud nos nominatur *Ottone.* Ottonium vulgò Otthen Vrbs eſt regni Danici, nempè Danimarchæ; Item Ottonia eſt inſula maris Baltici pariter in regno Daniæ ſita, vbi fortaſſis primò hoc metalli genus repertum, vel ſingulari artificio ibi fabricatum fuerit. Niſi velimus dicere Ottone, quaſi lattone, cum hoc metallum ad multa opera malleo dilatetur.

Aes mõtanum quid.

Li. 4. *Argonaut.*

N A-

NATVRA, ET DIFFERENTIÆ.

HOC metallum sibi à natura comparauit, vt, ratione coloris, ad aurum accederet: quocircà multi Orichalcum materiam quamdam esse metallicam referunt, quæ olim ære pretiosior habebatur: quamuis Cælius Rhodiginus scripserit Orichalcum æreum metallum, nimirum chalcoma videri: nihilominus in comparatione ad æs, natura hoc illi ingenerauit, vt maiorem duritiam possideret: iuxta illud carmen. *Lib. 19. c. 9.*

Intexto squalore auro, duroq; orichalco.

Beringutius à multorum sententia recedens orichalcum proprijs carere venis arbitratus Plinium reprehendit, qui inter metalla aliquando Orichalcum connumerans, locum eius natalem non assignauerit; rursusq; addit Orichalci venam hodie quoq; effodi posse, si olim inuenta fuisset: immo magis, atq; magis suam stabiliens sententiam diuulgauit, quòd quemadmodum chalybs ad ferrum, ita Orichalcum ad æs reducitur. Verumtamen nos, in explodenda hac opinione, affirmare possumus nostris temporibus Aurichalcũ non effodi, non quia in proprijs venis non latibuletur, sed quia absq; ingenti laborũ difficultate, & paucis Operariorum expensis factitium paratur, quibus natiuum non effoderetur. Et quamuis Aristoteles, referentibus Cardano, & alijs viris doctis in libro Secretorum, scripserit Orichalcũ naturale nusquam effodi: attamen huiusmodi Aristotelis librum tanquam suspectum refellimus: cum ibi multa alia tanto viro minimè digna legantur. Itaq; meditantes huius metalli differentias, illud in naturale, & artificiale distribuemus. Natiuum vocamus ex proprijs mineris erutum, quod Plinius ob insignem bonitatem summopere commendauit. Id postea desijt, vt idem Plinius testificatur, fortè quoniam facilior huius habendi ratio reperta fuerit. Alia etiam species Orichalci naturalis habetur, auctore Scaligero, in funduribus inter Mexicum, & Darienem, quod nulla flammarum violentia fundi potest. *Lib. 1. Pyrotech.* *Cur Orichalcum hodie non effodiatur.* *Natiuum Orichalcũ aliud.*

Artificiale autem multifariam paratur. Isidorus ex ære, & medicaminibus, necnon violentia flammarum Orichalcum colore aureo refulgens fieri assueuerauit. Alij scribunt circa Andira quemdam produci lapidem, qui crematus in ferrum transmutatur, deinde cum terra quadam in fornace excoctus Pseudargyrum effundit; postmodum hæc terra cum ære excepta mixturam quamdam Orichalcum nuncupatam præbet. Aurichalcum ad mentem Cardani ex auro puro, lapide calaminari, seu magnesia, argento, & ære cyprio conflatur, ex quo vasa præcipui vsus ope artis resultant, quæ incustodita non diù suum decorem seruant, cum ærugine facilè maculentur. Cum igitur terra illa, quæ Cadmia dicitur, facilè æri copuletur; hodie Orichalcum ex ære, & Cadmia virtute ignea emergit, & non solùm æs, quod erat rubicundum, colorem flauum acquirit, duriusq; euadit; sed etiam massa metalli magno opificum emolumento augetur. *Orichalcũ artificiale.*

PRÆPARANDI RATIO, ET LOCVS.

MVLTI viri, & rei metallicæ professores vulgare æs in laminas dilatant, quarum dimidiam libram sumunt, vnciam tutiæ cum allio, ficubus, melle, & muscerda, quæ omnia simul fundentes in Orichalcum vertunt. Verùm alios modos & faciliores habemus apud Agricolam in volumine, vbi de Fossilibus verba facit. Hodie, Mediolani, æs in Orichalcum tingitur hunc in modum. Sumitur illa quãtitas æris dilatati, & in frusta dissecti, cuius vas fusoriũ sit capax, quod tamen ad summam vsq; partem non impletur, vt ei addatur terra quædam mineralis ponderosa flaui coloris, vulgò fortassis propter colorem Gialamina nuncupata, quibus superposito vitri puluere, tota massa funditur, & æs olim coloris rubri aureum colorem acquirit: immò, quod Opificibus bono est, terra illa adeò huic metallo copulatur, vt massa mirandum in modum augeatur. Alij tandem profitentur Aurichalco colorem argenteum communicare, inter quos recensetur Faloppius, qui partes æquales argenti viui subli- *Lib. 9.* *Color argẽteus in Orichalco.*

ſublimati, & ſalis ammoniaci in aceto feruefacit,in quo poſtea Orichalcũ calefactum extinguit.

Sin ad locum natalem ſermo dirigatur. Apud Orcades inſulas,& Betoricas, vel iuxta Ortelij mentem, Hebrides, Orichalcum plurimum inueniri referunt. In India naſci Orichalcum ſcripſit Diodorus, idem in Coſmographia prodidit Strabo,à quo poſtea Stephanus idem eſt mutuatus. Verum quidem eſt,quòd in inſula Sanctæ Marthæ magna Orichalci copia inuenitur;illudq;ſucco cuiuſdam herbæ adeò frequenter tergunt, vt colorem prorſus aureum adipiſcatur: immo quantò maiorem huius ſucci copiam in perfricãdo orichalco adhibent,ita auro ſimile redditur,vt non paucos Hiſpanos ab initio illuc accedentes deceperit, quoniam hoc Orichalcum verum aurum eſſe crediderũt Deniq; Scaliger tradit in Funduribus,qui tractus eſt inter Mexicum, & Darienem Orichalci fodinas reperiri, quod nulla ignis violentia, neq; vllis Hiſpanorum artibus hactenus liquefieri potuit. Poſtremò noſtris temporibus Orichalcum factitium multis in regionibus tingitur, nimirum in Belgio, Coloniæ, Pariſijs, in Italia, & potiſſimùm Mediolani, vbi poſtmodum exillo varia opera in dies parantur.

Vt Orichalcum fiat ſimile Auro.

Exercit. 88.

MORALIA.

CVM ex rebus naturalibus morum honeſtamenta colligantur; non erit ab re in præſentia Orichalci affectiones meditari, ex quibus non minus quàm ex alijs cultiorũ præſtantiam morum hauriemus. In primis Orichalcum ſpeciem auri, ſed non valorem repræſentat, qui color citò euaneſcit; quandoquidem vaſa ex hoc metallo nouè fabricata, cum aurea videantur,paulò poſt ærugine fædata,aureum colorem amittentia, originalem materiam præſeferunt:immo materiæ in prædictis vaſis diù ſeruatæ ingratum ſaporem, & inſuauem odorem concipiunt. Tales eſſe feruntur Hypocritæ, qui obſtinati duritiam Orichalci æmulantur, dum in mente crimina gerunt,& extrinſecus auri fulgorem oſtendunt.Quocirca Diuus Chryſoſtomus aduerſus hoc hominum genus meritò inuehens dicebat. *Hypocrita aut appare, quod es, aut eſto quod appares.* Veruntamẽ hic ſimulatæ honeſtatis ſplẽdor inſtar coloris Orichalci citò euaneſcit: quare Seneca ad rem ſcribebat. *Quod ſimulatum, & fictum eſt, diuturnum eſſe non poteſt.* Tandem ſimulata hominum verba, & opera ſapiunt naturam eorum, quæ in vaſis ex Orichalco fabricatis continentur, dum malum infamiæ odorem, & ingratum prauitatis ſaporem præbent. Item vaſis ex Orichalco recens factis aſſimilantur illi, qui in iuuentute verſantes aureum honeſtatis, & virtutum fulgorem ſeruant, poſtea paulatim ab hac morum integritate recedentes, tandem ærugine criminum inquinati illuſtrem honeſtatis pulchritudinem perdunt. Vaſa quoq; de Orichalco,quę in ſacris Biblijs fabricaſſe Hiram perhibetur,poſſunt nobis inſinuare illos homines, quos in ficta religione pudor nutrit: quandoquidem Hiram exponitur ciuitas diſcedens, indicatq; ſtatum Eccleſiæ à cæleſtibus ad mundana declinantis, cuius vaſa Orichalcum redolebunt, dum religioſi ſimulationem profitebuntur;& quoniam vaſa ex hoc metallo materiam contentam,ei peſſimum ſaporem,& odorem cõmunicãdo corrumpunt, ad hypocriſim proculdubiò attinebunt, quæ & ipſa interiores affectus corrumpit: idcircò in ſacris litteris ad rem legitur. Pedes eius, ideſt affectus, ſimiles ſunt Orichalco, cum ſint ficti, & ſimulati. Præterea ſunt viri adeò ſimulationem mentientes, vt cum ſint Orichalcum, genuinum aurum eſſe creduntur; & viciſſim nonnulli ſunt inſtar auri immenſo morum ſplendore obſeruandi, & tanquam Orichalcum, nempè hypocritæ eſſe feruntur: propterea in ſacris paginis legitur. *Collegiſti quaſi aurichalcum aurum.* Deniq; Orichalcum diligenter conſideratum inſtar æris ſonat, & ad inſtar auri radiat; hac de cauſa multi Euangelij Præcones huic ſunt ſimiles: namq; canora diuini verbi eloquentia ſonant, & clara morum, & virtutum ſuauitate rutilant.

Hypocritæ cui aſsimilentur.

Li.3.Reg. cap.2.

Apocaly. cap.1.

Eccleſiaſt. cap.47.

A

VSVS IN VARIIS.

PRIMITVS ex Orichalco parari possunt omnia illa opera, quæ ex ære fabre fieri posse in capite superiori recitauimus: hæc sunt cãdelabra, pelues, lucernæ, siphones, cymbala, & similia. Verùm ex Orichalco potissimùm fiunt tubę, & codones, vulgò *Sonaglij*, quamuis nonnulli Græci Codonas partem latiorem tubarum interpretentur. In vna, & eadem Officina Mediolani multi circa hoc metallum operarij versantur, quorum alij Orichalcum dilatant in laminas tenues, quas Vulgus *Oropello* cognominat; Alij laminas crassiores extendunt pro aciculis, quibus ligulæ armantur; Alij Orichalcum pro cochlearijs, furculis, annulis ad suendum, fibulis, tintinnabulis, & alijs huius generis operibus fundunt. Amplius ex illo vasa cuiuscumq; generis fabricantur. Vnde Ardoynus cuppam, seu scyphum ex Orichalco commendat *Lib. 1. de Venen.*
B ad indicandum in mensa venenum; quandoquidem appropinquante veneno huiusmodi vas proprium colorem in diuersos colores transmutat. Ex Orichalco ab Ethnicis fabricabatur instrumentum vngula nominatum, quo Martyres dilaniabantur, & simile ex hac materia conflatum Romæ in Musæo Fr. Alphonsi Gioni doctissimus Vlysses Aldrouandus se vidisse retulit. Vngula vocabatur, quoniam instar vnguium esset adunca, cuius fortè fit mentio in Hymno Sancti Vincentij hunc in modum.

Ridebat hæc miles Dei
Manus cruentas increpans,
Quòd fixa non profundius
Intraret artus Vngula.

Vngula plerumq; erat instrumentum priscorum tortorum, quo veritatem, & fidem à reis extorquebant, & vt plurimum numero plurali vngulæ, & fidiculæ dicebantur. *Fidiculæ quid sint.*
Immò communis ferè opinio Auctorũ fuit has vngulas, vel fidiculas ex duobus lignis aduncis, & compactis integrari. Harum meminit Isidorus in capite de pœnis in legi-
C bus constitutis. Ad finem Orichalcum in tingendis etiam ossibus locum inuenit, dum Vuecherius iubet summi acetum acerrimum, Viride æris, & limaturam Orichalci, tritisq; terendis fieri misturam, in qua ossa per spatium dierum quindecim macerata colorem viridem adipiscuntur. *Lib. 8. de Secr.*

DE FERRO. Cap. VI.

ÆQVIVOCA.

CVM apud Auctores hoc vocabulum (ferrum) extra omnem ambiguitatis notam situm non sit, in hac prima huius capitis facie illius æquiuocationem examinabimus. Ferrum enim pro gladio sæpè vsurpatur: id præstitit Cicero in Tusculanis, quando dixit. *Cum in seruorum ferrum, & manus incidisset.* Deinde ferro, nimirum ense quispiam sauciatus esse perhibetur, & in hoc significatu cecinit Ouidius hunc in- *Li. 1.*
modum.

Quid iuuat extinctos ferrum dimittere in artus,
Non habet in nobis iam noua plaga locum.

Immo ferrum quandoq; compedes ferreas significat, & in hoc sensu locutus est Cicero, quando dixit. *Cum in ferrum, atq; vincula conjecti essent.* Tibullus pro vomere ferrum nominauit canens hunc in modum. *Lib. 7. in Verrem.*

Et teneram ferro sollicitauit humum.

Ferro quoque omne ferramentorum genus designatur, quo Chirurgi varijs morbis succurrere solent, & in hac significatione verba fecit Ouidius hunc in modum. *Lib. 1. Eleg.*

Vt valeant alij, ferrum patiuntur & ignem.

Est quædam inter Canarias insula, quæ ferrum nominatur, cuius Incolæ non alia- *Ferrum Insula.*

vtun-

Lib. 3. vtuntur aqua, niſi illa, quæ ex quadam arbore inſtar ſudoris fluit: vt Author mineræ mundi tradidit. Ferro deniq; viuo magnetem ſignificari multi autumant. Pariter in litteris græcis vocabulum Σίδηρος, quo Ferrũ denotatur, æquiuocatione laborat, quoniam non ſolum metallum, de quo in præſentia agitur, ſed etiam quodcumq; inſtrumentum ex ferro paratum hac voce ſignificatur, quocirca pro gladio, pro thorace ferreo, & alio armorum genere apud Heſiodum, & alios Authores græcos ferrum pronunciatum inueniemus. Poſtremò cum Authores ad ſignificandum ferrum, ſæpè chalybis nomine vtantur, animaduertendum eſt, quod chalybs fluuium etiam Hiſpaniæ indicat, cuius tinctura ferrum præſtantiſſimum redditur. Apud Halchemiæ Profeſſores lapis Philoſophorum interdum vocabulo ferri intelligitur, & Anaxagoras ferrum candens ſolem indigitauit: nam veluti Sol rerum gerendarum cauſa eſſe traditur; pari ratione ferrum candefactum ad formam cuiuſcunq; rei induendam diſpoſitum eſſe perhibetur.

Chalybs vox Aequiuoca.

Ferrum candens quid ſit.

SYNONIMA, EORVMQVE ETYMVM.

FERRVM nonnulli nuncupatum exiſtimant à ferendo; cum nemo ſit, qui ob magnam huius metalli neceſſitatem, vel vtilitatem illud ſecum non ferat: aut ex aliorum ſententia, quoniam ad agros colendos ſæpè feratur: idcircò Iſidorus ferrum appellat, quoniam farra, nempè ſemina frugum in agris condat. Nihilominus, ante huius metalli inuentionem, idem in agris ære præſtabatur: propterea ſatiùs eſſet cum alijs ferrum à feriendo, nempè percutiendo deriuare; cũm cætera metalla ferri duritie domata melius attenuentur, & dilatentur. Num verò ferrum à feriendo, nimirum ſauciando originem ducere poſſit, multi hæſitant; quandoquidem ex ære quoq; arma in perniciem olim fabrefiebant: potiùs à feritate hoc nomen deductum eſſe exiſtimamus, iuxta illud diſtichon.

Li. 16. Orig.

Quis fuit ex ferro primus, qui potuit enſes,
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit.

Apud Auctores latinos, & potiſſimùm apud Poetas, ferrum, nomine chalybis ſæpè indicatur: quamuis chalybs, propriè loquendo, ferrum optimè purificatum, egregia imbutum temperatura ſignificare debeat; cum chalybs à Fluuio Chalybe, in quo temperabatur, talem nomenclaturam acquiſiuerit. Stomome Græci chalybem vocant: nam veluti στομὰ os denotat; ita acies ferramentorum ex chalybe facta oris vicem gerere videtur. Alioquin ferrum Græcis dicitur σίδηρος, fortaſſis quaſi σὺνδηρος à δηρὶς pugna, & à συν ſimul, quoniam ferrum geſtantes ſecum pugnam ferant, vel quia ferro armati ad pugnandum idoneos ſe reddant. Niſi velimus hanc vocem à δηρὼ nimirum cædo deriuare, cum ferro varijs modis cædatur. In græcis literis σίδηρος, vt plurimum eſt generis maſculini, reperitur tamen fæminini generis apud Nicandrum in Theriacis: immò eadem vox in genere neutro apud Scholiaſtem Homeri profertur. Aliter σίδηριον pro ferro in ſcriptis Thucididis legitur. Apud Euſthatium ὄρης ferrũ ſignificat; quamuis hac voce Mars propriè intelligatur: Chymici quoq; ferrũ Martem appellant, cum ferri vſus in bellis ſit frequentiſſimus, quibus Martem præeſſe aſſeuerant. Tandem nomine metalli ignobilis quidam ferrum ſignificant. Hebræis dicitur Barzel, Gallis fer, ferrement, feraille, Italis ferro, Hiſpanis Hierro, Germanis Eyſen.

Chalybs fluuius.

Mars vnde dictus.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

Lib. 34. c. 8. QVAMVIS Plinius naturam, & affectiones huius metalli multis verbis explicauerit, nos tamen id totum mira verborum parſimonia perſtringemus. Ferrum enim à natura impuritatem ſibi comparauit, quæ pendet à materia exuſta copulata exiguo humori aqueo, cum terræ exhalatione non benè permixto: propterea in igne, præcæteris metallis fumum fætidiſſimum ſpargit: hac de re metallum vile, & ignobile vocatur; idq; ex colore illius liuido arguendum eſſe iudicamus. Hinc optimis rationibus motus Albertus ferrum ex mixtione argenti viui impuri,

Ferri odor qualis.

A puri, pariter, & ex sulphure immundo, & terrestri resultare prodidit. Non est igitur admiratione dignum, si ferrum ferro percussum scintillet, cum id ex sulphure prodire quisq; nouerit. Habet præterea ferrum aliam materiam congenitam, quæ nullo modo comburi potest: etenim obseruantur in fornacibus, in quibus ferrum in massas componitur, vapores quidam à materia ferrea exhalantes, qui in lanuginem parietibus, & tectis officinæ adhærentem conuertuntur; cui natura tantam vim præscripsit, vt magna ignis vehementia consumi nequeat. His ita constitutis, nonnulli ponderantes ferri temperaturam, illud in caliditate, & siccitate constituunt, & ab hac sententia non recedunt Astrologi, qui ferrum sub dominio Martis planetæ calidi, & sicci collocant. Præterquamquòd experientia calidum ferri temperamentum declarat; dum ab ipso superfluæ ventriculi humiditates absumuntur, & obstructiones contumaces referantur. Ex altera parte Galenus ferrum ad frigiditatem, & siccitatem reducere videtur, dum illud substantiæ lapideæ comparat, quæ ob frigiditatē & siccitatē stabilis est. Hanc postea sententiam multi Auctores in medicina non proletarij secuti sunt: nā B Conciliator ferrum frigidum pronunciat, Iacobus de Partibus in commentarijs ad Auicenā, ferrum frigidum, & siccum declarauit, Manardus aquam chalybeatam, frigidam, & siccam esse stabiliuit; immò multi alij hanc opinionem vno ore confirmare videntur. Quapropter ad concliliandos tantos viros, qui de temperatura huius metalli variè scripserunt, asserendum est, iuxta dominium primarum qualitatum, ferrum refrigerare, & siccare, & quoniam nonnullæ portiones sulphureæ ab illo possidentur; ideo ijs stomachus roboratur, excrementa in illo contenta absumuntur, & vasa obstructa mirandum in modum aperiuntur.

Lanugo ferri qualis.

Lib. 9. Meth. med. ca. 7. Diff. 155.

Cum igitur hoc metallum ex substantia terrestri, crassa, & combusta constet, igni vehementer resistit, & tandem mollescit, & nonnisi vehementi flammarum incendio funditur. Quamuis autem natura tantam huic metallo congenuerit duritiam, nihilominus eadem natura aquam produxit, quæ ferrum absq; difficultate erodit, qualis est putealis in Cepusio Smolinitij, & eiusdē conditionis est Styx fluuius circa Thessalica Tempe, siquidem huiusmodi aqua in vasis ferreis diù contineri nequit, quin ipsis erosis effluat. Immò maiori admiratione dignum est, quòd animantes huic metallo sint detrimento: narrat enim Theophrastus in Syaro insula, expulsis incolis, ferrum à muribus erosum fuisse, & nonnulli, referente Mizaldo, pronunciarunt, apud Chalybas, mures in Ferrarijs officinis magnam iacturam feciſſe. Hinc colligendum est duritiam huius metalli non esse adeò notatu dignam, quin manibus ferrum contoqueri possit. Vidimus aliquos mira facilitate clauum ferreum confringentes; sumebant enim duas fascias longitudinis trium vlnarum partim ex crassiori, & partim ex subtiliori filo contextas, quibus ita ferrum inuoluebant, vt pars subtilior clauum amplecteretur, & tunc simplici manuum contorsione clauum in duas partes diuidebant. Denuò ferrum alias affectiones patitur, primò candens malleo percussum scintillas emittit, quæ Nonio strictura vocantur, & in excoctione recrementum, nempe scoriam, vel loppam reddit, quæ à Metallarijs, & à Fabris ferrarijs proijcitur. Hæc autem est illa materia, ex qua Chymici lapidem Philosophorum constare asseuerant. Postremò rubiginem patitur, à qua, tractu temporis, prorsus absumitur: iuxta illud carmen.

Aqua ferrum erodens.

Ferr eum manibus contorquetur.

Materia lapidis philosophici.

Ferrugo rodit ferrum, lignumq; teredo.

Verùm quando à sanguine humano inquinatur, cæleriùs, authore Plinio, rubiginatur, & hoc vitium à ferro, ad mentem Plinij, arcetur gypso, ceruſa, & pice liquida. Pariter omne ferramentorum genus rubiginem non sentit, dum medulla ceruina, pinguedine Felis, vel ceruſa cum rosaceo mixta perlinitur. Stannum quoq; ferro superfusum effectum, & affectum rubiginosum impedit, sed cum ferro permixtum, ex sententia Alberti, illud frangibile, & minimè ductile reddit.

Lib. 34. c. 15.

SYM-

SYMPATHIA, ET ANTIPATHIA.

AB animantium, herbarum, & lapidum natura Ferrum minimè diſſidere comperimus. In primis humanæ naturæ neutiquam aduerſatur; cum ferrum in vulneribus occultatum, citra patientis incommodum, diù delituerit: etenim narrat Zacutus Luſitanus Mulieri cuidam profundum vulnus per verticẽ capitis acuto cultello inflictum fuiſſe, quæ ſomnolenta pluribus diebus quieuit, & tandem, obducta cicatrice, minimè de actione animali conqueſta iterum domeſtica negotia obiuit; ſed cum, tranſacto octo annorum ſpatio, maligna febre oppreſſa deceſſerit, curioſi Chirurgi, aperto cranio, inter duram meningem, & cranium, mediam partem cultelli, quo olim fuerat vulnerata, rubiginoſam inuenerunt. Inter bruta animantia, nullum eſt, quod tantoperè ferro delectetur, quam Struthiocamelus: Hęc enim beſtia, obiecto clauo, cultro, vel claue ferrea, illicò fit obuia, & non ſecus ac canis, viſo panis fruſto, ferrum appohenſum auidè deglutit. Cum igitur hæc bellua naturali quodam appetitu ad ferrum feratur, cogitandum eſſet, nùm hæc Sympathia ab aliqua corporis Struthij parte magnetica dimanaret. Amplius cum cornu Rhinocerotis ferrũ conuenire quidam Luſitani infallibili experimento ſe comperiſſe referunt; dum gladium ex vtraq; parte manubrij ſupra extremitates vnguiũ indicis vtriusq; manus ad perpendiculum librant, vt vnus aſſiſtentium vas ex cornu Rhinocerotis paulatim circumagat, & tunc gladius quaſi ab eodem raptus ad motũ vaſis circumagi ſpectatur. Circa hanc veritatem Kircherus Ieſuita meritò hæſitat, cum id tum ab aere moto, tũ à liberatione gladij prouenire poſſit. Hoc quidem à veritate non eſt alienum, nimirũ Cimices ferri odore ſummoperè delectari, nam ferrum loco infixum, in quo nidulantur, paulò poſt omnes quaſi concordes illud amplectũtur. Præterea nõ deſunt Vegetabilia, quę amicitiam ferri diligunt, & hac de cauſa ſuper mineras ferri ſæpiſſimè creſcunt. Inter has plantas Iſatis potiſſimùm ſylueſtris, & Erythrodanum recenſentnr, quoniam quadam qualitate ferrea inſignitæ, non ſolum magneti conſeruando conferunt, verùm quoq; in cineres redactæ & fornacibus vitrarijs inditæ, ſedimentum quoddã ferrugineum in fundo catini relinquũt. Viciſſim ſunt aliæ plantæ, quę naturę ferreę penitùs aduerſantur, idq; de ocymo Gaudentius Merula pronunciauit. Pariter Ferrum Mercurio, Auro, & Argento nullo amicitiæ vinculo coniungitur, cum illis difficillimè copuletur; & propterea catinis ferreis officinæ monetariæ quidquam prædictorum metallorum adhæſiſſe opifices nunquam obſeruarunt.

Lib. 1. Admir. med. obſ. 5.

Ferrum Struthocamelo gratum.

Lib. 1. de fac. magnet.

Cimices ferri amicæ.

Plãta ferreæ.

L. 4. Mirab. c. 27.

Cæterùm Magneti tenaci quodam amicitiæ glutine ferrum ita copulatur, vt amore indiſſolubili, vbicumq; fuerint, ſemper ſe ſe amplectantur: immò ferrum candefactũ quando vix ab accenſis carbonibus diſtinguitur, admoto magnete, copula etiam amicitiæ dignoſcitur: ſiquidem ferrum ope flammarum magis, atq; magis perficitur, ideoque illius propenſio ad magnetem nulla ignis vehementia tollitur. Magnetis autem virtus incendio deſtruitur, dum, illius ſubſtantia in calcem degenerante, proprietates euaneſcunt. Quamobrem multi, cognita hac ferri, & magnetis ſympathia, ferrum impurum à puro, magnete admoto, diſcriminare profitentur: nam habitis duobus ferri ſcilicet puri, & impuri fruſtis æquali pondere libratis, illud fruſtum præſtantius, & purius iudicant, quod tenacius magneti adhæreſcit. Item ferrea ſcobs cumulo arenæ permixta eadem ratione ſeparatur, dum admoto magneti, relictis arenis, citò obuiam venit, vt vix exprimi poſſit quanto amore ſe ſe inuicem proſequantur. Hoc artificio Metallarij vtuntur, dum ſordes ferreas ab argento, cupro, & alijs metallis ſegregare volunt. Rurſus nulla locorum & temporis intercapedine, ferri, & magnetis amicitia diuelli poteſt, cum obſeruatum ſit, ferramenta illa longiora, quibus parietes ſepiuntur, & fornices conſtringuntur, tractu temporis, magneticam qualitatem abſq; eiuſdẽ lapidis contactu contrahere, & ab ædificijs exempta, & magneticè libratа ſe ſe ad polos perfectè diſponere. Prædictis addamus tanquam coronidem obſeruationem opificum in ſcalptis factam, quæ ad quoduis cælandum è chalybe temperata, & cote acuminata, continuo vſu, adeò magneti aſſimilantur, vt limaturam ferri, more magnetis, ad ſe trahant.

Modus dignoſcẽdi ferrum purum ab impuro.

Scalpri naturæ magneticæ.

FER-

FERRI VENENVM, ET MEDELA.

MVLTI formidine non mediocri capiuntur, quando ferrum à magnete recipi obseruant: quandoquidem ferrum tunc quodam veneni genere infici,& in illo diutiùs retineri opinantur. Verùm satius esset, si considerassent ferruginem venenata qualitate non carere, quæ non secus ac venenum in Macedonia natum,ferrũ exurit,atq; consumit:quapropter fungũ natum in loco,vbi clauus ferreus rubiginosus occultetur veneni præsentanei, & exitialis vicem obire obseruauimus. Nihilominus squama etiam,scoria,& ipsum ferrum à praua, & maligna qualitate non recedunt; & licèt ferrugo quamdam medicaminum compositionem ingrediatur;attamen in maiuscula portione sumpta veneni naturam induit, & sæuia symptomata procreat,quæ à Medico perspicaci sunt diligenter ponderanda, vt, cognita ægritudinis, & veneni qualitate, præsentaneis auxilijs patienti præstò esse possit. Quando igitur notabilis ferri quantitas,aut scoriæ, vel ferruginis in medicaminibus,vel cibis ingurgitata fuerit, dolor ventris, siccitas oris,totius corporis inflammatio, necnon cephalalgia insurgunt,quæ symptomata patientem mirandũ in modum vexare solent. Nam dolor ventris ab erosione à metallo facta dimanat, & oris siccitas ab humiditatibus consumptis pendet, & inflammatio à portionibus metalli calidioribus resultat; hinc vapores caput petentes cephalalgiam producunt.

Ferrugo venenata.

Signa huius veneni.

Curatio huius veneni à vomitione inchoanda est, vt materia adhuc in ventriculo delitescens per partes superiores educatur: deinde clysteribus agendum est, vt reliquię venefici metalli in intestinis stabulantes per infernas partes facilem exitum inuenire possint. Postmodum, præmissis vniuersalibus præsidijs, ad Bezaartica huius veneni accedendum est, inter quæ Rhasis,in capite de Calamita, exiguam portionem Magnetis in puluerem redacti ad tollendos effectus à limatura ferri productos collocat. Idem Author alibi, quibus ferrugo nocuit,lac,vel butyrum bibendum præbet,donec symptomata sedentur. Conciliator, in auferendis effectibus à scoria ferri generatis, iura pinguia præscribit, & clysteres ex decoctione pedum hædorum paratos injicit,& tandem drachmam puluerís Magnetis in aliquo liquore propinat. Alij verò aquam tantummodò, in qua Magnes maduerit, in hoc casu mirandum in modum magnificant.

Lib.23. Contin.

Lib. 8. ad Almans.

DIFFERENTIÆ.

NONNVLLI summatim ferri discrimina expressuri, ferrum in natiuum, & excoctum distribuunt. Natiuum appellant, quod in fodinis reperitur, & excoctum, quod in officinis ferrarijs, violentia ignis ex minera resultat. Alij solerti indagine huius metalli differentias vestigantes,ferrum aut effodi,aut colligi,aut excoqui, aut lauari asseuerant: quandoquidem effoditur Lauensteini, & alijs Misenæ locis, colligitur in agris passim in Norico, & Palatinatu,excoquitur vtrumq;quod fosium, & collectum est, & tandem lauatur, cuius massæ, & ramenta ab aquis eruuntur. Plinius quoque varias ferri differentias paucis tantùm verbis notauit. Verùm nos in præsentia ferrum, ratione coloris, ratione substantiæ, ratione figuræ, & ratione variæ præparationis, discriminare decreuimus. Quoad primum, ferrea vena interdum colori hepatis, aliquando pyriti, rarò galenæ, rarius plumbo cinereo similis inuenitur,quæ postrema in mõte Capha duobus milliaribus ab Vuisentala distante effoditur. Alia vena ferri proprij coloris magneti rubro permixta ex fodinis Bohemiæ eruitur. Quondam ex Saxonia delata fuit ferri minera, quæ ex vna parte pauonis, & ex altera columbæ colorẽ referebat. Metallarij venam ferri luteam, vel nigram nullis præconijs celebrãt, & vicissim mineram minutis scintillis, vel bracteis refulgentem, & aliam habentem Rubricæ portionem admixtam commendare non cessant.

Lib.34. 14.

Color ferri varius.

Quoad secundum, ferrum in sua substantia purum rarissimè inuenitur, quamuis ab Authoribus nullibi memoretur: reperitur tamen iuxta venam Magnetis purum, quod

Ferrum diues quale.

Metallarijs diues nuncupatur. Rarò etiam in arenis fluuiorum obſeruatur, & puritate caret: idcircò Albertus ferrum in terra aquoſa repertum multis excrementis ſcatere retulit. Itaq; ferri ſubſtantia in eodem metallo diſcrimen conſtituit; dum alia eſt tenax, & optima, alia fragilis, & æroſa, alia mollis, & plumbo proxima. Hinc ab Authoribus mineræ ferri quatuor ſpecies aſſignãtur. Prima eſt clara, ponderoſa, terræ & ſaxorum expers, quæ nullum aliorum metallorum odorem ſpargit; ſecunda habet grana minuta, quæ ſimplici tactu in puluerem vertuntur, & hæc à bonitate parumper recedit; tertia granis nigris, & craſſioribus eſt referta, quæ à Metallarijs nihil eſtimatur, cum æris, vel alterius metalli odorem ſpiret: quarta pariter granis nigris conſtat, quę poſtea, iuxta qualitatem lapidis, cui adhæret, vel commendatur, vel improbatur.

Quatuor ferri ſpecies.

Apud Encelliũ minera ferri duplex ſortitur diſcrimen: ſcripſit enim, quòd veluti pyrites in fragilem, & denſum diſtribuitur; pariter lapis ferri ſub ſe lapidem vi caloris duratum, & alium fragilem, & quaſi terram rubigine læſam nondum virtute caloris in lapidem denſatam compræhendit: vtraq; tamen minera tanquam ferri prægnans ab Encellio ſummopere extollitur. Subſtantia mineræ Iluenſis ferri ditiſſima eſſe perhibetur; cum eius centum libræ, ſexaginta optimi, & puri ferri reddant, quod alijs ferri mineris rarò contingit. In partibus Orientis reperitur genus ferri, quod vulgò Alidema vocatur, & huius ſubſtantia tanquam Cuprum facilè funditur, necnon cælaturis eſt idonea, &, inſtar ferri aliarum regionum, neutiquam duci, & dilatari poteſt. Non diſcrepabit, fortè hæc ferri ſpecies ab illa, quam Renodeus memorauit, ex qua lebetes conflantur: quapropter narrat nonnullos eſſe Lutetiæ, qui ollarum ferrearum fragmenta quærentes emunt, vt ad fornaces denuo liquanda conuehant. Aliquando etiam ferrum ſuam mutat ſubſtantiam, dum in Magnetem conuertitur, & hoc experientia conſtat, nam Ariminiſupra turrim templi S. Ioannis erat Crux à baculo ferreo ponderis centum librarum ſuſtentata, quod tractu temporis adeò naturam Magnetis eſt adeptum, vt, illius inſtar, ferrum traheret: hinc magna admiratione multi tenentur, qua ratione ferrum, quod eſt metallum, in Magnetem, qui eſt lapis, tranſmutari poſſit; Animaduertendum eſt id à maxima familiaritate, & ſympathia ferri, & magnetis dimanare; cum Ariſtoteles in habentibus ſymbolum facilem tranſitum ſemper admiſerit. Hoc in loco damus imaginem fruſti ferrei in Magnetem tranſmutati, quod clariſſimo viro Vlyſſi Aldrouando Iulius Cæſar Moderatus diligens rerum naturalium inquiſitor communicauit: erat hoc fruſtum ferri colore nigro, & ferrugineo, cruſta exteriori quodammodo albicante.

Minera Iluenſis qualis.

Alidema quid.

Lib. 2. de mat. med. cap. 7.

Ferrum in Magnetem conuerſum.



Demùm alij ponderantes substantiam ferri hanc distinctionem assignarunt, nimirum ferri duo esse genera, vnum, quod generis nomen retinet, aliud, quod chalybs nuncupatur: propterea Gaudentius Merula, ex nonnullorum sententia, chalybem natiuum,& factitium esse retulit, &, ad id confirmandum, possumus addere, quòd ex Historiographis intelleximus, nempè mineram chalybis in Canada, necnon in montibus ciuitatis Crerman inueniri: quod si in veritate versatur, chalybs ab artificio non penderet. Cæterùm, per mineras chalybis, mineras ferri purioris in comparatione ad alias, ab Historiographis intellectas fuisse existimamus. *Lib. 5. Mirab. cap. 67.*

Si considerentur variæ venarum huius metalli figuræ; notandum est, quòd interdũ quædam cauitas in minera obseruatur, quæ aliquando ochra repleta est, qualis prope Thscopam flumen iuxta Francobergum oppidum eruitur, aliquando creta cauitatem mineræ replet, qualis Saxenfeldæ effoditur; & interdum cauitas illa mineræ quid pici simile amplectitur. Insuper minera ferri in nonnullis locis, instar virgularum turget, in alijs figuram cerebri, vel racemi vuæ superficie modò nitida, modò aspera, modò colorata, repræsentat. Obseruatur etiam gleba ponderosa materia ferrea redundans, ex cuius tota basi, quæ terra subnigra est, folia multiplicia in diuersas partes sparsa, non sine oculorum admiratione, ita perbellè pullulant, vt à quouis perito artifice ad viuum rectiùs exprimi nequirent, veluti in hac icone apparet. Aliquando ex Stiria affertur flos ferri candidissimus, & leuis, cum ramulis corallo similibus, & interdum filo subtilioribus. In Lusatia, quod effoditur, noua incrementa acquirit, dum terra, & arborum trunci materiam metallo suppeditant: primitùs enim liquori cuidam assimilantur, deinde paulatim manifestam ferri duritiem adipiscuntur. Hic damus iconem lapidis iuxta ferri mineras inuenti, qui cum ferruginei esset coloris instar Achatis apparebat. *Minerarum Ferri varietas.*

Fluores ex Minera Ferri.

Lapis Ferruginei coloris inſtar Achatis apparens ex mineris Ferri.

Ferrum vario modo elaboratum.

Tandem quoniam plurimum laboris in præparando ferro inſumitur, & chalybs à ferro nonniſi accidentali diſcrimine ſegregatur, quia chalybs eſt ferrum diligenter purificatum, quod ſubtilioribus,& aqueis partibus euaneſcentibus durius euadit;ratione huius præparationis, & etiam temperaturæ, quæ in diuerſis regionibus exercetur, varia quoq; ferri diſcrimina ſe ſe offerunt enumeranda : nam gloria ferri rectè temperati multa loca fuiſſe nobilitata perhibentur. Hinc aliud ferrum alio eſt tractabilius, vt Pirnenſe Luſatio, aliud alio præſtantius; cum aliter ſit elaboratum, quod in fabricandis armis adhibetur, & aliter, quod ad inſtrumenta agriculturæ trahitur: quandoquidem ferrũ nõ conſumitur, quod in Corcyro inſula arandæ terræ famulatur, quamuis ſæpiſſimè in hoc obeũdo munere adhibeatur,& licèt multi id naturæ terreni attribuant;nihilominus id etiã à perfecta,& optima ferri temperatura prouenire poteſt. Propterea ratione huius tẽperationis in diuerſis locis vario modo præparatæ Cardanus varia ferri,ſeu chalybis genera nobiliſſima cõſtituit,veluti Azambina,Azimina, Carmanina,& Damaſcena ita à Regionibus nuncupata, quæ lingua noſtra vernacula ſic nominantur. Ferrum Azi minum fortè erit æthiopicum, quia elaboretur,

vel

A vel præparetur in Azimina regione secundùm Plinium arenosa, eritq; fortassis illud, quòd mercatores Damasci æquo auri pondere emunt, & in magno pretio apud Turcas habetur, cum ex illo paretur cultellus manubrio ex lapide corallina dicto munitus, quo in circumcisione puerorum vtuntur. Aduertendum est, quòd Damasci ferrum non nascitur, sed ferrum, vel chalybs ab illo loco laudem, & gloriam sibi comparat, cum ibi diligentissimè elaboretur, & temperetur; idq; non aliunde nisi ab aquis illius regionis prouenire potest. Pariter, ex Cælio Rhodigino, ratione temperationis, ferrum Laconicum, Chalybdicum, Sinopicum, & Lydium commendatur: etenim Laconica temperatura, Sinopica, & Chalybdica structuris potissimũ congruebat, laconica limis, terebris, & charecteribus etiam conueniebat, Lydia limas præstantes, gladios, & nouaculas exhibebat.

Cultellus pro circũcisione.

Lib. 18. lect. antiq. cap. 4.

FERRI PRÆPARANDI, & temperandi ratio.

B NARRAT Plinius, quòd in Cappadocia homines non multis laboribus se exercent, vt copiam ferri habeant: quandoquidem certo flumine terram perfundunt, & ex illa terra ferrum producitur tanquam à fornacibus prodiret. Similiter habitantes supra Amarcanum Hiberniæ vrbem, hastam ligneã in stagno quodam defigunt, & post aliquot menses, pars hastæ luto inuoluta in optimum ferrum degenerauit, pars in aqua mersa Cos euadit, & quæ supra aquam remansit propriam ligni naturam seruat: sic de insulis Britannicis Maginus retulit: Pariter circa Andira lapis inuenitur, qui simplici combustione in ferrum vertitur. Aristoteles talem ferri præparationem assignat, dicens vehementi virtute ignis ferrum more aliorum metallorum fundi, & multam scoriam separari, sicq; ferrum purius, & durius reddi, & reiterata operatione, ferrum in chalybem conuerti. Cæterùm antequam vena ferri excoC quatur, diligenter est examinanda, num ferri diues, vel inops esse possit. Itaq; sumitur minera ferri alicuius noti ponderis, quæ in minutissimum redacta puluerem supra paginam collocetur: posito subtus Magnetis frusto, quod dum paulatim mouetur, grana ferri Magnetis motum sectantia à terra separantur, & hac facili ratione quantitas ferri in vena contenta cognoscitur. Hodie in Germania bifariam ferrum præparatur, primò ex quibusdam lapidibus elicitur, secundò ex terra rubra ferrugine quasi læsa excoquitur; quod opus in Silesia potissimùm peragitur. Præterea sunt etiam nonnulli in Germania, qui ex Magnete optimum ferrum eliciunt. Animaduertendum tamen est, quòd varijs laboribus se exercent illi, qui præcipuæ bonitatis ferrum excoquunt, diuersis laboribus corpus fatigant, qui circa venam ferri difficulter fusilem, & ærosam versantur, qui modi apud Agricolam legendi sunt.

Lib. 34. c. 14.

Tab. 2.

L. 4. Meter. ca. 6.

Vena ferri quæ diues sit.

Lib. 9. de re metall.

Sin ad temperaturas ferri animum conuertamus, ferrum recoctum, & à scoria diligenter separatum, duritiam non vulgarem adipiscitur. Artifices tamen in Officinis colorem candentis ferri primò obseruant, deinde liquorem iuxta intentionem eligũt, D vt ferrum in illo extinctum duritiem, vel mollitiem nanciscatur. Quando igitur violentia ignis ferrum vltimam candoris notam acquisiuerit, vocant argentum, & tunc illud non extinguunt, quoniam consumeretur; at si croceo colore, vel rubro tingatur, ferrum roseum, vel aureum dicitur, & tunc liquoribus mersum durius efficitur. Hodie in Officinis quadruplex ferri tinctura obseruatur, prima colore est albo, quæ nimis dura est, secunda flaua, qua ossa & lapides scinduntur, tertia ex purpureo, & cæruleo mixta ad secanda ligna idonea, quarta est nigra, quę nimium mollis esse perhibetur. Ex altera parte ponderandi sunt liquores, in quibus ferrum candefactum, pro varia temperatione, extinguendum est; Multa flumina ad ferri temperaturam apta celebrantur: hac de causa ferrum in Norico scriptis Veterum fuit commendatum: huius conditionis sunt Biblis, Tarassius, Salo, à Iustino Chalybs, & ab alijs Iberus: vnde Iberæ loricæ pro fortissimis apud Horatium leguntur. De Salone Fluuio Martialis sic cecinit. *Quam fluctu tenui, sed inquieto.*
Armorum Salo temperator ambit.

Quadruplex temperatura ferri.

Lib. 4. Epigr. 5.

Pariter in Italia amnis Comum præterfluens, & Lambrus Mediolanum hac eadem prærogatiua gaudere perhibentur: quapropter de hoc poſtremo flumine ſit canitur.

Aquæ ad temperãdum ferrum quales.

Nec niſi duratum Lambro thoraca volebam.

Virgilius quoque de gladio Turni in Stygio amne optimè temperato verba faciens cecinit hunc in modum.

Enſis, quem Dauno ignipotens Deus ipſe parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda.

Lib. 12. Aeneid.

Cum igitur in ferro interdum mollities, & aliquando durities deſideretur, erunt aſſignandi modi, quibus vtrumq; facile aſſequi poſſimus. Glaucus ille Samius, qui ferruminandi artificiũ adinuenit, referente Suida, ferrum, quod molle eſſe voluit, oleo, & quod durum aqua tinxit. Nonnulli ad communicandam ferro duritiem, plumbum in cauitate ferri collocantes totum candefaciunt, donec plumbum in fumum abeat, & hoc opus toties repetunt, donec ferrum inſtar ceræ molleſcat. Præterea ferrum ſæpius candefactum, & per ſe refrigeratum mirandum in modum tenereſcit: id experientia docet in filis ferreis, quæ ignita, & per ſe refrigerata, mollia, & ductilia euadunt. Alij in ſucco maluæ, aut fabarum candens ferrum extinctum inde molle extrahunt. Alij ferrum oleo amygdalarum amararum liniunt, illudq; cera cum Aſſa fætida, & modico ſalis a kali mixta cooperiunt, & totum nitro, & luto ex fimo equino inuoluunt, & in igne carbonum per noctem relinquunt, indeq; ferrum tractabile, & molle habent.

Mollities ferri quomodo fiat.

Præterea ferrum diligenter elaboratum mollius, & durius, iuxta operantis intentionem, temperari poteſt: cum aliam temperaturam enſes, aliam limę, aliã arma in tutelam parata expoſtulent. Albertus tradidit ferrum acrius fieri temperatura ſucci raphani, & aquæ lumbricorũm terreſtrium, quod experimento reſpondere negauit Porta. Enſes igitur tali indigent temperatione, vt neruoſa exilitate ſint prædi-ti, ne dum punctim feriunt, rumpãtur: ſimiliter acutam aciem poſcunt, vt cęſim feriendo ſecent: quapropter oleo, & butyro enſis corpus temperatur, acies verò acribus extinguitur, vt in cædendo robur acquirat; & hoc opus, monente Porta, vel canalibus ligneis, vel laneis pannis madidis opifices aſſequuntur. Scalprum verò, ex eodem Porta, pro ferro incidendo, in vſtrina rubefiat, & quando in ipſo rubicundus roſæ color apparuerit, in aqua extinguatur, deinde ſecundus color fuluus expectetur, & denuò in aqua mergatur. Item ad ſcalpenda marmora, ferrum ex optimo chalybe paratum, & ignitũ, apparente roſeo, vel rubeo colore, aqua madefiat, mox remotum, apparente colore aureo, rurſus aqua mergatur. Lima ita dura temperanda eſt, vt aliud ferrũ cõmodè limare poſſit: ſumatur ergo fuligo ſummitatũ cornu, vel vngularum Bouis, portio vitri triti, & ſalis cõmunis, & omnia aceto miſceãtur; deinde hac miſtura lima imbuta, igne candefacienda eſt, poſtmodum in aceto, vel vrina, vel aqua frigida illicò extinguenda eſt. Hamus piſcatorius ſimili indiget temperatione, vt piſcium morſibus minimè flectatur. Viciſſim ferrum pro phlebotomia molem temperaturam exigit, ne in operatione aut flectatur, aut rumpatur, Item falces herbariæ, quia tenues ſunt fortem temperaturam non requirunt.

8 *Enſium temperatura.*

Lib. 13. Mag. nat

Lima tẽperatur.

Hami piſcatorij, vt temperandi.

Poſtquã ex ferro purgato, & diligenter temperato varia inſtrumenta, vel arma fuerint fabricata, nonnullis iconibus, aut characteribus inſigniri ſolent: idcircò ad hoc peragendum opus, pyrites aurei coloris in puluerem redactus per diem naturale m in aceto infunditur, & vaſe igni admoto, vt ferueat, aliud acetum ſupperadditur, quo exſiccato, materia vitreis organis diſtillatur in liquorem, quo icones, vel literæ in quouis ferreo inſtrumento deſignantur, quæ prima facie nigræ apparebunt, ſed ſiccatæ, & panno lineo fricatæ aureæ conſpicientur. Multi occaſione extinctionis ferri in varijs liquoribus, & eius temperaturæ, ferrum, & natura, & artificio in cuprum mutari poſſe arbitrantur: ſed aduertendum eſt, quòd ferrum à natura non ita excoquitur, vt æs euadat; quemadmodum Scaliger in ſuis Exercitationibus optimè probauit: præterea ferrum merſum in aquis vitriolatis tũ naturalibus, tum ex arte paratis diſſoluitur, & quoniam huiuſmodi aquæ vitriolum participantes, æs etiam, ſiue cuprum continent; ideò, materia ferri ſoluta, in fundo harum aquarum cuprum reperitur, quod ex ferro non generatur, ſed potius beneficio ferri præcipitatur. Chymici ad ſoluendum ferrum, vtuntur aqua valenti rubea, quæ ex quadrante vitrioli albi, ex ſep-

Characteres in ferro quomodo fiant. Exercit. 106.

tem

A tem vncijs vitrioli vngarici, triente salis, & semuncia aluminis constat. Verùm Pandulphus Anglus, qui de Fossilibus scripsit, ferrum melle restinctum melius liquefieri retulit. Deniq; ferrum æri, & stanno permiscetur, sed agrestius, & frágilius redditur. Qui plura artificia desiderat, quibus ferrũ purgetur, à rubigine defendatur, in chalybem mutetur, mollius, & durius reddatur, cæletur, nec non auro, & argento tegatur, petat Vuecherium, qui horum arcanorum longam seriem recitauit. *Lib. 10. de secr.*

LOCVS.

SVNT multi, qui molesto animo tollerant opinionem referentium in nubibus ferrum generari ex vaporibus, non aliter atq; in gremio terræ ab exhalationibus concrescit, addunt q; ex Auicenna, huiusmodi ferrum non fundi posse, sed totum in fumum, & cineres conuerti. Omissis autem his sententijs, quæ nullo modo pro-
B bari possunt, fatemur ferrum vbiq; ferè locorum, & potissimum in regione montosa procreari. Itaq;, de more, loca peculiaria huic metallo destinata, iuxta seriem alphabeticam, recensebimus. Primùm in Africæ quodam loco, monte *Bugiu* nuncupato, vt recitat Liuius Sanutus, sunt mineræ ferri, ex quo frusta semilibralia parant, quibus Incolæ, loco monetæ, vtuntur. In Alsatia, vt legitur in Cosmographia vniuersali, mons est, ex quo singulis annis, tanta ferri quantitas eruitur, quæ ad summam viginti millia florenorum ascendit. Aquitania, ex Botero, mineris perfecti ferri redundat, quod postea in Comitatu Foix optimè temperatur. In Azima regio est Viazambina dicta optimi chalybis feracissima, vt Andreas Baccius in volumine de Thermis scriptum reliquit. *Ferri quantitas vbi.*

Bauariæ multa loca venis ferri turgent, sed potissimùm, teste Ortelio, Nortgoia Bauariæ, siue Palatinatus, vbi mons est Fichtelberg nominatus, vnde Nortgoienses quot annis eruentes ferrum, magnam vim pecuniæ colligunt. Item Liuius Sanutus in sua Geographia, Benebesene regioni terræ Selgonensis venas ferri assignat, quod po-
C stea toti prouinciæ distribuitur. Bergomensis ciuitatis territorium ferri prægnans Leander in Historijs constituit. Iuxta Biuincum amnem Mineræ ferri sunt affluentes. Omnes Britanniæ colles ferro abundant. In Brixiæ ciuitatis Galliæ cisalpinæ territorio tanta ferri quantitas effoditur, & excoquitur, vt multis alijs ciuitatibus, maximo Brixianorum emolumento, suppeditetur: Etenim pollet hæc ciuitas tantis singularum rerum opibus, vt à quodam Poeta sic loquens introducatur. *Brixiæ laudes.*

Vis Ferrum, Aes, Aurum, vis Vellera, Massica, Fruges.
Me pete, gallinæ lac dabo læta Samos.

Calabria Mineris ferri probè est ditata. Calatri territorium Mineris ferri gaudet. In Chattis Valdunga ferrario lapide abundat; immò oppidum Siga, & Sauerlandia Coloniam aggripinam versus, opibus huius metalli scatet. Canada venas habet ferri. In Cantabriæ maritima parte mons altissimus conspicitur, qui totus ex materia ferrea constat. Demum in Cypro locus est, vbi venæ ferri eruuntur. Damasci ferrum nõ oritur, sed aliunde delatum ibi perficitur. In Euboeæ campo Lilando metallum com-
D mune æris, & ferri fuit. De regno Fez scripsit Liuius Sanutus, in Geographia, ibi montem Benihessen cognominatum conspici, ex quo non solum ferrum eruitur, sed etiã ibi elaboratur, & in frusta, ad instar solearum equi, formatur, quæ loco monetæ adhibentur, cum Incolæ, aut parùm, aut nihil argenti habeant: immò ex ferro annuli fabrefiunt, quibus fœminæ, & digitos, & aures exornant. Foroiulianæ regionis mineris ferri montes minimè carent. *Mons totus ex ferro.*

Gallis populis Petrocorijs, & Cabis Biturigibus amplæ sunt officinæ, in quibus ferrum excoquitur, & præparatur. Germaniæ multa loca ferri mineras habent vberrimas, & potissimum penès Basilcam vna est, quæ per longam annorum seriem effoditur, & adhuc inanis non reperitur, & Ptolemeus addit propè Lunam syluam in Germania magna, ferri metallum inueniri. Giuspuscosa regio est montosa, & vbique ita ferri ferax, vt nulibi terrarum maior ferri vbertas, & præstantia reperiatur: propterea hinc omne genus ferramentorum vtensilium in vicinas regiones magna incolarum vtilitate asportatur. Gothia, cuius vocabulum bonam terram significat, mineris ferri re-

referente Botero, non caret. Gothini, iuxta ſententiam Taciti, ſunt Germaniæ populi ferrum effodientes: Ortelius tamen ſcribit hos eſſe populos, qui hodie Vitenbergum Bohemiæ incolunt. Hannonia regio venarum ferri affluit copia Hiſpania citerior, & omnis regio à Pyreneo, teſtante Plinio, opibus ferri, multis alijs locis antecellit.

In Idæ promontorijs Idæi fratres, cognomento Dactyli, ferrum inueniſſe & fabri ferrarij fuiſſe perhibentur. Inter hæc ferri loca primatum proculdubio occupat Ilua vulgò *Elba* inſula Tyrrheni maris, cui Coſmus Magnus Hetruriæ Dux anno ſexageſimo primo poſt milleſimum, & quingenteſimum, inſtitutione Equitum Sancti Stephani plurimum ſplendoris addidit è quadam ferri fodina, ex qua ferrum ſemel erutum poſt annos viginti quinq; renaſcitur, vt Agricola, & Maginus teſtificantur. In hac ergo inſula, è regione Volaterrarum, ferrum in hunc vſq; diem effoditur, quod niſi vehatur in Continentem, in maſſas redigi nequaquam poteſt. Immò venis huius metalli hæc inſula eſt adeò locupletata, vt non ſolum Hetruriæ & locis proximis, ſed etiam duabus Italiæ partibus, necnon Siciliæ, & Corſicæ copiam ferri ſuppeditet: quãobrem non immeritò Virgilius illam celebrauit ſic canens.

Tab. 12. Geograph.

Ilua Inſula.

Illuaq; inhexauſtis chalybum generoſa metallis.

Indiam habere fontem aliàs retulimus, ex quo fictilibus prius aurum, & deinceps hauriebatur ferrum, ex quo enſem fabrefactum & à Rege ſibi donatum habuiſſe prodidit Cteſias, quo in terra defixo, grandines, nebulas, & turbines arceri memorauit. Demum Italia opulenta ferri ſuppelectile gloriatur: idcirco hic vili pretio venditur.

In Leodienſi Diœceſi tractu Belgico optimum ferrum effodiunt, illudq; carbonibus lapideis, & bituminoſis fundunt: quamobrem Incolæ prouerbio dicunt ſe ignem igne calidiorem, & ferrum ferro durius poſſidere. In Lygijs ad Sagam oppidum, ſcrobibus foſſis ad altitudinem bipedaneam in pratis, ferrum inueniunt: nam cum hæc loca ſint aquoſa, ſcrobes altas facere minimè expedit: immò hoc ferrum non ſecus ac ferrum Iluenſe poſt decennium in ijſdem locis renatum reperitur.

Ignis igne calidior vbi.

Ferrum vbi renaſcatur.

Marchia Taruiſana & ipſa ferri opes oſtentat. In Marocchi regno ciuitas eſt ferri ferax, vbi fabri magnam ſolearum equorum quantitatem fabrefaciunt. In Melita inſula ferri metallum fuit antiquiſſimum. Melibocus mons duodecimo lapide à Northuſa diſtans ferri copia eſt tumidus; vnde eruitur lapis ferrarius ferè exeſus, necnon vena ferraria Minij venæ non diſſimilis, & ex ambobus mira facilitate ferrum excoquitur. Meroe ferri mineris ſuperbit. In Miſena excellens ferrum paratur non longè à vico, quà in vallem Diui Ioachimi itur. At in inſula Mori, ob defectum ferri, oſtreorum teſtis ad fabricandas naues vtuntur. Pariter Moluccę populi hoc metallo carent; propterea illuc ab auaris mercatoribus defertur. Penès Montem altum ciuitatem Calabrię narrat Leander in Hiſtorijs ſe obſeruaſſe ianuarum feras ex ligno eleganter fabrefactas; ideoque magna correptum fuiſſe admiratione, cum ibi venæ ferri deliteſcant.

Seræ Ianuarium ex ligno.

Namur prouincia eſt valde montoſa, & fodinis optimi ferri abundans, vt Georgius Braun in Theatro vrbium recitauit. Niſa Siciliæ ferri venis probè eſt ditata. In Norico habetur ferrum verſibus Poetarum tantoperè celebratum: nam de illo canebat Ouidius hunc in modum.

Durior & ferro, quod Noricus excoquit ignis.

Neropes gens eſt Pœoniæ, quæ, ex ſententia Ortelij, æs olim elaborauit, & primò ferrum purgauit. Deniq; in Noruegia inter Sacnadalam, & Oſterdalam ferri diuitiæ inueniuntur. In orbe nouo ſcripſit Boterus magnam ceræ vbertatem fuiſſe, ſed candelas cereas fabricare ignorabant, pariter venis ferri redundaſſe, ſed ob ignorantiam illas non eruebant.

Paleſtinæ montes Arabiam ſpectantes ferro ſunt ditiores. Parmenſi territorio, veluti, & Placentino mineræ ferri non deſunt, quæ cum ſint illis incognitæ, non eruuntur. Pedemontana regio opibus ferri eſt præcellens. In Pegu Coſmin eſt Emporium celebre, vbi, ad mentem Boteri, optimi ferri fit mercatura. In Piceni, & Vmbriæ finibus, veluti & in agro oppidi Saxoferrati fodinæ ferri conſpiciuntur. Piſcaria cum cæteris metallis ſcateat, incolæ tantummodò ferrum effodiunt. Poloniæ pluribus in locis ferri mineræ eruuntur. In Ponto iuxta Thermodontem flumen ſunt populi Chalybes, Alizones Homero dicti, deinceps, ad mentem Strabonis, Chaldęi cognominati,

Lib. 12.

qui

A qui ferrum nudi fodere feruntur, quos etiam Virgilius memorauit. Populoniam in Hetruria hoc metallo redundantem Liuius singulari præconio prosequitur: namque Populonienses cum, vigente bello Africano, pro suis facultatibus, alij aliud Romanis pollicerentur, quod contribuere commodè possent, se ferrum daturos promiserunt. In Principatu prouincia venas ferri excauant, quas postea in Tripalda elaborant. Pretegoia Regio, vt in Cosmographia vniuersali habetur, multarum minerarum, sed potissimum ferri est ditissima. Demùm Puteolanus ager, ob mineras ferri, se iactare non desinit. *Chaldæi populi qui*

Schlakenuerda oppidũ est, vbi lapides ferrarij nigri, & veluti fuligine obsiti eruuntur: nam incendij naturalis vestigium præ se ferunt. Scotiæ ferri mineræ abundè suppetunt. In Scythia officinæ ferri nobiles Chalybum fuisse perhibentur. Semana sylua ferri metallis optimè est ditata. Stiria luculentas ferri facultates possidet. Suedorum ferrum multi prædicant, quoniam cæteris ferri mineris præstare sibi persuadent. Demùm in Suditorum montium pluribus locis ferri fodinæ eruuntur. Taprobana insula
B non alio metallo, nisi ferro gaudet. Valentiæ regnum diuitias ferri habet perinsignes, sed Agri Veronensis admodum steriles.

DENOMINATA, & Cognominata.

ETHNICI Cupidinem colentes, & suis votis minimè fauentem obseruantes, non solum ingratitudinis nota illum signabant, verùm quoq; ferreum appellabant. Tres Parcæ, nimirum Atropos, Clotho, & Lachesis omnes, & singulæ à Poetis ferreæ nominantur; immò & Mors dicta est ferrea, quia superari minimè possit: quemadmodum, & Plato Rex ferreus Orci fuit nuncupatus: cum Deus ferrugineus Ethnicis Vulcanus diceretur. Ferratos milites, ex Cælio Rhodigino, appellabant,
C qui assiduo ferri tegumento erant muniti, ictibus inferendis inepti, & accipiendis impenetrabiles. Plautus genus ferratile seruos quosdam in Mustellaria vocitat, qui compedibus impediti ferritribaces ab illo dicuntur, dum annulatis cruribus assiduè ferrum atterunt. Versiculi Plauti sunt hi. *Mors ferrea cur dicta.* *Lib. 10. lec. antiq. cap. 11.*

Cis hercle paucas tempestates Traino
Augebis ruri numerum genus ferratile.

Faber Ferrarius Græcis vocatur σιδηρεργὸς; nã σιδηρόφρων homo crudelis, & quasi mentis ferreæ apud Euripidem exponitur. A ferro cognomentũ habúit Ludouicus Quartus Princeps Turingiæ, qui semper armatus incedebat. Item à brachijs armatis familia nobilissima Ferrobracchiorũ apud Italos cognomen inuenit. Illustrissima familia Buccaferreorum Bononiensis non est silentio inuoluenda, quoniam ex illa Viri splendidis virtutum ornamentis decorati prodierunt, nimirum Ludouicus Siderostomos, qui difficiles Dialecticæ nodos, & Philosophiæ ænigmata mira facilitate soluta monimentis mandauit, & Hieronymus Buccaferreus in disciplina Iuris, & noscendis, exponẽdisq; legibus scientia fuit illustri, à quo hodie Franciscus Maria filius vtriusq; Iuris professor clarissimus minimè degenerat, vt apud Iacobum Philippum Tomasinum Æmoniæ Episcopum in libro virorũ illustrium videre licet. Σιδηροβορὼς ferrum edens exponitur, & apud Sophoclem Cotis epitheton esse dicitur; cum potiùs hoc epitheton Struthiocamelo esset aptandum, qui proiectum ferrum auidè deglutit. *Buccaferreorũ familia Bonon.*

Hinc ad varias plantas trãseundum est, quæ nomen à ferro inuenisse feruntur. Circa fossata pullulat quædam herba, ob siliquæ figuram, Ferrum equinum dicta, vel, vt multi volunt, ab effectu denominata, quoniam equi plantam hanc virentem diù calcantes soleis ferreis exuantur. Scrofularia, seu Strumaria apud Matthiolum planta est, quæ strumis medetur, Ferraria tamen alijs Authoribus dicitur, quoniam ferrugineum colorem præ se ferat. Verbena quoq; à Botanicis Ferraria, ob duritiam indigitatur. Item Sideritis planta est à ferro cognominata; cum Græcis ferrum sit σιδηρος; diciturq; Sideritis, quasi ferruminatrix, quia vulneribus ferro factis non mediocrem vtilitatem afferat. Crescit in nouo orbe herba, cui nomen est Cabuia, seu Henequen, ex qua *Strumaria herba.* *Sideritis vnde dicta.* *Cabuia herba.*

ex qua Indi filum ſubrufum conficiunt, quo, admixta arena, quodlibet ferrum ſecant, non aliter atq; lima, quam vulgus ſurdam appellat. Hoc filo captiui in Hiſpaniola frequenter vtuntur, dum, compedibus ſecatis, fuga ſibi conſulunt. Si veritatem Fernãdus Ouiedus aſſecutus eſt: quamobrem hæc planta Ferriſeca eſſet nominanda: hoc filo ferrum quidem ſecatur, ſed vſu atteritur; ideòq; nouum filum attrito toties ſubſtituitur, donec opus perficiatur. Naſcitur in Iaua maiore arbor, quæ Scaligero Metroſidera, aut potius Meſoſidera dicitur, quoniam eius medulla ferrea, & exilis ab ima radice ad cacumen vſq; arboris porrecta ſit: qua de cauſa, qui fruſtum huius arboris geſtat, armatum ſe eſſe arbitratur. Rurſus Indi habent aliam arborem, cuius ſubſtantia, inſtar ferri, dura, & denſa eſt: propterea hæc arbor ibi Palus ferreus vocitatur. Ex materia huius arboris anchoras fabricatas Balbus in portu Cocchi, ad magnas firmãdas naues, non ſine ingenti admiratione obſeruauit.

Lib. 7. hiſt. noui orbis.

Filum ſecans ferrum.

Lib. 2. Itiner.

Non deſunt Metallica, quæ à nomine ferri non abhorrent. In primis Sideritis vocatur terra illa, ex qua ferrum, vel effoditur, vel excoquitur. Alioquin terram colore non duritia ſimilem, lapide magis fragilem, & ferro minus ponderoſam Geſnerus Argillam ferream nuncupauit. Ferrugo eſt ferri rubigo, detorto à rubore vocabulo, vel quaſi ſit Rodigo, quia ferrum erodat. Aliquando ferruginis color ex fuſco, & rufo mixtus ad cæruleum tendere videtur; hinc ortus eſt ferrugineus color, qui in Hyacinthis, & Violis tãtopere à Poetis celebratur: ſunt etiam, qui colorem Caſtaneæ ferrugineum nominent. Aliter Rubigo eſt locus Latij propè Romam, non à rubigine ferri, ſed à rubigine campos vexante cognominatus; ſiquidem ibi preces ad arcendam ab Agris rubiginem fundebantur. Ferretum Hiſpaniæ non eſt materia ferrea, ſed æs cõbuſtum, quod ferri colorem acquirit; propterea vulgò *Ferreto di Spagna* dicitur. Sed apud nos *Ferreto* paruum, & minutum ferrum ſignificat. Aliquod armorum genus, quod totum ex ferro conſtat, Liuius Soliferreum indigitauit. Ferreum eſt, quod ex ferro integratur, ferratum, quod eſt ferro inductum, ferrarium, quod ad ferrum attinet; hinc Faber ferrarius, Fodina ferraria, Officina ferraria, Aqua ferraria, in qua fabri ferrum candens extinguunt. Demùm Ferramenta ſunt ex ferro facta inſtrumenta.

Sideritis terræ nomen.

Rubigo vox æquiuoca.

Ferretum Hiſpaniæ quid.

Ad gemmas, & lapides ſi conuertatur oratio. Primitùs Siderites gemma apud Suidam à ferro nomen inueniſſe videtur; ſed hanc gemmam eamdem eſſe cum Adamãte ex Plutarcho conſtat, qui ab Indis Adamãtem vocari Sideritidem, monimentis mandauit. Plinius quoq; multas Adamãtis ſpecies conſtituit, ſed vnam ferrei ſplendoris Sideritidem nuncupauit. Alioquin Adamas, ob indomitam duritiem, à Poetis ferreus appellatur. Amplius lapis herculeus, ſeu Magnes, cum facie, pondere, & natura Ferrũ æmuletur, Sideritis etiam dicitur. Verùm cum Magnes, & quędam Adamantis ſpecies eodem Sideritidis nomine inſigniãtur, diligenter cauendum eſt, ne confundantur. Eſt quædam marmoris ſpecies ferrei coloris, quæ Plinio Baſaltes nominatur à voce æthiopica *Baſal*, quæ ferrum ſignificat, quoniam non ſolum colore, ſed etiam duritie ferrum imitatur; ideòq; hic lapis ab Agricola Siderites nuncupatur. Coticula aliquibus dicitur Sideritis, cum, colore, & facie, ferrum referat. Pyrites apud Hermolaum Barbarum Sideritidis nomen inuenit. Orpheus inter lapides Serpentum morſibus reſiſtentes collocat Oſtritem, ſed Geſnerus legit Oritem, immò Sideritem etiam vocari putat, quem lapidem ſubaſperum, nigricantem, denſum, & ſolidum conſtituit. Inſuper apud Plinium σιδηροποίκιλος nomen lapidis eſſe creditur. Item lapides quidam in Creta idæi dactyli dicti, coloris ſunt ferrei, & figura pollicem humatum exprimunt. Asbeſtos ferrei coloris in Arcadiæ montibus, ad mentem Plinij, naſci traditur. Pariter lapis ferreus in Berecintho Phrygiæ monte, nomine Machera, reperitur, vt Plutarchus in libro de fluuijs narrat, quem ſi quis, tempore ſacrificiorum Cybeles, inuenerit, furorem facilè incurrit. Obſeruatur etiam in rerum natura quidam lapis trunci alicuius arboris ſpeciem exprimens, & duritia ferrum æmulans; ideòq; Stelechites appellatur: quandoquidem Græcis στέλεχος eſt truncus, & στελεχώδης trunci formam gerens. Hoc in loco tria fruſta huius lapidis delineata exhibentur.

Gemmæ à ferro denominatæ.

Lib. 37. cap. 10.

In lib. de nat. foſſil.

Sideritis nomen æquiuocũ.

Stelechitis ferrei tria fragmenta.



Secundo loco apparebit icon Stelechitis ex Minera Ferri.

Stelechites ex Minera Ferri.

Præterea lapides etiam ferrei illi dicuntur, qui ſuperficie ferrea ſunt decorati: nam veluti inter ammonios lapides ſunt quidam, vt ſuperius oſtenſum fuit, qui armaturam quamdam coloris aurei induunt: pariter ſunt alij non ſolum figura arietini cornu, ſed etiam varia prædíti forma, qui naturaliter tunica ferrea veſtiuntur; talis autẽ lapis cuiuſcumq; ſit figuræ apud Græcos σφαίρης auncupatur à voce græca σφαλα, quæ arma ſignificat: quandoquidem ſuperficies huius lapidis, inſtar ferri politi, nitere videtur: Producuntur etiam alij lapides à natura æroſam ſuperficiem habentes, veluti in capite antecedenti fuit enucleatum: nihilominus hi ne tantillum quidem æris, aut ferri participant; cum nulla ignis violentia aliquid prædictorum metallorum ex illis excoquatur: indicant quidem rudimentum naturæ producere metalla diſcentis. Hic damus primam tabellam, in qua Ammonites duplex ferrei coloris conſpicitur; ideò Siderammonites, & Hoplites etiam dici poterit. Geſnerus quoq; in libro de figuris lapidum meminit cochleæ fuſci coloris, & ſuperficie ferro ſimili à Kentmano ſibi miſſæ, quæ σιδηροειδὴς, & Hoplites, ipſo monente, nuncupanda eſt. Hæc autem cruſta ſplendida tenuis, ferreiq; coloris in multis lapidibus æmulantibus chamas, ſtrom-

Prima Tabella.

Siderammonites duplex.



bos,

A bos, fungos, & ſimilia fæpiſſimè obſeruantur. Hic oſtenditur ſecunda Tabella, in qua delineatæ ſunt Conchę variarum figurarum,& potiſſimùm formæ caſtaneæ,quæ à colore ferratę appellantur ; in eadem Tabella conſpiciuntur lapilli aſellorum piſcium. Oceani, de quibus poſteà ſuo loco verba fient. In tertia Tabella apparet chama lapi-

Secunda Tabella.

Lapilli Aſellorum piſcium oceani, de quibus ſuo loco agetur.



Conchæ Sideroides, ſeu Ferratę figura caſtaneæ.



Cochlea Sideroides.



dea coloris ferrei,quę Sideroides erit appellanda. In quarta apparet chamites Sideroides. In quinta datur icon referens Turbinitem Sideroidem. In ſexta tres figuræ lapidum ſunt deſignatæ;prima refert Fungum lapideum Sideroidem,& quoniam Fungus Græcis dicitur μύκης ,& σιδηρὸς eſt ferrum; propterea hic lapis poterit vocari Sideromycetis. Altera figura imitatur lapidem Bezaar coloris ferrei; ideoq; Siderobezarites nuncupabitur. Tertia icon oſtentat nucem tunica duriſſima, inſtar ferri, coloris ferruginei, & quoniam κάρυον nux exponitur, Siderocarites appel lari poterit.

Tertia Tabella.

Chama lapidea Sideroides.

Quarta Tabella.

Chamites Sideroides.

Quinta Tabella.

3

Turbinites Sideroides.



Sexta Tabella.

Sideromycetes.

Siderobezarites.

Siderocarites.

A Rem facere legentibus vehementer gratam existimamus, si loca varia à ferro denominata recenseamus. Est igitur in Germania oppidum Eistertada à ferro cognominatum. Saxoferratum apud Italos in Piceni, & Vmbriæ finibus oppidum est, quod à ferro partem nominis traxit. Inter Canarias insulas vna est, quæ ferri insula nominatur. Mons ferreus est in Cantabria, quæ Regio est montosa Baccho inimica, sed Marti, & Vulcano valde amica: quare non immeritò officina Vulcani appellatur: hic enim mõs totus ex materia ferrea compositus esse videtur. Inter præcipuas Italiæ vrbes Ferraria ciuitas Aemiliæ ad Padum recensetur. Ferraria quoq; est Hispaniæ Promontorium in litorali ora Regni Valentini situm. Item Ferraria est Promontorium Sardiniæ, quod vulgò *Capoferrari* nominatur. Tandem Ferraria, teste Ortelio, est pagus Galliæ in finibus Senonum. Porta ferrea, seu Portæ ferreæ, & Portæ Caucasiæ vrbs est Albaniæ in Asia ad Caspium mare, quoniam hàc in Scytas fiat transitus. Ferrata olim Romæ erat nomẽ carceris teterrimus, cuius Baronius in Annalibus meminit. Hodie Carcer, ob fenestras ferro calatratas, ferreus appellatur. Tandem locus, vbi ferrum candefit, & elaB boratur, Fucina dicitur, quasi Ferricina, nimirum ferri officina. Cum Chalybs pro ferro ab Authoribus, & potissimum Poetis sæpissimè vsurpetur, non erit ab re denominata à Chalybe memorare. Primò Chalybes sunt Populi Cappadociæ. Chalybon est Vrbs Syriæ vulgò *Aleppo* inter vrbes Imperij Turcici primaria, itinere decem dierum à Damasco distans. Chalybs fiuuius est Hispaniæ ferro temperando aptissimus, vt paulò antè explicatum fuit. Item Chalybs est amnis Cappadociæ ex monte Tauro in Mare Euxinum fluens. Ad finem nonnulla sunt à ferro denominata, quæ cum ipso nullam habent cognationem; vt Hyems interdum vocitatur ferrea, non propter ferrum, sed ob inclementiam, & asperitatem aeris. Seculum etiam ferreum nuncupatur: nam veluti viri honestis moribus conspicui aureo seculo nomen dederunt; vicissim à moribus contaminatis, & ferreis nostrum seculum fuit denominatum. Iulianus in oratio- *Orat. 7.*
nibus ad rem sic loquitur. *Ne saltem oculi nostri tam diuersis ferrei istius seculi flagitijs, & sceleribus inquinentur.* Hinc ferrea hominum præcordia, sortem vitæ ferream, & somnum ferreum pro letho apud Poetas legimus.

Loca à ferro denominata.

Anno Christi 768.

Denominata è Chalybe.

C

EPITHETA.

NE silentij nube ferri epitheta obtegantur, asserendum est, quòd latini Authores, considerata ferri substantia, illud durum, solidum, validum, & fortè appellarunt. Hac eadem ratione Græcis σίδηρος ἀμείλικτος durus, κραταιρὸς validus, ἰσοθεὴς robustus, & ἀταιρὴς indomitus dicitur. Sin considerentur qualitates, dum infectum est, rigidum, asperum, & rubiginosum, necnon, propter pondus, graue cognominatur. At dum elaboratur, stridens, & postquam politum est, radians nuncupatur. Pariter apud Homerum σίδηρος πολύκμητος nominatur, nempè multum elaboratus, necnon αἰθὼν flagrans, & splendens. Quatenus autem ferrum præparatur in arma ad perniciem, apud Latinos multa sortitur epitheta: vocatur enim acutum, mordax, nocens, sæuum, crudele, triste, infestum, vulnificum, sanguineum, cruentum mortiferum, & lethale. Similiter apud Græcos σίδηρος in hac significatione sumptus dicitur θηκτὸς, καὶ ὀξὺς acutus, τυπῆρ incisor, ἀλοιτὴρ percussor, ὀλοὸς pernicioſus, & tandem apud Oppianum παιδαμάτωρ omnia domans exponitur.

Epitheta græca.

ADAGIA.

PRO virili parte in præsentia conabimur omnia illa prouerbia exarare, quæ à natura ferri desumuntur: nam quædam ferri fortitudinem respiciunt: veluti quando dicitur. *Ferreus ahenus.* quandoquidem ferrea, & ahena vocantur, quæ in firmitudine, & soliditate consistunt, ideo Virgilius quandoq; ad rem cecinit.

Non mihi si centum linguæ sint, oraq; centum
Ferrea vox.

Homerus quoq; in Illiade de animo forti verba faciens, mentem ferream in pecto-

re clauſam memorauit. Hinc aliud oritur prouerbium. *Ferreus eſt.* Prolatum de homi- E
ne, qui ingenti laborum mole minimè opprimitur. Huic non diſſimile eſt illud. *Celmis*
Celmis quis fuerit. *in ferro.* Quod conuenit illi, qui præter modum ſuis fidit viribus. Celmis enim fuit vnus ex Idæis Dactylis, qui ferrum ſolidiſſimum indefeſſus cudere ſolebat. Verùm oportet meminiſſe alterius adagij. *Ferrum etiam conſumitur.* Quod iactatur in illos, qui viriũ robore fiſi, omnia pollicentur; cum tamen leuem ob cauſam labefactentur, & diſſipentur: iuxta illud Ouidij.'

Ferreus aſsiduo conſumitur annulus vſu,
Interit aſsidua vomer aduncus humo.

Recitatur à Platone aliud prouerbium huius metalli fortitudinem reſpiciens, nimirum: *Mœnia ferrea non terrea.* Quo ſignificare conabatur tutamentum ciuitatis non in mœnibus conſiſtere, ſed in hominibus armatis, qui muros inexpugnabiles reddere poſſunt. *Non ſunt iaciendæ ſagittæ in Idolum ferreum.* Hoc proferendum eſt de illo, qui verbis alium ſe ipſo potentiorem, & fortiorem laceſſit. Sin ferrum conſideretur quatenus illius præparatio igne indiget; tunc ſolet dici. *Ferrum candens eſt percutiendum:* quod F
Occaſio quando ſumenda. enunciatur de opportuna occaſione, quæ ſemper arripienda eſt, & non dimittenda. Viciſſim: *Percutere ferrum frigidum.* Effertur, quando labor incaſsùm labore cumulatur. *Nunc tuum ferrum eſt in igne.* Hoc adagio vſus eſt Seneca in libello, quem ſcripſit de morte Claudij Imperatoris; & ſpectare videtur ad illum, cuius negotium iam peragitur. *Duo ferramenta vno igne calefacere.* Pronunciatur hoc adagium, quotieſcũq; vnico benefitio, duobus viris ſatisfacere poſſumus. *Ferrum, & flamma.* Hoc prouerbium à Cicerone ſæpiſſimè memoratur, & de bello exitiali profertur, vbi res armis, & incendio agitur. *Ferrum virum attrahit.* Hoc dicitur de armis viſis, quæ humanum animum ad bellum accendere ſolent. Id græco Hemiſtichio hunc in modũ ſignificatur.

ἕλκει δὲ τὸν ἄνδρα σίδηρος.

Habet oculos ferreos. Eſt prouerbium in illum prolatum, qui detentus in carcere, perfeneſtras ferro calatratas homines per viam tranſeuntes conſpicatur. *Ferrum Natare*
Oculi ferrei quales *docet.* Hoc ſpectat ad illum, qui negotium molitur, quod naturæ reluctatur, & peragi nequaquam poteſt. G

MYSTICA.

APVD Hebræos ferrum ſapientiam ſignificat: quandoquidem veluti ex ferro peſuli, & ſeræ fabricantur, quibus, res pretioſiores domi cuſtodiuntur: ita viri dotibus ſapientiæ cumulatiſſimi arcana eiuſdem ænigmatibus inuoluere debent;
Minerua cur armata. & hanc ob cauſam multi Palladem ſapientiæ Deam apud Græcos armatam fingi opinãtur. Lignum verò, quod Eliſeus in illa aqua collocauit, in qua ferrum erat immerſum,
Cap. 28. crucem Chriſti præſagibat, & ferrum duritiam criminoſorum in immmenſo omniũ ſceIerũ pelago merſam denotabat. At ferrũ de terra tolli, quemadmodũ apud Iob legitur;
Prou. 27. poteſt, ad mentem Laureti, ſignificare animum humanum à rebus mundanis ad cæleſtia eſſe dirigendum. Pariter habetur in ſacris Paginis, ferrum ferro acui. Id poteſt indicare charitatem alia charitate augendam eſſe, vel exponente Beda, amicũ amico eſſe mutuò H
opitulaturum, non modò in ſcientijs, & virtutibus acquirendis, verùm quoq; in com-
Deuter. cap. 4. paranda cognitione veritatis. Quando autem legitur in Sacris Biblijs. *Eduxi vos de fornace ferrea Aegypti.* Anguſtia, & dolor exponitur, vt Gouſchelius in Elocutionibus Sacræ ſcripturæ interpretatus eſt. Deniq; ferreas fuiſſe tibias ſtatuæ Nabucdonoſoris,
Cap. 11. quemadmodum ſcriptum eſt apud Danielem; Monarchiam Romanorum maiorem cæteris futuram, propter ferri qualitates, multi aſſeuerant, de quibus Marcus Antonius Louiſinus in Eſdram verba fecit.

MO-

MORALIA.

QVI racemos moralis vindemiæ suauissimos decerpunt, ferro Iustitiam assimilãt; cum ferrum maiorem nobis vtilitatem,quàm aurum afferat: quandoquidem absq; ferro Respublica tutè non agitur,non acquiritur,& securè non seruatur. Item artes sine ferro suis munijs fungi non valent : pariter Iustitia hanc similitudinem sortitur,cum ibi rerum non appareat perfectio,vbi Iustitia non administratur. Amplius lingua Oblocutorum ferro assimilatur , cuius fræna nisi cohibeantur , ipsis telis nocentior est diuulganda: ad rem hæc scripsit Sanctus Valerianus. *Facilius, si necesse est, quilibet potest ferre armatas ferro acies, & instructas rebus bellicis legiones, quis autem sustineret labiorum tela infixa pectoribus ?* Vt autem paucis ad doctrinam moralem Ferri duritiam perstringamus,aduertendum est,ferrum cum sit durum, maximè cum Adamãte conuenire: quocirca Adamas malleo resistens , Diabolus nemini parcens exponitur; Ferrum autem frigidum,& durum hominem peccantẽ indicat,qui cum Adamante, nimirum cum Diabolo maximam sympathiam habere videtur ; cum ambo ad nocendum hominibus summopere conueniant:iuxta illud Psalmographi.*Conuenerunt in vnum aduersus Dominum.* Aliquando ferrum candefactum oleo temperandum est,ne aqua frigida extinctum durissimum euadat: ferro in præsentia homo, oleo pietas, & aqua mundana prosperitas designantur: quandoquidem homo pietate imbutus , mollis fit, & benignus, sed in aqua mundanæ prosperitatis mersus tantam acquirit duritiam , vt malleo diuino facilè reluctetur. Quare in emollienda hac cordis duritia, Diuus Chrysostomus verbum diuinum adhibendum esse tradit, quod , instar ferri , seu vomeris , terram duram, atq; densam findit Itaq, ferrum,licèt more aliorum metallorum,de terra oriatur : nih ilominus durissimum est, & non ita facilè liquescit. Tyranni, & Peccantes huic metallo sunt similes ; nam quamuis de carne terrea originem ducant , attamen prauis consuetudinibus tenaciter adhærentes, crudelem in modum obstinati, & duri , nulla pœnitentia , vel misericordia excitari & emolliri possunt , etiamsi malleo verborum Præconis Euangelij percutiantur , & in igne calamitatum à Deo excoquantur. Hi proculdubio à Daniele significabantur ; quando vidit bestiam quartam dentes, & vngues ferreos habentem, siquidem hi quoq; dentes, nempè verba , & vngues nempè membra ferrea, ideſt dura,& immania habere feruntur: idcircò Isaias ad rem dicebat. *Scio quia durus es tu, & neruus ferreus cervix tua.*

Lingua Oblocutorum qualis. Homil. 5.

Adamas & Ferrũ cur similia. Homil. 40.

Cap. 7.

Cap. 45.

Cum igitur ferrum quamtumuis sit durum alio ferro acuatur: pari ratione quando, aliquis negligentia durescit, & impietate frigescit, tunc alio ferro , nimirum aliqua calamitate acuendus, & stimulandus est, vt ad virtutes acquirendas disponatur:habemus enim in sacris Paginis,quod ferrum ferro acuitur . Cum autem ferrum considere-tur quatenus igne præparatur , & elaboratur, tunc etiam morum integritati famulari potest: nam ferrum, operante igne, rubrum, & molle redditur, &, ipso cessante,ferrum vt prius nigrescit, & durescit. Qui copia facultatum pollet tale ferrum æmulatur: siquidem in igne ægritudinum versans pietate mollescere , & charitate rubescere solet, sed pristinæ restitutus sanitati, pariter ad pristinam duritiem , & prauitatem reuertitur. Rursus ferrum candefactum, citò corrumpitur, nisi malleis percussum durescat , & densetur : sic Peccans concupiscentia , & prauis affectibus accensus, citò consensu , & operationibus corrumpitur, nisi malleis ærumnarum percussus ad duritiam bonitatis, & virtutum reducatur. Cæterùm notandum est, quòd ferrum candens,nisi priùs albescat , haudquaquam percuti debet : ita homo furore rubens , tunc malleo correctionis non est percutiendus, sed expectandum est, donec albescat, nimirum donec ab ingenti irarum incendio remoueatur. Quamuis autem ferrum diutiùs in igne moretur, & ibi candefiat, nullas tamen affectiones, nempè, nec frigiditatem , neque nigredinem igni impertitur: ita homo scelestus, & omnium coluuione vitiorum contaminatus inter flãmas virorum iustorum versans illis nullam criminum labem communicare potest. Denuò ferrum candens in lacte , aut vino extinctum liquorem medico vsui idoneum reddit; sic vir charitate feruens lac sacræ doctrinæ, & vinum diuinæ elocutionis ad sanandos animæ nostræ affectus medicamentosum reddit. Demùm ferrum dum candescit,

Prouerb. 27.

Peccans Ferro assimilatur.

Scelestus Ferro cãdẽti similis.

propriam formam exuit, igniſq; ſimilitudinem induit: hoc de Beatis poteſt pronunciari, qui diuina fulgentes claritate, talem Dei ſimilitudinem induunt, vt proculdubiò Deiformes efficiantur. Ad finem, ferrum politum, ſi aceto, & alumine imbuatur, iuxta aliquorum ſententiam, æri ſimillimum euadit: ſic ille, qui ducem ſequitur ad omne ſcelus impudentiam, rubigine criminum obſitus, deinde acri pœnitentia purgatus, ſi aceto, nempa memoria mortis, necnon alumine, ideſt ſapientia liniatur, æri, nimirum viro iuſto aſſimilabitur In Hibernia, vt ſuperiùs fuit recitatum, lacus eſt, in quo baculi ad fundum vſq; fixi pars limum tangens in ferrum vertitur, & portio tacta ab aqua fit lapidea, cum pars ſupra aquam eminens à forma propria non recedat: idem accidit lacui huius mundanæ molis, in quo ſi baculus, nempè anima figatur, dum limum rerum mundanarum tangit, ferrea euadit, in aquis delitiarum verſans, fit lapidea, & cum ab his duobus remota fuerit, priſtinum puritatis candorem non amittit.

Lacus Hiberniæ.

MIRACVLA.

CIRCA ferrum multi viri Sancti varia ediderunt miracula: namque, Deo illis propitius aſpirante, neq; acies huius metalli lædit, neq; vincula ex eodem parata conſtringere queunt propterea, in Actis Apoſtolorum, catenæ Diui Petri ſpontè cecidiſſe feruntur; immò Cuſtodiæ ianua ferreis occluſa munimentis ſpontè reſerata Apoſtolo tranſeunti ceſſit: quandoquidem vis metallorum diſſoluitur, vt innocentiæ virorum Sanctorum famuletur. Aliquando ferrum ſua natu a ponderoſum, ſupra vim naturæ, aquis ſupernataſſe viſum eſt: etenim Eliſeus ſecurim in flumen delapſam, ſolo iuſſu, Deo votis illius annuente, ad ſuperficiem aquæ redire compulit. Idem miraculum in Sublacenſi lacu Maurum Diui Benedicti diſcipulum patraſſe Maiolus retulit. Item, ex Metaphraſte, Homeritarum Rex ad fretum, quod duorum ſtadiorum latitudine inter Aethiopas, & Homeritas patebat, catenam prægrandem ferream in vtrumq; litus duxerat, vt hoc munitus præſidio militibus Chriſtianis aduerſus ſe à Iuſtino Imperatore miſſis aditum præcluderet; ſed, fauente diuino Numine, catenarum repagulo fluctuum vehementia, & magno ventorum impetu ſoluto, & diſrupto, hoſtis exterminatus, & profligatus eſt. Aliud miraculum de ferro ſilentio non eſt inuoluendum, quod nemini, poſt hominum memoriam, niſi Diuo Antonino Florentino Archiepiſcopo contigit, qui Fornaces in Apennino viſitaturus, è quibus ferrum, veluti quoddam liquidum fluebat, multis aſſociatus viris illuc ſe contulit: interea Faber tantum virum cum comitibus ſibi fore incommodo putans ingenti permotus ira Deum, & Sanctos conuitio inſectari cæpit; tuncq; ferrum, quod ab igne veluti aqua fluere ſolebat, illicò concreuit, & nulla flammarum vehementia, integræ noctis ſpatio, liquefieri potuit: Faber autem reſipiſcens Sanctum adiuit Archiepiſcopum, & ſemetipſum faciẽs reum, ſupplicem ab eo veniam petiuit, & ſtatim, cunctis admirantibus, priſtina vis ferro reddita eſt, &, de more, liquidum ex fornace exire cæpit. Immò, niſi tædio legentibus nos eſſe arbitraremur, infinita huius generis alia eſſent recenſenda.

Cap. 12.

Vis metallorum diſſoluitur in diuina.

Colloq. 19

Ferrum liquidum vbi ſit.

PRODIGIA.

IMBER ferreus olim viuentibus maximæ fuit admirationi: nam, referente Plinio, in Lucanis ferro pluit, antequam M. Craſſus à Parthis fuiſſet interemptus. Pariter maſſam ferream recremẽto ſimilem ex aere decidiſſe in ſyluas Neuhoxianas propè Grimam nonnulli Authores affirmant, & hanc maſſam adeò grauem fuiſſe narrant, vt in nullum locum humeris deferri, neq; curru, propter loca inuia, vehi potuerit. Hoc prodigium contigit ante bellum Saxonicum, quod inter Duces agnatos geſtum fuit. Rurſus anno poſt milleſimum, & quingẽteſimum trigeſimo nono, in quodam Pago Frigenſtull nuncupato Ditione Epiſcopi Eyſtetenſis, quidam loci accola cum varijs doloribus vexaretur, tandem inter cutem, & carnem clauum ferreum iuſtæ magnitudinis inde exeuntem manu depræhendit, donec, aduentante Chirurgo, tandem à corpore penitus fuerit extractus; ſed, perſeuerantibus ſæuis in ventre cruciatibus, patiens tã-

Lib. 2. ca. 56.

Doloris ingentis cauſa.

ti

ti doloris impatiens factus, arrepto cultro, sibimet manus intulit. Post obitum, aperto à Chirurgis cadauere, cultelli diuersi generis iustæ magnitudinis in ventriculo defuncti inuenti sunt, quorum vnus rubigine erat velatus, capulo nigro, alterius manubrium deciderat, tertius capulo omninò ferreo; his additum erat ferrum longitudine exten-

Ferramenta Prodigiosa.



sum formę quadratę, cuius tamen extremitas in duas partes aliqua ratione acuebatur præterea in eiusdem ventriculo duæ aliæ laminæ ferreæ conspiciebantur; quorum omnium icones hic ad viuũ expressas exhibemus. Amplius anno, post millesimum, & quingentesimum, quadragesimo sexto, ante bellum illud Germanicum, quod Carolus Quintus Imperator aduersus Ducem Saxoniæ, & simul conspirantes gessit, natus est infans in quodam Francorum pago, cum cultro in ventre, cuius cuspis supra abdomen eminebat; quemadmodum Marcus Frytscius monimentis mandauit.

PRO-

PROBLEMATA.

EX varijs ferri affectionibus varia etiam dimanant problemata, & primò quæri ſolet, cur ferrum candens in aqua illicò extinctum duritiam inſignem acquirat. Reſpõdet prudenter Albertus Magnus id à calore prouenire aquæ frigiditatem fugiẽte; quapropter calor intimis ferri partibus occultatus humidum materiale conſumit, & hac ratione maiorem ferro duritiam conciliat. Deinde quæritur cur ferrum candefactum modico aquæ conſperſum & malleo percuſſum, multos crepitus emittat. Reſpondendum eſt id ex antiperiſtaſi, ob aquam admotam, oriri, tùm ex fuga ignis intimas ferri partes petentis, & aeris ad extimas ferri partes exeuntis: aer enim ille, vi ignis, impulſus, inſtar tormenti bellici, ſonitum fundit: immò talis fragor ex ferro in aqua frigida extincto dimanat, qualis in nubibus ab exitu igneæ exhalationis obſeruatur. Præterea ſolent nonnulli inquirere cauſam, propter quam rubigo ſimplici vnctione olei à ferro ſegregetur. Aliqui Philoſophi reſpondent id à qualitate olei, & rubiginis oriri; cum rubigo magnam ſiccitatem, & oleum maximam humiditatem participet: ideòq; ferrugo ratione contrarietatis expugnatur. Aut dicendum erit oleum ex duabus partibus, nimirum ſubtilitate, & tenacitate conſtare, cum ex aere, & aqua compoſitum eſſe videatur: etenim in aqua locatum aſcendit vt aer, & in aere deſcendit vt aqua: quamobrem, ratione tenuitatis, inter rubiginem, & ferrum penetrans, &, ratione tenacitatis, diù ibi detentum, ita operatur, vt rubigo à ferro ſeparetur. Ad rem quoq; nonnulli inueſtigant, cur ferrum oleo, vel alia pinguedine perunctum ferrugine nequaquam vexetur. Huic quæſito Scaliger ſatisfacere conatur: inquit enim hæc duo, ſcilicet oleum, & pinguedinem humori aqueo, & aereo valdè opponi; ideòq; impediunt quominus ferrum ab his contangatur, rubiginetur, & corrumpatur. Amplius inquirunt alij, cur ferrum à pyrite, vel ſilice ignem facilè excutiat; cum tamen in reliquis metallis idem non contingat. Vt quæſtioni ſatisfiat, reſpondendum eſt, ferrum ſua duritia hoc molliri, cum ſimilis in reliqua metallorum familia non inueniatur. Præterquam quòd pyrites alio pyrite actus ſcintillat, nam motu excitatus calor materiam ſulphuream pyritibus adhærentem inflammat. Immò ferrum alio ferro vehementer percuſſum ſcintillas edit; cum & ipſum portionem ſulphureæ materiæ participet.

Lib. 4. de miner. c. 8.

Fragor extinctionis Ferri.

Exercit. 179.

Ferrũ ſua duritia quid præſtet.

Alij rerum naturalium obſeruatores ſympathiam ferri, & magnetis meditantes, petunt rationem, propter quam ferrum à magnete attrahatur. Verùm Scaliger inquit, potius quærendum eſſe; non cur ferrum à magnete alliciatur, ſed potius cur ferrum ſpontè ad magnetem currat, & reſpondet id ferro contingere, quoniam omne appetens pro ſua perfectione ſemper aliquid deſiderat; veluti membra in gratiam corporeæ nutritionis alimentum attrahunt; & ſicuti elementa extra naturalem locum poſita ad illum ſpontè fugere nituntur, vt ibi naturaliter conſeruentur, & quoniam Magnes non eget pabulo ferri, ergo ferrum non attrahet, ſed potiùs ipſum ad Magnetem, tanquam ad matricem ſuam feretur, cuius abditis primordijs perficitur: vnde Metallarij in mineris ferri Magnetem ſæpiſſimè inueniri fatentur. Tandem tanquam coronidem addemus hoc problema à viris doctis propoſitum, ſcilicet, cur ferrum ferro confricatum, flante Borea, ſonum ſtridulum, & vento oppoſito ſpirante, talem ſonum nequaquam edat. Reſponſio eſt, quòd ſibilus ab aere celerrimè moto prodit, celerrimè autem mouetur, quando purior eſt, ſed puriſſimus à Borea, & non ab Auſtro venit, quoniam hic ſemper craſſior, & mollior eſt: huius ſignum inde colligatur, quia ferrum adipe linitum, vel aqua humefactum prædictum ſonum effundere nequit.

Exercit. 102.

Magnes in Mineris Ferri.

SIMVLACRA.

NARRAT Plinius à Dinocrate egregio opifice Conclaue ex magnetica materia olim constructum, & in medio statuam ferream locatam fuisse, quæ suspensa in aere absq; retinaculo conspiciebatur, vt hoc miraculi loco haberetur. Pariter Alexandriæ, vt prodit Diuus Augustinus, simulacrum ex Ferro integratum, in templo Serapidis suspensum visebatur; quoniam artifices magnetem in templi laquearibus posuerant. Simulacra verò, in quibus ferrum obseruatur, multa proponuntur à Ripa. Primitus, ad figurandam ætatem ferream, mulierem armatam cum vestibus ferrei coloris pingit: quandoquidem in hac ætate viri doli præstigijs referti ora cæterorum hominum, captione, & impostura verborum, in dies sublimire conantur. Rursus ex eodem Authore habemus, pro simulacro Tyrannidis, mulierem armatam, & stemmate ferreo redimitam: hac enim corona tyrannorum sæuitia indicatur. Item alibi, in delineanda Seueritatis icone, hominem seueri aspectus, manu dextra, virgam ferreã stringentem figurauit, quæ virga asperitatem flagelli significat. Quocirca Diuus Paulus ad Colosenses scribens, ab illis petebat, num correctionem placidorum verborum, an potius virgæ ferreæ desiderarent. Immò, apud eumdem Authorem, virga ferrea in manu annosæ mulieris vestimento hebraico indutæ obseruatur, qua icone, lex vetus repræsentatur: etenim, illa virga, dominium legis in mortales ostenditur; cum in sacris litteris legatur. *Reges eos in virga ferrea.* Ex ferro autem, vel ære Deorum simulacra non fuisse constructa scripsit Plato, quoniam materiam, ex qua bellica instrumenta resultant, Deorum simulacris, qui sunt pacis authores, nullo modo Veteres idoneam esse iudicarunt. His addamus, quòd inter delicias artificum Norimbergensium Regiomontani in Mathematicis eruditorum est Musca ferrea, quæ ex artificis manu veluti egressa conuiuas circumuolitabat, & tandem veluti defessa in Domini manum reuertebatur.

Lib. 34. ca. 14.

Lib. 2. de ciuit. Dei cap. 6.

Tyrannidis simulacrum quale.

Legis veteris Icon qualis.

Musca ferrea.

VSVS IN MEDICINA.

HOC metallum multum adiumenti medicinæ afferre inde colligimus, quoniam non solùm in medicamentis internis, sed etiam in externis adhibeatur; & quamuis Plinius scripserit ferro bis, vel ter circumscriptum circulum infantibus, & adultis aduersùs noxia medicamina prodesse, & clauos ferreos è sepulchro erutos, & in limine præfixos contra nocturnas Lymphationes valere, & pungi leuiter à mucrone, quo fuerit homo sauciatus, subitò dolores laterum, & pectoris auferri: nihilominus his tanquam superstitione aliqua non carentibus omissis, ad seria medicamenta accedemus. Ferrum in primis purgandi facultate pollet, sed in substantia sumptum suam non potest exercere operationem, cum à calore naturali minimè dissolui queat. Hanc autem virtutem in ferro cognoscimus, quoniam vino cum limatura ferri, spatio quindecim dierum insolato, strenua euacuatio celebratur; idq; nonnisi à ferro prouenire potest, cum vinum per se sumptum nullam euacuationem moliatur, nam ferrum in hoc liquore maceratum tale redditur, vt à calore natiuo liquari & tenuari possit. Præterea ferrum siccandi & attenuãdi facultate potitur; quod in aquis thermalibus ferratis obseruamus, quæ stomachum roborant, lienis, & renum affectibus, sed potissimùm vesicæ vlceribus medentur: quamobrem in Tuscia huiusmodi thermæ ab effectu Vesicariæ appellantur. Hinc medici didicerunt aquas ferratas arte præparare: siquidem aquã, in qua ferrum candens extinctum fuerit, in hæmorrhagia fæliciter adhibent; hocq; feciſſe, in dysentericis, lienosis, & stomacho imbecillibus magnopere iuuabit. Vinum verò ferri in affectu hypocondriaco commendat Seraphio. At Sauonarola in aceto ferrato, & calenti pannos madefactos, & regioni lienis obstructi applicatos mirandum in modum probat. Puluis autem ferri, seu calybis ad pondus dimidiæ drachmæ cum saccharo rosaceo sumptus prauorum humorum putredinem arcet, ventriculum, siccando superfluas humiditates, roborat, obstructiones viscerum reserat,

Lib. 34. ca. 15.

Ferrum habet vim purgandi.

Aquæ vesicariæ quæ.

Lienis remedium.

rat, cachexiam curat, & affectus hypocondriacæ paſſionis liberat. Paratur autem pulvis hũc in modũ, limatura chalybis optimè lota in vaſe fictili collocatur, cum tãta quãtitate aceti albi, quæ ſcobi miſcendæ ſufficiat, & vaſe probè obthurato, per ſpatium triginta dierum, hæc materia ibi quieſcat, facta tamen ſingulis octo dicbus agitatione, & addito aceti modico, ſi opus fuerit, deinde ſcobs in calcem redacta ſupra tabulam extenſa exſiccetur, & poſtea ope mortarij ęnei, & cribri formam tenuiſſimi pollinis acquirat. Aliquando, huius pulueris loco, paratur medicamentum liquidum hac ratione: ſumitur limatura chalybis aceo optimè lota cum portione cariophyllorum, & ſingulis libris huius miſturæ ſeptem vini generoſi adduntur; idque ſæpius miſcendo ſoli æſtiuo exponitur, donec ſcobs ferè tota in liquorem abeat, & huius liquoris cochlear cum duobus aquæ cicoreæ, vel fumariæ exhibetur, quoniam ſuperiùs recitatos pariet effectus.

Ferri puluis ad quid.

Tinctura Ferri.

Inſuper ſquama, ſcoria, & rubigo ferri in hac Rubrica locum habere videntur, dum ſquama maiori vi ſiccandi ſit prædita, quàm ferrum: quamobrem adhibetur in calceis eorum, qui pedes odore graues habent. Scoria autem ferri, quæ vulgò ſpuma ferri vocatur: & ab alijs perperam ferrugo, ſe ſe habet ad ferrum, veluti æris ſcoria ad æs relata; namq; eaſdem metalli vires, ſed imbecilliores participat; quemadmodum Dioſcorides optimè obſeruauit. Demùm rubigo ferri, ex auctoritate Galeni, ſiccat, atque aſtringit, quoniam Galenus eamdem virtutem ærugini, atq; ferrugini aſſignauit.

Fœtoris pedum remedium. Lib. 5. de mat. med. cap. 48.

Chymici, ex ferro, vel chalybe ſubtiliſſimam ſubſtantiam extrahunt, qua ſuum Crocum Martis componunt, vndè poſteà oleum mirabili artificio Quercetanus elicit ad Diarrheam, Lienteriam, Dyſenteriam, Fluxum hepaticum, & ad Hemorrhagias, tam internas, quàm externas præſtãtiſſimũ. Inſuper ex ferro Salem medicum eliciunt, quo, in roborãdo ſtomacho, & labefactatis viſceribus vtũtur: deinde ipſum cũ cera extrinſecus applicatum, in ſanando Apoſtemate, & Anthrace peſtilenti, magnificant. Demùm Chymici parant ferrum potabile, puluerem, calcem, quinta eſſentiã, & tincturam martis, quorum omnium præparationes apud Libauium leguntur. Hoc in loco libet, tantummodò enarrare medicamenta ex Chalybe, quæ Paulus Aldrouandus pharmacopæus Bononiẽſis in nulla Halchæmiæ actione non perfectus fabricat. Præparat autem chalybem hunc in modum. Libram limaturæ chalybis cum dimidia electi ſulphuris violendiæ ignis committit, &, diſſipata ſulphuris materia; maſſam in aceto acerrimo, extinguit, & hoc labore quater iterato, aqua communi lauat, ſiccatamq; & ſupra porphyriticum marmor diligenter læuigatam in teſtudine fictili ad ignem rubificat, & aceto aſpergit, totieſq; hanc induſtriam iterat, donec materia rubicundum colorem adepta fuerit. Poſtmodum librali ſingulo ponderi libras tres aceti, aut vini Cretici affundens, in vaſe circulatorio à Chymicis nuncupato, inſolat, vel ad balneum maris collocat, deinde liquorem tinctum, inclinato vaſe, ſeparat, & nouo extrahente liquore affuſo, eadem procedit induſtria, donec liquor amplius non coloretur, ſicq; Tincturam chalybis perfectiſſimam habet. Inſuper Tincturæ, in vaſe Chymicorum roſtrato ad cineres, humiditatem conſumit, vt in fundo vaſis remaneat Extractum, quod ſpeciem mellis repræſentat. Rurſus ex Tinctura frequẽti agitata motu, copioſam ſpumam colligit, eamq; lento igne exſiccat: etenim hæc aut Spuma, aut Magiſterium Chalybis nuncupatur. Demum maſſam chalybis, ratione paulò antè exarata, præparatam, in teſtudine ſparſam, igne Reuerberij, croceo tingit colore, vt Crocum Martis adſtringentem ſibi comparet; eumdem aqua Agrimonij, vel Intybi ablutum, & aquis, gauſape ad figuram, linguæ formato, elicitis, ſiccatum ſpiritu vini phlegmatis carente humectat, quo inflammato, & conſumpto, denuò exſiccatum, in teſtudine ferrea ſparſum ſpiritu ſulphuris campana fabricato irrorat, & poſteà exſiccatum pro Croco Martis aperiente ad medicos vſus ſeruat, quoniam varijs affectionibus non vulgariter prodeſſe perhibetur. Poſtremo ferrum in omnibus ferè operationibus chirurgicis adhibetur: hoc enim vomicæ, & tumores aperiuntur, venæ cuiuſcumque partis punguntur, oſſa corrupta abraduntur, dentes putridi euelluntur, caro ſuperflua vlceris aufertur, & quandoq; membra integra abſcinduntur.

Lib. 9. de ſimp. med. fac. Sal Ferri.

Chalybis Præpar.

Tinctura Chalybis.

Extractũ Chalybis.

Spuma Chalybis.

Crocus Martis.

A

VSVS IN SVPPLICIIS.

VINCVLA ferrea, & torques ex ferro constructæ, quibus Rei ligabantur, *Boia*, authore Festo, vocabãtur: vndè nomen hodierni Carnificis apud nos deriuauit. Ferreum etiam vinculum appellabant Neruum, quo pedes reorum impediebantur, & hoc eodem ceruices etiam vinciri, referente Cælio, Plautus tradidit. Item Anchoram ferream subnectere ceruicibus eorum solebant, quos seueriùs castigare volebant, & integrum diem spectatoribus reum ludibrio esse cogebant. Innumeri quoq; Martyres sęuissima perpesi sunt malleorum ferreorum supplicia quorum maxillæ iussu Tyrannorum percutiebantur: habentur enim in Actis Sancti Euplij hæc verba. *Caluitianus his verbis accensus, iussit ferreis malleis eius maxillas, & ora verberaris.* Clauis etiam ferreis in martyrio Diuorum Ethnici vsi sunt, vt veros Christianæ fidei cultores maximis cruciatibus afficerent: etenim clauos Diuorum plantis pedum figentes illos ad cursum adigebant: sic enim legitur in Actis Sancti Georgij martyris. *Inplantis pedis Ferreos infigit clauos, & cogit athletam currere, multo sanguine subiectum solam aspergentem.* Vt prætereamus alios, qui similem carnificinam libentissimè subeuntes aditum sibi struxerunt in Cælum. Consultò omittimus Sedem ferream Agatoclis Tyranni ad necandos homines ex historijs notam, necnon gladium, & securim, quibus caput amputatur, & præciditur.

Lib. 10. lect. antiq cap. 6.

Malleus ferreus in Martyrio.

Claui ferrei in cruciatu martyrum.

VSVS IN BELLO.

IN primo huius libri capite, iuxta multorum mentem, recitatum fuit ferro aurum esse nocentius; nunc autem aliud assertum memoriæ mandandum est, nempe ferrum inter bella esse gratius; & quamuis in fędere, quod Porsena, expulsis Regibus, Populo Romano dedit, nominatim comprehensum inueniatur, ne ferro nisi in agricultura quis vteretur: nihilominus ex hoc metallo in dies fabricantur pugiones, gladij, hastæ, secures, sagittæ, clypei, thoraces, sarissæ compedes, ochreæ, cassides, frameæ, & fistulæ, quibus pyrio puluere globi plumbei in hostes exploduntur, & tandem alia arma, tam in perniciem, quàm in tutelam, quæ à peritissimis rei militaris adhibentur. Meminimus in Historijs legisse, quòd in nonnullis locis ensem ex ferro parant, deinde illum vagina etiam ferrea tegunt. Ex optimo ferro, vel chalybe parantur Turcarũ macherę, quas Vulgus *Simitaras* vocat, & hæ damaschinatæ, nimirũ vtrinq; cæruleæ ab ipsis desiderantur: idcircò Fabri gladiarij salem amoniacum cum ęrugine æris in aceto macerant, &, spatio diei naturalis, hanc misturam secundùm ensis longitudinem paulatim defluere permittunt, quæ insignem gladio venustatem conciliat. Pariter ex ferro fabrefiebat Aries tãtoperè à Poetis celebratus, quo Prisci, ad cõcutienda mænia, vtebantur. Globi immani pondere, qui bombardæ vi exploduntur, ex ferro conflantur. Quamobrem Plinius multiplicem ferri in bello vsum magnoperè demiratur, cum non solum cominus, sed etiam eminus, nempe per sagittas, & sclopos missile adhibeatur. Verùm hodie Plinius graui teneretur admiratione, si tormenta bellica maiora videret, quibus non solum mænia, sed etiam montes, & ingentia saxa ruunt. Quid plura? trabes ferratæ in arce Acrisij fuerunt, & olim turres, ratione bellorum non calce illiniebantur, sed ferro vestiebantur, non solum vt propter pondus, stabiliores essent, sed etiam ne hostili incendio conflagrarent. Id ex Iosepho didicimus, quando scripsit. *Turres tres singulas pedum quinquaginta altas cum struxisset, ferro vndiq; eas texit, tum vt stabiliores essent & igni incorruptibililes.* Turres quoq; ferreas vigentibus bellis, Elephantis imponi solitas obseruatum fuit. Eutropius etiam Probrum Imperatorem in arce ferrata interfectum fuisse monimentis mandauit.

Vagina ferrea pro ense.

Gladius damaschinatus quomodo fiat.

Lib. 3. de bello Iudaico.

VSVS IN INSTRVMENTIS vſualibus.

PRIMVM in Officinis Ferrarijs in bacilla rotunda,vel quadrata,vel etiam in tabulas ferrum reducitur, ex quibus poſtea omnis generis opera, & inſtrumenta fabricantur. Netur quoq; & tenuatur in fila, quibus Opifices in varijs vtuntur.

CVLTER LAPIDEVS INDICVS.



A Acus ad suendum idonea exhoc metallo paratur: quamobrem Americani olim Hispanos acu vestimenta suentes admirabantur, &, pro simplici acu, multum auri rependebant. Acus etiam nautica materiam ex ferro sumit, quæ per longissima æquoris itinera Naucleros regit. Hodie omnia instrumenta ad Agriculturã spectantia ex ferro fabre fiunt, vt Vomer, Buris, Dentale, Ligo, Sarculum, Bidens, Tridens, Cylindrus, & Harpax: cum tamen apud Samogitas, vt refert Alexander Guagninus in descriptione Lituaniæ, terra ligno proscindatur; idcircò araturi plura ligna, quibus vomeris loco vtũtur, secum deferre solent, vt, vno fracto, aliud, atq; aliud in promptu habeatur. Item ex ferro fiunt Claui, Cardines, Cancelli, Claues, Scalpra, Forcipes, Hami, Forfices, Anchoræ, Tripodes, Mallei, Incudes, Cunei, Falces, Runcinæ, Rastra, Furcæ, Verua; Fuscinæ, Labra, Serrę ad claudendum, & Serræ ad secandum, Patellæ, Cochlearia, Ligulæ, & Cultri, quos, ob frequẽtem necessitat, vnusquisq; secum gestare solet. Sed in Themistiana Indię Prouincia, cũ ferro, & chalybe careant, ex lapidibus Smaragdini & obscuri coloris (lapidis æthiopici speciem nõnulli vocant) Cultellos parant cum manu-
B brijs elegãtissimis, quorũ duæ icones ante legentium oculos hic repræsentantur. Prima icon Cultrum latiorem cum manubrio ligneo diligentissimè cælato ostendit. Secunda icon monstrat Cultellum longiorem, & angustiorem, cum manubrio ex lapide renali fabricato. Tertio loco exhibetur figura Securis lapideę in Sacrificijs Indorum vsitatæ, quam Antonius Gigas rerum naturalium diligens perquisitor clarissimo Vlyssi Aldrouando dono debit.

Acus non erat apud Americanos.

Lignum pro Vomere vbi.

Culter Lapideus alter.



Præterea ferrum habet multos alios vsus, qui silentij nube non sunt inuoluendi: quandoquidem soleæ equorum sunt ferreæ quamuis apud Sinas non sint in vsu, cum illa loca saxorum duritie sint immunia. Aliquando ex ferro formantur vasa, vulgò *Crucibula* nuncupata, quia figuram crucis referant; quæ ab Aurifice, in fundendo auro, & argento, adhibentur; terrea enim sæpius franguntur: verum quidem est, quòd, licèt ferrea sint, luto ex cinere parato intrinsecus, & extrinsecus armari debent, vt igni facilius resistant.

Campanæ ex ære, & stanno conflantur, malleus tamen ferreus est, qui campanæ lingua appellatur, iuxta ænigma huius tenoris.

Os mihi semper hians, & pendens ferrea lingua
Vox est nulla, nisi prodita verberibus.

Lectus Gigantis Ogi in sacris Biblijs memoratus fuit ferreus. Lectum pariter ferreũ imposuisse Othoni patri suo Albertus primus Marchio in germanicis Annalibus perhibetur: quamuis multi caueam, seu carcerem interprætentur. Thalami Eumenidum ferrei apud Poetas fuerunt celebrati. Demùm ex ferro multa, ad ornatum, concinnabantur. Mulieres illæ, quæ cadauer Diuæ Marinæ Virginis ornarunt, annulum ferreum inuenerunt, in cuius pala crucis typus apparebat, necnon crucem ferream, quam Sancta

Lectus ferreus.

Securis Lapidea in ſacrificijs Indorum vſitata.



Annuli ferrei olim geſtabantur.

Virgo de collo ſuſpenſam geſtabat. Immò ferrum in tanta æſtimatione olim apud Romanos fuit habitum, vt ad venuſtatem ſoli Viri natalium claritudine conſpicui annulos ferreos geſtare poſſent. Idcircò narrat Plinius ſuis temporibus hanc etiam apud Romanos viguiſſe conſuetudinem, vt in Matrimonijs contrahendis, loco Arrhæ, annulus

lus ferreus daretur; hinc, stabilitis nuptijs, illicò sponsus annulum ex ferro eleganter fabricatum ad sponsam mittebat. Postremo loco recensendæ sunt Portæ ferreæ, quæ hodie in Aedibus D. Pauli Romæ visuntur. Sed olim fuisse similes in Iericho ciuitate multi affirmant: nam in sacris litteris, vbi nostra lectio habet. *Iericho autem occlusa erat atq; munita.* Chaldæus apud Masium vertit. *Erat autem Iericho occlusa foribus ferreis, & obserata vectibus æneis ante filios Israel.* *Iosue c. 6.*

VSVS IN VARIIS.

ALIQVANDO nummos ex ferro fuisse conflatos meminit Aristoteles in œconomicis. Bizantiorum nummus fuit ferreus; immò & Spartæ ex hoc vili metallo nummus cudebatur, cuius pondus erat magnum, & pretium ferè nullum: idcirco abijt in prouerbium. *Nummus Spartanorum* de re multi ponderis & pauci valoris, quemadmodum Cælius Rhodiginus diuulgauit. Referunt etiam Historiæ, quòd in toto Regno Pretolanis vsus æris non est monetalis, sed eius loco æs purum, & infectum penditur, veluti in antecedentibus fuit declaratum: hæc autem consuetudo non solum viguit in illo Regno, sed in totâ ferè Africam penetrauit, vbi ferrum alicubi forma globuli vicem numini præstat. Hodie ex ferro nulla fabricatur moneta: sed ex illo fiunt typi, quibus monetæ signantur. *Lib. 2. Nummi ex ferro vbi. Lib. 10. lect. antiq. cap. 2.*

Præterea ex ferro elicitur nigra illa Tinctura, qua Infectores coriarij in dies vtuntur, etenim ferramenta rubigine quasi consumpta in vino, per multos dies, infundunt, & inde Tincturam nigram habent. Alij sumunt vnciam limaturæ ferri, duas vncias gallarum contusarum, & libras sex aceti albi, omniaq; simul mixta feruefaciunt ad consumptionem medietatis; deinde hunc liquorem, ad imprimenda signa, litteras, & icones in pannis laneis, telis lineis, & vestimentis adhibent.

Insuper ad varia conglutinanda, ferrum concurrit. Lithotomi ex calce, puluere marmoris, limatura ferri, seu potius squama, glutine taurino, sandaracha & vrina componũt gluten ad fractos lapides copulandos. Pariter ad lithostrota paratur lutum ex calce, oui candido, scobe ferri, & marinis vmbilicis, quemadmodum Cardanus prodidit. Item comissuræ fornacum solidantur mistura ex gypso, limatura, vel scoria ferri, puluere laterum, & vrina concinnata. *Glutẽ pro lapidibus. Lib. 7. de subtil.*

Alij, ne tonitrua, & fulgura peruertant vinum, ad mentẽ Vuecherij, ferri laminam cum sale, aut silicibus, doliorum operculis imponunt. Ad conficienda psilothra, mulieres Turcicę Rusma in tenuissimum puluerem redigunt, cui admiscent dimidiam partem calcis viuæ, & cum aqua in vase fictili macerant. Rusma autem est quid simile recremento ferri, sed leuius, nigrum tamen, & adustum, quod in fodina ferraria colligitur. Multi, in simulandis gemmis, ferro vtuntur; namq; Anselmus Boetius narrat se nouisse amicum, qui, casu, ex scobe ferri in quibusdã aquis macerata lapillos Adamãtibus similes producebat. Alij, vt mentirentur Topatium, quadrantem vnciæ croci ferri adhibuerunt. Cardanus docet modum cognoscendi vinum melle adulteratũ, dum suprà ferrum candefactum paucas vini guttas inspergit, nam vino resoluto, mel ibi residere solet. Specula quemadmodum ex alijs metallis parabantur, similiter ex chalybe elegantissima fieri posse Sardus tradidit. Postremò ferrum, apud Antiquitatem, alium habebat vsum: nam seruis, postquam veram amplexi erant religionem, in arboribus, fontibus, & lapidibus iurare interdictum fuit; sed de criminibus suspectos, Sacerdotibus, ferro, vel vomere, examinandos offerebant: quammobrem apud Francos seculo post Christum natum octauo, innocentiam suam testaturi, ferrum candens manibus apprehendebant, quo nisi lædebantur, id erat innocentiæ testimonium, sin secus fontes iudicabantur. Immo Pachimerius narrat se adhuc adolescentem obseruasse quemdam, massam ferri candefactam manibus, citra noxam, sustulisse, atq; innocentiam suam hoc miraculo cunctis manifestasse. *Rusma quid sit. Lib. 1. de lapid. Lib. 5. de subtil. Lib. 2. de Inuen. rer. Lib. 5. de secr.*

DE PLVMBO. Cap. VII.

ÆQVIVOCA.

CVM diſquirendæ æquiuocationis, in prima facie cuiuſcumq; capitis, nos labor agitare debeat, præter vulgatam huius vocis (Plumbi) ſignificationem, quæ indicat metallum, de quo in præſentia verba ſumus facturi; apud Plinium obſeruauimus Plumbum eſſe quamdam oculorum ægritudinem; cuius verba ſunt hæc. *Naſcitur vulgo Molybdena, id eſt Plumbago etiam in aruo, folio lapathi, craſſa radice, hiſpida hac commanducata ſi oculos ſubinde liniatur, Plumbum, quod eſt genus vitij, ex oculo tollitur.* vnde coniecta mus ex adhibito huic affectui præſidio, hoc vitium oculi eſſe illud, quod Græcis Hypoſphagma, ſeu Hypopyon, & Auicennæ Tarfati dicitur, Latini Sugillationem vocant. Tunc autem accidit hic affectus, quando, propter ictum, vel percuſſionem, fractis, vel contuſis vaſis, extima pars cutis ſub oculo liuorem, vel plumbeum colorem acquirit; qui poſtea ſucco Thapſiæ, vel Raphani, veluti & Plumbaginis, ad mentem Plinij, diſcutitur. Plumbum quoq; appellant Fabri murarij perpendiculum, quo, in ædibus ſtruendis, vtuntur: conſtat enim ex portione plumbi funiculo appenſa: idcircò nos vocamus illud, *fatto à piombo*, quod ad perpendiculum conſtructum eſt.

Lib. 25. ca. 13. Plumbum morbus.

Plumbum inſtrumẽtum eſt.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

IAM indagare noſtra intereſt nomina, quibus hoc metallum inſignitur. Latini nũcupant plumbum, quaſi pilumbum, quoniam ex hoc metallo, pilis olim factis, maris altitudo fuerit explorata. Antiquiores Metallici, propter magnam cognationem, quam habet cum Stanno, plumbum Stannum nigrum, & viciſſim Stannum, plumbum album indigitarunt. Immo ab opere, & ab effectu, plumbum cæterorum metallorum Regem cognominarũt: nam veluti Rex omni conatu ſubiectum ſibi populum correctionibus emendat, vt à cunctis vitijs purgatum reddat: ſimiliter plumbum, pro decoratione, & purificatione aliorum metallorum, idem præſtat, dum in fornace liquefactum, cæterorum ſordes abſtergens, conſumitur. Græcis plumbum vocatur Μόλιβδος, ſed ſcribitur etiam Μόλυβδος per υ, teſte Euſtathio, quæ ſcriptura in deriuatis obſeruatur ab Auctoribus. Forſitan ita appellatur, quaſi Μολύσωδος; cum Μολυσμὸς inquinamentum exponatur, & ῥδὼ erodo: quandoquidem plumbum inquinamenta aliorum metallorum abſtergit, & erodit. Halchemiæ Profeſſores hoc nigrum Plumbum Saturnum nominant Arabibus, & potiſſimum Auicennæ dicitur Raſas, Hæbreis Hophereth, Italis Piombo, Gallis Plomb, Germanis Bley, Hiſpanis Plomo.

Rex aliorũ metallorum.

Saturnus Chimicorum.

DIFFERENTIÆ.

NE ſinuoſis verborum anfractibus legentes ſuſpenſos teneamus, breuibus, indicamus plumbum eſſe rem metallicam cunctis manifeſtam, ſed illud, quod non ità omnibus patet, eſt, quòd plumbi non vna tantùm eſt natura, neque vnius tantùm generis: ſiquidem Antiqui aliquot plumbi genera, nõ tamen omnia nouerunt: Nuperi autem prædictis alia genera addiderunt. Priſci igitur plumbum, atteſtante Plinio, in duo genere diſtinxerunt, nempè in nigrum, & album. Plumbum album Græci, teſte Homero, Caſſiteron indigitarunt, de quo ſuo loco verba fient. Plumbum autem nigrum eſt noſtrum commune, ita nuncupatum, quia nigrore manus tangentium inficiat. At plumbum album Veterum eſt noſtrum Stannum, cum Stannum Priſcorum à noſtro, toto cælo, diſcrepet. Propterea Stannum erit duplex, alterum Antiquorum, & alterum noſtrum, quod apud ipſos plumbum album dicebatur. Auicennas

Lib. 34. ca. 16.

2. Can on. Caſ. 12.

duas

duas ſpecies plumbi nigri memorat,nobis tamen vna tantùm eſt cognita, niſi, per alteram, Stibium intelligere voluerit. Plinius quoq; trium plumbi nigri ſpecierum meminit,ſed hæ potius, ratione loci natalis, ab inuicem diſcrepare videntur: veluti hodiè plumbi nigri genera ſunt Iouerianum,Caprarienſe, & Oleaſtrenſe. Nuperi Authores, & potiſſimùm Cardanus ſpeciebus enumeratis quartam,nempè plumbum cinereũ addunt,in Germania vocatum Biſemutum,quod inter nigrum, & album medium quodammodo locum occupat; iuxta vulgatum carmen.

Candidius nigro,ſed plumbo nigrius albo.

Biſemutũ quid ſit.

Hoc interdum inſtar argenti radiat ideoq,erit apud Plinium fortaſſis plumbum argentarium pyriti, & cadmiæ adnatum. Reperitur aliquando adhæreus lapidi cum argento puro, quod, nonniſi violentia ignis ſeparari poteſt. Quoad figuram, ſimile eſt Antimonio, colore tamen præſtantius, ex hoc vaſa diuerſi generis fabricantur, quæ, propter colorem, argentea eſſe videntur; nihilominus vaſis ex plumbo candido paratis minus grauia obſeruantur. Faloppius refert hoc plumbi genus abaliquibus Marchaſitam librariorum appellari, quia miſturam Characterum pro Typographis ingrediatur; nos tamen à Metallarijs intelleximus, quòd miſturæ Characterum, aut Antimonium,aut lapidem plumbarium addunt,vt talis miſtura maiorem duritiam acquirat. Itaq; plumbum nigrum, vel vt factitium, nempe ex lapidibus extractum, quod ab aliquibus Stimmi Anglicum nuncupatur, vel vt natiuum conſideratur, & hoc poſtremum ſui coloris quandoq; in maſſas coactum effoditur,vel illius maſſulæ radiant, vel tenuiſſimæ bracteæ ſaxa,lapides,& marmora amplectuntur: hoc poſtea diligenter, quoad ſubſtantiam,examinatum,vel erit durum, & ſolidum vt Polonicum,vel vt noſtrate,quod minorem duritiem poſſidet.

Characterum miſtura.

Quoad colorem,venæ plumbi variant;etenim aliquando vena erit ſui coloris. Apud Vbios vena plumbi nigri alba cum Fluoribus candidis,nec pellucidis inuenitur. Interdum ſimilis Fluoribus albis,& pellucidis eruitur,cuius centenarium libras ſexaginta plumbi nigri reddit. Quandoq; minera ad rubedinem tendit, vt Sultzbuchia:immo ad cæruleum colorem accedit vt Fribergica, cui adnatam ochram nonnulli obſeruarunt. Item vena plumbi nigri cum ochra in Polonia etiam reperitur. Cum ochra luteo colore ſit referta, non erit ab re, ad hoc genus referre illam plumbi nigri venam, quæ armatura coloris aurei munita in fodinis metallicis inuenitur. Pariter habetur ex Populonia plumbi minera flaua,quæ vulgò *Miniera di piombo bionda* nũcupatur. Hæc aperta colorem internum aureum repræſentat, &, inſtar Orichalci, radiat. Nigra quoque vena in Populonia valdè lucida, denſa, & grauis obſeruatur, quæ paucis excrementis ſcatet. Amplius plumbum viride adnaſcitur plombagini, quod florem plumbi eſſe aſſeuerant. Annis elapſis,conſpicati ſumus coloris nigerrimi, & micantis lapillos, ex quibus plumbum conflatur, quorum interior ſubſtantia colorem Minij foſſilis cum aliquot maculis nigricantibus, æmulabatur. Neq; animus inſigni admiratione detineri,debet quandoquidem mineram quoq; Granatorum cum plumbo habuimus. Idcirco prima facie repræſentamus iconẽ plurium differentiarum lapillorum,ex quibus plumbum elicitur. Secundo loco mineram Granatorum cum plumbo conſpiciendam Lectoribus exhibemus. Animaduertendum tamen eſt,quòd in venis plumbarijs duo lapides valde ſimiles inueniuntur, quorum alter nihil plumbi continet,alter verò copia plumbi redundat. Hi à Metallicis primo aſpectu facilè diſtinguuntur; præterquamquòd ignis ope lapis plumbo prægnans liquatur, alter verò cum multis flatibus ſit refectus ab igne reſiliens, & crepitans nihil humoris plumbei fundit.

Color venarum plumbi varius.

Flos Plumbi qualis.

Lapis plebeus ſterilis qualis.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

CVM naturam, & affectiones plumbi Plinius, Dioſcorides, Iſidorus, Galenus, Albertus,Braſauolus,Mylius,& Porta diligẽtiſſimè examinauerint;pauca hoc in loco, & carptim delibabimus, conſultò omittentes quòd plumbum genitũ ſit ex Argento viuo craſſo, & lutulento, necnon ex modico ſulphure impuro,vt voluit Albertus, & pariter quòd partim ex ſua vena prodeat, & partim cum alijs metallorũ venis permixtum ſit. Ad huius metalli tũ primas, tũ ſecundas qualitates examinandas

Duæ differentiæ lapillorum, ex quibus plumbum Elicitur.



Vena plumbi candidi mixta lapillis nigris.

Granatorum Minera cum plumbo.

Minera alia.

accedemus. Quoad primas affectiones, Galenus huic metallo facultatem refrigerãtem, & humectantem assignauit. Dioscorides vim adstringentem huius metalli prædicauit; cum tamen refrigerãtia, & humectantia omni adstrictione careant: immo addit plumbum potiri facultate cohibendi augmentum carnis vlcerum, cum tamen vis erodendi plũbo desit; nisi voluerit Dioscorides pondus metalli hoc munere fungi posse. Vt igitur omnis tollatur difficultas, notãdũ est, plumbũ ex pluribus partibus terreis, quàm aqueis constare: itaut ex centenis partibus hoc mixtum constituentibus nonaginta sint terreæ, & minima pars sit ignis, qui postea facilè, & illicò euanescit: non tamen, ob hanc causam, plumbum refrigerat, atq; siccat, cum partes illæ terræ cæteris adeò sint permixtæ vt dissolui minimè queant. Immo si partes plumbi terreæ, quæ sunt plures, quàm in alio quouis metallo, auro excepto, separari possent, plumbum effectus frigidos, atq; siccos ederet. Itaq; plumbum agit ratione cuiusdam partis tenuis, & aereæ, quæ facile à calore alteratur: hinc colligendum est, plumbum non agere qualitate terrea dominante, sed ratione illius portionis aereæ, & tenuis humefacit, atq; refrigerat. Alioquin plumbum, ratione suæ naturæ, atq; substantiæ tanquam frigidum, & siccum commendatur. Verùm hoc plumbum in comparatione ad alias species, plus humoris, & plumbum album plus siccitatis participat.

Lib. 9. de simp. med. fac.

An plumbum refrigeret.

Sin conuertamus animum ad secundas qualitates, plumbum candidum, leue, nigrũ ponderosum, & cinereum inter vtrumq; medium inueniemus: propterea rem grauem considerantes, illam, instar plumbi, ponderosam pronunciamus. Hanc naturalem plumbi proprietatem doctus Philetas Poeta Cous soleis plumbeis calceos gestabat munitos, ne propter corporis exilitatem à vento euerteretur. Horatius quoq; hanc plũbi qualitatem perpendens. Austrum aliquando plumbeum appellauit, forta ssis ab effectu, quoniam, spirante Austro, humana corpora grauiora reddantur, dum ab huiusmodi vento liquatæ humiditates per vniuersum corpus disseminantur. Ex altera parte aliqui non cessant admirari grauitatem plumbi concreti, & leuitatem eiusdem liquefacti: etenim fusum, argento supernatat; hic autem effectus pendet à natura, & substantia plumbi, quæ in catino redditur leuis: dum facile in fumum euanescit, & interim argentum ab igne minimè consumptum in fundo catini residet. Insuper Plinius, circa grauitatem plumbi, notat, quòd eius massa in aqua mergitur, sed dilatata in laminas fluitat. Item, plumbo liquefacto, & supra chartam fuso, illam non aduri, sed à pondere tantùm lacerari diuulgauit. Præterea plumbum nigrum habet hoc à natura ingenitum, vt facillimè fundatur; nam, antequam accendatur, liquescit: quocirca multi sunt huius opinionis, si globus plumbeus sclopo emissus vehementiam motus per longum aliquod spatium continuaret, futurum esse, vt is liquefieret, cum tanto calori resistere nequiret; & quamuis vas plumbeum aqua plenum igne vehementi non fundatur, id ab aqua impediente prouenire dicendũ est; siquide, illa ablata, statim liquescit; veluti iniecto calculo in illam aquam, subito vas plumbeum perforatur. Quòd autem diù plumbum igni non reluctetur, obseruant Metallici, qui per longum temporis spatium illud in magno catino continent, quia tunc partim euanescit, partim in Lithargyrium, & Molybdenam conuertitur: hinc non debent admirari, qui mineram plumbi aliquando in lithargyrium tranſmutatam conspicati sunt. Deniq; plumbum nigrum est molle, & facile malleo dilatatur, durius est candidum, & durissimum est cinereum. Rursus plumbum candidum est tenax, nigrum fragile, cinereum fragilius.

Solea calceorum plumbea.

L. 34. c. 17.

Vas plumbum aqua plenum supra ignem non fundi-tur.

Quoad sonum, odorem, & colorem, notandum est, quòd plumbum candidum stridet, cinereum aliquem sonum edit, nigrum sono prorsus caret; idcirco mutum appellatur, at dum in fornacibus funditur, grauem, & pestiferum odorem spargit. Plumbum candidum antequam poliatur, aliquantulum coruscat, cinereum minus, nigrum minimè vnde colligendum est, substantiam plumbi nigri esse valdè impuram, nam color illius liuidus cum modico splendore id demonstrat, deinde magisquàm cætera metalla manus tangentis nigredine inficit. Tandem plumbum esse talis naturæ multi referunt, vt pluuiam præsagiat, quando vasa plumbea liquore plena, & aeri exposita, iuxta extimas partes, guttas cõcipiunt. Postremò scripsit Aristoteles plumbum Indum hac gaudere proprietate, vt liquefactum; & in aquam frigidam proiectum paulo post exiliat. Hoc autem, si verum est, inde potest prouenire, quia plumbum illius loci non tam graue, sed aliquantò rarius generetur; ideoq; ob hanc raritatem ex frigida resilit & non mergitur.

Odor plumbi qualis.

In li. ad. mirab.

MORA-

SYMPATHIA.

VELVTI plumbum nigrum amore ita indiſſolubili cum albo coniungitur, vt ſine ipſo agglutinari nequeat; pariter humanæ carmi hoc metallum adeo gratum eſt, vt illi diutius abſq; noxa libenter adhæreat. Nouimus multos, qui ictu ſcloporum vulnerati, cum globulis plumbeis in carne, diuturnam, & incolumen vitam duxerunt. Ad rem narrat Senertus in Paralipomenis, quemdam Genuenſem ictu torméti manuarij in fronte, cum inſigni fractura cranij, vulnus accepiſſe, & Genuæ curatum, globulumq; plumbeum inuentum non fuiſſe: deinde, vulnere agglutinato, per ſpatium ſemeſtris incolumen vixiſſe. At cum tandem morbo acuto correptus obijſſet, cranium apertum eſt, & tunc globulus plumbeus è regione verticis, inter cranium, & duram matrem, ad latus rectæ ſuturæ, membrana tamen planè illæſa, repertus eſt.

Plumbum amicum naturæ humanæ.

PLVMBI RECREMENTA.

QVAMVIS in primo capite huius libri de retrimentis metallorum ſermo fuerit habitus: attamen in hoc etiam capite de recrementis huius metalli neceſſariò differendum eſt. Itaq; dum plumbum adhuc calens aqua frigida perfunditur, ſcoriam quamdam exuit, quæ propriè recrementum, & vulgò ſpuma plumbi appellatur. Hoc autem retrimentum à plumbo bifariam reſultat: primò, quando vena plumbi excoquitur, & hæc verè ſcoria dicitur. Secundò, quando plumbum purum ad aliquod opus liquefit, & tunc ſpuma ab hac fuſione exiens non ſcoria, ſed plũbum vſtum nuncupatur. Præterea veluti ferrum ferruginem, & æs æruginem; ita plumbum quamdam Plumbaginem eructat; quam alij Ceruſſam, alij florem plumbi, Auicẽnas cinerem plumbi, & tandem alij, ad mentem Galeni, Pſimythion nominant. Etenim Ceruſſa Græcis ψήμμυθιον, & ψίμμυθος dicitur, fortè quaſi ψάμμομιλτος, ideſt arena Minij; cum ex hac aduſta Minium, ſeu Sandyx reſultet, vel à ψαὼ detergo, quia Ceruſſa vim fucandi, & detergendi poſſideat. Vocatur autem Ceruſſa, quia, antequam dealbetur, ſit ſimilis materiæ, ex qua cera paratur, quæ Græcis κηρωνὴς nominatur, & vulgò *Biacca*, quaſi *Bianca*, propter inſignem albedinem, quam in exſiccatione adipiſcitur. Ceterùm Ceruſſa eſt duplex, altera eſt arte facta, & quaſi plumbum putridum, altera ſub forma ſaxi effoditur, & Ceruſſa metalli cognominatur. Rurſus artificialis eſt duplex, cum duplex ſit plumbum, ex quo dimanat. Chymici Ceruſſam artificialiter ex ſtanno paratam. Album Hiſpanicum nuncupant, cum Ceruſſa præſtantior ex Hiſpania deferatur, & hac potiſſimum vtũtur mulieres ad fucos, & hac imbutæ, ceruſſatæ dicuntur: propterea, nomine ceruſſæ, fucus ſæpiſſimè intelligi ſolet. Altera Ceruſſa artificialis fit ex plumbo nigro, & hæc apud Medicos eſt ex vſu. Vitruuius ſcriptum reliquit, quòd Rhodij, in comparanda Ceruſſa, implent dolia ſarmentis aceto aſperſis, & ſuperpoſitis plumbeis maſſis, vaſa diligenter obthurant, nequidquam ſpirare poſſint: deinde poſt aliquot tempus, reſeratis vaſis, Ceruſſam ex plumbea maſſa deradunt. Alij vaſa plumbea aceto plena optimè claudunt, & poſt ſpatium triginta dierum, recluſo vaſe, ceruſam colligunt. Hæc olim præſtantiſſima Rhodi, & Corinthi, & Lacedemone, & proxima Puteolis, ad mentem Dioſcoridis, parabatur.

Spuma plumbi quæ.

Ceruſſa qua.

Ceruſſæ etymum.

Ceruſſæ differentiæ.

Album Hiſpaniæ quid.

Lib. 5. c. 103.

PLVMBI VENENVM, ET MEDELA.

NON ſolum limatura plumbi humano ſtomacho grauis eſt, verùm quoq; ceruſſa valetudinem ad necem vſq; offendit, quoniam illius portiones non digeruntur, ſed in fundo vẽtriculi ſtabulantes humanam temperaturam diſſoluunt: Ceruſſa enim occludẽdo meatus ſpirituum, inſtar lithargyrij, necat quapropter Plinius non immerito venenum plumbi veneno lithargyrij comparabat. Hinc colligẽdum eſt, aquas

Ceruſſæ venenum.

A aquas per tubos plumbeos transeuntes,vel in vasis plumbeis pernoctantes,vel organis plumbeis distillatas aliqua veneni suspitione non carere. Item quod Cerussa humano temperamento officiat, inde cognoscitur, quia mulieres candorem faciei Cerussa sibi comparantes, fætorem oris, & nigredinem dentium incurrunt, cum portio sanguinis, quæ partes faciei nutrire debebat, fuco impedita ad gingiuas fluat, & ibi tamquam superflua corrumpatur;vnde fætor oris, corruptio gingiuarum, & nigredo dentium prouenit; etenim nigredo putredinis nota esse perhibetur.

Antequam præsidia hoc venenum expugnantia præscribantur, necesse est proponere signa, quibus venenum plumbi innotescit. Itaq; lingua bibentis limaturam plumbi grauatur, vrina supprimitur, fluxus alui exoritur summa grauitas ventriculi, & intestinorum persentitur,color patientis plumbeus euadit, anhelitus constringitur,& interdum passio iliaca subsequitur. Tandem signa veneni Cerussæ assimilantur symptomatibus,quæ à potione Gypsi dimanant: immò in hoc casu maior albedo linguæ apparet. Dolor igitur stomachi primùm affligit, quoniam,veneno impedita cõcoctione,humidum alimentale corrumpitur; hinc flatus multi generantur,singultus oriuntur, guttur exsiccatur,& cerebrum, ob vapores ascendentes, quodammodo delirium incurrere videtur: propterea Nicander in Alexipharmacis hæc signa explanat his versibus in latinum translatis. *Signa veneni plumbi.*

B

Hæc data spuma statim multum astringente vigore
Infectum tenet os, subeunti frigore siccæ
Gingiuæ arescunt, crispanteq; pelle trahuntur:
Aspera lingua scabret, flaccæ propè guttura glandes
Deficiunt, nullamq; cient è fauce saliuam;
Et graue turbata queritur ratione cerebrum
Vanaq; vel media phantasmata luce videri.

Huic morbo facilè mederi poterimus primò pharmacis vomitum prouocantibus, &
C medicamentis soluentibus Deinde præscribuntur Myrrha,vel Absynthium, vel Hyssopus, vel Semina Apij,vel Piper cum vino. Plinius secundus huic affectui occurrit oleo; cum sit huius sententiæ, omnia venena, & præsertim Psimithij, nimirum Cerussæ oleo hebetari. Auicennas, in hoc casu clysteres, & vomitiones commendat, deinde probat omnia illa remedia, quæ virus lithargyrij profligare possunt. Conciliator medicamen vomitum cõcitans ex decoctione seminum Rapæ,& Atriplicis, necnon clysteres ex iure caulium paratos laudat. Rhasis, si deiectione alui opus fuerit, octo grana diagridij cum aqua mellis propinat; postea Lacte, Malua, & Sesamo huic veneno præsto est. Quamobrem Iodocius in Enchiridio Simplicium verba faciens de Cerussa sic canit. *Lib. 23. c. de oleo.* 4. *Canon. Fen. 6. c. de cerussa.* *Li. 20. Contin. cap. 2.*

Sumpta venenosa tamen hæc cor suffucat aura
Copia, cui lactis subuenit hausta malo.

Item Nicander in Alexipharmacis, aduersus Cerussæ virus, proposita medicamenta, nempè Lac, Maluam, & Sesamum his versibus magnificat.

Et distenta premens tenera celer vbera vacca
Pingue natante dabis lac cum cute tristibus ægris,
Aut tu mollifica reseca, & tere germina Maluæ,
Expressumq; homini potandum porrige succum.
Tusa etiam mixto sic præbe Sesama vino.

PLVMBI PRÆPARANDI RATIO.

METALLARII aliquando,ex terra ochræ simili,plumbum excoquunt præcipuè Ilmenæ ad syluam Bacenam,interdum ex spuma argenti, & molybdena illud eliciunt, quandoq; ex propria vena, aut ex lapide plumbario ferace id extrahunt. Modus autem tundendæ, & terendæ plumbi venæ,antequam in fornace collocetur, apud Georgium Agricolam legendus est. Præterea plumbum præparatur, & in puluerem multifariam reducitur: primitùs virga corylli recente intra plumbum liquefactum locata, namq;vi caloris è virga plumbum mouente humiditas elicitur,vicissimq; virga proprio spoliata humido, plumbi humiditatem attrahit; tuncq; plumbum *Li. 9. de re metall.* *Corylli vis.*

bum exſiccatur, & in puluerem redigitur. Aliter idem in puluerem reducitur, dum ei liquefacto argentum viuum additur, quo euaneſcente, puluis plumbi in catino remanet. Halchemiæ Profeſſores plumbum in aurum præparare, & in ſtannum conuertere profitentur, quæ operationes apud Vuecherium leguntur. Has eaſdem operationes Andreas Libauius in ſuo opere de Halchemia explicare conatur. Alij ex plũbo argentum viuum elicere, illudq; ponderoſius reddere nituntur, veluti apud Portam in Magia naturali vnuſquiſq; videre poteſt.

Lib. 10. de ſecr. Li. 2. Lib. 5. ca. 2.

LOCVS.

ANDALVSIA, & Anglia multis fodinis redundant, quarum prima copioſis plumbi venis, altera verò plumbi, & ſtanni opibus pollet. Americana regio verſus Oram occidentalem maris Sur, vt in tabula Americæ Cornelius Iudæus obſeruat, Pronincias habet celeberrimas, in quibus ingens continetur lacus, cũ aliquibus inſulis *Titicacha* illorum lingua cognominatis, ideſt Inſulis plũbi; propterea quòd opibus ampliſſimis plumbi auctæ ſunt. In Britannia ferè in terreni ſuperficie plumbum colligitur. Feſularũ Mons in Hetruria florentiæ ciuitati imminens lapides habet plumbarios, qui, breui temporis ſpatio, ſi excidantur, nouis incrementis, teſte Boccacio, inſtaurantur. Pariter Foroiulianæ regionis montes plũbi venis ſunt ditati. Deinde Fribergi diuitię huius metalli ſunt perinſignes, cum, anno quinquageſimo primo poſt milleſimũ, & quingẽteſimum, maſſa plumbi nigri ſex pondo à fodinis extracta fuerit. In ſuperficie telluris Gallitiæ materia coloris nigri naſcitur arenoſa, quæ pondere tantummodò plumbum eſſe deprehenditur. Apud Goſelariam in monte Rameli plumbi nigri fodinæ conſpiciuntur. Demùm Gothia opibus plumbi præcellit. Hannoniæ Regio in Flandria mineris plumbi diues celebratur. Item Heluetiæ montibus aliquas plumbi venas Boterus aſſignauit. Item Plinius Hiſpaniæ, & Galliæ ſimiles mineras tribuit, quæ cum ibi ſint profundiores, Metallarij laborum vehementi mole premuntur. Regionem Hundeſtruck plumbi feracem Coſmographia vniuerſalis conſtituit, vbi, paucis impenſis, quantitas huius metalli purificatur. Ilua inſula præſtat mineris ferri, ſimiliter plumbi, & ſtanni luculentas habet facultates. India Orientalis neq; æs, neq; plumbum poſſidet, ſi veritatem Hiſtoriographi fatentur: quicquid dixerit Ariſtoteles de plumbo Indico liquato ab aqua reſiliente, cum illæ liber Ariſtotelis ſit ſuſpectus. Per Luſitaniæ tractus ſubterraneos multæ plumbi venæ diſſeminantur. Lymburgum, vt recitat Georgius Braun in Theatro Vrbium, fodinis plumbi, & ferri præſtat. Namur, ex Botero mineris plumbi ſcatet. In Petraſancta, Hetruriæ loco, plumbi, & argenti eſt minera. Peruanæ inſulæ quantitate plumbi ſunt ditiſſimæ. In Polonia, quinto lapide à Cracouia, venæ plumbi ſunt feraciſſimæ. Populonia probè ditata eſt minera plumbi nigri, quæ lucida, denſa, & grauis eſt, pauciſq; excrementis redundat, vbi etiam obſeruatur alia plumbi minera flaua, quam paulò antè in Rubrica differentiarum memorauimus. Sardiniæ quædam plumbi, & ſtanni mineræ non deſunt. Deniq; Scotia quantitatis plumbi non eſt indiga.

Plumbarij lapides vbi.

Hannonia regio.

In lib. mirab.

Peru abũdat plumbo.

DENOMINATA.

QVI circa materiam plumbi multis laboribus ſe exercet, Plumbarius appellatur. Plumboſum verò dicitur, quod plurimũ plumbi admixtum, & Plumbeum quod ex plumbo confectum eſt: propterea à Græcis Μολυβδὶς globus, vel pila, vel lamina plumbea vocatur. Item Μολίβδωδις apud Dioſcoridem plumbaceus, vel naturam plumbi referens exponitur. Similiter Μολιβδωσις plumbatura eſt, nẽpè ferruminatio plumbo facta: hinc dicimus Applumbare, ideſt plumbo liquefacto, quę diſiuncta ſunt, coniungere, & Replumbare, quod plumbo agglutinatum eſt, diſſoluere. Verùm his nullius ferè momenti ommiſſis, ad metallica, ad herbas, lapides, & varia loca accedemus, quæ à Plumbo denominata feruntur. Primitùs tertia lithargyrij ſpecies viliſſima in primo cap. huius libri memorata, à Plinio Molybditis cognominatur, quia

Molybditis quid ſit.

quia aliquam plumbi naturam sapiat. Plumbago aliquibus dicitur ærugo plumbi: attamen Plumbago propriè est materia nuncupata Galena, quæ, post fusionem plumbi, in fundo fornacis remanet. Hæc, iuxta mentem Matthioli in commentarijs ad Dioscoridem, est purissimum plumbum, quod ignis violentia speciem cineris induit. Cæterùm, ad maiorem huius metallicæ materiæ intellectum notandum est, quòd Plumbago, seu Molybdena respondet Cadmiæ æris: nam veluti Cadmia paratur, dum vena æris in fornace liquatur, & pars tenuior euolans, & parietibus adhærens est Cadmia, quemadmodum in primo capite enucleatum fuit: pariter Plumbago nascitur, dum liquato in fornacibus plumbo, materia tenuis parietibus adhæret. Itaq; sicuti Cadmia duplex esse dicebatur, nimirum altera naturalis, quæ effodiebatur, & altera artificialis, quæ in fornacibus æris nascebatur, assimiliter Plumbaginis altera in fornacibus plumbi oritur, altera verò naturalis eruitur. Verùm, apud Plinium, Plumbago triplex constituitur: prima species est Galena vocata, quæ argentum, & plumbum participat, secunda est Plumbago, seu Molybdæna artificialis tum Plinij, tum Dioscoridis, tertia est substantia quædam fossilis lapidosa, quæ Plumbago vel Molybdena naturalis vocatur, effoditurq; ad Sebastiam, & Corycum, vt Dioscorides monimentis mandauit.

L. 5. c. 58.

Plumbago, & Molybdena.

Cadmia duplex.

Item Plumbago seu Molybdæna apud Plinium est herba, cuius descriptio, ex mente Falloppij, quadrare videtur illi plantæ, quæ Bistorta à Botanicis nuncupatur. Alij voluerunt. Plumbaginem Plinij esse Persicariam maculosam, propter notas illas plumbeicoloris, quæ in folijs conspiciuntur. Sed aduertendum est, quòd Plinius huic herbæ nomen Plumbaginis non à colore, sed ab effectu assignauit, scilicet quia Plumbo oculorum morbo medetur: quapropter nec etiam veritatem assecuti sunt, qui Dentillariam Rondeletij cum Plumbagine, seu Molybdena Plinij coincidere voluerunt, hac tantùm moti ratione, quoniam planta hæc in manu detenta volæ liuorẽ, seu plumbeum colorem communicet.

Lib. 25. cap. 13.

Plumbago herba.

Ad lapides si nosmet conuertamus, primò incidemus in lapidem plumbarium, molybdoidem etiam nuncupatum, qui à vena quadam plumbaria eruitur; huius Dioscorides, post plumbum, meminit, illumq; à vena plumbi discrepantem constituit, quam venam molybditim appellauit. Itaq; asserendum erit cum Cesalpino molybdoidem esse quemdam lapidem in nigro refulgentem, colore plumbeo, & tactu adeò lubrico, vt perunctus esse videatur. Hunc Pictores indigitant lapidem Flandriæ, quia illinc asseratur, & illo ad figuras designandas vtuntur. Hunc pariter in Germania reperiri, & Bisemutum vocari affirmant, quem cum Stibio fusum, ad formandos characteres, adhibent. Huius lapidis aliud genus crustosum, & instar carbonis, nigrum inuenitur, quo similiter Pictores vtuntur. Ad nostras peruenernnt manus duo lapides crustosi, seu potius escharam æmulantes cum aliquo liuore plumbi, quorum icones damus. Primus vocabitur Escharites niger molybdoides, secundus dicetur Escharites cum aliquo rubore molybdoides alter. Deinde damus figuram lapidis truncum arboreum crustosum simulantis, cũ punctis plumbei coloris, qua de causa Stelechites Escharoides, & molybdoides apellabitur.

Lapis plũbarius qualis.

Bisemutum quid sit.

Escharites Molybdoides.



Escha-

Vlyſsis Aldrouandi
Eſcharites Molybdoides alter.

Subſequitur delineatus lapischamam lineis plumbeis diſtinctam imitans, qui Chamites molybdoides dicetur. Aliquando natura in lapideis chamis, & pectinibus ludens, figuras pulcherrimas producit; quandoquidem genuit in montibus Ctenitem,

Stelechites Eſcharites Molybdoides.



cuius

A cuius hic figuram damus sine strijs, & tamen formam pectinis referebat, cum auribus, & lineis quibusdam plumbei coloris: pars superior magis concaua, quam inferior apparebat, pars superior sub numero 1. & inferior sub numero 2. conspicitur.

Chamites Molybdoides.

Ctenites Molybdoides pronus & supinus.



Poterit igitur cognominari hic lapis Chamites, seu Ctenites molybdoides. Ludificatio naturæ in saxis obseruata est, dum in montibus inuentus est lapis exprimens illud genus conchæ, quod Pinnam vocant obscuri, & plumbei coloris, propterea exprimitur in hac tabella hoc nomine. Pinnites molybdoides; & in eadem tabella delineatur lapis planus ex vnà parte oualis subniger, & ad colorem plumbi vergens. Postremò delineatur lapis liuoris plumbei, in quo natura nos ludificans, triticum effigiauit: quapropter hic lapis Triticites molybdoides erit appellandus.

Pinnites Molybdoides. Lapis coloris plumbei.



Triticites Molybdoides.



In-

Inter loca à plumbo denominata recensetur plumbaria officina, in qua plumbum funditur, & elaboratur. Item Plumbaria est parua insula Hispaniæ Tarraconensis in Ora Orientali ad Ferrariam Promontorium. Ortelius memorat: insulas Molybodes Sardiniæ adiacentes, quarum altera vocatur Plumbea, altera Hieracum; Ortelius tamen nomen Molybodis ad insulam tantùm Plumbeam meritò referendum esse arbitratur. Gesnerus scripsit reperiri in Germania Thermas nomine plumbeas, quarum aquæ plumbi naturam participant. Item Falloppius monimentis mandauit in agro Vicentino esse aquam plumbeam, quæ ex fodina plumbi erumpens, & venam plumbi lambens eiusdem qualitates acquirit. Demùm pallor ob liuorem à Poetis plumbeus fuit nuncupatus, pariterq; color plumbeus de illis effertur, quorum virtus emoritur: quamuis pronuncietur etiam de illis, qui nigro Ictero laborant: propterea apud Atheneum Μολυβδοφανὴς vocatur, qui aspectu plumbeus esse videtur. Postremò metaphoricè vocantur Iræ plumbeæ, quæ cum sint grauissimæ, altas radices egerunt. Immò apud Horatium plumbeus cognominatur Auster, propter rationes, quas in Rubrica differentiarum assignauimus: cecinit enim Horatius.

Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster.

Loca varia à plumbo cognominata.

Insula Molybdodes vbi.

In lib. de Thermis.

Lib. 2. serm.

EPITHETA.

SILENTIO præterire possemus plumbi epitheta, quæ cum pauca sint, partim ad nigrum, partim ad album plumbum pertinent. Nihilominus breuibus ab his nosmet expediemus. Etenim Latini ponderantes illius substantiam densam, grauem, & minimè resistentem, plumbum solidum, graue, & flexile cognominarunt, ratione coloris, liuens, & fuscum dixerunt. Quoniam verò, cum ad varia opera destinatur, facilè liquescit, liquidum, & liquens indigitarunt. Deniq; quia ex ipso globi pro tormentis bellicis fabricantur, vulnificum appellare decreuerunt. In libris græcis epitheta ad plumbum album tantummodò attinentia legimus: quandoquidem ἰανὸς exponitur indutu pulcher, attamen apud Dioscoridem plumbum album, nempe Cassiteros ἰανὸς dicitur, nam ibi hoc nomen pro molli, & delicato vsurpatur. Item apud Homerum in Illiade Cassiteros νεόξυστος, idest nuper fabricatus vocatur, immò, & φαεινὸς, splendens. Tandem πινυφθὸς, scilicet omni ex parte coctus, vel perfectè coctus Hesiodo Cassiteros appellatur.

Epitheta græca.

ADAGIA.

VILITAS, & imbecillitas huius metalli multis prouerbijs ansam præbuerũt: siquidem *Plumbeis pugionibus dimicare* dicuntur, qui inutiliter præliantur. Pariter *Plumbeo gladio iugulare* est prouerbium, quod de leui, & futili argumento pronunciatur: hoc adagio sæpè vsus est Cicero scribens ad Atticum, & alibi, quoddam argumẽtum inane, & nullius valoris, pugionem plumbeum appellauit. Item apud Terentium *Homo plumbeus* ignauus, & nullius ingenij dicitur. Nam plumbum est indicium hebetudinis, quia cum velocissima debeat esse mentis agitatio, quando ad speculationem, & ad operationem erit tarda, plumbea vocabitur: quamobrem huc respicieus Cicero in Tusculanis scribebat. *Nisi sanè in Physicis plumbei sumus.* Totum oppositum significant *Iræ plumbeæ* apud Plautum, nam pro grauibus sumuntur, & spectare videntur ad illos, qui ingentes, & subitos irarum motus concipiunt. Præterea *Plumbeus gladius in eburnea vagina* profertur de re admodum absurda. Nonnulli tradunt hoc adagium dimanasse ab apophthegmate Diogenis Cynici, qui aliquandò obseruans adolescentem venusta decoratum forma, sermonẽ obscænum proferentem, dixit; is ex eburnea vagina plumbeum educit gladium. Huic opponitur illud. *Gemma annulo plumbeo inclusa*, quod de re etiam incongrua pronunciatur, estq; admodum conforme illi, quod in capite secundo recitatum fuit, nimirum, *Annulus aureus in nare suilla*. His additur aliud. *Nummus plumbeus*, quod de re inutili diuulgatur: quapropter Plautus in Mustellaria ad rẽ dixit. *Tace sis faber, qui cudere soles nummos*

Plumbeus gladius qualis.

Nummus plũbeus.

plumbeos, ideſt qui nihil boni operaris. Hoc non eſt diſſimile illi. *Caracallæ nummi*. Id ſpectat ad illos, qui ſub blando vultu animum virulentum occultant. Narrat. n. Dion, Antonium Caracallam nummos adulterinos, ſcilicet ex plumbo argentato, & ære inaurato in vſu habuiſſe, & ſuis Senatoribus dediſſe. Deniq; ex grauitate metalli ortũ eſt aliud adagium. *Plumbeo pede incedere*, quo Veteres nobis inſinuabant, in negocijs difficilibus peragendis, pedetentim, & paulatim incedendum eſſe.

MYSTICA, ET MORALIA.

INIQVITAS, ſeu hominum malignitas, iuxta viſionem Zachariæ Prophetæ, ſuper talentum plumbi ſedet: ideoq; nefarius Pharaonis exercitus, quippequi iniquitatibus ſemper adhæſit, tanquam plumbum in aquis ſubmerſus eſt. Diuus Hieronymus ſcriptis mandauit plumbum nõ eſſe metallum prorſus contemnendum, quoniam eloquio Sanctorum Prophetarum, & Doctorum comparatur: etenim hoc alijs metallis permixtum, pro eorum purificatione, paulatim conſumitur, & euaneſcit: pariter omne eloquium doctrinarum, & ſermo Prophetarum perit in illis, qui illud audire contemnunt. Cæterùm ſi cunctæ plumbi conditiones ponderentur, illas varię morum honeſtati inſeruire comperiemus. Primitùs vena huius metalli nigra eſt, & calculoſa, quæ purgata in fornace in plumbi ſubſtantiam conuertitur: id aliquando accidit multis hominibus, qui in vitæ primordio multis flagitijs ſunt nigri, & varijs criminum calculis referti, ſed in fornace calamitatum poſiti, fiunt plumbum, nempè viri iuſtitia inſignes, & pietate molles. Item plumbum licèt fuſco, & nigro colore ſit refertum: attamen in igne locatum rubeſcit, deinde, calore ceſſante, plumbo frigeſcenti priſtina nigredo reſtituitur: ſic multi homines in hac mundana mole verſantur, qui nigrore criminum tincti, ſi in flammis ærumnarum collocentur, illicò charitate, & dilectione rubeſcunt, at, ceſſante moleſtiarum incendio, priſtinam nequitiæ nigredinem induũt. Verùm plumbum non ſolum in igne rubeſcit, ſed etiam, violentia ignis perſeuerante, penitùs conſumitur: idcircò dicamus, in hac morali doctrina, plumbum eſſe hominem peccantem, qui in igne correctionis locatus, ſtatim claritate refertus rubeſcit, at, ſi diu acris correctionum flamma perdurauerit, peccans ſtimulis deſperationis agitatus tãquam plumbum deſtruitur: quare ad rem Hieremias hæc verba protulit. *Fruſtra ſuffflauit. Corflator, in igne conſumptum eſt plumbum.* Immò plumbum eſt metallum craſſum, obſcurum, ponderoſum, & fædum, quoniam manus pertractantium maculat. Peccans has omnes ſortitur conditiones; eſt enim craſſus, dum faſtu intumeſcit, ignorantia obſcurus, pigritia grauis, & inhoneſta, & pernitioſa libidine fædus; quare proximos inquinat, & eos potiſſimum quibuſcum aſſiduè verſatur. Deniq; plumbum, licèt inter alia metalla vilitatem quamdam præſeferat, nihilominus ad varios vſus idoneũ commendatur. Hanc vilitatem plumbi æmulantur pauperes, qui quamquã inter alios viles reputentur, tamen ad vſum Reipublicæ valdè vtiles eſſe feruntur. Sin plumbum cõſideretur, quatenus vſui medico famulatur, morũ quoq; integritati occaſionem præbebit: nam puluis plumbeus tumores deprimere, fluxus ſanguinis cohibere, & morbos oculorum ſanare perhibetur: ideoq; imaginari debemus plumbo carnem, & eius puluere memoriam mortis repræſentari: ſic enim hoc puluere tumores ſuperbiæ deprimuntur, fluxus ſanguinis effæminatæ molliciei coercetur, morbuſq; oculorum inuidiæ penitus aboletur. Deniq; plumbum frigidum, & humidum, ponderoſum, & vtile multis medicinæ vſibus traditur. Huic meritò aſſimilatur Vir perfectus, qui caſtitate frigidus, pietate humidus, animi demiſſione grauis, & perfectione doctrinæ Chriſti munitus ad medicinam animarum valdè vtilis euadit. Ad finem, cum nomine plumbi, peccantes ſignificentur, & plumbum in India minimè inueniri Hiſtoriographi referant, neceſſe erit aſſerere in India, nimirum in Cæli Regia, plumbum, nempe hominem lethali conſcientiæ vulnere affectum locum non habere.

In Hieremiam c. 6.

Plumbũ in igne conſumitur.

Cap. 6.

Pauperes plũbo aſſimilantur.

Vir perfectus cui ſimilis.

PRO-

PROBLEMATA.

VARII huius metalli effectus amplam,& pręclaram occasionem varias quęrẽdi causas nobis prębuerunt. Itaq; plumbum dum virtute fornacis in cinerem redigitur, cuicumq; centenario octo,aut decem pondo adduntur,vt Metallarij testificantur: immò eumdem effectum sortiuntur lateres in fornace cocti, quia, post coctionem, grauiores euadunt, cum tamen, absumpta eorum humiditate, maiorem leuitatem acquirere deberent. Quocirca huius effectus causam inuestiganti respondẽdum est, quòd dùm lateres coquuntur, fuligo ignis illis adhærens deperditæ humiditatis substantiam restaurat,consequẽterq; eorum pondus auget. Pariter adusto plumbo idem contingit; nam flamma fornacis, quam vocant reuerberij, supra cineres reflectitur ibiq; suam fuliginem deponit,atq; hac ratione plumbi pondus augetur, & huius effectus signum inde colligere oportet, quoniam si cinis ille fundatur, in plumbum quidem conuertitur paucum, & reliquum in retrimentum transit. Et quamuis cætera metalla in eadem fornace flammæ reflexum recipiant, eorum tamen pondus minimè augetur, quoniam fuligo illis haudquaquam adhæret. Deindè quæritur, cur plumbum in loco humido locatum augeatur, cum id monstret experientia, dum Imbrices plumbei, quibus ædes magnificæ teguntur, post multorum annorũ spatium, grauiores inueniantur tanto excessu, vt ob nimiam grauitatem permutari debeant. Hãc veritatem ostendit etiam Galenus exemplo statuarum, quæ plumbo ferruminantur; in illo enim plumbo, tractu temporis, quædam veluti verrucæ crescunt, qua nil aliud, nisi partes plumbi auctæ esse possunt. Respondent nonnulli hoc metallum augeri,quia rarum est,continetq; partes aereas,quæ paulatim in substantiam plumbeam transmutantur; hac de re eius moles, & pondus augetur. Laminæ igitur plumbeæ turres, vel templa tegentes pondo centum, post aliquod temporis spatium, ad decem libras supra centum accedunt. Viri in Philosophica palestra exercitatissimi docent laminas plumbeas Sole, & frigore ita corrumpi, & veluti exanimari, vt crusta superficialis in plumbum veluti mortuum degeneret: idcirco laminæ illæ si liquefiant, nonnisi duas plumbi partes fundent, cum reliquum in excrementa transeat. Hinc vera problematis causa resultat, si dicamus laminas illas, ratione frigoris, & Solis, ob corruptionem, in cineraceam materiam abire; vnde qualitas terrea plumbi tunc magis, quàm anteà viget, & metallum magis ponderosum euadit. Rursum quæritur cur lamina plumbi supra vaporem aceti collocata albescat, & in cerussam conuertatur. Respondet Albertus id prouenire ab acrimonia vaporis calidi aceti in substantiam plumbi penetrantis & argentum viuum ibi condensatum abluentis, cogentisq; illud ad superficiem laminæ plumbeæ, instar granorum milij, ascendere. Iterum quæritur cur altera parte speculi plumbo lita, simulacra facilè repræsententur, &, absq; illo, simulacra minimè reddantur. Hoc fortassis euenit,quoniam ex vitro tanquam ex re lucida, & ex plumbo tanquam ex re opaca, altero quodammodo albo, & altero nigro quoddam gignatur idoneum nigrum, in quo rei imago præsentis facilè feruetur. Deniq; inuestigant nonnulli causam,propter quam vasa plumbea aqua plena, & supra flammas collocata non liquescant. Responsio est, virtutem ignis per vasa transire, & suam actionem in liquorem contentum exercere. Hinc colligenda est ratio, cur charta supra candellam accensam posita non accẽdatur, dum aquam vel oleum contineat.

Laterum põdus cur augeatur.

Plumbi põdus augetur.

Plumbũ Imbricũ quomodo augeatur.

Lib. 2. de miner c. 2

Speculi effectus.

SIMVLACRA.

AD significandam Aulicorum cohortem, Ripa pinxit iuuenem vestimentis viridibus indutam cum calceis plumbeis, vt Aulicis insinuaret quòd quando, alicuius causa, aliquid operantur,graues, nec facilè cuiuslibet verbis mobiles esse debeant. Idem Auctor, vt Legem veterem exprimeret, delineauit mulierem vestibus hæbraicis ornatam siniſtra manu tabulas Legis veteris tenentem, & , penès dex-

In prima parte Icon.

dextram, habentem pilam plumbeam, cum hoc Dicto. PONDVS GRAVE. Quandoquidem præcepta legis veteris grauia, & ſeuera erant, cum illa lex timorem, & ſeueram Iuſtitiam reſpiceret: propterea huc reſpexit Pſalmographus, quando dixit. *Deus vltionum Dominus.* Pariter Ripa, vt oſtenderet Fatuitatem, figurauit mulierem cum maſſa plũbea ſupra caput: nãq; veluti plumbũ, ob grauitatem, ſemper deorſum tendit, ita Fatuus nunquam ad ſuperna mentem eleuat; quocirca huic merito competit illud adagium. *Plumbeam ingenium.* Demum, in Pertinacia demonſtranda, idem Author mulierem nigris velatam veſtimentis cum talo plumbeo ſupra caput effigiauit: etenim plumbum quid difficilè mobile deſignat, præterquamquòd ignorantia, plumbo, indicatur, quæ pertinaciæ mater, & nutrix eſſe perhibetur. His addatur ſimulacrum Rapi plumbei, quod Plinius in templo Apollinis Delphici fuiſſe memorat.

Pſalm. 93. Parte 3. Icon.

VSVS IN MEDICINA.

REPONITVR plumbum inter illa metalla, quæ varijs morbis, & præcipuè extrinſecis plurimùm conferunt. In primis, ad varios vſus medicos, mortarium, & piſtillũ ex plumbo paratur, ſed potiſſimùm in illo roſaceum oleum tamdiù agitatur, donec aliquam ſpiſſitudinem acquirat, poſtmodum ſpatio quinq; dierum inſolatur, quod medicamentum hæmorroidibus non paucam affert vtilitatem, & ambuſtis fæliciter medetur. Immo Medici curant vaſa ex plumbo formari, in quibus varia electuaria, & pinguedines optimè ſeruantur. Præterea plumbum in Pharmacopolijs variè præparatur: lauatur enim, crematur, & eius etiam ſcoria non abijcitur. Itaq; plumbum lotum, & combuſtum eundem ſortitur colorem; quarè Pharmacopei emptores decipere poſſunt, niſi igne, & experientia diſtinguatur: namq; ſi ſupra laminam ferream cãdentem portio plumbi vſti ponatur (dummodo optimè ſit combuſtum) non eliquabitur, & liqueſcens ruborem acquiret; ſin fuerit lotum illicò liquefiet, & comglobabitur. Eſt autem aduertendum, quòd plumbum crematum maiori virtute ficcandi, & refrigerandi potitur, quoniam aduſtione omnis humiditas euaneſcit. Modus autem adurendi plumbum multiplex eſt, ſed duo tantùm ſunt in vſu. Vnus eſt, qui primo loco à Dioſcoride aſſignatur, & fit cum ſulphure; alter modus in medicina non habet locum, cum illo Figuli tantùm vtantur, vt cruſtam illam vitream vaſis impertiantur, & hoc plumbum vſtum Figulorum rubri eſt coloris. Hoc etiam aliqui Chirurgi vtũtur, vt vitent plumbum primo modo combuſtum, quia mixtionem ſulphuris abominantur.

Oleum ad hæmorrhoides.

Differentia plumbi vſti, & loti. Lib. 5. cap. 50.

Plumbi adurendi modus.

Scoria plumbi, & præcipuè illa, quæ ad luteum colorem tendit, maiorem vſum, quàm plumbum vſtum in medicina habet, ſiquidem maiori facultate adſtringendi, & ſiccandi pollet: etenim conſtat ex parte terreſtriori lapidis, lauatur autem, vt præcipit Dioſcorides, antequàm medicamẽtis admiſceatur: nam in Dyſenteria, & Teneſmo ad ſuffitus adhibita inſignem ſolet habere prærogatiuam. Quapropter aquæ thermales plumbeam venam lambentes, in fugandis multis extrinſecis morbis, ſunt præſtantiſſimæ; cum in potu nullo modo exhiberi debeant. Immo laminæ plumbi varijs affectionibus multum adiumenti afferunt. In primis paratur lamina plumbea latitudinis duorum digitorum, quæ ſupra regionem renum geſtata, auctore Oribaſio, inuoluntarium ſeminis fluxum cohibet, conſequenterq; nocturnam pollutionem arcet. Verùm huius laminę vſus multis videtur ſuſpectus, ſi diù ſupra renes feratur, quoniam, ob nimiã illarum partium refrigerationem, impendet periculum, ne lotium ſupprimatur. Rurſus talis lamina ganglijs alligata, tumorem diſcutit. Chirurgi laminas plumbeas in profundis vlceribus adhibent, dum ex illis fiſtulas, & turundas fabricant. Item quandò naſum amputatum reſtaurant, ſolent, cum ex brachio appoſita eſt caro in locum deficientis naſi, ſuperponere carni illi naſum ex lamina plumbea formatum, vt comprimendo, naſi figuram carni imprimat. Ceruſſa etiam, quæ flos plumbi nominatur, multas ad res in medicina conducit: refrigerat enim, & ſiccat, teſte Auicenna, in ſecundo exceſſu Sandyx verò ex aduſta prodiens ceruſſa ſiccat quidem, ſed non refrigerat: ſin abluatur ſiccandi, & refrigerandi virtutem acquirit. Itaq; Laborantes vlceribus, ex vſu ceruſſæ ampliſſimum fructum ſemper ſunt conſecuturi. De hac quoq; Iodocius in Enchiridio Simplicium ſic cecinit.

Lamina plumbi ad quid. L. 1. curat.

Naſus plumbeus.

Vl-

A *Vlceris ardores reprimit, carnemq; resoluit,*
Et siccata tegit vulnera cruda cute.

Ideò, in cicatricibus dealbandis, ceruſſa eſt medicamentum commodum, & ſalutare, dum carnem cicatricis dealbans, eius colorem reliquæ cuti ſimilem reddit. *Ceruſſæ vires.*

Chymici plumbum in calcem redigunt,&, in ſanandis vlceribus tanquam medicamentum non ſpernendum prædicant. Similiter, ex Saturno, nimirum ex plumbo ſalem eliciunt, & huius grana quatuor cum ſpiritu vini, ad cohibendas pollutiones nocturnas, propinant: deinde hunc medicamentis externis permiſcent, & potiſſimùm in ægritudinibus oculorum commendant. Item ex eodem Saturno non ſolum extrahunt Calcem, ſed etiam Liquorem, quintam Eſſentiam, Oleũ, Florem,& Crocum,quorum omnium præparationes apud Andream Libauium diligentiſſimè exarantur. His addamus tanquam coronidem, quòd dolores capitis acuti plumbo liquato Scutellæ ligneæ capiti ſuperpoſitæ,& a qua ſemiplenæ infuſo tolluntur,idq; fieri poſſe multi credunt, quoniam vapores, quibus cerebri menynges punguntur, plumbo coagulantur, *Dolor capitis vt tollatur.*

B & veluti ſpiritu quodam ſaturnino figuntur.

VSVS IN SVPPLICIIS.

INTER inſtrumenta, quibus ab antiquis Tortoribus Rei cruciabantur, Ligna, Vngues, Lora,& Plumbum recenſentur. Immò plumbo liquido ſæpiſſimè, in puniendis Sontibus, Veteres Iuſtitiæ miniſtri vtebantur. Huius cruciamenti meminit Horatius ſic canens.

——————— *nec ſeuerus*
Vncus abeſt, liquidumue plumbum. *Lib. 1. car.*

Fornacem plenam plumbo, reſina, & pice tanquam nouum cruciatũ Diocletianus Imperator adinuenit. Hac fuit tortus Sanctus Vitus, quemadmodum in illius Vita legitur, qui, iuſſu Valeriani Præſidentis Diocletiani, in ſimili fornace locatus in ea, tan-

C quam in aqua fluminis, ſupra vim naturæ, illæſus natabat. Pariter plumbum liquefactum aliquando in os Sanctorum Martyrum infuſum fuit,immò & in aures vt in Actis Sancti Moniati militis habetur, his verbis. *Tyrannus ait, Feruens plumbum auribus eius infundite, ne vocem Dei ſui maleficia docentis admittere poſsit.* Quandoq; in nudum tergus feruens plumbum Tortor infundebat: propterea in Actis Sanctorum Thyrſi & ſociorũ hæc legũtur. *Feruens adhuc plumbum in medium eius tergus effundunt; plumbum verò in ſuperficie tantùm, & leuiter id attingebat, nihil omninò eum offendens:* Similiter eò dcuenit Tyrannorum ſeueritas erga Chriſti cultores, vt pedes martyrum excauatis lapidibus plumbo liquefacto inſererent:id legimus in Actis Sancti Benigni, his verbis: *Iniquiſsimus Imperator in carcerem eum includi præcepit, & grande ſaxum, idem ipſe foratum adduci, atq; illi pedes eius plumbo liquefacto inſeri.* Immane quoq; fuit illud ſupplicium, quo Martyres cruciabantur, dum in lebete plũbi liquefacti pleno mergebantur: hoc ſupplicium in Actis Sãctorum Acyndini, & Sociorum exaratur. In alijs ſupplicijs plumbo denſato Veteres vtebantur;quando por- *Plumbũ auribus infuſum.*

D tiones plumbi collo, manibus, & pedibus alligabant, deinde in mare patientem mergebant. Amplius Scriptores eccleſiaſtici meminerunt flagelli ex funiculis parati, cum pilis plumbeis, quo multi martyres cæſi fuerunt. Olim etiam Romæ Debitores ſimili flagello verberabantur, & hic flagellandi modus ad tempora vſq; Conſtantini Imperatoris penetrauit, qui, cum eſſet Chriſtianæ pietatis cultor, hanc pænam prorſus antiquauit, quemadmodum Baronius in Annalibus eccleſiaſticis retulit. *Flagellũ cum pilis plumbeis.*

Anno Chriſti 33.

VSVS IN BELLO.

ANTIQVITAS in prælijs vtebatur nonnullis glandibus,quæ nil aliud erant,niſi plumbum in figuram glandis formatum. Has glandes Priſci loro alligabant,& proijciendo in hoſtes, eas illicò ad ſe trahebant ſumma hoſtium perniciè. Alij referunt, quòd in Bello huiuſmodi glandes cum fundis adhibebantur. Hoc in loco re-

præ-

præſentantur icones duarum glandium ex plumbo, quæ figuram balani prorſus æmulantur, nam in medio ſunt tumidæ, & ambæ longitudinis duorum digitorum, cum dimidio, & in medio latitudinis ferè digiti pollicis, quibuſdam characteribus ſignatæ, qui fortè nomen Ducis cohortis, vel Præfecti Belli indicabant, vt in tabella apparet. Ex plumbo paratur etiam Plumbata, vulgò *Piombarola*, quę nil aliud eſt niſi pila plum-

Glandes plumbeæ Antiquorum.

bea longo funiculo annexa. Huius inſtrumenti fortaſſis meminit Chriſtophorus Acoſta, dum Venatores Peruanæ Regionis memorat, qui animantes Vicugnas nuncupatas comprehendunt, vt ex illis lapidem Bezaar extrahant: quandoquidem nonnulli ex illis in particulari venatu has animantes aggrediuntur currentes, & proijciendo funes, in quarum ſummitate ſunt plumbi portiones annexæ, currentium animalium pedes implicant, atq; hac ratione coercent. Hodie globi bõbardarij, ſeu tormentarij ex plumbo parantur, & potiſſimum pro tormentis manuarijs; namq; pro bellicis tormentis maioribus, ex ferro fabrefieri ſolent.

Li. 4. Hiſt Ind. c. 40.

Venatio Vicugnarum.

VSVS IN COLORIBVS.

CERVSSA in fictili nouo combuſta colorem rubrum acquirit, &, ad mentem Dioſcoridis, Sandyx euadit; & talis color apud Plinium caſu, nimirum incendio Pyrræ inuentus eſt, quo poſtmodum Nicias pictor primus vſus eſt. Hæc, ſi cum æqua portione Rubricæ aduratur, vt nonnulli affirmant, Minium præbet, quod poſtea à Minio Antiquorum valde diſcrepat, quod, noſtra ætate, Cinnabrium dicitur. Eſt igitur Sandyx ſpecies quædam Minij artificialis: immò huius ceruſſæ vſtæ meminit etiam Galenus. Animaduertendum tamen eſt, quòd hæc ceruſſa aduſta Aetio, & Paulo Sericum dicitur, Vitruuio Sandaracha: quocirca apud hunc Authorem duplex erit San-

Ceruſſa vſta quid præſtet.

A Sandaracha, vna foſſilis, & eſt Arſenicum rubrum, altera artificialis, quæ Sandyx Dioſcoridis, & Galeni appellatur. Propterea aſſerendum eſt Sandycem Dioſcoridis, & Galeni, Ceruſſam factam rubram per aduſtionem apud Aetium, & Paulum Sandaracham factitiam apud Vitruuium, & Sãdaracham adulterinam apud Plinium vnum & idem eſſe pigmenti genus, de quo Virgilius in Buccolicis ſic cecinit.

Eclog. 3.

Sponte ſua Sandyx paſcentes veſtiet agnos.

Ochra quoque eſt genus pigmenti lutei, & eſt duplex, altera naturalis, quæ in fodina plumbi inuenitur, altera ex plumbo vſto arte paratur, quæ pictoribus magis probatur, & vtraque aduſtione rubeſcit. Prætercea Ceruſſa inter pigmenta alium habet locum, dum albiſſimum colorem præbet: hæc quoque duplex aſſignatur, naturalis ex fodinis eruta, & artificialis ex corrupto plumbo nata. Inſuper Pictores, vt nonnulli aſſeuerant, ad imagines deſignandas, ſtylo ex materia plumbea parato vtuntur. Hodie huiuſmodi ſtylus ex lapide plumbario fabricatur, vt in Rubrica Denominatorum annotauimus. Aliqui ad ſignandas chartas modico plumbi acuminati vtuntur, idq; B *Piombino* nominant. Repræſentamus hic iconem ſtyli ex cuiuſdam plumbi genere facti in mucronem derafi, & manubrio ligneo inſerti. Putat tamen Geſnerus eſſe genus plumbi factitij, quod apud aliquos Stimmi Anglicum appellatur. In eadem tabella conſpicitur ſeries globorum inſtar coronæ precariæ, qui partim ex Chalcedonio, partim ex Succino formati ſunt, de quibus ſuo loco verba fient.

Ochra duplex.

Ceruſſa duplex.

Stylus plumbeus manubrio ligneo inſertus ad deſignandum.

C



D



Ad

Ad litteras delendas Ceruſſa ob albedinem vſurpatur. Cardanus igitur præcipit Ceruſſam cum lacte ficus tempore æſtiuo eſſe permiſcendam, in paſtillos redigendam, & in vmbra ficcandam, quæ operatio quater repetenda eſt. Quando igitur delendarum litterarum ſe ſe offert occaſio, hæ leuiter ſunt humectandæ, & hoc puluere inſpergendæ, deinde, poſt horas duodecim, tenui linteo fricandæ. Demum, ad colores pro fictilibus, figuli plumbum mola truſatili in pollinem redactum pro colore flauo adhibent: ſcoria tamen plumbi ſæpe vtuntur, quia minori pretio venditur, & hæc illis non ſcoria, ſed *Ghetta* nominatur, quæ ex Germania potiſſimum defertur.

Vt litteræ deleãtur.

VSVS IN FVCIS.

OLIM Veteres vſos fuiſſe Ceruſſa ad fucos, & coſmeticam mulierum, vt candidiſſimæ viderentur, colligere licet ex Galeni libris de facultatibus ſimplicium medicamentorum, capite de fuco, qui Græcis φῦκος dicitur. Sed animaduertendum eſt hanc vocem græcam, φῦκος, quãdo in caſu obliquo format φύκεος, ſignificare plantam, ſeu quamdam Algæ ſpeciem, qua antiquitùs lanæ rubro colore inficiebantur, & eadem mulieres faciei ruborem conciliabant. Quando autem hæc vox in primo caſu obliquo inflectitur φύκη, tunc metallicum ſignificat medicamentum, de quo Galenus in libro, & loco citato, & in capite de ceruſſa verba fecit. Id autem nil aliud eſt, niſi ceruſſa præparata, qua mulieres fucoſæ redduntur, vt hac, & alijs quibuſdam pigmentis vitia corporis tegantur: ideo ad rem canebat Ouidius:

Fœmina canitiem germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color.

Animaduerſionem circa vocem græcam φῦκος propoſuit Falloppius in libro de Metallis, & Foſſilibus; nos autem apud Authores illam confundi obſeruauimus. Vtcumq; ſit hunc fucandi morem fuiſſe apud mulieres antiquiſſimum conſtat in ſcriptis Plauti, & Martialis, qui mulieres fucatas ſæpè nominant; his accedit authoritas Plinij, qui Ceruſſam ad candorem fœminarum adhibitam memorauit. Itaque Ceruſſa Stanni, & plumbi ad mangonium faciei trahitur, quoniam argentum ſublimatum in fucis mulierum tantoperè commendatum grauiſſimo dentibus, & gingiuis eſt nocumento. Hęc autem Ceruſſa, pro decoratione faciei, multifariam præparatur, cuius præparationes apud Portam in Coſmetica mulierum leguntur.

Fucorum mos antiquus. Lib. 34. cap. vlt.

Lib. 9. Mag. na. cap. 18.

VSVS IN VARIIS.

EX miſtura plumbi albi, & nigri varia reſultant opera, quoniam ex mixtione cinerei, & albi opera difficulter formantur. Hæc igitur ſunt varij generis, nimirùm Lances, Patinæ, Salina, Orbes, Malluuia, Organa, & Candelabra, necnon varia alia vtenſilia fabricantur. Chymici ad ſublimandas aquas organis fictilibus eum pileo plumbeo vtuntur, vt maiorem aquarum copiam eliciant. Statuæ ex plumbo veluti ex alijs metallis non fuerunt conſtructæ; nihilominus ex alijs conflatæ metallis, vt firmæ, & immotæ manerent, terra, & plumbo repletæ fuerunt. Aliqua retia ad coercendos piſces, appendicibus plumbeis muniuntur, vt citiùs in aquis merguntur. Item horologia machinalia rotis ſunt conſtructa, quæ ponderibus plerumque plumbeis mouentur: ideo quidam Nuperus de his ſic cecinit.

Pileus plumbeus

Nola ſilet, ſtatque hora, graui & traho pondera plumbo,
Ni rota nexa rotis, tinnulaque æra ſonant.
Quis tentat lento fugientia tempora nodo
Si dant & celeres plumbea vincla pedes.

Mulieres etiam nentes, vt facilius fuſum vertant, verticillis plerumq; plumbeis vtuntur: quandoquidem fuſus tali pondere grauis redditus facilius voluitur. Verùm natura in operibus ſuis eſt mirabilis, quoniam in Agro Placentino inueniuntur lapilli albi, & rubicundi coloris, in medio perforati figuram verticillorum æmulantes. Immò Mulieres ibi habitantes hos lapillos tanquam verticullos fuſis aptant. Incolæ Regio-

Verticilli naſcũtur.

nis

nis,illos vocant lapides serpentum,asseuerantes ex spuma & senecta anguium concrescere, dum verno tempore senectam exuentes foramen illud relinquunt. Considerandum est potius, an huiusmodi verticillus fossilis sit ouum anguinum Plinij, vel quid ei congener,cum, & ipse referat suum anguinum ouum ex spuma serpentum emergere. Hic exhibetur. Icon verticilli fossilis sub numero 3. qui ab Excellentissimo Antonio Angusciola Philosopho & Medico Placentino ad Clarissimum Virum Vlyssem Aldrouandum missus fuit:nam sub numero 1.& 2.conspiciuntur alij lapilli diuersarum figurarum ad colorem plumbeum vergentes. *Ouum anguinum Plinij.*

Verticillus Fossilis sub numero 3.

1

2.

3

Pariter perpendiculum vulgo *Piombino* est plumbum à filo dependens, quod à summo ædificio deorsum demissum rectitudinem vel obliquitatem ostendit. Præterea plumbum liquefactum in multis operibus ferruminandis adhibetur. Item Opifices, ad sordes auri, argenti, & gemmarum abstergendas, plumbo liquefacto vtuntur: nam fusis cum plumbo cæteris metallis, id cum diu igni resistere nequeat, paulatim euanescens simul aliorum metallorum immunditias aufert. Hic autem purgandorum metallorum modus ab Aurificibus *Cupella* appellatur. Gemmæ quoq; sordidiores, & veluti obcæcatæ in plumbo liquefacto immersæ, splendidiores redduntur. Hinc colligendum est aliquam vim attrahentem in plumbo latibulari. Sed magis admirari debemus illos,qui plumbum liquefactum manibus succo Mercurialis,& Portulacæ madefactis pertractare profitentur. Amplius, ad simulandas gemmas, aliqua metalla, & præcipuè plumbum concurrunt. Alexius Pedemontanus recipit plumbi à figulis præparati vncias, tres, minij vncias totidem, & addita christalli calcinati vncia, omnia fornaci vitrariæ com- *Cupella quid sit.*

committit, vt inde paſta pro gemmis factitijs pulcherrima reſultet. Rurſus ſi chriſtallo calcinato triplum plumbi addatur, & ſpatio diei naturalis in fornace moretur Topatium proculdubio producet. Multi in marmore fingendo ſumunt gypſum, puluerem aliorum lapidum, &, ad pondus augendum, plumbi cineres addunt. Scobs etiam tenuiſſima plumbi, ad mentem Mizaldi, in plumbeo vaſe diligenter ſubacta cum modico olei de Spica, in ferro, & chalybe adhibetur, vt à labe ferruginis defendatur. Demùm ex ſententia Cardani, fumo plumbi argentum viuum cogitur.

Cini s plũbi ad quid.

Poſtremò laminæ plumbi ad multos vſus trahuntur. Primitùs his templa, turres, & palatia teguntur Ad arcendas imagines nocturnas, ex Cælio Rhodigino, huiuſmodi laminæ renibus ſuperponuntur. Itẽ truncus Mali arboris, iuxta ſententiam Mizaldi, lamina plumbea circumdatur; vt prolem numeroſam proferat. Veteres Symphoniaci, teſte Iſidoro, pectori laminas plumbeas imponebant, vt meliùs, & faciliùs modulatè canerent: quamobrem, referente Suetonio, Nero Imperator ſupinus vocis conſeruandæ, & augendæ cauſa, chartam plumbeam pectore ſuſtinuit, e plumbeis etiam laminis, ſeu, Suetonio ſcribente, ex chartis plumbeis codices olim factos fuiſſe conſtat. Quandoquidem Neapoli, in quibuſdam ſepulchris, tales viſos fuiſſe pro comperto habemus, & ſimiles vir nobilis Hadrianus Gulielmus totius antiquitatis diligens inueſtigator nobis oſtendit. Item laminæ plumbi inſcriptæ, loco chartæ, ad brachia tranantium flumina alligantur, quia chartæ ſcriptæ feri non poſſunt abſq; corruptione chartæ, & litterarum abolitione. Falloppius ex laminis plumbi ſale communi interpoſito in vaſe vitreo, ſub tetra, ſpatio nouem dierum, collocato, argentum viuum colligit. Charta ſcripta globo plumbeo quandoq; inſeritur, qui poſtea pyrio puluere per tormentum manuarium ad homines remotos mittitur, vt, quid agendum ſit, ſignificetur, quoniam globus plumbeus in hydrargyro locatus paulo poſt papyro intacta, ſoluitur. Ex laminis plumbi fiunt tubi, vel fiſtulæ, per quas aqua à locis remotis ad vrbes, & varià loca ducitur. Vnde Statius de aqua Martia ſi cecinit.

L 15. lect. antiq. c. 6.

Charta plumbea ad quid.

——— *audacitranſcurens flumina plumbo.*

Verùm huiuſmodi aquæ, propter ſordes plumbi, ſunt vitandæ; quandoquidem potatæ varias affectiones in humanis corporibus generare ſolent. Similiter tubi plumbei longitudinis ad multa milliaria ſub terra ſepeliri poſſunt, vt quicquid ex vna parte tubi quis loquitur ad aliam extremitatem tubi remotiſſimam deferatur. Idq; fieri facile poteſt, quoniam vox incorrupta minimè diuulſa, & diſſipata per longiſſimum interuallum integra fertur. Ad finem, ex lamina plumbi, quibuſdam in locis, moneta formatur. Iuuæ conſpicitur nummus plumbeus in medio perforatus, & affertur ex China, vbi cuditur, quemadmodum in Diario nautico itineris Batauorum legitur. In Malacca viſuntur nummi parui ex plumbo, qui in altera parte ſpheræ imaginem, in altera verò crucem Luſitaniæ impreſſam gerunt. Aliqui in hanc venerunt ſententiam, quòd moneta plumbea fabricari, & admitti poſſet; cum in pecunia, nec materia, nec bonitas, ſiuè qualitatis ſiue ponderis, ſed tantùm æſtimatio publicè impoſita conſideretur. Hæc autem opinio prorſus irrationalis, & ridicula videtur; ſiquidem hac ratione pecunia etiam ex papyro formari poſſet; quod non ſolum profectò iocoſum, & riſu dignum catoniano foret, ſed etiam monetæ originem, experientiam, & ſenſum commune meuerteret, quoniam moneta primò ſubiectum idoneæ materiæ, quæ ſit ſolida, & conuenientis valoris expoſtulat.

Tubi plũbei ad loquendum.

Nummi plũbei vbi.

DE-

DE STANNO. Cap. VIII.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

CVM stannum non solum plumbo sit subsimile, sed cum eo quoq; maximam naturæ conuenientiam habeat, non absre in hac historia hunc locum promeretur. Itaq; Stannum à Stagnando nomen sumere videtur; nam cum Stagnantes vocentur aquæ, quæ de loco non mouentur; pariter Stannum metalla mixta & adulterata, ignis virtute, ab inuicem dissociat, & quodammodo Stagnare facit. Aliter Stannum deriuare possumus à Stimmi, cui valde assimilatur. Est autem Stimmi, quod Stibium, & Antimonium vocatur. Hæc autem nempe Stibium, & stannum ad varia opera facile, & optimè permiscentur. Immò hoc metallum apud Dioscoridem non iuuenitur memoratum, nisi cum Stibio illud comprehenderit. Quod autem ex Stibio conflatur, & candore & fragilitate ab operibus Stanni discrepare non videtur. Latini hoc metallum appellant Plumbum candidum, vt multi volunt, ad differentiam plumbi nigri, quod plumbum simpliciter nominatur. Aut, secundùm alios, nuncupatum est plumbum album, non quod natura sit tale, sed quia post excoctionem, singularem candorem acquirat. Græcis dicitur κασσίτερος, & Atticè κατιτερο: hinc κασσιτέρινος Stanneus, vel ex Stanno confectus, & κασσιτερόω stanno aliquid induco; vnde etiam, ex sententia Plinij, denominatæ sunt decem insulæ Cassiterides ex aduerso Celtiberiæ, in quibus plumbum album effoditur. Halchemiæ Professores hoc metallum dicunt Iouem, sicuti plumbum nigrum Saturnum appellant. Italis dicitur Stagno, Gallis Estain; Hispanis Estanno, Germanis Zinn, Arabibus Azerebrum.

Stimmi quid sit.

Cassiterides Insulæ.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

DE natura, & affectionibus Stanni Plinius, Albertus Magnus, Mylius, Porta, Isidorus, & Agricola tam diligenter scripserunt, vt deliramenta loqui videantur, qui de illo pertractare cupiunt. Verumtamen ad nostrum opus perficiendum nonnulla necessariò assignanda esse videntur. Itaq; Stannum cum Stibio, & plumbo tam conuenientem sortitur naturam, vt Dioscorides, eorumdem nomine, illud comprehenderit. Putant etiam aliqui, ità ex argento viuo, & sulphure generari, vt sulphur in huius productione ab argento viuo superetur. Ideò naturaliter hydrargyro copulatur, quia, ratione Principiorum, ad metalla perfecta magis accedat. Cæterùm hoc sibi à natura comparauit, vt alia metalla frangibilia reddat; idq; prouenire arbitrantur rerum naturalium Perquisitores ab aquosa metalli materia prauè concocta, quæ ferè substantiæ argenti viui assimilatur. Item Stannum naturaliter cum plumbo in hoc conuenit, quia neutrum illorum sonum reddit, & huius effectus causa est mollities. Stannum tamen, secundùm Albertum, plumbo magis est sonorum, præterquamquòd si dentibus comprimatur, quemdam edit stridorem, instar aquæ gelu concretæ. Est etiam stannum aridum, & eius ariditas ex sono colligitur, quem æri permixtum communicat: quandoquidem tinnitus non in corpore molli, sed in duro, & rigido terminatur.

Hoc metallum nõ sonorum.

Præterea stannum in aquis diu permanens putrescit; quapropter tubi plumbei, qui in locis subterraneis diu morari debent, non Stanno, sed plumbo solidantur; cum plũbum sub terra diù perduret. Pariter Stannum cum difficulter rubiginem contrahat, vasa ex hoc metallo fabricata post aurea, & argentea cæteris præferuntur. Vnde in hoc etiam conuenit cum plumbo, dum nullam rubiginem, sed potius squalorẽ quemdam, & sorditiem, instar cerussæ, candidam concipiat, quam nostri Pharmacopæi Album Hispaniæ, vel *Biacca Alessandrina* nuncupant. Hanc mulieres libentius, quam cerussam ex plumbo in fucis adhibent; quæ si comburatur in cinerem candidum verti-

Rubigo plũbi qualis.

tur, qui denuo in Stannum conflari vix poteſt; tranſmutatur tamen in ſubſtantiam vitream colore candido refertam, qua fictilia liniuntur, vt in fornace cocta cruſta alba vitrea obducantur. Cum igitur Stannum, & plumbum naturalem conuenientiam habeant, Metallarij ita ſimul hæc duo permiſcent, vt admodum difficulter miſtura cognoſcatur. Verũ quidẽ eſt quòd ex miſtura vtriuſq; corpus magis dilatari poteſt, quòniam plumbum ſua humiditate extenſionem Stanno communicat, & Stānum ſua tenuitate plumbum tenuius reddit: quamobrem Ariſtoteles tenuitatem huius metalli perpendens, hæc verba protulit: ſi ſtanni exigua quantitas æri addatur, ita ipſum colorat, vt paſſio ſine materia eſſe videatur. Licèt autem Stannum plumbo ſit tenuius, non tamen ipſo eſt grauius, quoniam eius ariditas tantam materiæ condenſationem non patitur, quæ in plumbi humiditate obſeruatur. Vena igitur ſtanni, ob nimiam ſiccitatem, difficulter funditur; Quapropter plumbo mollificante indiget; id affirmant, qui ſtannum ex Anglia deferunt. Immo qui vaſa ex ſtanno fabricant, ei portionem plumbi addunt, vt facilius fundatur, & extendatur. Demum in colore, & ſubſtantia ſtannum plumbo albius & purius eſt; quoniam, teſte Alberto, parum habet ſulphuris, eiuſq; argentum ſplendidius, quàm argentum plumbi perhibetur.

Lib. 2. de gen. & corrup. tex. 90.

Facilior plumbi fuſio.

DIFFERENTIÆ.

ALBERTVS Magnus ſtannum diſtinxit in duriùs, vel ſiccius, quod affertur ab Anglia, & in mollius, quod in Germania naſcitur. Apud Andream Libauium legitur, quòd plumbum candidum Celticum citius plumbo nigro liqueſcit; quarè multi exiſtimant hoc eſſe Biſemutum, nempe plumbum cinereum; idque natiuum, ſed tamen nondum maturum: dummodo hodie apud Celtas ſimile metallum eruatur. Aliud genus Stanni argento ſimile ex ſquamis quadratis compoſitum, ad inſtar pyritis, ex Germania noſtris temporibus aſportatur, ſed adeò fragile, vt vitrum potius eſſe videatur; quapropter nonnulli id Marchaſitam argenteam nuncupant, & ex fæcibus argenti viui haberi narrant, & Stanno Anglico permiſcent, vt liquefactum facilius fluat. In Hiſtoria relationis Cinæ, Pater Aluarus Ieſuita memorans diuitias Cinenſes, recenſet Stannum, & aliam metalli ſpeciem Stanno ſimillimam, ſed firmiorem, quam Cinenſe lingua *Tomnaga* indigitant. Vt igitur rectius differentiæ Stanni patefiant, dicendum eſt Stannum eſſe duplex, aliud Veterum, & aliud Noſtrate. Primum quoque erat duplex, vnum naturale nobis ignotum, & aliud artificiale, &, ad maiorem horum intellectum, animaduertendum eſt, quòd Antiqui ſolebant venam plumbi argenteæ venæ permixtam in fornace liquare, & liquor primo egrediens ab ipſis Stannum vocabatur: quare apud ipſos Stannum erat plumbum cum aliqua argenti portione permixtum, deinde adaucto fornacis igne, purum exibat argentum, & quod in fundo catini remanebat, ad mentem Plinij, Galena nempe Plumbago vocabatur; ex qua rurſus in fornace locata plumbum purum egrediebatur.

Marchaſita argentea.

Parte 1. cap. 1.

Galena qualis.

Sin vertamus animum ad venas Stanni, notandum eſt, in aurarijs metallis inueniri, quæ Metallarijs Elutia vocantur, & aqua immiſſa calculos nigros grauitatis auri abluente, hi poſtea in album plumbum, Plinio authore, conflantur. Quandoquidem obſeruatur aliquando vena plumbi candidi lapillis nigris permixta, necnon cuidam materiei lapidoſæ micis lucentibus radianti. Interdum Stannum purum non modò in lapidibus nigris, verùm quoque flauis, & candidis etiam pellucidis inuenitur. Immò Georgius Fabritius mineram plumbi candidi ſimilem Antimonio quandoq; cõſpicatus eſt. Stannum non purum ſæpe lapidi candidiſſimo, inſperſis fluoribus coloris argentei, adhæret, qui lapis & duritie ſilicis, & fribilis etiam inuenitur, & hic poſtremus multò eſt feracior. Quandoq; purum in mineris inuenitur quatuor, quinque, vel ſex angulis refertum, vel depreſſiones fauis ſimiles vel eminentias, inſtar botri vuæ, habet. In multis fodinis lapides plumbi candidi adeò duri procreantur, vt niſi igne domari, & exſcindi poſſint: propterea ingentes montis maſſæ perticis magno foſſorum periculo decutiuntur. In prædictis mineris lapilli nigri, ſed ſteriles, & adulterini obſeruantur; item cinerei, & flaui, quos Germani lingua vernacula ſpumam lupi cognominant, qui dum excoquuntur à bonitate plumbi candidi valde recedunt. In valle

Li. de reb. met. ca. 5.

Spuma lupi quid ſit.

Ioachi-

A Ioachimica plumbum candidum puriſſimum effoditur. Item ramenta huius metalli in riuis colliguntur, dum lapilli huius generis minuti crocei, purpurei, virides, & nigri per flumina deferuntur. Amplius nigri mediocres in metallico ſunt marmore & venæ huius metalli cum cadmia metallica copulatæ ſæpè etiam obſeruantur.

PRÆPARANDI RATIO.

DE varijs excoquẽdarum ſtanni venarum modis Georgius Agricola prolixum ſermonem habuit. Verùm poſteaquam excoctum eſt, rurſus liquato ſebum, aut ceram, aut mel addunt, donec hæ res additæ comburantur, deinde metallum in aquam effunditur, & ſiccatum acribus lauatur aquis, donec argenteum candorem adipiſcatur. Nonnulli Opifices ſtanno modicam plumbi nigri portionem permiſcent, vel vt illud adulterent, vel forſan vt melius ex illo varia opera fabricari poſſint, B quoniam ſtannum per ſe minus tractabile obſeruatur. Alij portionem plumbi cinerei in gratiam ſplendoris & leuitatis cum ſtanno fundunt. Sunt qui quartam Orichalci partem plumbo candido addunt, & ex his ſimul fuſis talia formant vaſa, vt argento ſimilia eſſe videantur. Quoniam verò ſtannum, dum flectitur, ſtridorem quemdam edit, illius preparatio expoſtulat, vt, ad mentem Portæ, hac ratione tollatur, ſi ſepties in vrina pueri, & totidem in oleo auellanarum extinguatur. Præterea ſunt qui poſt primam ſtanni excoctionem, illud in nobilius metallum, veluti in argentum tranſmutare conantur, ſed hæ operationes apud Portam legantur. Demùm ſunt quidam Chymici, qui ſpiritum ex ſtanno elicere, & ſurditatem ei adimere profitentur, de quibus operationibus, & præparationibus Vuecherius verba fecit.

Stanni Stridor vt tollatur. L. 5. Mag. Nat. ca. 1. Lib. 10. de Secr.

LOCVS.

INTER regiones loci natalis Stanni primò recenſetur Aethiopia, & Aldebergum in Miſnia plumbi candidi fertile. Immò copioſum hodie ex inſula Angelica defertur. Anglia etiam eſt Stanni feraciſſima, ſed ibi locus eſt *Cornuualia* nuncupatus, vbi ſtannum tam perfectum naſcitur, vt, ex ſententia Boteri, puriſſimum argentum æmuletur. in Bauaria Stannum habet locum natalem penès faſtigium montis Hortopiæ. Vltra Britanniam in inſula Mitterim nuncupata candidum plumbum prouenit, vt in Calepino legitur. Inſulæ poſtea Caſſiterides opibus Stanni ſunt ditatæ, vnde proprium nomen inuenerunt. Inter Cinæ opulentias Stannum recenſetur, quod ibi eruitur, vt in Hiſtoria Cinæ Aluarus Ieſuita memorauit. Flandriæ nonnulla loca optimam ſtanni mineram præbent. Flaccheualdi, anno quadrageſimo nono poſt ſeſquimilleſimum, maſſa duorum librarum plumbi candidi puriſſimi effoſſa eſt, quæ formam echini terreſtris repræſentabat, vt Georgius Fabritius in libro de metallicis aſſeuerauit. Hinc patet falſam eſſe illorum opinionem, qui primum metallum ab excoctione plumbi nigri dimanans, Stannum eſſe voluerunt. Ad ſummitatem montis Fictelbergi, Stannum inuenitur, & montes Foroiulianæ regionis eodem abundant. Hodie in Gallijs, & in quibuſdam Germaniæ partibus abundantiſſima eſt Stanni vena, ſed mollior, quàm in Anglia obſeruatur. In Gallætiæ arenoſa tellure, coloriſque nigri, quæ pondere tantùm cognoſcitur, ſtannum inuenitur; ideoq; Metallarij arenas illas lauant, & quod in fundo ſubſidet, ope fornacis, in Stannum conuertunt. Grauperi, vt habetur in Coſmographia vniuerſali, magna Stanni quantitas effoditur. In Promontorio, quod olim Helena dicebatur, nunc verò Cornubia, Stanni vena reperitur, vt Stephanus Aqueus in Plinium obſeruauit. Hiſpaniæ populi Artabri, in extremis finibus Luſitaniæ, ab Artabro vicino Promontorio denominati, vt notat Calepinus, facultatibus Stanni affluunt. In valle Diui Ioachimi vena Stanni pura, & impura effoditur. Apud Luſitanos Stannum gignitur Peræ non Stannum tantùm, ſed multa etiam copia *Calaem* materia Stanno ſimillima, veluti etiam in Gunfalan eiuſdem tractus loco, ad Circium, producitur. Boterus Regioni Siam ſtanni mineram, & montibus Samatræ aſſignat; Denique Viſabar, ex Ortelio, locus eſt, vnde quantitas ſtanni aliò defertur.

Caſsiterides Inſulæ cur ſic dictæ.

Li. 4. c. 16.

MORALIA.

SI natura, & affectiones ſtanni in doctrina morali ponderentur, pulcherrima ſcitu digna obſeruabuntur. Nam ſubſtantia ſtanni, iuxta opinionem multorum, ex ſulphure, & argento viuo conſtare perhibetur; deinde ſtannea hæc materia, inſtar argenti, albeſcit, cum poſtea ab argenti valore admodum recedat. Huius conditionis eſt Hypocrita, qui ex ſulphure luxuriæ, & argento viuo inanis gloriæ conſtat: quare candorem honeſtatis præ ſe fert, itaut argentum, nempe vir iuſtus eſſe videatur; & tamen viri iuſti conditionibus, & valore prorſus caret. Rurſum veluti ſtannum per ſe conſideratum, non ſolum pulchrum, ſed etiam vtile apparet, & comparatum ad argentum, tanquam vile contemnitur; pariter illa omnia ſanctimoniæ merita, quæ in præſenti optima, & vtilia ſunt, in comparatione tamen ad merita diuinæ contemplationis vileſcere videntur. Item ſi ſtanno argentum viuum miſceatur, ſtatim albiſſimum redditur, ſed paulò poſt nigredinem incurrit. Multi ſunt naturam ſtanni æmulantes, quibus ſi viuum correctionis argentum addatur, illicò emendationis alborem concipiunt, ſed poſtea non perſeuerant, dum nouam vitiorum nigredinem induunt. Amplius quibus ſtannum admiſcetur, à combuſtione ſeruantur: pari ratione Vir iuſtus eſt inſtar ſtanni, dum illos quibuſcum verſatur, verbis, & exemplis ab igne criminum tutatur. Diuus Hieronymus in Zachariam exponens illa verba. *Videbunt lapidem ſtanneum.* Hunc lapidem Chriſtum Dominum interprætatur, dum inquit, quòd ſicuti ſtannum alia metalla ab igne defendit (æs enim, & ferrum natura duriſſimum abſque ſtanno cremantur) ſic omnis Angelorum, & hominum fortitudo abſq; Saluatoris ope fragilis, & imbecilla iudicatur. Deinde veluti ſtannum metalla ſimul mixta, virtute ignis, ab inuicem diſgregat. Ita Dominus verus probator metalla bonorum operum à metallis vitiorum diſſociat. Hanc etiam ſtanni conditionem Principes, & Dynaſtæ imitari deberent, &, quos in poteſtate habent, ab inuicem ſeparare, quando rixarum, & criminum glutine copulantur. Aliquandò ſtannum alijs metallis permixtum ſua nimia ſiccitate illa frangit, dum impedit, ne malleo dilatari poſſint. Id præſtat Temperantia, & Abſtinentia continuata, quæ ad inſtar ſtanni ſuperbiam, & omnia corporis delectamenta frãgit: ideo Eccleſia optimo iure in quodam hymno canit. *Carnis tergat ſuperbiam potus cibiq; parcitas.* Tandem modica ſtanni portione multa ſimul iungutur, & ſolidantur, & potiſſimum quando illi aliquod vnctuoſum additur. Viri perfecti aliquando ſunt inſtar ſtanni, dum homines odio agreſti ab inuicem diſſidentes ad priſtinam concordiam reuocant, & præcipuè quando aliqua vnctio, nimirum gratia diuini Spiritus additur.

Hypocrita cui aſſimiletur.

Vir iuſtus cui ſimilis. Cap. 4.

Temperãtia, & abſtinentia quid præſtent.

PROBLEMATA.

PRIMO quæri ſolet, cur ſtannum ſemel fuſum citò putredinem concipiat, plumbum verò ſub dio morans, & ſub terra locatũ potius augeatur quàm putreſcat. Id contingere aſſeueramus, quoniam ſtannum eſt malè permixtum, ideoq; ab igne debilitatum à loco ſuæ generationis remouetur; propterea citius alijs metallis corrumpitur. At plumbũ cũ craſſę admodum ſit ſubſtantiæ, & multum terreſtris humoris poſſideat, facilè humores craſſos ad ſe trahit, quos in ſuam ſubſtantiam conuertere, & hoc modo incrementum ſumere videtur; aut potiùs dicendum eſt, vt ſuperius expoſuimus, quòd auctio plumbi ab eiuſdem putredine dependet. Secundò quæritur cauſa, propterquam, in obliniendis ſtanno vaſis æneis, reſina adhibeatur; cum abſq; illius ope ſtannum ſupra vaſa dilatari nequeat. Reſpondendum eſt ſtanno magnam terræ portionem ineſſe; ideoq; ſiccæ, & duræ eſt conditionis, hac de re maxima difficultate dilatatur; idq; indicatur à ſtridore, quem in flexione emittit; quando autem cum reſina liquatur, mollius, & tenuius redditur, ficq; melius extenditur, & vaſis tenaciùs adhæret.

Reſina cur adhibeatur cum ſtanno.

A

VSVS IN MEDICINA.

SERAPIO huic metallo virtutem siccandi, & refrigerandi assignat, deinde illud in tenuissimum puluerem redactum remedio ictui scorpionis esse asseuerat. Item Cerussam stanni Arabes fricant supra vulnus à marino scorpione inflictum, & hoc modo Patienti non mediocrem vtilitatem afferunt. Immo stannum vlceribus antiquis, & serpentibus maximo esse adminiculo multi testificantur, dum hoc medicamine, breui temporis spatio, ad cicatricem reducuntur. Halchemiæ Professores salem Iouis, nempe stanni conficiunt, quem in Morbo comitiali, in Melancholia, & Vertigine non infrugiferum prædicant. Rursus in Catarrhis caput affligentibus, & per oculos exeuntibus exsiccandis, remedium salutare, & commodum esse affirmant. Præterquamquòd huiusmodi sale ad grana sex exhibito memoriam mirum in modum

Sal Iouis quid sit.

B roborari autumant.

VSVS IN PICTVRA.

EST quædam species fului coloris, quæ Purpurina à Pictoribus nuncupatur. Cõstat, referente Cardano, ex plumbi albi & argenti viui æquis portionibus, rursus salis ammoniaci, & sulphuris partibus æqualibus, sed priorum sextantes, aut quadrantes sint. Plumbum igitur album in tenuissima folia dilatatur, & in vase vitreo hydrargyro permiscetur, &, quod remanet in fundo vasis, Purpurina appellatur. Hãc non solum Pictores, sed etiam Sculptores adhibẽt, dum statuas ex gypso formatas, metallicas fingunt nam colore viridi tinctæ & Purpurina inspersæ, ex metallo confiatæ esse videntur. Rursum fit quædam compositio ex æqua stanni, & hydrargyri portione, iuxta ritum Aurifabrorum, deinde aqua gummata soluitur, instar pigmenti, quo lit-

Lib. 5. de subtil.

Purpurina quid sit.

C teræ si scriptæ fuerint, legentibus argenteæ videbuntur.

VSVS IN VARIIS.

CVM stannum sono careat, illa, quæ acutè sonant, temperare potest: idcircò Opifices, in conflandis campanis, æri stannum admiscent. Deinde, pro varijs operibus, hoc metallum plumbo additur; & mistura æqualis portionis vtriusq; plumbi stannum argentarium cognominatur, & quæ duas partes nigri, & vnam albi recipit, stannum tertiarium indigitatur, & hoc fistulæ solidantur: propterea vulgò *Saldatura* dicitur; ferro enim ignito huius aliqua portio rapitur, qua illicò ad eius tactum liquata, illiniuntur æra, & rimæ clauduntur; hinc vulgus illud verbum *Stagnare* deriuauit. Tandem vasa stanno illiniuntur hunc in modum: vas æneum suprà carbones accensos in Vstrina ponitur, illudq; puluere picis græcæ inspergitur, deinde stannum

Stagnare vnde dictum.

D superpositum paulatim liquescens stupa supra vas fricatur, & optimè, atq; tenaciter adhæret. Id autem fit, quoniam stannum gratum saporem rebus esculentis conciliat, & virus æruginis compescit. Hodie ex hoc metallo patinæ escariæ parantur, quæ passim domibus adhibentur, has vulgus *Peltrum* appellat. Prætereà fistulæ organorum, & characteres, pro Chalcographis, fabricantur, dummodo ei octaua pars plumbi nigri, & tantumdem Marchasitæ antimonij addatur. Qui poliunt gemmas, rota stannea vtũtur, margine eminenti, ne aqua cum puluere Smiris, vel adamantis supra eadem aspersa effundi possit. Ad fingendum Opalum scribit Porta calcem stanni esse adhibendam, quæ, cum vitro christallino fusa, illud ità obnubilat, vt genuinum Opalum repræsentare videatur. Ex folijs stanni fiũt quadratæ tabellæ, quæ, iuxta adamantes, palæ annulorum includuntur, vt eorum color melius appareat.

Gemmæ adulterinæ.

Amplius bracteis stanneis partem alteram speculi vitrei plani, & adæquati cooperiunt, vt visio terminetur, & imago impressa conspiciatur, deinde supra has bracteas viuum argentum pede leporino fricant, vt totæ argenteæ videantur. Item varij Auctores,

res, vt Miramus, Cardanus, & Porta, ſpecula olim ex ſtanno,& plumbo confecta fuiſſe memorant. Hodie ſtannum combuſtum in pharmacopolijs venale ſeruatur,quo metallica ſpecula optimè deterguntur:propterea hoc arcanum felici cum ſucceſſu ſemper adhibetur. Item Opifices Clepſammidia parua,nempè Horologia arenaria fabricantes, ſtanno,pro arena, vtuntur: eſt enim puluis ille arena ſtannea,ope argenti viui diſſoluta; nam ſtatim atq;ſtanno argentum viuum permiſcetur,illicò ſtannum diſſoluitur & in minutiſſimas partes attenuatur,quibus poſtmodum aquas quaſdam addunt,quibus argentum viuum ſegregatur, & puluis ſtanneus purificatur. Inſuper Priſci laminis ſtanneis figuratis ad varias operationes vti ſolebant; narrat enim Mizaldus, quòd ad congregandos in vnum locum piſces, in lamina ſtanni piſcem effigiabant, aſcendente prima facie Aquarij (forſitan meliùs aſcendente primo gradu Piſcium) illam in aqua locabant, vt ibi piſces congregarentur. Alij, ad fugandos Lupos, in lamina ſtanni Lupum pedibus ligatis, aſcendente ſecunda Sagittarij facie figurabant. Verùm his idem accidiſſe dubitamus, quod cuidam Mago Scaliger contigiſſe refert, qui laminã cattiterinam, nempè ſtanneam cum quibuſdam figuris ad arcendas muſcas conflauit; namq; Scaligero, & multis alijs non ſine riſu ſpectantibus, ad laminam pro feneſtra poſitam, muſca aduolans illicò aluum ſuam exonerauit.

Centur.2.

Exercit. 146.

DE STIBIO. Cap. IX.

ÆQVIVOCA.

MAGNI noſtra intereſt de Stibio poſt plumbum verba facere,quoniam Dioſcorides ſcriptis mandauit Stibium vlteriori coctione in plumbũ tranſmutari: quamuis ſic intelligendus ſit Dioſcorides; non quòd Antimonium in plumbum degeneret, ſed quòd, inſtar plumbi, liquefiat. Erit potiùs aſſerendum Dioſcoridem ſolere aliquando interponere quædam inter illa diuerſi generis, propter naturæ, & virium ſimilitudinem; idque in hiſtoria Stibij præſtitit, quoniam vires poſſidere dicatur ſimiles, & etiam validiores illis medicaminibus, quæ ex plumbo parantur. Quapropter ordinis ratio expoſtulare videtur, vt in præſentia de Stibio agatur. Quamuis alij velint Antimonium tanquam metallum hoc in loco eſſe collocandum, tùm quia, inſtar metalli, liqueſcat,tùm etiam quia cæteris facilè permiſceatur, & eorum liquefactionem adiuuet; ſed errant, quoniam Stibium, lapis metallum,vel metallum lapis nuncupatur. Idcircò Falloppius hac nixus ratione reprehendit illos, qui Stibium eſſe metallum exiſtimarunt, nam hoc reducit ad illud genus Foſſilium, quæ naturam lapidis, & metalli ſapiunt: quandoquidem quatenùs friatur, naturam lapidis, & quatenùs liquefit, naturam metalli refert. Nihilominus in præſenti capite Antimonium inter metalla, non quoad formam, ſed quoad materiam recenſemus;idemque de hydrargyro ſentiendum eſſe opinamur, de quo in ſequenti capite verba fient. Hactenus de ordine; iam ad vocabuli ambiguitatem accedemus. Apud Hermolaum Barbarum, in Corollario ad Dioſcoridem, habetur Stimmi cognomento Regis Alexandri, ſed compoſitio medicamenti ad oculos eſſe perhibetur. Alibi verò ab eodem authore memoratur planta Hippophaes, ita dicta, quoniam naturæ equorum ſit accommodata, hancq; ad mentem Galeni, Stybon, & Stybion nũcupat. Item legitur apud Cælium Rhodiginũ, quòd Stibas Cyprijs Bunus dicitur; quamquam in montibus conditæ vrbes Buni appellentur, quoniam,hac voce, apud Græcos collis ſignificatur, immò & Ara ceſpitibus ſurrecta; nec immeritò, quia apud Ariſtophanem στίβας eſt tumulus ex herbis collectis denſatus, & calcatus, idem quod apud Latinos ſtratum. Alioquin στίβη eſt via apud Suidam à verbo στίβω calco, cum via ab omnibus calcetur.

Vires Stibij.

Metallũ lapis quid

L.27.lect. antiq.cap. 25.

SY-

SYNONIMA, ET ETYMVM.

APVD Latinos varijs nominibus Antimonium insignitur; quàndoquidem Encellius Alabastrum fortassis à splendore fuisse cognominatum retulit, ex quo postea vnguentum paratur longè diuersum ab illo, quo, in Sacro Codice Christus vnctus esse prehibetur. Apud Matthiolum, & Brasauolum Larbason etiam nuncupatur, quia copiosum inueniatur; cum, hac voce, quid copiosum significetur. Immo vocatum etiam fuisse Calcedonium nonnulli memorant, quia olim in Bithynia ad Calcedonem effoderetur. Alexander Asuchten scripsit Antimotium esse metallum imperfectum, & in Philosophia Saturnum nuncupari; idq; non sine ratione dictum esse existimamus, qtoniam naturam plumbeam referat. Plinius Stibium indigitauit lapidem spumæ candentis, dum nitore, & candore spumam argenti æmulatur. Renodeus hoc vocauit Idolum Chymistarum, & vnicum Empyricorum catharticum. Deniq; à Latinis passim vocatur Stibium, & Stibi nomine à Græcis detorto, quibus Stimmi dicitur; ita enim apud Dioscoridem, & Galenum legitur, & generatim apud Authores græcos τὸ στίμμι & etiam ἡ στίμμις apud Ionem Tragicum, teste Polluce, & Eustathio; quam vocem Ægyptiorum propriam esse Aristophanes Grammaticus apud Eustathiũ testificatur: hinc ortum est verbum στιμίζομαι, Stibio supercilia fuco, aut, Stibio, ad pigmenta oculorum, vtor: quapropter apud Hesichium στιμίσματα τῶν ὀφθαλμῶν nempè oculorum pigmenta leguntur. Item apud nonnullos Græcorum dictum fuit Γυναίκιον Gynæcion, quoniam à mulieribus ad conciliandum cilijs colorem olim adhibere-tu: hac de re alijs ὀμματόγραφον quasi oculos pingens nominatur. Item πλατυόφθαλμον, quoniam huiusmodi fuco oculi dilatari videantur. Nobis tamen magis arridet opinio Falloppij circa etymologiam huius vocabuli, dum scripsit oculos fluxione, & inflammatione laborantes recludi minimè posse, sed ope Antimonij, hac affectione liberati aperiuntur; quamobrem hoc nomen (Platyophthalmon) calliblepharis admixtum sortitur. Apud Hippocratem vocatur Τετράγωνον, quia, vt multi volunt, in pastillos formæ quadratæ, instar tesserarum, formaretur; & licèt interpres non vertat Stibium, sed crustas quasdam quadratas in metallo Stibij, Falloppius tamen, hoc nomine, Stibium nostrum ab Hippocrate intellectum fuisse arbitratur. Alij autem opinantur Tetragonum dictum, quoniam in fodinis forma quadrata sæpissimè inueniatur, & hoc esse illud medicamenti genus, quo Hippocrates ad purgandum caput vtebatur, quorum sententiæ adhærere non possumus; cum, hæc virtus Stibij cathartica, à Dioscoride, Galeno, & cæteris græcis, latinis, & arabibus Medicis non fuerit memorata, & tamen alias antimonij qualitates recensuerunt, præterquamquod hoc pharmacũ catharticũ adeò in purgationibus est validu, & vehemẽs, vt Hippocrate haudquaquam dignum esse videatur, qui aliquando monimentis mandauit Patientes tutò, citò, & iucundè medicinis catharticis esse curandos; & tamen Antimonium in expellendis humoribus noxijs, neq; tutum, neq; suaue, neq; benignum est medicamentum. Quocirca Tetragonon Hippocratis fuit potiùs aliquod aliud simplex, vel compositum medicamentum formæ quadrangularis, facultate trahendi à capite præditum, notum quidem Hippocrati, & suæ ætati, nobis verò prorsus ignotum. Georgius Fabritius in Historia metallica fatetur se ignorare rationem, propter quã hoc Minerale Pharmacopæis, & Chymistis Antimonium vocetur. Falloppius tamen hoc vocabulum ab Arabibus detortum putat, quibus dicitur Aitmad, & Atimad, vnde Halchemiæ Professores Atimadium, & postea corruptis vocibus Antimonium deduxerũt. Gallis Antimoine, Italis Antimonio, Hispanis Elalchol, Germanis, apud quos frequens nascitur Spyssglass nuncupatur.

Lib. 1. de re metal. cap. 33.

In lib. de secret. Antimõ.

Lib. 2. de Mat. Med.

Nomina græca Antimonij.

Tetragonon Hippocratis quid.

DE-

DESCRIPTIO, ET DIFFERENTIÆ.

ANTIMONIVM prima facie lapidem plumbarium repræſentat, ſed magis eſt friabile, fiſſile, magiſq; manus tingit. Braſauolus in Examine Simplicium Stibium à plumbo diſcrepare ſcripſit, quia teratur, & non fundatur, quod falſum eſſe monſtrauit Matthiolus; quandoquidem experientia comprobatum eſt Stibium igni admotum, inſtar plumbi, liqueſcere. Thomas Eraſtus declarauit Stibium medicamentum eſſe naturam vitri æmulans; cum fragilitas illius & ſplendor id demõſtrent. Propterea Plinius huc reſpiciens, Stibium tanquam lapidem ſpumæ candentis deſcripſit: quamobrem vnà cum Iacobo Greuino aſſeuerantius dicamus Antimonium eſſe rem foſſilem, quæ Marcheſitam, nempè Pyritem, vel lapidem plumbarium refert; cum, adinſtar ſpumæ argenti, rutilet, & ad naturam plumbeã proximè accedat. Itaq, ſi conſideretur Stibium foſſile, eſt horridum, ſcabroſum, arenoſum, & minus ponderoſum. Alioquin, ſecundùm alios, eſt metalli genus Galenæ ſimile, minuſq; radians. At in Ilua inſula maris Tyrrheni friabile, & ferro polito ſimile inuenitur: immò ibidem rotundis cruſtis anguli figuram exprimentibus conglobatũ effoditur. Aliquando Romæ in Circo Flaminio molle, nigrum, & cruſtaceum fuit inuentum. Item doctiſſimus Vlyſſes Aldrouandus olim Romæ verſans, temporibus Gregorij Decimi Tertij Pontificis Maximi, in Muſæo Michaelis Mercati Philoſophi, & Medici clariſſimi, Antimonium plumoſum obſeruauit. Deniq; Stibium foſſile, iuxta varias Regiones, in quibus generatur, varijs etiam rebus copulatur; namq; Stibium Bohemicum in ſilice candido inuenitur, Pannonicum auro, & plumbo nigro adhæret, Suacianum in Alpibus, pyriti iungitur, necnon micæ, quæ plumbi cinerei ferax eſt. Propè Fribergum in Miſnia cum Schiſto lapide naſcitur. Item Stibium Stolbergicum obſeruatur, in quo fluores candidi hexagoni, & pellucidi reperiuntur. Cum igitur varijs, & diuerſis rebus Antimonium permixtum à natura producatur, non erit admiratione dignum ſi idem cum fluore albicante, & diaphano, necnon alio ſucco viridi, & lapideo genitum fuerit obſeruatum; quod ad noſtras perueniens manus in hac tabella delineari curauimus, in qua etiam Stelechites Stibij facie conſpicitur.

Lib. 2. de Venen. c. vlt.

Stibiũ vbi inuentũ.

Antimonium plumoſum.

Stelechites Stibij facie.

Stibium cum fluore.

A Nostra ætate Antimoniũ fossile non venditur, vt testator Agricola; sed tantummodò excoctum, quod speciem plumbi cinerei repræsentat. Ad nos etiam ex Germania fusum, & in massas conglobatum affertur, quo postea multi Artifices vtuntur. Deniq; Antimonium, quoad colorem, & sexum, ab Authoribus varium proponitur (Sexus enim in metallis, & in plantis ratione maioris, vel minoris virtutis consideratur) Itaq; tatione coloris, Stibium triplex constituitur, scilicet nigrum, quo Opifices in auro repurgando vtuntur, album, vel plumbeum, quod alij Magnesiam, alij Regulum Antimonij vocitant, & tandem luteum, vel Subcroceum, quod plerumq; in medicina adhibetur; quamuis ex nigro flos etiam croceus eliciatur. Ratione sexus, Antimonium mas, est horridius, scabrosius, minus rutilans, & minus ponderosum; fœmina autem facile friatur, fissuris dehiscit, & magis radiat; quapropter à Chymistis magnopere commendatur.

Sexus in Antimonio.

B

NATVRA, ET AFFECTIONES.

HALCHEMIÆ Professores naturam Stibij duram, terrestrem fragilem ex sulphure, & Arsenico turbido, necnon ex Hydrargyro satis terreo constãtem proponunt; ideoq; non admirantur, si fœtidum halitum spargat. Præterea nullam habet manifestam qualitatem, quæ gustui communicetur. Falloppius tamen, in illo, quasdam partes sulphureas, & acres obseruauit. Dioscorides ei virtutem refrigerandi assignat, sed in quo gradu, non explicat. Galenus quoq; facultatem desiccantem illi attribuit: vnde postea Auerroes circa frigidam, & siccam Stibij naturam à prædictis Authoribus minimè dissentit, sed de gradu intensionis, non conueniunt, cum illis latitudo gradualis sit incerta. Cæterùm Iacobus Greuinus, diligenter considerata Stibij temperatura, non solum terreum, & siccum, sed etiam frigidnm, & aqueam vsq; ad tertium gradum prædicat.

Li. 5. c. 53. Lib. 9. de simp. med. fac. Lib. 2. de Venen. ca. vltimo.

Deinde Stibium affectum esse praua qualitate vnà cum Greuino statuendum est.
C Primo, quia tanta est affinitas, & similitudo Antimonij cũ plumbo, vt nonnulli id quartam speciem plumbi esse constituerint, sicq; tanquam plumbum inter pharmaca venefica erit collocandum: quandoquidem, in capite de plumbo, medela eiusdem veneni assignata fuit. Insuper veneficum esse iudicamus, quia ingrediens humanum corpus vim infert naturæ, more veneni. Tandem si argentum viuum, ad mentem Dioscoridis, inter venena recensetur, erit necessario stabiliendum venenata qualitate Antimonium non carere: etenim Stibium hydrargyri est particeps, vt Authores, & experientia docent.

Plumbi quarta spe cies.

LOCVS.

IN venis ferri, & in fodinis argentarijs aliquando Stibium inuentum fuisse multi Authores prodiderunt, sed quibus in locis, nunc est declarandum. In primis Africa vt recitat Cornelius Iudeus, mineris Auri, Salis, Argenti, Picis, & Antimonij redundat; vbi aliquando in fodinis plumbi reperitur. Antiquitùs in Bithynia propè vrbem Chalcedonem copiosum, & præstantissimũ effodiebatur, & inde ad alias regiones deferebatur. Hodie in Germania, Norico, & potissimum Planæ, oppido Bohemiæ eruitur, vt Georgius Agricula testificatur. Item, iuxta sententiam Boteri, *Casaia*, est locus in Deserto Numidiæ, penès Atlantem montem, vbi minera plumbi, & Antimonij reperitur; ideoq; hæc duo tantùm metalla inde eruta ad Fez deferuntur, cum nil aliud ibi oriatur. In Pago quodam, mille passuum spatio distante, à Fribergo, iuxta venam Schisti lapidis, Antimonium nascitur. Immò Fictelbergi in venis proprijs, eiusdem quantitas, ex Agricola, cum argento adeo permixta inuenitur, vt nonnisi, violentia ignis, segregari possit. Amplius, Isfeldæ in Hircinijs, venæ Stibij propriæ generãtur. Nostra ætate copiosum in Senẽsi agro, & præcipuè in Comitatu Sanctę Florę propè Seluenam, & Massam oppida effoditur. Est etiam ciuitas Calabriæ, vulgò *Tauerna* dicta, Latinis Trischene, in cuius territorio minera est Antimonij, quæ lapidem coloris plumbei

In Tab. Africæ. Lib. 10. de Metall.

bei refert. Hæc autem in mollitie ſimilis eſt venis Stibij, quæ in Britannia naſcuntur. Venetijs quoq; copioſum habetur, ſed ex Germania allatum, vbi fodinæ Stibio ſcatentes ſunt plurimæ.

PRÆPARANDI RATIO.

AD metallicam Stibij præparationem, Agricolam habemus facillimum, qui venam Antimonij in catino fundit, vbi, adinſtar Biſemuti, Stibium deponit; quod opus etiam per deſcenſum, catino pertuſo, in ollam ſubiectam peragi poteſt. Item Stibium, veluti & argentum viuum in ollis excoquitur, quemadmodum idem Agricola docuit, vbi etiam rationem adhibendi Antimonij, in ſeparando argentum ab auro, exponit. Regulum verò Antimonij cum nitro, ſale petræ, & limatura ferri, per fuſionem, eliciunt, & fuſum in catinum coniformem transfundunt, vbi, inſtar formæ ſtellæ, vel globi, vel coni ſtatim ſubſidet.

Lib. 9. de re metall.

Nonnulli Chymici ſummunt Stibium, vel potius Regulum Stibij, & ſæpius excoquendo cremant, & hac ratione Stibium vertere in plumbum profitentur. Hoc etiam à Dioſcoride notatum fuit, quando dixit, Stibium ſi paulò magis excoquatur in plumbum comeabit: quamuis poſtea multi voluerint mentem Dioſcoridis hanc fuiſſe, quòd Stibium vlteriori coctione non in plumbum tranſmutetur, ſed more plumbi fundatur. Hoc autem ſuperius fuit enucleatum.

Stibium vertitur in plũbũ.

MYSTICA, ET MORALIA.

HABEMVS in ſacro Codice, quod Ieremias de Stibio hæc verba aliquandò protulit. *Cum veſtiero te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris Stibio oculos tuos, fruſtra componeris, contempſerunt te Amatores tui, animam tuam quærent.* Hoc in loco Propheta, Diuo Hieronymo exponente, ſub forma mulieris adulteræ, verba hunc in modum explicare videtur. Hæc enim mulier cum offendit Deum, & quaſi virum ſuum Creatorem relinquit, fruſtrà ornamenta requirit, quia illam Dæmones amatores ſui contempſerunt, qui non ſtupri immundiciam, ſed animæ ſuæ quærunt interitum. Hoc idem myſticè intelligendum eſſe admonet Diuus Hieronymus, aduerſus illos, qui coniugales affectus, & veræ fidei pudicitiam amiſerunt: nam quando inquit Propheta: *ſi te veſtieris coccino* ideſt fidem ſanguinis Chriſti aſſumpſeris; *ſi monili aureo ornata fueris*; nimirum habueris ſenſus meditationis, & intelligentiæ ſpiritualis; *& pinxeris oculos tuos Stibio*, nempe ſtudueris noſce Myſteria, & Arcana Dei; quandoquidẽ Deus non recipit ornamẽta, quibus anteà Amatoribus tu placuiſti.

Cap. 4.

Stibium ad oculos.

Cæterùm in morali doctrina quid de Stibio ſentiendum ſit, paucis exponemus. Etenim vena Stibij dura, & firma inſtar lapidis, in fodina à Metallarijs reperitur, & poſtea in partibus intimis metallum latibulatur, quoniam Stibium, dum funditur, illicò quid metallicum effundit, quod vulgus Regulum Antimonij vocitat. Talis eſſe debet iuſtus Princeps, & Vir perfectus, qui conſtantia in primis ſolidus eſt, & firmus, deinde h in intimis cordis penetralibus metallum gratiæ & virtutum complectitur.

VSVS IN MEDICINA.

MVLTOS ad affectus Antimonium conducere, in progreſſu huius hiſtoriæ, comperiemus. Primitus Antiqui Stibium medicamentis tantummodò externis permiſcebant. Nam cũ virtute plumbo vſto ſimilẽ poſſideat, in ſanandis vlceribus ex hoc non modicam frugem demetebant. Ætate Dioſcoridis, Stibium vſui medico minimè famulabatur, niſi prius fimo bubulo inuolutum, & inter carbones crematum, & deinde muliebri lacte extinctum fuerit. Verùm, ad mentem Plinij, larido inuolutum accendebatur, &, conſumpto larido, pariter lacte muliebri mergebatur. In græco Dioſcoridis codice σέαρ legitur, qua de cauſa modus adurendi Stibij à

Pli-

Plinio propositus erit Dioscoridis. Ruellius tamen non στιμ, sed στιβι legendum esse asseuerat, quæ vox farinam pinsitam significat, quasi Stibium ad combustionẽ in pasta sit inuoluendum: nihilominus vterq; concremandi Stibij modus est commendandus. Hodie ex Antimonio paratur oleum in vlceribus malignis præstantissimum. Oleum tamen ex Antimonio est duplex, alterum paratur à Chymistis, quo metalla aureo colore tingere profitentur, alterum est, quod, ratione ruboris, Stibij sanguis nominatur, cuius descriptionem Vuecherius, Falloppius, & Cardanus assignarunt, quod, in auferenda vlcerum malignitate, cæteris non cedit medicamentis. Idem Cardanus in libro de Æthere, siue de Vitali aqua, docet medicamen Æther nuncupatum ad omnia externa vlcera valdè commodum, & salutare: nomine autem Ætheris, hic Author in illo libro quamdam vitalem aquam artificiosè paratam in omni genere morbi commẽdatissimam intelligit. Præterea Antiqui Antimonium tanquam desiccans, & astringens collyrijs addebant. Ideo Galenus agens de regimine sanitatis; inquit: oculis robur adijcietur, si collyrium siccum adhibeatur, quod ex frigido lapide componitur, dummodo palpebris specillo inducatur, ne interior membrana lædatur, sic enim quotidie mulieres faciunt, quando Stibio oculis gratiam conciliant. Quamobrem manifeste cognoscimus Priscos, cum naturam Stibij optimè perspectam non haberent, in purgandis corporibus, illud nunquam adhibuisse, sed tantummodò extrinsecis medicamentis addidisse. Dioscorides tamen agens de Elaterio, Stibium tanquam pharmacum cathartícum cognouisse videtur, dum inquit. *Quod si per inferna deiectio facienda est, duplum Salis addere oportet, & Stibij quantum colore suo inficiat.*

Stibij cremãdi modus.

Lib. 10. de sec.

Lib. 1. de fossil.

Lib. 5. de subtil.

Aether medicamenti genus.

Lib. 6. de sanit. tuend.

Lib. 4. de met. med.

Itaq; facultas purgandi in Stibio latens, superiori sęculo, authore Theophrasto Paracelso, emersit: quare comperta Stibij facultate cathartica, Nuperi Medici sic ratiocinati sunt: veluti in magno mundo aurum à nullo alio meliùs, quàm ab Antimonio purificatur; pariter, & in minori mundo, scilicet in homine idem præstare poterit, & rectius, quàm aliud pharmacum exipoticum humores noxios extra venas trudere. Quapropter Paracelsus monimentis mandauit, quòd veluti Antimoniũ auro metallorum Principi summo perè confert, dum illud optimè purificat, & cætera metalla vitiat, & corrumpit; similiter homini animantium regi in purgationibus salutare censendum est. Quamuis hoc Paracelsi argumentum ex simili analogia petitum à multis irrideatur, cũ inter Antimonium, & corpus humanum nulla prorsus sit naturæ cognatio, qualis inter aurum, & Stibium intercedit, nihilominus experientia docet hoc medicamento non solum deiectione, sed etiam vomitione humanum corpus mirandum in modum expurgari posse. Ioannes de Rupescissa mirabilia de Antimonio prædicans nullum pharmacum posse hoc præstantius inueniri testificatur. Bouius patritius Veronensis, & medicus clarissimus in suo Fulmine aduersus medicos putaticios edito, innumeris nixus experimentis, vsu Antimonij grauissimis ægritudinibus succurrere profitetur, quia non solum more Antiquorum vlceribus putridis medetur, verùm quoq; in Febribus chronicis, in Asthmate, in Melancholia, in Alui torminibus, & multis alijs morbis deploratis minimè infrugiferum esse perhibetur Vnde Iodocius in Enchiridio Simplicium prærogatiuas Antimonij magnificabat his versibus.

Vis cathartica Antimonij quando inuenta.

Morbi, quibus Antimonium conuenit.

Crescentem prauo consumit in vlcere carnem
Natiuaq; tegit vulnera sæua cute.
Quod tamen artificum manibus miscetur & arte,
Diuum præclaras munere donat opes.
Nam nocuos facili purgat molimine succos;
Vnde sibi Febris, Asthmaq; robur habent.
Vnde Furor mentis, tumidi quoq; Tormina ventris,
Et miserabilibus corpora plena malis.

Multi igitur, inter quos recensetur Matthiolus, in præparando hoc medicamento, sumunt duas libras Antimonij minutissimè triti in patella non vitreata ad lentum ignem tatenùs spatula ferrea agitant, donec materia conglobari incipiat, quam rursus tritam eodem modo agitant, & hanc operationem toties repetunt, donec materia su ra carbones sparsa nullum fumum emittat, quæ postea in crucibulo cum sale ammoniaco excocta supra marmor fusa in lapillos hyacinthini coloris pellucidos transmutatur. Itaq; Stibium hoc modo præparatum hyacinthinum appellant, & à granis tribus vsq; ad sex cum

Antimonium hyacinthinũ quale.

cum modico vini optimi, vel cum roſarum conſerua, in prædictis affectibus, præſcribunt, quod ingreſſum corpus humanum, Patientem vomitione, & deiectione mirandum in modum exagitat. Vnde Iacobus Greuinus, ſumptis aliquando tribus huius Antimonij granis, cum modico conſeruę roſarum, poſt horæ ſpatium tam vehementi vomitu correptus eſt, vt quoties vomebat, toties moriendum eſſe exiſtimaret; nam octies euomuit, & toties aluus reſpondit, & tantam virium imbecillitatem incurrit, vt ſpatio octidui vix illas reficere potuerit. Libauius verò Stibio vnà cum æqua portione nitri in calcem, vi fornacis vitrariæ redacto, aquam ardentem ad tres digitos affundit, digerit, & aquam catharticam deſtillat. Alij ex æquis portionibus Antimonij Scamonij, & Tartari puluerem purgantem componunt, quem in morbis deploratis tanquam præſtantiſſimum magnificāt. In libro Haliographiæ, ſal ex Antimonio viribus ſali auri æquandus elicitur, qui ſanguinem purificare, Lepram curare, Podagræ conferre, & Morbum Gallicum pondere granorum quatuor, cum drachma aquæ ex ligno guaiaco deſtillatæ expugnare traditur. Præter oleum Stibij, & Antimonium hyacinthinum, Chymici calcem, liquorem, Quintam Eſſentiā, Flores, Tincturam, & deniq; Antimoniū diaphoreticum præparant, quæ omnes præparationes in volumine Libauij, recitantur. His additur Butyrū Antimonij, quod non omni quaq; probatur, quia non ſolū ex ſubſtātia Antimoniali, ſed etiā Mercuriali conſtat; quandoquidem, dum fabricatur, vt plurimū nō totus Mercurius ſublimatus in vas recipiens deſtillat, & butyro miſcetur, cū illius portio in poris Antimonij relinquatur, & alia portio in Retorta ſub forma viua reperiatur. Quandoq; Antimonium ab aliquibus toties præparatur, donec facultatē catharticam amittat, & in puluerem candidiſſimum abeat, quia tunc à propria degeneraris natura maximam roborandi virtutem adipiſcitur: propterea huiuſmodi puluis in ſtomachos labefactato cum ſaccharo roſaceo ad multos dies exhibitus præcipuam Patienti affert vtilitatem.

Lib. 2. de Venen.

Sal antimonij.

Butyrum Antimonij.

Cæterùm ſi quæ de viribus, & præparationibus Antimonij ab Authoribus paſſim memoriæ ſunt tradita, recenſere vellemus, proculdubio hoc opus in immenſum excreſceret. Solummodo magis curioſa, & ijs profutura enumerabimus, qui in dies medicinam factitant. Medicamina igitur ex Antimonio elicita, quæ Paulus Aldrouandus Pharmacopæus Bononienſis vir non vulgariter eruditus; & in omni chymicarum operationum genere conſpicuus fabricat, hic exarare operæ pretium eſſe duximus. Primitùs ſumit libram Antimonij crudi in puluerem redacti, vnciam chryſtallorum ſalis communis decrepitati, libram ſemiſſem aceti deſtillati, omnia diligenter mixta in Teſtudine fictili lento, & aperto igne, ſpathula ſemper agitando, ne conglobetur, in calcem redigit, in hoc opere tamdiu proſequitur, donec corpus illud phyſicè apertum fuerit; deinde refrigeratum aqua ardenti lauat, & exſiccatum in crucibulo fundit, & fuſum ſenſim ſupra politum marmor proijcit. Rurſus recipit prædicti Antimonij præparati dimidiatam libram, arenæ marinæ tantūdem, ſalis ammoniaci drachmas duas, & ex omnibus in vaſe collocatis ad ignem ſublimationis Flores rubicundos extrahit. Iterùm vt habeat Tincturam, Floribus prædictis acetum deſtillatum tres digitos ſupereminens affundit, ſicq; in Matracio cæco ad balneum mariæ calidum, ſpatio horarum quadraginta, digerit; opuſq; toties repetit, donec inde aliqua Tinctura exeat. Deinde ab omni Tinctura, organo roſtrato, humiditatem elicit, vt in fundo Magiſterium ſiccum habeat. Huic poſtea affundit ſpiritum vini rectificatum, & denuò deſtillat, & quod in fundo vaſis remanſerit, Magiſterium Antimonij appellat, quod cardiacis, ante vſum, edulcat. Deniq; cuilibet libræ Magiſterij non edulcati cum tantumdem ſaccharī candidi vnciam Aluminis ſciſſilis in ſpeciem calcis redacti permiſcet, & Retorta luto munita Oleum Antimonij rubicundiſſimum in affectibus ſuperius enarratis præſtantiſſimum concinnat.

Operationes chymicæ Pauli Aldrouā di circa Antimonium.

Flores Antimonij.

Tinctura Antimonij.

Magiſterium Antimonij.

Oleū Antimonij.

Cum igitur hoc medicamen terribilem in modū humana corpora perturbet; Theologi diſputant; nū Medici tutò, in foro conſcientiæ, huiuſmodi pharmacum præſcribere poſſint: ideo Sayrus examinans opinionem, quam, in pharmacis præſcribendis, Medici ſequi debeant; Tandem reſpondet in tanta præſidiorum farragine, prætermiſſis ambiguis, & incertis, ſemper faciliora, & ſalubriora medicamenta eſſe eligenda. Quoniam verò affectus interdum ſunt contumaces, & facilioribus remedijs reluctantur, Medici interdum ad ambigua etiam præſidia, veluti ad ſacram anchoram confugere cōguntur.

Lib. 1 Claus regiæ cap. 10.

Dein-

Deinde quoniam Antimonium, sua violentia cathartica, paucis prodesse, & plurimis obesse videtur, vt, longa certorum exemplorum serie, Erastus, Mercurialis, & Greuinus ostendunt; ideircò assignare quædam præcepta, in sumendo hoc medicamento valdè necessaria, operæ pretium esse iudicauimus; quorum alia Patientem, alia medicamentum respiciunt.

Quoad Patientem, notandum est primò Antimonium non omnibus indiscriminatim esse præscribendum; quoniam non conuenit pueris, mulieribus vtero gerentibus, hominibus effœminatis, & angusti thoracis, neq; ijs, qui ad vomendum sunt difficiles, neque illis, qui deliquium animi incurrere solent. Deinde Patiens alijs communibus medicamentis prius diligenter est expurgandus, vt apertis vijs, Antimonium citius, & facilius operetur. Viciſſim improbandi sunt illi medici, qui absque præuia præparatione ad Antimonium præscribendum accedunt. Morbi Patientis sunt considerandi, quandoquidem hoc medicamentum præcipuè datur in Febribus chronicis, Melancholia hypocondriaca, contumacibus obstructionibus,& alijs huius generis affectibus longis, qui ex Pituita, & Melancholia pendent; immò in illis potissimum, qui suam sedem in ventriculo, intestinis, mesenterio, & primis venis habent. Patiens autem quando, facta superna, & inferna euacuatione, miram virium iacturam incurrit, præsidijs roborantibus intrinsecis,& extrinsecis indiget: quapropter prudens medicus Epithemata cardiaca regioni cordis applicare, & confectionem Alchermes, vel Hyacinthinam cum vino maluatico propinare debet. Quoad præcepta Antimonium respicientia, in primis notandum est quòd diligẽter præparari debet, vt malefica eius qualitas castigetur, & illa præparatio est adhibenda, quam diuturna experientia comprobauerit. Postremò dosis Antimonij superius assignata erit varianda, pro varia medicamenti præparatione, & pro diuersitate virium Patientis, Temperaturæ Ætatis, Morbi, & Anni temporis: nam quando malitia medicamenti vehementer refracta erit, tũc dosis erit augenda, & quando Patiens erit viriũ imbecillium, temperaturæ bilioſæ ætatis puerilis, & morbus non erit inueteratus, & anni tempus erit æstiuum, tunc hoc medicamentum in minori dosi erit exhibendum. Sin vice versa totum fuerit oppositum, in maiuscula quantitate erit præscribendum.

Quibus Affectibus Antimonium conueniat.

VSVS IN DECORATIONE.

ANTIQVISSIMA fuisse artis cosmeticæ primordia, de quibus nihil certi apud Scriptores inuenitur, Stibium hoc in loco patefaciet. Nam fuisse consuetudinem apud mulieres Hebreorum Stibio pingendi oculos, sacri Codices testificantur: quandoquidem in libris Regum hæc leguntur. *Iezabel depinxit oculos suos Stibio, & ornauit caput suum.* Insuper apud Ezechielem hæc habemus. *Ecce venerunt quibus te lauisti, & circumliniſti Stibio oculos tuos.* Amplius apud Ieremiã Prophetam, hæc verba legimus. *Cum pinxeris Stibio oculos tuos, frustra componeris &c.* Immò Diuus Hieronymus ad Furiam scribens, ad rem hæc habet. *Non habuit crispantes mitras, nec Stridentes calceolos, nec Orbes Stibio fuliginatos.* Temporibus etiam Galeni, Dioscoridis, & Plinij Mulieres Antimonio supercilia fucabant, vt superius ad mẽtem Galeni explicatum fuit, sed præsertim mulieres Hispanæ, quibus nullæ in mollitiem, & prodigum luxum magis procliues esse perhibentur. Quamobrem doctissimus Mercurialis agens de compositione medicamẽtorum scripsit Maiores nostros ad purganda corpora Antimonio non fuisse vsos, sed tantùm ad oculos ornandos, & ad supercilia denigranda.

Li. 4. Reg. cap. 9.
Cap. 23.
Cap. 4.

Hispanæ mulieres quales.
Lib. 2. de cõp. med.

VSVS IN VARIIS.

METALLARII, & potissimum campanarum artifices aliquid Stibij mẽtallis fusis semper addunt, vt campanas magis sonoras reddant. Idem quoq; præstant, qui patinas ex Stanno fabricant, vt sono argenteas imitentur. Illi etiam Opifices, qui, pro tormentis maioribus bellicis, globos ex ferro formant, Sti-

bium materiæ ferreæ permiſcent, vt citius, & facilius fundatur; Alioquin ferrum non liquefieret. Gemmarij, & ipſi Stibio vtuntur, dum, Authore Anſelmo Boetio, opem ignis, & aqua mercuriali ex Stibio deſtillata natiuas maculas, & nubes, vel alios colores adamantem fædantes, auferunt: ſic enim adamantem adeò nitidum, & purum reddunt, vt valore purum natũ longè ſuperet. Demum ex Antimonio nonnulli argentum viuum eliciunt, quo ſupra æs fricato, illud optimè dealbant, quod opus argentum viuum foſſile, & metallicum præſtare minimè poteſt.

Lib. 2. de gemm. cap. 4.

DE ARGENTO VIVO.
Cap. X.
SYNONIMA, ET ETYMVM.

NONNVLLI Argentum viuum vel inter excrementa, vel inter venena collocarunt; propterea quod non gaudeat illis proprietatibus, quæ naturæ veri metalli competere ſolent: cum ſit actu liquidum, neq; malleo, more aliorum metallorũ, reſiſtere poſſit. Geber igitur, & alij Chymici non metallum, ſed potius cæterorum metallorum materiam, & principium eſſe voluerunt. Alij pariter non metallum, ſed metallicum, & foſſile appellarunt. Nos in præſentia id cæteris metallis addimus, quoniam, more Stibij, non quoad formam, ſed quoad materiam nomen metalli promereatur. Ideo ad ſynonima examinanda accedimus. Iſidorus hoc nuncupauit Argentum viuum, quia exſcindat, ſeu exedat, more viui animantis, materias, in quibus collocatur. Satius eſſet dicere appellatum fuiſſe Argentum viuum à motu, dum viua vocamus illa, quæ ſe mouent. Propterea apud Angelum Bargeum, Argentum vagum dicitur. Augurellus quoq; Argentum aufugiens nominauit ſic canens.

In Cyneget.

Inualido aufugiens argentum ſiſtere ſucco.

Et paulò inferius idem à motu vocat argentum tremulum dum inquit.

L. 2. Chryſop.

——— *aut viuum ſulphur, tremulumq; repones Argentum.*

Scaliger aurum regem metallorum, & argentum viuum eorumdem tyrannum nominauit. Renodeus id tãquam naturæ mõſtrum indicauit, quia nullis naturæ legibus teneatur. Deniq; Falloppius naturæ miraculũ indigitauit. In Officinis Argentum viuum liquidũ vocatur crudum, extinctũ verò, & inſtar ſacchari concretum, argentũ ſublimatum dicitur. Græcis, & præſertim Dioſcoridi cognominatur ὑδράργυρο quaſi argẽtum aqueum: etenim ὕδωρ apud Græcos aqua, & ἄργυρος argentum exponitur; cum colorem argenti, & mobilitatẽ aquæ referat. Hinc apud Ariſtotelem, & Alexandrum Aphrodiſeum legitur ἄργυρος χυτὸς, nempe argentum fuſum, quoniam id more aquæ diffluat, & faciem argenti fuſi repræſentet. Plinius verò inter Hydrargyrum, & Argentum viuũ aliquod diſcrimen collocat; dum argentum viuum natiuum, & foſſile, & hydrargyrum ex minio factitium eſſe exiſtimat, ſed ipſum falli opinamur, quia hydrargyrum apud Græcos idem, quod argentum viuum apud Latinos ſignificat. Præterquamquòd hæc duo nomina apud Authores paſſim confunduntur, dum hydrargyrum pro argento viuo, & viciſſim argentum viuum pro hydrargyro vſurpatur.

Exercit. 88.

Lib. 5. cap. 102.

Lib. 33. c. 4.

Sperma metallorũ quid.

Halchemiæ Profeſſores varijs nominibus argentum viuum decorarunt. Primitùs illud cognominant ſperma metallorum, & lapidem, quem Philoſophi venerantur; quoniam hoc tanquam lapidis philoſophici materiam conſtituunt, quo, Midæ inſtar, contacta omnia corpora illico in aurum, & argentum permutari ſibi perſuadent. Deinde Aquam vitæ, Lac virginis, Serpentem ſemetipſum grauidantem, Vrinam humidam, Seruum, vel Ceruum fugitiuum, & demum Patrem omnium mirabilium vocitant. His addamus, quòd Chymici varijs rationibus ſtimulati id etiam Mercurium cognominant. Primò quoniam ſicuti Mercurius à Poetis fingitur alatus; ita Argentum viuum alas induere videtur, dum in igne poſitum cõfeſtim auolat. Secundò quemad-

modum

modum Mercurius alienum appetens furti inuentor fuisse traditur: pariter Argentum viuum cætera respuens metalla, solum aurum furari videtur. Falloppius tamen tali nomine insigniri promulgat, quia Mercurius græca fide præditus sinceræ veritatis nõ fuit studiosus: pari ratione ab Hydrargyro mendacia dimanant, dum Chymistas decipiendo pollicetur, quod Natura nullo modo pati, nec attingere potest; præterquamquòd in Chymistarum manibus fumum, & non aurum relinquit. Hic notandum est, quòd Chymici argentum viuum commune vocant Mercurium vulgi, ad differentiam Mercurij, quem ipsi in generatione lapidis philosophici desiderant. Denique Arabibus dicitur Zaibar, vel Zaibat. Italis argento viuo & Mercurio, nomine à Chymistis detorto. Gallis Vif argent. Hispanis El azogue. Germanis Queckſylber.

Mercurius Chymistarum qualis.

DIFFERENTIÆ.

B SCRIPTIS reliquit Galenus hydrargyrum tantummodò arte paratum reperiri, cum natiuum, & fossile minimè nouerit; quam sententiam fusè Mathiolus in commentarijs ad Dioscoridem refutauit, nam manifestè hoc experientiæ repugnat: sæpè enim Argentum viuum tale conspicitur, quale expropria fodina elicitur. Dioscorides in hoc fuit veritatis perquam Studiosus, quandò tres Argenti viui differentias assignauit, quarum primã ex cinnabari vel Minio arte extractam prædicat (est enim Cinnabari Dioscoridis, & Minium natiuum aliorum vnum, & idem fossile) hæc species secundùm Vitruium ex Anthrace lapide eliciebatur. Secundam speciem in fodinis argentarijs Dioscorides constituit, qua nos caremus. Tertiam in venis proprijs inueniri tradit, & hæc hodie ex fodinis Germaniæ ad nos affertur. Vitruuius quatuor huius genera, duo natiui, & duo facticij enumerat Pariter Brasauolus in suo simplicium Examine quatuor exhibet differentias, primam, quæ ex propria vena tanquam fons ex scatebra dimanat, quæ species hodie in frequenti est vsu; secundam, quæ inter metalla reperitur; tertiam, quæ ex Minio educitur; quartam, quæ, ad mentem Vitruuij, ex marmore eliciebatur, vel potius, vt nostra fert opinio, quæ inter marmora oriebatur. Verùm ex his quatuor generibus, Primum nempè natiuum commendat. Cæterùm alij authores opulentius rem pertractantes, multò plura Argenti viui genera recensent. Primò commendant, quod naturaliter purgatum in sua minera reperitur, secundum, quod ex partibus lapideis mineræ suæ artificio paratur, tertium, quod ex Minio, & Cinnabari elicitur iuxta modum, quem Dioscorides in textu docuit, quartum, quod prius aliquo modo fuit sublimatum, & postea ad suam essentiam, & naturam redijt; quintũ quod in venis aliorum metallorum colligitur; sextum, quod quidem ex Minio educitur, sed postmodũ cum fuerit siccatum ad Minij formam reuertitur: etenim Minium, & lapis schistos huius metalli parens esse perhibetur. Quocirca Georgius Fabritius in vena Schisti Argentũ viuum se obseruasse fatetur. His speciebus addamus Argentum viuum sumblimatum, Argentum viuum præcipitatum, & Argentum viuum arte chymica concretum. Chymici Mercurium sublimatum, Mercurium præcipitatum, & Mercurium philosophicum nuncupant.

Lib. 9. de simp. med. fac.

Lib. 7. Architec.

In lib. de foss.

D Ratione coloris, aliqua varietas in Argento viuo obseruatur. In primis aliud est minus album cum tantillum sordis contineat, quod Argenti candorem deturpare solet. Immò minera illius variè à natura coloratur. Rubet illa, quæ Græcis dicitur ἀθραξ propter similitudinem, quam habet cum carbonibus. Aliquando est coloris hepatici, veluti illa, quæ obseruatur in Hydra monte Goritiæ. Interdum nigricat, quæ rara esse traditur. Minera Suacensis est lapis durus ponderosus coloris plumbei, non sine aliquo candore, qui minutim fractus nihil argenti viui effundit, sed tantùm, ope fornacum, Argentum viuum genuini coloris præbet. Annis elapsis in Quito prouincia, referente Botero, minera Argenti viui coloris lutei inuenta est, quæ vi ignis odorem sulphureum spargebat. Prædictis differentijs Chymici alias species addunt, quas fortassis ipsi imaginantur, vnam vocant fel Draconis, quam ex Argento & Stanno elicere profitentur; alteram, nominant Discum Solis, quam ex auro se extrahere asseuerant. Sed nos vna cum Falloppio rem profectò iocosam, & risu dignam esse existimamus, etquamuis ipsi tale Argentum viuum ostendant; nihilominus ex prædictis materijs confectum esse ne-

Differentiæ ratione coloris.

Fel Draconis quid.

Discus Solis quid.

mo eſt,qui iuſiurandum diceret. Amplius Chymici aliud Hydrargyrum vulgi; aliud Hydrargyrum philoſophorum eſſe atteſtantur, & hoc diuinum indigitant. Has differentias alijs examinandas conſultò relinquimus, quoniam huiuſmodi genus hominum audaci illecebra, & vaniſſimo commento mentes legentium decipere nititur.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

HYDRARGYRVM hoc ſibi à natura comparauit, vt omnibus metallis libenter permiſceatur; licèt æri, & ferro difficulter adhæreat, quoniam hæc duo magis terreſtria ſint. Hinc Albertus Magnus & omnes alij Chymici in hanc venerunt ſententiam, quòd Argentum viuum ſit materia proxima generati nis metallorum;ideoq; illud Panſpermeam metallicam cognominarunt,quam ad primordia cunctorum metallorum concurrere aſſeuerantius dicunt. Falloppius tamen ab ipſis diſſentit, quoniam Argentum viuum, etiamſi libenter metallis hæreat, nihilominùs eorum eſſe materiam non eſt aſſerendum; quandoquidem, quæ cum aliquo amicitias gerunt, & ad illud ſuapte natura feruntur, illius materiam eſſe non eſt dicendum, eſt enim à veritate valdè alienum, quia ferrum non eſt materia Magnetis, neq; palea Succini,& tamen hæc vinculo amicitiæ libenter copulãtur. His addamus,quòd Chymici Argentum viuum ex humido aqueo conſtare teſtantur, & propterea id tanquam materiam metallorum prædicant, quod, nullo contradicente, confirmare non poſſunt ſiquidem, ad mentem Ariſtotelis, humidum aqueum ſubſtantiam Argenti viui non conſtituit: etenim ipſe in Meteorologicis docet humiditatem Hydrargyri eſſe aeream, quapropter ſtatim atq; calefit in auram euaneſcit. Id autem conſtantibus ex aquea meteria non contingeret, & hæc eſt ratio potiſſima, propterquam Hydrargyrum eſt incongelabile.

Li.4. Meteor.ca. 8.

Inſuper Natura illi tales proprietates præſcripſit, vt nunquam madefaciat, ſæpè refrigeret, ſæpè calefaciat, aliquando calidas affectiones producat, & frigidas interdum tollat. Modica quantitate identidem nocet, & viciſſim magna quantitate nonnunquam prodeſſe ſolet. Sæpè à corporis ſuperficie ad centrum ducit, dum nocuos humores per feceſſum trudit. Interdum oppoſitos effectus parit. Propriam formam facilè perdit, deinde ipſam facillimè recuperat. Quandoq; medicinis internis mixtum ſummo eſt Patienti emolumento, at extrinſecis additum ſæpè ſæpius Patientes lædit. Quamobrem non eſt mirandum, ſi circa Hydrargyri qualitates tot ſint ſententiæ, quot ſunt authores, qui de illo verba fecerunt. Quod autem hoc ſit verum, atque indubitatum; Albertus in primis frigidum, & humidum in ſecundo gradu conſtituit. Matthiolus quoq; ei ſummam frigiditatem, & humiditatem aſſignat, quoniam, hac excellenti humiditate, omnes humores in ventriculo, & partibus annexis contentos ad putredinem compellat. Chimiſtæ illius frigiditatem, & humiditatem in quarto gradu collocant: deinde, iuxta chymicam doctrinam, illud liquidum in tertio, album verò, & tenebroſum in ſecundo exceſſu prædicant. Hoc eſt quidem exploratũ quoad primas qualitates, ſiccum potius quàm humidum, & calidum potius quam frigidum videri: propterea ex duplici ſubſtantia, nimirum frigida, & humida, necnon calida, & ſicca, & potiſſimum ſulphurea conſtare aſſerendum eſt. Cum igitur virtutibus contrarijs quodammodo præditum eſſe videatur; iure optimo poterimus canere hunc in modum.

Frigidum & humidum Alberto.

Frigida cum calidis, ſunt miſta humentia ſiccis.

Quapropter nonnulli fuerunt huius opinionis Argentum viuum, quamdiu eſt ſuæ naturæ, frigefacere, nec multum à natura plumbi differre: immò eodem in magna doſi ſumpto calorem natiuum extingui, & in modica quãtitate, à calore natiuo in actum deduci. Itaque valenter calefacere, putrefacere, & inteſtina corrodere atteſtantur. Præterquamquòd, vt veritatem fateamur, multa medicamenta, experientia teſte, ex Argento viuo fabricata caliditatem, & ſiccitatem quarti gradus præ ſe ferunt. Quamuis autem, virtute Hydrargyri, multæ humiditates per os quandoque educantur; hinc manifeſta Argenti viui frigiditas, & humiditas non eſt inferenda; ſed potius hunc effectum à proprietate occulta humanam deſtuente naturam prouenire credendum

A dum est; quandoquidem Argentum viuum spiritus præcipuè dissipat, quibus exterminatis, multæ affectiones oriuntur, primumque caput læditur; cum spiritus animales facilius, quàm vitales, & naturales corruptionem incurrant. Immò cum lentam, & crassam pituitam, humoresq; virulentos educat, numero purgantium medicamentorum erit adscribendum, quæ proculdubio calidissima esse traduntur. Item calidum Argentum viuum iudicamus, tum quia est tenuium partium, dum linitum supra corpus vsque ad ossa penetrat, tum etiam quia in igne positum statim in vaporem resoluitur. At illa quæsunt huius conditionis, referentibus Aristotele & Galeno, insignem caliditatem participant. Vnde Falloppius optima de causa ipsum calidum in tertio gradu incipiente, & siccum in fine eiusdem gradus pronunciauit; idque effectu comprobatur, nam, præ alijs medicamentis, omne genus scabiei delet: quocirca ab Arabibus in Psora maligna fælici cum successu adhibetur; etenim Scabies ad genus vlcerum reducitur, quæ siccantibus potissimum pharmacis sanantur. Verùm in maiorem asserti confirmationem addamus, quòd vulgus passim Argento viuo, ad necandos cu-
B iuscumque generis pediculos, fæliciter vtitur, namque facta Argenti viui iunctione. paulo post huiusmodi animalia rubicunda, & quasi ab igne combusta apparent; & talis effectus nonnisi ab ingenti caliditate, & siccitate prodire potest. Itaq; nonnulli Hydrargyri liquida, & sensibili qualitate decepti humidum iudicarunt, non animaduertentes cuncta metallica naturæ humanæ applicata esse sicca, quemadmodum aliàs ex Galeno manifestauimus.

Caput præcipuè læditur hydrargyro.

L. 4. Meteor. lib. 9. Meth.

Quoad secundas qualitates, Hydrargyrum plus aeris, quàm aquæ continere videtur, & nonnisi per artem chymicam concrescit. Deinde in amicitiam auri abundè incidit, quia illius sordes mirandum in modum abstergit; illique adeò adhæret vt auri substantiam citò penetret, illudque fragilius oui cortice reddat: propterea annuli aurei dealbantur, si gestantes per loca transierint, in quibus Hydrargyrum elaboratur; quod sibi pluries contigisse Cardanus uarrat. Cuncta igitur metalla Hydrargyro supernatant, vno excepto auro, quod Argento viuo impositum statim ab eo absorbetur. Hocq; inde credimus prodire, quia Hydrargyrum auro, quàm alijs metallis sit pro-
C ximius: pondere enim, & tenuitate auro, solo autem colore, argento assimilatur: quãuis postea ab vtrisq; differat, cum fluat, & igni admotum confestim euanescat. Deinde quoad cætera metalla, facilè generibus plumbi, difficulter argento, difficilius æri & difficillimè ferro adhæret. Amplius natura illi maximam tenuitatem communicauit: propterea cum, ad mentem Aristotelis, plus aeris contineat, facile in fumum abit: at si diligenter velo cooperiatur, denuo fumus in argentum viuum densatur; sulphure verò, seruata tamen æqualitatis proportione, ne sit fugacissimum retinetur. Quamobrem nemo admirari debet si dum Argentum viuum sublimatur, nihil in fundo vasis remaneat; etenim hoc, ob substantiam terream optimè attenuatam, & humido viscido permixtam, illo accidit. Itaq; obseruamus, cum sit tenuissimum, non modò per corium instar sudoris, transire, sed etiam per nares illud pertractantium vsq; ad meningas cerebri penetrare; hinc huiusmodi opifices tremore, & resolutione neruorum sæpè corripiuntur. Hanc Hydrargyri tenuitatem fuisse putamus rationem potissimam, propter quam inualuit opinio apud Priscos, quòd non possit in quocumque
D vasis genere contineri: etenim venenum rerum omnium esse pronunciarunt, quia cuncta ferè vasa excindat. Scripsit enim Dioscorides Hydrargyrum nonnisi in vasis vitreis, plumbeis, stanneis, & argenteis seruari. Nuperi tamen aduersus Dioscoridis opinionem totum oppositum obseruant cum materia Hydrargyri in alijs etiam vasis contineatur, dummodo non sint adeò rara, vel aliquo foramine exiguo referta, vt foras penetrare possit. Multi Pharmacopæi nostræ ætatis illud in vesicis, vel etiam in vasis aliquibus ligneis conseruant: at si foramen aliquod ferè insensibile inueniat, totum egreditur, non quia vasa erodat, sed quoniam sit ità tenue, vt exiguas etiam rimas inueniat.

Hydrargyri scũde qualitates.

Lib. 7. de subtil.

Insitum etiam hoc habet à natura, vt fusum in minutissimas; & infinitas particulas dissipetur, nullaque illarum amittatur, quoniam paulatim in pristinam vnionem congrediuntur: hac de causa Chymistis æterna Substantia, & æternus Liquor nũcupatur. Deniq; ope Argenti viui, metalla à se inuicem separantur, & rursus illa iungere solet, vt Tectores aurarij quotidiana experientia comprobant: nam Hydrargyrum est in-

Hydrargyri substantia tenuissima.

Vasa ad continendum argentum viuum.

Æternus liquor Chymicorum.

causa

cauſa vt aurum alijs metallis adhæreat,& paulò poſt veluti ſuo munere functum euaneſcit. Num verò natura hanc proprietatem Argento viuo ingenuerit, vt magneti ita aduerſetur, vt ſimplici tactu, vim attrahendi ferri ab ipſa in perpetuum adimat, periclitari oportet, cum ſimplici narrationi aſſentiri non debeamus. Qui plura de natura, & affectionibus. Hydrargyri ſcire deſiderat, Dioſcoridem, Galenum, Iſidorum, Plinium, Albertum Magnum, Mylium, Braſauolum, Portam, Cæſium, & alios Auctores huius generis adeat. De veneficio autem Argenti viui in propria Rubrica verba fient.

LOCVS.

PAVCIS de locis Hydrargyri noſtram proferemus ſententiam. Aliqui volunt illa loca argento viuo redundare, quibus Planeta Mercurius tantum bonum influit. Reperitur tamen altis in montibus, ſed potiſſimùm in lapide calcario ſimili, vel potius in rimis cuiuſdam ſaxi rubicundi coloris, interdum in fornacibus argentarijs, guttarum inſtar, tectis adhærens conſpicitur. Plinius tamen ſcriptum reliquit vomicam argenti viui copioſam in argentarijs fodinis inueniri. Falloppius mendacij Plinium arguit, cum nulla argenti vomica in fodinis metallorum vnquam reperta fuerit. Quandoque in ſtercore vetuſtiſſimo cloacarum, necnon in limo puteorum reperitur. Ceſalpinus quoque retulit ſe Piſis inter ſaxa Argentum viuum fuiſſe conſpicatum, dum vetera quædam fundamenta ad ſolidum foderentur. Deniq; in omnibus locis producitur, in quibus materia ad inducendam ſimilem formam rectè diſpoſita inuenitur. Iam ad regiones, in quibus naſcitur, enumerandas accedemus.

Lib. 33. c. 4.

In Almaden eſt vena Argenti viui ita diues, vt toti Hiſpaniæ,& Orbi nouo ſeruiat. Hæc quodammodo duplex ſcatebra conſtituitur, quarum alteram vilioris pretij tanquam de terra erumpentem pronunciant; alteram verò à lapide emergentem, pretioſiorem, & virginem appellant. Apud Beraunum ſupra Pragam Bohemiæ Metropolim Argentum viuum reperitur. Pariter in Bohemia, vt refert Munſterus, Schombacum Argento viuo affluit. Item noua Argenti viui metalla in Britannia ſunt Scotis. In China eruitur, necnon in Comitatu Archiducis Auſtriæ. Forauilianæ regionis montes illo abundant. Similiter iuxta locum Kunigeſtein apud Francos colligitur. In Germania apud Landesberg multa Argenti viui metalla obſeruantur. Goſelariæ Hydrargyrum minus digeſtum reperitur. Olim Romani tanti fecerunt hoc metallum, vt fruſta mineræ ſigillis munita ex Hiſpania Romam deferri curarent, ne in proprio natali Solo elaboraretur. In Hydra monte propè Goritiam lapis ponderoſus, inſtar plumbi, ad rubedinem tendens generatur, guttas Hydrargyri micantes præ ſe ferens, qui interdum à Metallarijs percuſſus riuulos argenti viui fundit. Maiolæ mons nutrit Mercurij venas. Item Nicaſtri territorium non modo hydrargyrum, ſed multas quoque marmorum ſpecies producit. In Peruana regione copia argenti viui gignitur. Sed olim Barbaris fuit ignotum, & nullius vſus, quia, loco illius, ad purificanda metalla, quodam viliori metallo vtebantur, quod naturam plumbi argento mixti æmulabatur. Immo in eadem Peruana regione iuxta montem *Guancaulca* nuncupatum, necnon propè ciuitatem eiuſdem nominis Ioſephus Acoſta infinitas Hydrargyri fodinas ab Indis factas recenſet, vt terram rubram ad tingendam faciem eruerent nec tamen ipſi, neque etiam Hiſpani ibi verſantes diuitias harum fodinarum cognouerunt, donec quidam Luſitanus anno ſexageſimo ſeptimo poſt ſeſquimilleſimum, hoc metallum rubrum Indis *Climpi* vocatum, lapidem Minij maximam copiam Hydrargyri fundentem, facto prius periculo, eſſe dixerit. Ioannes Boterus in hac regione mineram Argenti viui ditiſſimam, anno ſeptimo poſt milleſimum, & ſexcenteſimum inuentam prædicat. Item Boterus Quito Prouinciæ mineram Hydrargyri lutei coloris aſſignat. In territorio Soriani hoc metallum naſcitur. In Suacenſe regione ſunt lapides coloris plumbi Argentum viuum fundentes. Demum apud Treſtanum in Ruſcia, & in Vueſtrich, nimirum Auſtrafia Germaniæ Argenti viui noua metalla fodiuntur.

Minera Hydrargyri Romam delata.

Li. 4. hiſt. indi. cap. 11.

IN-

A

INVENIENDI, & Præparandi ratio.

METALLARII ad venas argenti viui indagandas bifariam incedunt. Primò loca viridibus herbis,& arboribus consita obseruant,quoniam Hydrargyri frigiditate plantæ recreari perhibentur: cum Hydrargyrum non instar aliorũ fossilium siccã euaporationem spargat. Deinde mensibus Aprilis, & Maij, serena aurora per montes vagantur, & statim atq; vapores instar nebulæ non altius ascendentes, sed quasi terræ hærentes conspicantur, tunc ibi sedem Argenti viui esse affirmant: quandoquidem argentum viuum grauissimum, & tenuissimum esse declarauimus. Itaq; opifices collectã mineram, vesicis prius ori applicatis, ad arcendam me-
B talli malignitatem, molunt, & in vase fictili excoquunt, alio vase instar campanæ superposito, vt Mercurius ad campanam ascendens, per rostrum in vas recipiens transeat. Rursus aliæ excoquendi Hydrargyri variæ rationes apud Agricolam legantur. *Li.9.de re metall.* Item ex Minio in conchula ferrea collocato, patina fictili superposita, & carbonibus circundantibus, Argentum viuum stillat. Immò ex chalcanto Hydrargyrum quoq; extrahitur,& rationem huius operationis Caneparius assignauit; Num verò, ad mentem Vitruuij, Brasauolo referente, ex marmore etiam eliciatur, periculum esset faciendum; potius inter marmora aliquam Hydrargyri venam à natura gigni asserendum esset. *Lib.2 de Atramen.* Nisi velimus cum Chymistis confirmare argentum viuum ex omnibus mixtis, non secus ac salem, & sulphur extrahi posse.

Postmodum ex argento viuo sublimatum, & Præcipitatum multifariam paratur. Nonnulli ex libra argenti viui, & tantumdem salis communis, necnon chalcanthi in Sublimatorio vitreo ignem per gradus augẽdo, spatio horarum quatuordecim, Mercurium sublimatum parant. Multæ aliæ præparationes apud Portam leguntur. *Li.9.mag.*
C Præterea vt fiat Præcipitatum, cum aqua acuta coquitur, donec in cinerem redigatur, *nat.c.14.* qui siccatus ad ignem, colorem rubicundum acquirit. Insuper Chymici argentum viuum rebus adstringentibus densare, & in verum argentum transmutare nituntur. Sed difficile est rem adeò tenuem inuenire, quæ toti huic substãtiæ permisceatur. Sunt qui sulphure, & fumo metallorum illud cogi referant. Cardanus tamen fumo potissimum plumbi hoc metallum densari asseuerat. Item herbæ supra mineras hydrargyri crescentes Mercurium coagulare dicuntur. At coagulatio argenti viui multifariam facta apud Portam legatur. Amplius multæ aliæ præparationes huius metalli ab Ve- *L.4. mag.*
cherio sigillatim recitantur. Cæterùm est aduertendum, quatuor requiri, vt hydrargy- *nat.ca. 5.* rum naturam veri argenti induat. Primò, vt firmetur, deinde vt ignibus resistat, tertiò *Lib.10.de* vt leuius euadat postremò vt crassiorem substãtiam adipiscatur. Sed vt in aurum ver- *secr.* tatur, necesse est, vt tingatur, firmetur, & ignem toleret. An verò Chymistæ aliquo artificio id consequi possint non facilè adduci possumus, vt credamus, & si quandoque casu argentum, vel aurum ex Hydrargyro resultauerit, non tamen veram auri & ar-
D genti materiam esse aliquis crediderit.

HYDRARGYRI VENENVM, & Medela.

SI crudo Argento viuo valetudo offenditur, multò magis in sublimatum redactum noxium erit, quia tunc pestiferam qualitatem nanciscitur. Sunt qui opinentur illud per accidens officere, dum in stomaco diu moratur, vel si alicui parti principi addatur, nimirum si aurem ingrediatur: tunc enim ratione cerebri, Apoplexiæ, & Epilepsiæ periculum impendet: quandoquidem fossores argenti viui, quamuis *Li.9.de re* robustæ sint temperaturæ, rarò quartum laboris annum attingunt, cum tremorem om- *metall.* nium partium incurrant. Propterea admonet Agricola, in excoctione Hydrargyri, ter-

ga in

ga in ventos eſſe vertenda, qui fumum metalli peſtiferum in partem contrariam pellant. Inſuper ſumptum non ſolum animales facultates primò lædit, verùm quoq; extrinſecus adhibitum idem præſtat: ſiquidem lue gallica laborantes hoc iniuncti morbis cerebri, & neruorum corripiuntur, maxima pituitæ fluxio excitatur,& tremores immedicabiles generantur. His igitur de cauſis Dioſcorides huic metallo vim necandi iure optimo attribuebat. Galenus quoq; licèt interdum dixerit ſe nullum Hydrargyri periculum feciſſe; attamen alibi Hydrargyrum in catalogo venenatorum collocauit. Immò Arabes, vt Auicennas, Serapio, Halyabas, & Rhaſis argentum viuum inter venena recenſuerunt.

Lib. 9. de ſimp. med. fac.

Lib. 5. de ſimp. med. fac. ca. 19.

Itaq; Hydrargyrum in humano corpore, iuxta mentem Dioſcoridis, producit illa ſymptomata, quæ potantem lithargyrium affligere ſolent: grauitas enim in ſtomacho,& tormina in inteſtinis ſubſultant, deinde vrina ſupprimitur, corpus tumeſcit, & plumbeus color Patientem deturpat. Immò quando hæc materia Hydrargyri cito extra corpus non truditur, Patiens Apoplexiam, vel Paralyſim, vel Epilepſiam incurrit. Sin Patiens fumum Hydrargyri, vel vncturam paſſus fuerit, tunc prædictis ſymptomatibus fætor oris,& tremor partium copulatur. At, poſt deuoratum Sublimatum, accidentia fortiora contingunt. In primis enim, vt animaduertit Matthiolus, aſperitas linguæ, eiuſdē tumor, difficultas anhelitus, immenſa ſitis, & animi deliquiū accedunt.

Symptomata Hydrargy.

Dioſcorides igitur illis, qui hauſerunt Argentum viuum, præmiſſis chyſteribus, & vomitionibus, lac copioſum prębet, deinde præſcribit illa medicamēta, quæ venenum lithargyrij ſuperare poſſunt; nempè ſemen Hormini, Apij, florem Liguſtri, Abſynthium, Hyſſopum, & Myrrham. Sunt qui oleum amygdalarum dulcium commendant. Alij ramenta auri in vino propinant. Oribaſius Apium combuſtum & tritum in potu extollit. Eminentiſſimus Cardinalis Ponzettus in ſuo Tractatu de Venenis, vinū cum radice Acori probat. Arabes, & potiſſimum Auicennas fimum columbarū ſylueſtrium alicui liquori permiſcet. Neq; erit inutile Patienti annulum, vel nummum aureum in ore volutare, cui materia Hydrargyri adhæreat. Quando autem viuum Argentum in aurem lapſum fuerit, tunc, excitatis ſternutamentis, extruditur, vel paruus auri globus inditur, vt totum Argentum viuum ad globulum aureum, tanquam ad magnetem recurrat. Quando Argentum ſublimatum inteſtina, vel ſtomachum læſerit, tunc Conciliator incedit clyſteribus ex adipe anatis, & butyro paratis, deinde vomitum prouocat, antequam venenum ad partes inferiores deſcendat. Verùm quando Hydrargyrum, propter vnctionem, vſq; ad oſſa penetrauerit, Hollerius parat oleum ſulphuris hunc in modum: ſulphur in aqua ardenti ferre facit, & lentorem ſupernatantem colligit quo Patientem fælici cum ſucceſſu inungit.

Lib. 5. cap. 64.

Lib. 2. de venen.

HISTORICA.

RELATVM eſt in hiſtorijs, quōdàm in caluaria mulieris, quæ iam, biennio, ingenti dolore capitis perierat, Argentum viuum pondere duarum vnciarum inuentum fuiſſe, namq; id ſenſim in cerebro colligebatur, dum mulier quotidie in fucis eodem vtebatur. Etenim ea eſt vis Argenti viui, vt in tenuiſſimum habitū facile tranſeat: hac de re non eſt admirandum, ſi, referente Leuino Lemnio; quandoq; ex inciſa eorum vena, qui ſemel atq; iterum, propter luem Gallicā, hoc inuncti fuerunt, aliquot drachmas Hydrargyri emanaſſe conſpectum ſit. Nota etiam eſt hiſtoria cuiuſdam Antonij Galli, qui plures hydrargyro inunctus, neq; copioſo ſputo, neq; fluore alui correptus eſt, ſed tantùm per vrinam Hydrargyrum minxit. Tradunt etiam quædā hiſtoriæ nonnullas mulieres, vt maritorum vitæ læthaliter officerent, Argentum viuum eis deglutiendum dediſſe, ſed cum ſit ponderoſum, illicò per aluum abſq; vllo incommodo fluxiſſe Mulier quoq; illa apud Auſonium poculo venenato Argentum viuum addidit, vt quamprimū vitæ mariti diem extremum clauderet; nihilominus Hydrargyrum fuit in cauſa ſalutis Viri, dum pondere ſuo deſcendens alium liquorem venenatum per ventrem ad exitum duxit, ne, in corpore lethali ſuo munere fungi poſſet. Sic igitur canit Auſonius.

Hydrargyrum in Fucis.

A *Toxica Zelotypo dedit vxor Mæcha marito,*
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit Argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.

Et paulò inferius addit.

Protinus vt vacuos alui petiere recessus
Lubrica deiectis qua via nota cibis.

Nouimus & nos quemdam, qui in pharmacopolio putans syrupum acetosum simplicem bibere, Argentum viuum incautè hausit, attamen paulò post totum per inferiora expulit. Fracastorius etiam testatur quasdam mulieres ad perdendum fætum, singulas libram Argenti viui hausisse, nec tamen votorum compotes extitisse, quia statim Hydrargyro per aluum educto, fætus minimè excluſi fuerunt. Periucundum quoq; legitur monumentum in historijs Africæ, vt notauit Cardanus, quod Mauri, cognita Hydrargyri frigiditate, vrgente æstu requiem quærentes, vas lapideum Hydrargyro implent, *Lib. 5. de subtil.*
B & corio superposito incubant, vt aliquantisper refrigerentur.

ADAGIA.

IOANNES Zetzes quandoq; admonens Præsules sui temporis, ne animum plus nimio inflexum ad auaritiam haberent, huiusmodi versiculum græcum publicauit.

Υδραργυρω ειϛι κλεπτοτεροι τε κλεπτε.

Idest.

Hydrargyro sunt furaciores fure.

Hinc profertur prouerbium, quod iactari potest in illum, qui res alienas nimis auidè appetit; sicq; dicitur *Hydrargyro furacior*. Originem autem huius adagij ex quadam hydrargyrij proprietate prodijsse recitant. Quandoquidem veluti fures opibus semper
C inhiantes, inexplebili cupiditate auri laborant: pariter Argentum viuum omnia metalla ignobiliora sibi innatantia respuit, & solum aurum absorbet, & amplectitur. *Aurum ab hydrargyro absorbetur.*

Argentum viuum habere sub pedibus. Vulgare est prouerbium quod præcipuè ad pueros viuidiores spectat, qui vllo in loco consistere nequeunt. *Argentum viuum secum deferre.* Hoc pronunciatur in illos, qui manibus nunquam quiescunt, immò gesticulantes, Socios, & comites semper vexare non cessant.

MORALIA.

VARIÆ Hydrargyri affectiones non modicam habendæ ratiocinationis occasionem doctrinæ morali dederunt. Etenim si Argentum viuum tanquam album splendens, & siccum consideretur: talis debet esse perfectio viri iusti,
D qui castitate albescit, prosperitate fulget, & pœnitentia siccus apparet. Deinde Argentum viuum, iuxta opinionem multorum, vnà cum sulphure cæterorum metallorum materia, & principium esse perhibetur: similiter, ob candorem puritatis, Innocentiæ symbolum esse dicitur, quæ proculdubio tanquam origo omnium bonorum, nempe gratiarum & virtutum prædicatur. Præterea Hydrargyrum difficulter alicui permiscetur rei, nisi prius saliua, & cinere etiam addito extinguatur. Vir fastuosus, & arrogans huius conditionis esse videtur, qui nulli consuetudini miscetur, nisi prius saliua, *Superbia quomodo deprimatur.*
videlicet reprehensione, necnon cinere, nimirum memoria mortis extinguatur: propterea ad rem sancta recitat. Ecclesia. *Memento quod cinis es, & in cinerem reuerteris.* Vel possumus etiam sic ratiocinari, multos in hoc terrarum orbe versari, qui nulli perfecto homini nec etiam Deo copulari possunt, nisi prius in pelago calamitatum extinguantur. Vel dicamus nunquam rebus mundanis, & præcipuè diuitijs aliquem rectè permisceri posse, nisi prius crimina extincta fuerint. Item Hydrargyrum solum non coagulatur, sed tantùm quando sulphuri, & plumbo cõmiscetur. Ita sunt multi, qui dum soli viuunt criminibus non densantur, sed versantes in consuetudine eorum, qui sapiunt

piunt naturam ſulphuris ; hi enim ſunt qui fædam amplectentes libidinem, indignis modis animam, & corpus polluunt. His ſimiles dicuntur naturam plumbeam redolentes, qui pertinacia ſunt ponderoſi, & praua conſuetudine indurati, dum praui tenaces eſſe non deſinunt, immò ſicut Argentum viuum aliquando in vetuſtiſſimis cloacis inuenitur: ſic criminoſus tandem in cloaca inferorum reperitur. Amplius ſi hoc metallum ore ſumptum, vel auri immiſſum interficere traditur : idem praua Hæreticorum doctrina præſtat, quoniam audientem culpa in præſentia, & pæna in futurum perimit. Inſuper Hydrargyrum donec ab igne remotum eſt, pulchrum, refulgens, & mundum apparet, ſic multi ſunt, qui ab igne tentamentorum remoti, in ſtatu gratiæ morantes, pulchritudine honeſtatis coruſcant; ſed tentamenti flamma ſtimulati conſtantia minimè reluctantes, conſenſu in crimina euaneſcunt, & inde mali exempli fumus dimanat. Vel dicamus Hypocritam Argenti viui nomen promereri, qui in ærumnarum incendio locatus, ſtatim in crimina infinita exhalat, vnde fumus infamiæ prodit, cuius exemplo alij offenduntur. Tandem nullum metallum abſq; Hydrargyro inaurari poteſt, necnon melius in vaſe vitreo conſeruatur : pariter homo, vt perfecta honeſtate inauretur, Argento viuo gratiæ charitatis, caſtitatis, & honeſtatis indiget; quarum virtutum Hydrargyrum eſſe ſymbolum perhibetur, quæ melius in vaſe vitreo cõſeruantur, nempe in illo homine, qui ſe fragilem, & animo dimiſſum eſſe reputat, quoniam Deus Optimus Maximus huiuſmodi virum à criminibus tutatur, & diuina beneficia in illo conſeruat: etenim Diuus Bernardus ad rem ſcribebat. *Magna eſt firmitas apud Deum infirmitatem propriam cogitare.*

Hypocrita cui aſsimilatur.

Hydrargyrum quarũ virtutum ſit ſymbolũ.

PROBLEMATA.

CVRIOSI indagare ſolent, cur Argentum viuum pondere, colore, & frigiditate ſit metallis ſimillimum, cum poſteà, inſtar aliorum metallorum, ignem non toleret ſed ſenſim in fumum abeat. Reſpondetur id euenire, quoniam eius ſubſtantia ex materia plumbea, & ſalſilagine aquea componi videtur : ſiquidem hæc duo, tractu temporis, in Argentum, viuum degenerare perhibentur. Hoc manifeſtè obſeruatur in vetuſtiſſimis Venetiarum fundamentis, in quibus quadrata marmora ferramentis applumbata conſpiciuntur : hæc enim ſi fodiantur in illis plumbum in Argentum viuum ſolutum apparet; quia glutinoſa plumbi ſubſtantia, longo annorum ſpatio, ab acuta vi ſalis ſoluitur. Quapropter Hydrargyrum grauitatem, & ſplendorem à plumbo, ſubtilitatem verò à ſale ſibi comparat: ideoq; igni non reſiſtit ; cum ad primam caloris præſentiam, inſtar roris, in vaporem tranſeat. Deinde aliqui ſtudioſi inquirunt, cur argento viuo alicui rei pingui permixto, humanis cruribus inunctis, ſpatio octo, vel nouem dierum, gingiuas Patientis ſcindat, & ſputa glutinoſa, & copioſa prouocet. Reſpondendum eſt, quoniam, ope caloris humani, non tam facile in vaporem ſoluitur, veluti virtute ignis vaporabat: hinc longum temporis interuallum expoſtulat, antequam exitum per gingiuas, & os inueniat, & præcipuè cum in itinere obuiam pituitam copioſam ſecum ducat. Demùm quæritur cum Argento viuo aurum præcipue, inter alia metalla, frangatur. Reſponſio eſt, quoniam ſolum aurum expers eſt pinguedinis craſſioris : illius enim humidum eſt tenuiſſimum. Cum igitur omnia pinguia denſentur, & tenuia congelentur; hinc fit quòd frigus Argenti viui penetrãs humidum auri illud congelet, & ſic aurum admodum fragile reddatur.

Actiones Argenti viui in corpore humano.

VSVS IN MEDICINA.

GALENVS fatetur ſe Argenti viui tam in medicamentis internis, quàm in externis nullum habuiſſe experimentum. Nihilominus recentiores Medici, & præcipuè Arabes ſcripſerunt non defuiſſe, qui, medicinæ gratia, Argentum viuum biberint, nullum inde reportantes nocumentum; quoniam ratione ponderis facilè ad partes inferiores labatur, dummodo Patientes deambulent. Paulus etiam Aegineta retulit hydrargyrum concrematum, & in aliquo liquore quibuſdam alijs

Lib. 7.

ſpe-

ſpeciebus permixtum Colicis, & Iliacis propinatum fuiſſe. Braſauolus in Examine ſimplicium narrat ſe pueris verminatione ad deſperationem laborantibus Argentum viuum præbuiſſe, & illicò ſanitati fuiſſe reſtitutos. Hoc experimentum à Matthiolo confirmatur, & quantitas debet eſſe duorum granorum milij, quæ in hoc caſu, citra vllam moleſtiam, mirum in modum operatur. Immò addit idem Matthiolus mulieres Goritienſes, in difficili fœtura, ad Argentum viuum confugere, cuius ſumpto ſcrupulo, ſtatim paritura facilis redditur. Amplius varijs affectionibus, doloribus, ſcabiei, prurigini, & podagræ mederi perhibetur. De hoc Iodocius in Enchiridio ſimplicium ſic canit.

In cõment. ad Dioſc. lib. 5.

Difficilis fœtura quomodo ſoluatur.

Diſſoluit, penetrat, conſumit, mundat, & arte
Extinctum, vario membra dolore leuat.
Vngito, ſic poteris ſcabie, & prurigine corpus
Soluere, vel podagræ tormina cuncta tuæ.

Mulieres noſtræ ætatis, cognita hydrargyri aduerſus pediculos facultate, illud ſaliua, vel axungia ſuilla extinguunt, & poſtea caput puſionum linunt, ſicq; pediculos, & lendes enecant: nam hydrargyrum cum ſit tenax, nonniſi alia re tenaci, nimirum ſaliua cohibetur. Item, in exterminandis latis pediculis, quos Vulgus *Piatolas* vocat, Falloppius modicum Hydrargyri cum pulpa pomi dulcis cocti diligenter miſcet, & Patientem verſperi linit, vt ſequenti die animalia perempta obſeruentur. Bayrus, in parando hoc vnguento, recipit drachmas tres Argenti viui hominis ieiuni ſaliua extincti, dimidiam vnciam pulueris ſtaphiſagriæ, vncias tres olei communis, & cum ſufficienti quantitate ceræ vnguentum conficit.

Hydrargyri vngeuntum.

Olim in lue gallica expugnanda, Sublimatum minimè infrugiferum inuenerunt, ſed Nuperi, eius loco, Argentum viuum receperunt. Propterea pilulæ ex illo parantur, quarum deſcriptio apud Rondeletium legitur. Animaduertendum autem eſt ex Hydrargyro vnguentum pro ſcabie gallica præſtantiſſimum confici, dummodo conſtitutioni Patientis, ætati, & temporibus quadret; quia ſunt nonnulli Iatraliptæ vitandi, qui nulla habita prædictorum conſideratione, & nulla purgatione præuia, hoc vnguentum adhibent, pluresq; interficiunt, quàm ſanent. Nihilominus, vt annotauit Euſtachius Rudius, ſi rectè adminiſtretur, nemo perire potuerit; eum talis vnctio etiam in puſionibus fœliciter adhibeatur. Meminit idem Rudius pueri filij Illuſtriſſimi Principis Doriæ, qui ab vberibus nutricis vnà cum lacte affectionem gallicam combiberat, & bis perunctus Hydrargyro, curatus eſt. Itaq; iuxta ſententiam huius doctiſſimi viri, vnguentum Hydrargyri paratur hunc in modum. Sumuntur tres vnciæ axungiæ ſuillæ, ſeſquiuncia Hydrargyri, olei maſticini tantumdem, vncia pulueris maſticis, & drachma dimidia croci, & omnia cum pulpa duorum pomorum dulcium coctorum ſecundùm artem in formam vnguenti rediguntur. Quantitas huius erit pondus duorum ſcrupulorum in adultis pro vnica vice, in puſionibus verò erit lentis magnitudo. Alij ex Argento viuo cum ſulphure Cinnabrium parant, quo in ſuffumigijs ad exterminandum affectum gallicum vtuntur. Omnia ex Hydrargyro medicamenta caput petunt, idemq; præſtant aquæ thermales venis Argenti viui imbutæ: etenim humoribus caput replent, quos ſecum deferũt, hi rurſus deorſum lapſi gingiuas corrumpunt, & omnes artus labefactant. Deniq; in delenda equorum ſcabie, ex Vuecherio, recipiuntur vnciæ duæ argenti viui, vncia Hellebori albi, ſeſquiuncia olei laurini, quæ omnia mixta vnguentum formant.

In lib. de morb. gallico.

Vnctio hydrargyri in pueris.

In lib. de cur. morb. gall.

Doſis vnguenti.

Lib. 10. de ſecr.

Præterea in pharmacopolijs, ex Argento viuo, & ſale ammoniaco conficitur illud medicamentum, quod Argentum ſublimatum vocatur; & quia in hac præparatione Argentum viuum in ſublimem locum attollitur, & inſtar candidiſſimi ſalis concreſcit; ideoq; tale nomen inuenit, necnon calorem & ſiccitatem quarti gradus acquirit, cauſticumq; medicamentum euadit. Aliquando miſcetur cum aqua acri, quæ vulgò dicitur *Aqua da partire*, & inde reſultat Præcipitatum, ita nuncupatum, quoniam in excoctione non aſcendit, ſed quodãmodo præcipitatur, & in fundo vaſis remanet. Alter huius medicamenti præparandi modus à Ioanne de Vigo recitatur: hoc medicamentum ab alijs Angelicus Puluis appellatur, quia, in expugnanda lue venerea, inſignem habeat prærogatiuam. Quandoquidem in hoc caſu à nonnullis per os ad quinq; grana præſcribitur; præterquam quòd gallicis vlceribus ſanandis ſummopere conducit. Item ex Præcipi-

Sublimati etymum.

Præcipitati etymum.

cipitato, & Triapharmaco vnguentum componitur, quod cum tenui cereo in collum veſicæ impoſitum carunculas in meatu vrinario ortas reprimit, & conſumit.

Poſtremo Chymici ſalem ex Mercurio eliciunt, cuius duo grana in cochleari pleno aqua ligni guaiaci ad curationem Luis gallicæ, ſcabiei, & lepræ præſcribunt. Amplius ex æquis portionibus argenti viui, & ſublimati chryſtallum Mercurij parant, & toties hanc materiam ſublimant, donec aurum ab hoc chryſtallo tactum non tingatur. Hoc medicamentum in vlceribus pudendi ſanandis mirandum in modum prædicant. Deinde tria huius Chryſtalli grana in affectu gallico, in febre quartana, & alijs morbis chronicis commendant. Pariter ex Mercurio quinquies exaltato Turpetum minerale fabricant, quod in varijs affectionibus magnificant. Demum deſcriptio Mercurij dulcis, & Mercurij correcti in Armamentario chymico legenda eſt, quæ medicamenta in Hydrope, in Lepra, in Peſte, in Podagra, in Pleuritide, in Icteritia, & Vlceribus malignis eximia facultate potiri arbitrantur.

Turpetum Minerale quale.

VSVS IN FVCIS, ET LVDICRIS.

MVLTÆ mulieres, vt ab ore honeſtiſſimæ, & venuſtiſſimæ videantur, Argento viuo, vel Argento ſublimato vtuntur. Sumunt enim, vt recitat Cardanus, vncias duas ſucci limonum, aquæ roſaceæ tantumdem, drachmas duas Argenti ſublimati, & Ceruſæ tantumdem, omniaq; in modum vnguenti concinnant. Id autem præſtant mulieres maximo vitæ diſpendio, namq; breui temporis tractu, corruptionem gingiuarum, fatorem oris, caliginem oculorũ, & plerumq; morbum attonitum incurrunt. Præterea Circumforanei ad ludicra Argentum viuum ſæpè vſurpant. Primitus annulum concauum Hydrargyro implent, qui poſtmodum calefactus ſtatim ſaltare videtur: hocq; inde prouenit, quoniam Argentũ viuũ calore ſtimulatũ in ſpiritus vertitur, qui exitum quærentes illum annuli motum efficiunt: cum tamen Idiotæ id arte magica fieri exiſtiment. Alij paruas ſtatuas Hydrargyro replerunt, vt igne ſalientes admoto, viuæ videantur. Item ſi hoc metallum proijciatur inter piſa apud ignem in ollis feruentia, ſtatim omnia piſa extra ollas ſalire referunt. Pariter nux viuo ſulphure, ſale petræ, & Argento viuo plena, & diligenter clauſa ſi conijciatur in furnum inter panes, nuce concalefacta, ita ſalire panis dicitur, vt maximam ſpectantibus admirationem afferat. At Hydrargyrum in calamo cera concluſum, vt maleficia ſoluantur, Alexius Pedemontanus ſub puluinari, vel in oſtij limine collocat. Ad perdendas arbores, aliqui, ex Falloppio, factum vſq; ad medullam arboris foramen Argento viuo implent, & cera, vel creta obturant. Immò ne litteræ comburi poſſint, ſumuntur, ad mentem Mizaldi, albumina ouorum cum aceto acerrimo, & Argento viuo: hæc enim miſtura charta linitur, & ad vſum prædictum exſiccatur.

Male ex fucis prodeuntia.

Abores vt exiccentur.

VSVS IN VARIIS.

NONNVLLI Argentum viuum cum oximelle ſcillino ita agitant, vt quodammodo in cinerem vertatur, deinde lotum aceto, & purificatum ad multa vtile eſſe prædicant. In Mexico, & Peruuia totum Argentum, ope Hydrargyri, præparatur, quemadmodum Kircherus Ieſuita retulit. Ideo non eſt mirandum ſi Ioſephus Acoſta ſcripſerit magnam Hydrargyri quantitatem ſupra Mulos, & Verucces ſingulis annis ad Potoſi deferri; cum ibi ad purificanda metalla quotidie adhibeatur. Amplius virtute Hydrargyri metalla inaurantur: namq; Opifices Argentum viuum cum Auro miſcent, & veluti farinam ex aqua ſubactam formant, quam poſtea ſupra vaſa extendunt, mox eadem igni admouentes, vt Argentum viuum in fumum euaneſcat, & Aurum vaſis adhærens remaneat, quod nulla ratione ſeparari poteſt, niſi alia compoſitio adhibeatur, quam Aurifices aquam fortem, nempe aerem appellant. Aliter etiam Aurum à rebus inauratis detrahunt; vas Argento viuo plenum calefaciunt, in quo fragmenta veſtium, vel vaſa auro tecta mergunt, quia ſtatim aurum ab Argento viuo abſorbetur, idq; corio exprimitur, vt in eius fundo Aurum remaneat. Sunt qui profitentur Cæru-

Lib. 4. de Hiſt. Ind. cap. 3.

Vaſa quomodo inaurentur.

leum

Aleum ex Hydrargyro elicere, dum sumunt partem vnam chalcanthi rubificati, partes duas sulphuris viui, & partes tres Hydrargyri, omniaq; in vase vitreo, spatio dierum quadraginta, sub fimo sepeliunt, & inde materiam cæruleam pulcherrimam extrahunt. Item Purpurina coloris species ex stãno, sulphure, & Argento viuo conficitur, qua Opifices colorem, quem *bronzinum* vocant Statuis conciliant. Pigmentum illud metallicum, quo litteræ aureæ finguntur, vnciam Argenti viui recipit, cuius perfecta descriptio apud Caneparium habetur. Deniq; qui Clepsammidia parua, nempè Horologia arenaria vitrea fabricant, Argento viuo vtuntur; est enim puluis ille Horologiorũ stannum ope Hydrargyri dissolutum; namq; statimatq; Argentum viuum stanno permiscetur, dissoluitur, & attenuatur, cui attenuato quasdam aquas addunt, vt puluis ille ab argento viuo separetur.

Puprurinæ compositio. In lib. de Atram.

Finis Libri Primi.

VLYSSIS ALDROVANDI
PATRICII BONONIENSIS
MVSÆI METALLICI
Lib. II.

DE TERRA IN GENERE.
Cap. I.
ÆQVIVOCA.

VT immenſo hiſtoriarum agmini cedamus, quæ non importunè etiam adduci poſſent; erunt tantummodò breuiter percurrendæ rationes, quibus ducti in præſentia de Terris verba facimus. Prima facie de metallis fuit pertractatum, quoniam hæc in proprijs obſeruata fodinis terram proculdubio æmulantur: deinde cum actum ſit de metallis tanquam vulgò magis cognitis; poſtmodum Terra ſeſe offerebat conſideranda; ex illa enim metalla reſultant. Hæc ſentẽtia eleganter explicatur hoc Monoſticho Trochaicho.

Terra ſi metallorum igne afflatur, aurum redditur.

Prætereacum de illis Terris potiſſimùm diſſerendum ſit, quæ medicis vſibus famulantur, hæ vel in metallorum venis inueniuntur, vel metallorum natura potiuntur: quapropter cognita prius metallorum natura, de Terris hoc in loco ſermonem habere decreuimus: dummodo prius de Terra generatim nonnihil dixerimus. Eſt autem ambiguum Terræ vocabulum, dum aliquandò pro tota hac inferiori, & elementari Regione vſurpatur, & interdùm pro ſimplici Terra, inexplicabili opificio in centro Mundi ſita circumambientis aeris inani ſpatio nullo nixa fundamento, ſed ſua tantùm ſtabilita mole ſumitur. Hinc Ouidius ad rem canebat.

Terrà vt elementũ.

Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa
Aere ſubiecto tam graue pendet onus.

Inſuper Terra ab alijs accipitur quatenus partim ab aquis alluitur, & partim ab hominibus colitur. Verùm apud Philoſophos Terra dicitur quartum elementum ſimpliciſſimum, & puriſſimum, quod Galenus, & alij Authores tanquam corpus extremè ſiccum, frigi-

A frigidum, duriſſimum, grauiſſimum, album, & fortè etiam inſipidum prædicant. Hoc genus Terræ licèt reuera detur, nemo vnquam illud conſpicari potuit, cum in intimis Terræ viſceribus latibuletur, & de hac Terra in præſentia non ſumus locuturi, ſed tantummodò de illa, quæ paſſim vt terra cognoſcitur, & appellatur: etenim hæc ſolum eſt nuncupāda Terra, cum illius Terræ ſimpliciſſimæ naturā participet, de qua omnes Philoſophi diſſeruerunt. Alioquin apud Platonem, nomine Terræ, cuncta ſub Cælo contenta intelliguntur. Ab alijs pro Cœli puncto Terra accipitur, & ab alijs pro modico Terræ, ex quo aliquid componitur. Aliter, Terræ vocabulo, Prouincia, vel Regio, vel Patria indicatur; immò interdum breue ſpatium in aliqua regione deſignatur: quamobrem Terra dicitur ſedes, & habitatio hominum, quorum cauſa mundus fuit creatus. Eſt deniq; Terra ipſum Solum, nempè illa Terræ ſuperficies, quæ à Cunctis calcatur, vel in qua homines aliquid agunt, aut patiuntur. Sunt qui velint, voce Terræ, in numero ſingulari vſurpata quartum tātummodo elementum denotari, & in numero multitudinis, Regiones ſignificari, hæc autem differentia apud Authores non ſemper obB ſeruatur; cum Terra frequentiſſimè pro qualibet Regione legatur. Pariter Γαῖα apud Græcos æquiuocationem ſortitur; namq, hoc vocabulum Terram ab omnibus calcatam; necnon Regionem, & Patriam demonſtrat.

Terra pura inuiſa.

Cuncta ſub Cælo contẽta.

Terra Solũ dicitur.

Terra Regio.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

NON immeritò Terra variam nominum farraginem ſortiri promeruit, cum rerum omnium mater prædicetur. In primis Terra appellatur, teſte Varrone, quia paſſim pedibus teratur; quapropter ab Antiquis per ſimplex R. ſcribebatur. Humus vocatur, quoniam humore Maris humectetur. Tellus dicitur, quia fructus ab ea procreati tollantur. Aridam nonnulli vocant terram, vel tanquam ſiccam, vel tanquam araturæ idoneam cognoſcant. Ops nominatur, cum mortalibus opem varijs alimentis afferat. Veſta Priſcis fuit nuncupata, cum, ſingulis annis, nouis herbis veſtiatur, C vel potius quoniam hominibus veſtimenta præbeat. Item Solum fuit appellata, cum ſemper ſolaribus radijs ſit expoſita. Fuerunt nonnulli, qui Terram vterum mundi indigitarunt, quandoquidem in illa omnia generantur. Idcirco optimo iure cum alijs poſſumus Terram Horreum Cereris, Apothecam Bacchi, & Cellarium Vitæ cognominare. Legitur apud Græcos γαῖα, item γὴ ſed hæc ſecunda vox ab Authoribus in proſa vt plurimum vſurpatur. Rurſus ἔρα Terram quoq; ſignificat. Apud Hæbreos Adhamah terra eſt: vnde homo de Terra formatus Adam fuit nuncupatus. Dicitur etiam Erets nomine generaliſſimo, & hoc vocabulum pro hominibus in Terra verſantibus quādoq; ſumitur. Demum Terra Abyſſus, Aqua, & Puluis in Sacro Codice Synonima eſſe ferūtur. Italis vocatur Terra, Hiſpanis Tierra, Gallis Terre, Germanis Das Erdtrich Oder Erd.

Humus cur dicatur.

Ops dicta eſt Terra.

NATVRA, ET AFFECTIONES.

D IOANNES Damaſcenus Terram vnum ex quatuor elementis frigidam, & ſiccam, grauem, & immobilem à ſummo rerum omnium Opifice, prima die, ex non ente ad eſſe deductam conſtituit. At Galenus aliter Terram meditans ſcripſit hunc in modum: Terra ſicca cum ſit abſq; humore non cohæret ſed inſtar pulueris difluit, humore autem madefacta in lutum glutinatur. Hæc igitur eſt Terra, quæ calcatur, & hac ratione ab arena, & lapide diſcrepat. Ex altera parte ſi naturam terræ ponderemus, illam matrem dici comperiemus propter eximia merita in humanam naturam collata, immò rerum omnium parentem, cuius Oſſa lapides eſſe traduntur: iuxta illud Ouidianum.

Lt. 2. c. 10.

Lib. 9. de ſimp. med. fac.

Lib. 1. metam.

Magna parens Terra eſt, lapideſq; in corpore Terræ
Oſſa reor dici.

Præterea non ſolum omnium parens, ſed etiam commune ſepulchrum poterit appellari, quod eleganter Lucretius multis verſibus expreſſit. Nos autem in præſentia hoc carmine Iambico contenti erimus.

Quodcumq; Terra procreat, dein deuorat.

Eſt autem terrra, ex ſententia Ariſtotelis, veluti fæmina, cum in ſe concipiat, & generet; Sol autem, & Cælum tanquam mas in comparatione ad Terram nuncupatur. Hinc Hermes Trimegiſtus ſcriptis mandauit, omnium in Mundo genitorum patrem eſſe Cælum, à quo omnis agendi virtus dimanat, matrem verò eſſe Terram pronunciauit. Deinde Terra eſt ſphærica, quemadmodum Lunæ defectibus manifeſtatur, qui non eodem, ſed diuerſo tempore Orientalibus, & Occidentalibus apparent. Item in Centro tanquam in proprio loco manet, & quieſcit, licèt ſecundùm aliquam partem moueatur. Ideo Ariſtoteles dicebat, Terra ſubtracta, aquam in illius locum ingredi, conſequenterque aerem in locum aquæ: non igitur perperam loquuntur, qui Terram in aqua, aquam in aere, aerem in æthere, & Æther in Cælo conſtituunt. Amplius eſt immobilis, cum diſtet à circumferentia in loco frigido ſita, & hanc eſſe cauſam efficientem immobilitatis, & grauitatis terræ Albertus Magnus credidit, quemadmodum cauſam finalem, non participare mobilitatem primæ cauſæ declarat; Sicque Igni, propter locum, propter motum, & propter perſpicuitatem aduerſatur.

Li. 1. de gener. anim. cap. 10.

Li. 4. de Cælo, & Mũdo

In Com. ad Lib. 2. de Cælo.

Inſuper Terra ſimplex, & pura naturaliter illa nuncupabitur, quæ nullum odorem neque ſaporem præ ſe feret; quandoquidem odores, & ſapores, iuxta mentem Ariſtotelis, ex mixtione dimanant. quamuis ſint nonnulli, qui proprium Terræ odorem ſupra vnguentorum ſuauitatem prædicent, & ſimilem ſuauitatem tunc ex Terra ad nares penetrare volunt, quando, poſt diuturnam ſiccitatem, imber deciderit. Terra quidem apud nos mixta obſeruatur, nihilominus combuſta, & diligenter lota ſuapte natura alienas deponit qualitates, & ad ſuam ſimplicitatem facilè reuertitur: tunc enim maximè ſicca eſt, ſed propter imbres multa humiditate potitur. Hinc Ariſtoteles enumerans affectiones rerum ſimilarium ſcripſit Terram eſſe, quæ humido irrigata molleſcit. Quare colligendum eſt talem eſſe Terræ naturam, vt humiditate aſperſa molleſcat. Hanc ſententiam ſtabiliuit Galenus dicens, Terram eſſe, quæ humido ſubacta in lutum reducitur: lutum autem nil aliud eſſe fertur, niſi terra mollis reddita. Et quamuis multa alia, vt ſpongiæ, ſtupa, & ſimilia humiditate aſperſa mollia reddantur; attamen nullo modo, inſtar Terræ, diſſoluuntur. Succi quoque concreti humiditate inſuccati liquantur, nihilominus in hoc à Terra diſcrepant, quòd Terra primùm molleſcit, antequam liqueſcat, cum Succi concreti immediatè liquefiant.

Terræ odor qualis.

Lib. 4. Meteor. cap. 8.

Li. 9. de ſimpl. med. fac. cap. de Terris.

Dioſcorides ponderans primas Terræ qualitates, ei præcipuam refrigerandi, & meatus occludendi virtutem aſſignauit. Omnis enim Terra, quoniam corpus ſiccum naturaliter poſsidet, virtute ſiccandi potitur, quæ verò aſtringit, frigoris particeps eſſe traditur, ideoque refrigerare dicitur: immò quò magis aſtringet, eò magis refrigerabit. At illa Terra, quæ deguſtata acrimoniam linguæ communicat, calorem proculdubio participat, conſequenterque calefaciet, & quantò acrior fuerit, tantò maiorem calorem demonſtrabit. Inuenietur etiam mediocris, quæ prædictum effectum mediocriter præſtabit. Item Terra obſeruabitur tam pauca acredine prædita, vt vix ſenſu percipi poſſit, conſequenterque parum calefaciet, cum tamen abſtergere queat. Sed Terra, quæ guſtata, pinguedine, quaſi quodam glutine linguam afficit, & tamen neque aſtringens, neq; acris eſt, potentiam illi nendi, & modicè refrigerandi obtinet. Has igitur conditiones quicumq; diligenter obſeruauerint, & manibus quamlibet ſimplicem terrã pertractauerint facile illius vires examinare, & explorare poterunt.

Qualitates Terræ quæ.

GE-

A

GENERATIO.

QVAMVIS à Mundi primordio Summus rerum omnium Opifex cuncta elementa, consequenterq; Terram puram, & simplicissimam creauerit, nihilominus Terra, de qua in præsentia sermo habetur, cum puritate, & simplicitate careat, continuam generationem sentit, quam diligenter inuestigare debemus. Georgius Agricola scriptum reliquit Terram ex lapide calcario, interdum ex lapide arenario, & quandoque ex Terreno generari, dummodo, per Terrenum, massa Terræ ab omnibus conspecta intelligatur. Hæc autem generatio, iuxtà mentem Agricolæ, celebratur, dum aqua pluuia lambens prædictos lapides ad aliquem locum concauum peruenit, vbi facilè stagnat, sed, loco exsiccato, Terra ex hoc, vel illo lapide resultans ibi relicta obseruatur. Hanc Agricolæ opinionem non omninò veram affirmamus; propterea quòd Terra in altissimis montibus, vt optimè notat Fallopius, generata illuc aliundè non trahitur. Insuper in fibris montium, & saxorum materia terrea, & argillosa reperitur, quæ proculdubio ibi producitur: sententia enim fuit Aristotelis Terram ab exhalatione subterranea prodire, cum talis fumus, ratione cuiusdam vaporis aquei, cõcrescens modò in hac, modò in illa parte Terram procreet. Hæc sententia videtur desumpta à Platone in Timeo, vbi contemplatur Terram à calore exagitari, sicq; Terra tenuior facta exhalationem de se mittit, quæ ascendens vapori aqueo mixta in Terram glutinatur, & hac ratione Terræ generatio in montibus conseruatur. Quamobrem duplex Terræ generatio manifestatur. altera iuxta mentem Philosophorum, altera procedit ex mixtis per putredinem, in fimum, consequenterque in Terrã conuersis, aut pẽdet ex lapidibus Solis calore concoctis, & imbre solutis, sicq; montes lapidei paulatim æstu, & pluuijs in Terram soluuntur.

In lib. de Ortu subter.

Lib. 4. meteor. cap. 8.

Terræ generatio duplex.

Cum hactenus de vniuersali Terræ generatione sermo sit habitus, iam explicandus erit modus, quo variæ Terrarum species diuersis qualitatibus inter se discrepantes gignantur: quandoquidem aliæ sunt candidæ, aliæ rubræ, & sic deinceps vario colore refertæ, aliæ sunt pingues, aliæ macræ, aliæ igni resistunt, aliæ incendijs ceduut, aliæ densæ, raræ, dulces, acres, & amaræ, & tandem aliæ varijs qualitatibus inter se distinctæ obseruantur. Itaq; harum Terræ varietatum generatio breuiter ex Theophrasto colligenda est. Prima causa pendet ex materia, nempè ab exhalatione calida, & sicca, quæ vapori aqueo copulatur, vt paulo ante fuit explicatum. Huic additur causa efficiens exhalationis, deinde cosideranda sunt media, per quæ exhalatio transit; siquidem eadem loca semper non penetrat. Item ratio mixtionis est perpendenda, quæ ab exhalatione, & vapore conglutinante nascitur. His addamus tanquam coronidem causam varietatis Terræ, efficiens Terræ, cum hoc efficiens duplex constituatur, alterum, quod à Terra exhalationem elicit, alterum, quod ab exhalatione eleuata Terram generat. Exemplo id facile manifestari potest, nam in Terræ visceribus puriſſima, & simpliciſſima Terra, & in illius superficie Terra minus pura constituitur: vtraq; colore exagitata exhalationem emittit, quæ transiens per cauernas Terræ, varias Terræ species producit. Primitus ex fumo eleuato à Terra purra gignitur Terra candida, & ex fumo eleuato à Terra impuriori species Terræ impuriores emergunt. Immò si calor subterraneus has Terras exagitans à sulphure vel à bitumine foueatur, tunc terra minus pura, & nigrior resultabit. Præterea astringens Terra generatur, si madefacta fit antequam calor illam multũ concoquat, vel si Terra aliquem succum astringentem, vt aluminosum, combibat; veluti Terra euadit acida, quando acido succo imbuitur. At humor dimanans ab aqua in dulcedinem, & qui ab aere in pinguedinem transit: verùm si prædictæ Terræ in subterraneis locis calori copulentur, deposita dulcedine, falsedinem adipiscuntur, & vlterius si virtute alicuius incendij magis alterentur, insignem amarorem acquirunt. Demùm Terræ ex rebus cremabilibus ortæ, veluti ex saxo calcario, glutinosæ, vt omnes Cretarum species, euadunt, ex rebus autem non cremabilibus genitæ, minus cohærentes, & arenosæ fiunt. Postremo ex animalium & plãtarum putredine pingues Terræ resultant.

In l. de lap.

Efficiens duplex qualis.

Terræ candidæ generatio.

Terræ pinguis generatio.

DIFFERENTIÆ.

NON pluribus complectemur, quæ breuibus exponere poſſumus. Inprimis ratione mixtionis, Terra erit cretoſa,& argilloſa; ratione fructus,ſterilis, vel frugifera,ratione operis,lateritia, & figulina dicetur. Si meditemur colores,Terram in albam, luteam, nigram, rubram, purpuream, viridem, cæruleam, cineream, & fuſcam diſtribuemus. Sapor Terrarum illas in dulces, vel pingues, vel acres, vel aſtringentes diuidit. Odorem quoq; multæ Terrarum ſpecies diu manibus pertractatæ ſpargunt: quamuis vt plurimum hæ ſint compoſitæ,ſed fragrantes ſunt raræ, fætentes autem frequentes inueniuntur. Inter odoratas recenſenda eſt Terra fragrans in Malacca Indiæ portu inuenta,ex qua nonnulla vaſa formantur. Viceuerſa Annebergi eſt quædam fodina Terra fætente referta, cuius tetro odore multi Metallarij exanimes conciderũt. Deniq; figura aliquando Terris differentiam aſſignat, cum quædam ſpecies Terræ tabulis ſimiles obſeruentur

Terræ fragrantes, & fætentes,

Li.2-foſſil. Agricola prima facie Terrã in ſimplicem,& compoſitam diſtribuebat, & per ſimplicem non à cæteris elementis ſeparatam, ſed cuiuſcumque rei foſſilis expertem intelligebat. Terras autem ſimplices in pingues, macras, & mediocres, in raras, ſpiſſas,& mediocres, in molles,duras,& mediocres, nec non in aſperas, leues, & mediocres diuidebat. Cæterùm Terram compoſitam alicuius rei foſſilis participem eſſe pronunciabat; quæ poſtea triplex vel metallica, vel lapidoſa, vel ſuccoſa eſſe perhibetur. Terra metallica varia eſſe poteſt, iuxta metallum,cui copulatur;ideoq;Terra auraria, alia argẽtaria, alia æraria, plumbaria, & ferraria nuncupatur. Rurſus Terra lapidoſa diuerſa eſſe poteſt iuxtà varietatem lapidum, quos complectitur: quapropter Terrarum aliæ lapidoſæ, ſaxoſæ, arenoſæ, marmoreæ, & gemmis refertæ vocabuntur. Deniq;Terra ſuccoſa nominabitur, quæ ſuccum aliquem concretum complectetur: Siquidem à Sale ſalſa,à Nitro nitroſa,ab Alumine alumino a,à Sulphure, ſulphurea,& ſic deinceps à Bitumine bituminoſa cognominabitur.

Terra compoſita triplex.

Alia Terreni diuiſio Poſt tot,& tam varias Terrarum differentias ab Authoribus paſſim recitatas,nos omiſſa Philoſophorum doctrina, vt Vulgarium intelligentiæ famulemur,hanc diuiſionẽ comunẽ amplectemur,Terrarum ſpecies ad duo potiſſimũ genera reuocãtes, nempe ad humanum vſum, nec non ad Regiones, a quibus variæ Terræ nomen, & originem ſortiuntur. Cæterùm cum hæ in humano vſu præcipuè ſint neceſſariæ, de Terris Agricolarum, Figulorum, Fullonum, Pictorum, & Medicorum agemus;& quamuis multæ Terræ medicæ aliquibus alijs artificibus famulentur: cum tamen vſus Medici ſint plures,de his fuſ, & ſigillatim verba fient.

TERRÆ AFFINIA.

ARENA, Sabulum, Saburra, & Glarea ſunt quædam, quæ vel propinquitate, vel affinitate Terræ coniuncta eſſe videntur; ideoq; poſt Terræ differentias in hac hiſtoria aliquem locũ promerere videntur. Arena nuncupata eſt ab adhęrendo, vel potius ab ariditate;cum arena maximè ſicca probetur,& quæ humorem affuſum citò conbibat; quapropter arenæ bibulæ à Poetis meritò nuncupantur: quamobrẽ Medici ab hoc effectu edocti, in ſananda hydrope, arenas adhibent,dum Patientem in arenarum aceruo ſepeliunt. Romani quoq;in area Amphitheatri copioſam arenã ſpargebant, vbi venatio Ferarum,& ludi gladiatorij celebrabantur,fortè vt Rixantes abſq; corporis noxa caderent, vel potius, vt arenæ bibulæ ſparſum ſanguinem citò ſorberent ne ferale ſpectaculum oculos ſpectantium læderet. Ab hac arena ortum eſt illud adagium. *In Arenam deſcendere.* Hoc ſpectat ad illos,qui certamen inire ſolent. Immò Manutius in Adagijs dixit. *Arenam cedere.* Hoc prouerbium profertur de illis, qui à pugna recedunt. Deinde arena diuerſa eſt iuxtà locum,quandoquidem alia Foſſitia,alia Fluuialis,& alia Marina nuncupatur. Ratione ſubſtantiæ,alia eſt craſſa,alia tenuis, alia mediocris. Præterquamquod coloris cuiuſcumq;generis eſt capax. Figura arenæ eſt ad

Hydropis remedium.

Arena cur in Amphitheatro.

ſimi-

A similitudinem lentis; sed hoc de quacumq; arena non est pronunciandum, sed tantùm de illa, quæ in maiori parte Africæ reperitur. Interdum arena alicuius rei fossilis est particeps, sicq; aurea, vitraria, nitrosa, & sic deinceps nominatur. Demùm varios sortitur vsus, duri in fabricis, in sectione marmorum, & in horologijs arenarijs adhibetur. Huic cõsultò addere possumus sabulum, & saburram, cum quamdam arenæ speciem esse Scaliger stabiliuerit. Sabulum autem crassius arena, & Saburra Sabulone crassior constituitur. Varias sortitur Sabulũ differentias, nam aliud albũ, aliud nigrum, aliud rubrũ, & aliquãdo pingui Terræ permixtum inuenitur. Originem ab arena non habet discrepantem; quandoquidem arena, iuxta eruditorum virorum sententiam, ortum ducit ab arenario saxo, æstu, vel gelu, vel aquarum impetu comminuto. Cęterùm nascitur etiã arena ex lapide vitrario, ex Marga lapidea, ex saxo calcario, & ex omnibus ferè lapidibus, & saxis, immò interdum ex bitumine terreno in lapidem durum iam transmutato, & tunc resultat illud arenæ genus, quod carbunculum cognominant, veluti Agricola optimè annotauit. Postremo prædictis copulanda est glarea, quę fragmenta lapidis mar-
B moris, silicis, tophi, & saxi refert: hæc enim iuxtà mentem Agricolæ, ijsdem modis, quibus sabulum, & arena, oritur.

Arenæ figura qualis.

Exercit. 140.

Li. de caus. subter.

Lib. 7. de nat fossil.

PARTVS TERRÆ REMOTIORES.

CVM Terra omnium parens paulò ante fuerit cognominata necessariò quædã Mixta imperfecta, vt Meteora originem ab illa trahunt; cum tamen nullam cũ Terra cognationem, vel affinitatem habere videantur: quandoquidẽ ab omnibus Philosophis Aer cunctorũ μετεώρων perpetua sedes, & officina cõstituitur: nihilominus, quia hęc Mista imperfecta suo pondere in terrã dilabuntur, vel in superficie terræ colliguntur, vel potius, quoniã ab vtero Terræ sua primordia ducunt, inter partus Terræ remotiores collocãda esse cẽsuimus. Etenim exhalationes, & vapores partim ex Terræ superficie, partim ex penitioribus partibus eleuantur, deinde in suprema, vel media,
C vel infima aeris regione formã Mixtorũ imperfectorum recipiunt, de quibus Philosophus sigillatim in libris Meteorologicis verba fecit. Verùm non memorauit Agaricum aereũ nostris temporibus obseruatum, quo in Persia, & Arabia pluit, & formã Agarici in secunda Aeris Regione induit (vt nostra fert opinio) leue est colore leucophæo, sapore salso, substantia quasi lanea: immò instar Amianthi in filamenta ducitur, & in Odontalgia à causa frigida pendente fælici cum successu adhibetur Diuus Hieronymus in Epistolis scriptum reliquit, anno AVG. M. C.XIX. Valentiniano, & Valente Impp. Attrebati in Gallia Belgica, Manna lanea huic fortassis Agarico non absimili pluisse, eaq; cum subtilis foret, & lanificio apta, Incolas plurimùm ditatos fuisse. Hæc Manna hodie Attrebati in Aede D. Virginis tanquam res sacra adhuc seruatur. Item L. Paulo, & C. Marcello Cos. lana pluit circa castellum Carisanum, iuxta quod, transacto anno, T. Annius Milo fuit interfectus. Deinde Ceraunium lapidem, Ombriam, vel Notiam, vel Brontiam in media aeris regione generari, & in terram cadere multi referunt; sed de his in postremo libro huius operis agemus.

Agaricum aereum quid.

Manna lanea quæ.

D Ad similes Terræ partus Alcyonium, & Adarcion referri debent, cum partim ab exhalationibus, & vaporibus, partim ex limo Terræ concrescant. Itaq; concretio quædam reperitur circa frutices Maris, & aliquando in locis palustribus salsis iuxta arundines, & herbas, quæ spuma maris à Multis nuncupatur, quoniam ex spuma crascessente nasci videatur. Nuperi spumam maris vocant omne Alcyonij genus, cum tamen hoc nomen Dioscorides quinto tantùm Alcyonij generi assignet: etenim Halosachne, nimirum spuma Maris patrio nomine in Propontide nuncupatur, quoniam ἀχνη est gluma; hinc ἁλοσάχνη spuma Maris, cum in Mari tanquam gluma innatet. Plinius Alcyonium ex nidis Alcyonium auium generari scripsit: est enim ἀλκυὼν auis ita nominata παρὰ το ἐν ἁλὶ κυΐσκειν, apariendo in mari; hinc ἀλκυονίδες ἡμεραι dicuntur illi quatuordecim sereni dies, tẽpore brumali, quibus huismodi aues nidificando fætificant: vnde postea Alcyonium est denominatum, quia ex sordibus tenuissimis, ex quibus prædicta auis nidum componit, constructum esse videatur. Cæterum, vt nostra fert opinio, Alcyonium erit vocandum, quoniam supra id congestum Alcyones aues nidificent. Vtcumq; sit Dioscorides

Alcyonii, & Adarcion.

Li. 32. c. 8.

Li. 5. c. 21.

Alcyonij ſpecies quæ.

rides quinq; Alcyoni genera proponit,quamuis Plinuis quatuor tãtùm cognouerit.Primum eſt ſpongioſa facie & tetri odoris, ſecundum eſt ſpongioſum, & Algam redolet, tertium eſt formæ vermicularis, & colore purpureum, quartum lanis ſuccidis aſſimilatur, quintum eſt figura fungi aſperum, & parte interna quodammodo fiſtuloſum. Duo prima genera in Smegmatibus fæminarum aduerſus lentigines, & maculas faciei Dioſcorides commendat, & poſtremum genus ad dentes dealbandos prædicat. Hic primo loco damus iconem ſecundæ ſpeciei Alcyonij Dioſcoridis ſub numero 1.

Alcyonij ſecunda ſpecies Dioſc.

1

Deinde duas alias Alcyonij ſcabri ſpecies repræſẽtamus.Prima poteſt vocari Alcyonium ſcabrum, & aſperum inſtar limæ, nam ſua aſperitate pellem ſquatinæ piſcis exprimere videtur. Superior pars eſt figuræ bifidæ, & in parte inferiori ſua radicula terræ innatum videtur: ſubſtantia partis internæ apparet quidem mollis,non tamen ſpongioſa,neq; foraminibus referta, & odorem minimè ingratum ſpargit. Deinde Alcyonij ſcabri alteram ſpeciem damus delineatam.

Alcyonium aſperum inſtar limæ.



Alcyo-

A

Alcyonij asperi altera species.



B

Ab Alcyonio non valde discrepat Adarcion, seu Adarces, vt monet Dioscorides, qui, post historiam Alcyonij, de Adarce disseruit. Est enim Adarces quasi concreta salsilago in locis paluſtribus Cappadociæ per siccitatem emergens circa Arundines, & alias herbas, & aliquando circa Iuncos, vt in hac icone ostendimus. *Lib. 5.*

Salsilago concreta circa iuncū instar Adarcis.



Eſt Adarcion facie Alcyonij mollioris, itaut Alcyonum lacuſtre nũcupari poſſet. Galenus Adarcion, ſeu Adarcon vocari ſcribit, & acerrimum, necnon calidiſſimum eſſe medicamentum foris tantùm vtile alijs commixtum, quæ eius violentiam frangere poſſint. Lepræ, Lentigini, & alijs cutaneis vitijs medetur. Iuxta mentem Plinij, Adarcion dicitur etiam Adarcha, & Græcis, ipſo referente, nominatur Calamochnos, quaſi calami lanugo; quia χνοὸς eſt raſio, item lanugo, hinc καλαμοχνὺς lanugo Arundinum, cum naſcatur adhærens Arundinibus tenuibus, e ſpuma aquæ dulcis, & marinæ, quando ad inuicem permiſcentur. Si vocabulum, Adarces, à Græcis deducatur, fortè ab hac voce ἀδέρκης originem trahet, quæ vox obſcuritatem exponit, cum Adarces ſit quædam concreta ſalſilago in locis opacis, & obſcuris inuenta. Plinius alibi tradidit Adarcham in Italia eſſe paluſtrem lanuginem in cortice tantùm ſub ipſa coma naſcentem. Obſeruatur autem in prædictis locis quidam veluti frutex pennis auium ſimilis, quem Vulgus Pennam marinam vocat, huius cauliculo ſub coma mollis lanugo adhæret, inſtar ſerici, quæ in parte inferna à cruſta tegitur. Itaq; Calamochnos erit prædicta lanugo, cruſta verò erit Adarcha. Hoc in loco exhibemus tabellã tribus figuris delineatam, in qua ſub numero 1. Adarces pericalamites conſpicitur, ſub numero 2. apparet Adarcion ſimile alumini ſciſſili. Deniq; ſub numero 3. proponitur Adarcij figura, quæ penam marinam repræſentat.

Adarces quibus morbis medeatur.

Penna marina quid ſit.

1 Adarces Pericalamites.

2 Adarciõ ſimile Alumini ſciſſili.

3 Penna Marina.





DENOMINATA.

VT in famulatu studiosorum maximè voluntarij simus, illa in præsenti enumerabimus Præcipua, quæ à Terra denominantur. Primitùs Territorium se se offert considerandum, quod, Frontino teste, indicat quicquid, arcendi hostis causa constructum est. Alioquin pro Territorio Vniuersitas agrorum iuxtà fines cuiuscumq; ciuitatis intelligitur. Deinde Terreum, & Terrestre vocatur quodcumq; ex Terra resultat. Terrenum verò significat quicquid in Terra natum est, quod in Terra viuit & id omne, quod commune aliquid cum Terra habet. Sed Terrenum substantiuè acceptum Terram cultui aptam designat. Terrigena ex Terra genitus exponitur, & Terricola, qui Terram habitat, & pro epitheto hominum à Poetis vsurpatur. Deniq; Terremotus est Terræ concussio, quæ ab exhalationibus in vterò Terræ genitis procedit, dum exitum quæritant.

Terrella est parua Terra, quę Græcis μικρὸν nominatur. Item Terrella, ex aliquorum sententia, vocatur Magnes, in formam sphæricam redactus, quia Terram æmulari videatur, nam, præter polos; Mundi polis respondentes, Æquatorem, Paralellos. Meridianum; & Orizontem proprium sortitur. Terraneola, authore Sipontino, est auis Alaudæ similis, in capite tamen apicem, instar Alaudę, non gestat, & talem à Terra denominationem est adepta, quoniam non in arboribus, Sed in terra semper niduletur. *Terrella quid sit.* *Terranella est Auis.*

EPITHETA.

MAGNA non debet nos inuadere admiratio, si Authores, & potissimum Poetæ omnibus Epithetorum aceruis Terram cumulare nitantur quandoquidem varijs modis considerata, diuersa quoque epitheta promeretur. In primis superficiem Terræ contemplati, illam Herbidam, Gramineam, Viridem, & Floridam cognominarunt. Pariter Græcis in hoc sensu τὴ θαλέρη, nimirum virens, & florés fuit nuncupata. Item Terræ forma, & substantia diligenter considerata, ea dicta est Solida, Rotunda, Globosa, Sinuosa, Pumicosa, Habitabilis, & Rudis, Necnon Græcis πολυχμὴς circa quam multum laboratur; pariter πελώρη Immanis, μέγαλη Magna, & Ingens, & βαθήχρηπις habens fundamentum profundum. Similiter ὀρεσέρα Montosa, & γροχειδὴ Rotunda. Sin meditemur Terram vt communem omnium parentem, & alimenta in gratiam animalium producentem, non possumus nisi illam cum Poetis, Grauidam, Feracem, Fertilem, Frugiferam, Multi param, Benignam, & Altricem appellare: propterea Nazianzeno μητειρα βροτῶν, nempe Mater mortalium non immeritò cognominatur, & Alijs γὴ πολυθορμη & παντμήτειρα, quia multis pabulum præbeat, & omnia pariat. Amplius cum res pretiosas etiam producat, Diues, Opulenta, Metallifera, & tandem Omnipotens fuit vocitata. Postremò, quoad primas, & secundas qualitates Poetæ Terram siccam, Vdam, Odoriferam, Lutosam, Lutulentam, Glutinosam, Tenacem, Pinguem, Argillosam, Arenosam, & Cretosam indigitarunt. Item apud Homerum γαῖα μέλαινα, nempe Terra nigra, necnon σκληρὴ scilicet Dura, & Aspera legitur. *Epitheta græca.*

ADAGIA.

IAM in prouerbijs inquirendis à Terra desumptis non modicus labor nos agitare debet, cum hæc vtilitatem non vulgarem afferre possint. Itaq; *Terræ onus.* Est prouerbium, quod de homine vehementer inutili dicitur, qui nil aliud præstat, nisi quòd suo pondere Terram grauat. Hoc adagium Homerus varijs in locis Iliados memorauit. *Tuam ipsius Terram calca.* Hoc profertur, quando iubemus alicui vt suo loco se contineat, quoniam cum parum illi fidamus, nolumus illum in domesticam consuetudinem recipere *Alienam calcare Terram* dicuntur illi, qui ad aliena studia, vel negotia se conuertunt; verbi gratia cum sint Iuris periti de rebus medicis

dispu-

diſputare volunt. *Terram videre* hoc pronunciatur adagium, quando moleſti alicuius negotij finis impendet: hoc enim prouerbio à Nauigantibus ſumpto Q. Curtius vſus *Lib. 4.* eſt. Item Diogenes aliquando prolixum volumen recitans, cum eò peruenisſet, vt libri finem videret ſtatim exclamauit γῆν ὁρῶ ideſt Terram video. *Terræ filius.* Hoc ſpectat ad illum, qui obſcuro, & ignoto genere eſt prognatus; cum Terra communis omnium parens eſſe feratur: quocirca Poetæ Gigantes Terræ filios eſſe finxerunt, propterea quòd eorum origo eſſet incognita. *Terram pro Terra* hoc iactatur in hominem exulem, & ſedibus incertis vagantem: Siquidem Cicero hoc vſus eſt in Epiſtolis ad Atticum, quando dixit. *Hæc, & alia ferre non poſſum, itaque γῆν πρὸ γῆς cogito.* Vbi Author ſignificare conatur ſe de fugiendo cogitare. *Terræ bona.* Hoc effertur de immenſis bonis, quaſi dixerimus: illæ habet Terræ bona, nimirum quicquid Terra rerum omnium parẽs producit. *Terra amat imbrem.* Spectat ad illos, qui bona ſibimet commoda, & perutilia deſiderant. Terra enim frigida cum ſit, & ſicca imbrem appetit, qui, iuxtà locum, à quo deſcendit, calidus, & humidus nuncupari poteſt. *Terræ inteſtina quæ.* hoc pronunciatur de rebus vilibus, & nullius valoris, quoniam ſaxa inteſtina Terræ eſſe feruntur: pariter homines inutiles lapides appellantur. Hoc non videtur ab ſimile illi. *Telluris inutile pondus.* Plautus in Pſeudolo vſus eſt adagio. *Aut Terra, aut mari.* Id q; ſumpſit pro quacumq; ratione. Item Cicero ſcribens ad Atticum hęc verba protulit. *Qua aut Terra aut Mari proſequar eum, qui vbi ſit neſcio.* Voluit enim inſinuare hanc ſententiam: qua ratione potero illum proſequi? *Terra volat* dicitur de re admodum abſurda. Huic ſimile eſt illud. *Terra citius ætherem conſcendet* profertur ad ſignificandam negotij difficultatem, quod nequaquam peragi poteſt.

Gigantes cur Terræ filij dicantur.

Lib. 14.

Terræ Inteſtina quæ.

Lib. 7.

SOMNIA.

Lib. 1. de Somn.

SOMNIAVIT aliquando vanus ille ſomniorum coniector Cardanus, Terra per quietem viſa aliquid præſagiri. Propterea per Terram viſcera intelligit, cum ex illis alimentum trahatur, necnon Matrem, & Patriam: quandoquidem Terra non ſolum omnium Mater, ſed etiam Patria communis nominatur. Ideo ſi quis in otio ſomni verſans Terram alloqui ſibi videatur, longam ſibi vitam polliceri poteſt; prętereterquam quòd hoc ſomnium immenſas opes promittit; cum è Terra omnes facultates eruantur. Effodiuntur quidem ex Terræ viſceribus multæ opes, ſed in vtilitatem ſomniantis nunquam redundaſſe vidimus.

Inſuper addit Cardanus, ſi quis ſomno oppreſſus Terram temere obſeruauerit, eum infælicitate, atq; timore eſſe afficiendum. Pariter Terræ mugitum calamitatis indicium eſſe voluit. Sed quis erit tam ſtolidus, qui neſciat hoc etiam vigilantibus eſſe detrimento: Siquidem huiuſmodi tremor; & mugitus ab exhalationibus in Terræ vtero genitis exitum quęrentibus oritur: vnde interdum fiunt Terræ hiatus qui homines, & beſtias abſorbent. Immo Author ex ingenti ſpecu per diuiſionem Terræ facto, & per ſomnium viſo, non ſolum mortem potentis viri, & animalium peſtilentiam, ſed etiam regionis perniciem præſagit. His addit aliud nugamentum, nempe ſi Terra ſomnianti benè olere videatur, tunc ſomnians nobilem de ſe famam per hominum ora ſpargi intelliget. His igitur rationibus moti non poſſumus niſi hunc Authorem aſſiduum Congerronem prædicare, dum bonam temporis partem in nugis collocat.

Terræ tremoris cauſa.

MYSTICA.

NIHIL eſt nobis magis in votis, quàm vt res myſticæ intelligantur. Codex ſacer in Geneſi hæc habet verba. *In principio creauit Deus Cælum & Terram:* quo in loco, exponente Ioachimo, Terra ſignificat illam partem hominum, qui in primordio Seculi, Deo poſtpoſito, carnem ſequebantur, ideoq; dicti ſunt filij hominum, ad differentiam eorum, qui filij Dei vocabantur. Immo, eodem Ioachimo interprete, per Terræ creationem cum Cælo, Angelica, & Humana natura denotatur. Rurſus quãdo legitur in Geneſi. *Terra es, & in Terram ibis;* tunc, per Terram, homo criminoſus intelli-

Filij Dei qui

Cap. 3.

A ſigendus eſt. Item, in eodem capite, Terra, quam comedit Serpens, ad mentem Laureti, crimina, & curioſitatem deſignat. Similiter in eodem capite, & ſubſequenti: Terra, in qua laborandum eſt, denotat veritatem, quæ non adeò facile inuenitur. Amplius in eodem Sacro Codice, Terra, cuius medulla erat à filijs Iacob deuoranda, ex ſententia Laureti, indicat Legis litteram, quæ medullam ſpiritualis intelligentiæ continet. Denuò, in ſacris Biblijs, Terra promiſſionis memoratur; ſed, per hanc, Beda Eccleſiam militantem, & triumphantem intelligit. Immo Terra fluens lac, & mel oſtendit cognitionem rerum diuinarum, qua Prophetæ, & Viri ſapientes imbuti ſunt. Alibi legitur Terra hoſtilis conſumens Iudæos. Hæc, iuxta expoſitionem Laureti, demonſtrat Euangelium, quo Iudæorum errores confunduntur. In eodem textu habetur Terra ænea, quam Lauretus legem interpretatur, quæ Iudæis ænea eſt reddita, cum illam non intellexerint. Cæterùm Terram, quam dat Moſes trans Iordanem, Origenes exponit legem Patribus antiquis datam, & viciſſim Terra, quam dat Ioſue citra Iordanem, legem euangelicam, & perfectam beatitudinem à Chriſto Domino aſſignatam deſignat. Ite-
B rum in Sacris paginis legimus Terram ſupra nihilum appendi; & Diuus Gregorius intelligit Eccleſiam ſupra gentes fundari, quæ olim nihilum appellabantur. Ibidem apud Iob, Terra abſq; homine, Diuo Hieronymo exponente, Ethnicos abſq; Prophetis demonſtrabat. At paulò inferius, per Terram ſalſuginis, Lauretus Iudæam à Deo derelictam interpretatus eſt.

Cap. 4. *Geneſ. c.* 45 *Exod. ca.* 3 *Leu. c.* 26 *Ioſue c.* 13 *Iob. c.* 26. *Cap.* 38. *Iob. ca.* 39.

Verùm Pſalmographus, & ipſe varijs in locis Terram memorauit. Itaq; per Terram, ex qua Veritas orta eſt, Eſſentia diuina ſignificatur. Item Veritas de Terra germinans, vt alibi in pſalmis habetur, exponitur alia Pſalmographi doctrina in pſalmo ſexageſimo quarto recitata, vbi legitur, quòd Terra dabit fructum ſuum: ſic enim intelligitur Chriſtus, qui de puriſſima Virgine carnem erat aſſumpturus. Alibi legitur Terra deſiderabilis; & hanc Terram Gloſſa interlinearis cæleſtem gloriam interpretatur. Poſtremò habetur in pſalmis. Sicut craſſitudo Terræ erupta eſt ſupra Terrã: his verbis Diuus Auguſtinus tumorem ſuperbiæ declarat. Præterea in ſacris aliorum Prophetarum Codicibus Terra paſſim legitur. Apud Iſaiam habemus: *in Terram reſpicere.* Et Gloſſa ordi-
C naria hominem auxilio carentem exponit. Apud eumdem habemus: *In Terram ea conterum Aſſyrium.* Multi interpretantur Dæmones, qui à viris iuſtis, & ſanctis conculcantur. Immò in eodem Codice legitur. *Aperiatur Terra, & germinet Saluatorem.* Hæc ad mẽtem Georgij Veneti, ſignificat Deum omnipotentem, tamquam primam cauſam, ex qua omnia producuntur. Amplius apud Ieremiam Terra ab ingreſſis contaminata indicat Dei Eccleſiam à malis Chriſti cultoribus pollutam, dũ prauis exemplis, & culpatis moribus cæteros offendunt. Quando autem idem Propheta ſcripſit Terram in ſolitudinem poſitam: tunc Synagoga deſolata, & deſtructa intelligi poteſt. Apud eumdem Ioachimus, per Terram Aquilonis, Mundum omni ſcelerum genere inquinatum interpretatur, & per Terram promiſſam, Eccleſiam, vel æternam Patriam promulgat. Narrat etiam Ieremias quandoq; imperante Domino in ædes figuli opus ſuper rotam formantis deſcendiſſe, qui, vaſe diſſipato, quod è terra fingebat, aliud ſtatim ſibi magis congruũ formauit. Hoc diligenter obſeruato, Propheta audiuit Dominum hunc in modum loquentem: nunquid ſicuti figulus iſte, non potero vobis facere domus Iſrael? Ecce
D ſicut Terra in manu figuli, ſic vos in manu Domini; quoniam figulus, cum luti poteſtatem habeat, ex eadem Terræ maſſa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam fingere poteſt. Rurſus idem Ieremias in ſubſequenti capite, per Terram figuli, facta lagunçula, interitum Iudæorum expoſuit. Quapropter hæc Prophetarum Myſteria nil aliud nobis, niſi timorem Domini inſinuant, quem Pſalmographus eſſe initium Sapientiæ retulit. Demùm legitur in Sacris Paginis ſuper latitudinẽ Terræ ambulare, & Diuus Hieronymus exprimit amplam, & latam viam, quæ homines omnium colluuione criminum contaminatos ad loca inferna ducit. Item habetur apud Oſeam, Terram abundare ſimulacris iuxta vbertatem ſuam. Diuus Hieronymus exponit Hæreticos, qui acumen ingenij ab omnipotenti Deo recipientes Idola ſibi fabricarunt.

Cap. 5. *Cap.* 14. *Cap.* 2. *Cap.* 3. *Cap.* 18. *Cap.* 19. *Pſal.* 84. *Pſalm.* 86. *Pſal.* 105. *Pſal.* 140 *Pſal.* 110. *Abac. ca.* 1. *Cap.* 10

TABLE

MORALIA

DOCTRINA moralis circa Terram verſans, primò illam tanquam elementũ poteſt meditari: ideò in hoc ſenſu Terra eſt fundamentum omnium grauium, omniaq; præter illam, mouentur, & cuncta ad illam peruenientia quieſcunt. Deus Optimus Maximus nobis Terra eſſe videtur, cum omnium rerum fundamentum, & Origo ſit; omniaque præter ipſum, naturaliter motum, & mutabilitatem ſortiantur: iuxtà illud Malachiæ. *Ego Deus, & non mutor.* Quocirca Viri perfecti, & virtutibus graues ad Deum affectu mouentur, & cum illo tantùm quieſcunt. *Cap.3.* Rurſus Terra in medio Cæli fixa, & immobilis manet, necnon frigida, & ſicca, & ab aſſiduis fluctibus maris flagellata. Eccleſia Terram æmulatur, dum in medio Cæli ob virtutem contemplationis, quieſcit, ibi firmitate fidei ſtabilis manet, frigida ob caſtitatem, & ſicca ob pœnitentiæ auſteritatem, necnon ab aſſiduis calamitatum fluctibus afflictatur. Terra cum ſit infimum elementum, & in medio omnium ſita à Sapientibus ſcabellum, & Mundi centrum appellatur. Cum igitur in Terra veſtigium Dei impreſſum appareat, Beata ſemper Virgo in hoc ſenſu Terra poterit nuncupari, quia fuit ſcabellum, in quo Deus Pater veſtigium impreſſit, dum filium nobis eſt largitus, qui imaginem, & ſapientiam Dei Patris repræſentat: iuxtà illud Iſaiæ. *Terra ſcabellum pedum meorum dicit Dominus,* *Cap.66.* Deinde veluti Terra cunctorum Mater eſſe traditur: ita Beata ſemper Virgo Peccantium mater nominatur: etenim dicebat Diuus Bernardus. *Maria omnibus omnia facta eſt, & in ea Peccator veniam, Iuſtus gratiam, & Angelus Lætitiam inuenit.* Aut potius dicamus Beatam ſemper Virginem, inſtar Terræ, in medio ſemper verſari, dum inter Deum, & hominem manet: iuxtà illud Ezechielis. *Iſta eſt Hieruſalem, in medio gentium poſui eam.* *Cap.5.* Aut etiam aſſerendum eſt Mariam ſemper Virginem tanquam virtutem in medio eſſe, cum virtus in medio ſemper conſiſtere perhibeatur. Rurſum Terra eſt corpus ſummè diſtans à Cælo, immobile, opacum, & obſcurum: huius conditionis eſt homo criminoſus, qui à Cælo, nimirum ab Omnipotenti Deo maximè diſtat: dicebat enim Iſaias. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum.* *Peccans à Deo diſtat.* Præterquamquòd Peccans pigritia immobilis, ignorantia, & ſtoliditate obſcurus, impietate frigidus, & deniq; priuatione humoris gratię ſiccus eſſe dicitur. Iterum Terra ab omnibus calcata, vilis quoad partem extimam apparet, cum tamen partes intimæ multa pretioſa, nimirum metalla, & gemmas occultet, quæ ibi virtute Solis producuntur. Viri pij, & animi demiſſione perfecti partem exteriorem cunctis tanquam vilem oſtendunt, cum penitiores conſcientiæ partes pretioſam gratiæ virtutem complectantur, quæ à verò Sole Chriſto procedit. Viceuerſa Terra iuxta ſuperficiẽ conſiderata frigida eſt, cum tamen internæ partes incendijs conflagrent; idq; in multis Terræ locis ignem eructantibus manifeſtatur: pariter multi ſunt homines, qui, quoad faciem exteriorem, benignitate, & animi demiſſione perfecti videntur; nihilominus partes cordis intimæ ardore auaritiæ, & odij comburuntur: iuxtà illud Eccleſiaſtici. *Et qui nequiter ſe humiliat.* *Cap.19.* Si diligenter Terram meditemur, illam aliquibus in locis eminẽtem, & in alijs depreſſam comperiemus, cum hoc tamen diſcrimine, vt depreſſa ſit calidior, & fæcundior, cum maior in conuallibus, quam in montibus radiorum Solis aggregatio fiat. Multi homines ſunt huius cõditionis: ſiquidem alij proſperitatibus, & dignitatibus attolluntur, & alij ærumnis, & calamitatibus deprimuntur, ſed hi ſunt cæteris charitate calidiores, & bonis operibus fæcundiores, quoniam maiorem radiorum diuinæ gratiæ copiam participant. Item cum Terra à Cælo valde diſtare videatur; attamen Cælum occultè in illam influens, eſt in cauſa generationis eorum, quæ ibi producuntur: ſic Deus Cælo, & Homo Terræ aſſimilari poteſt, nam Deus occulta prouidentia in hominem terrenum influit, & eſt cauſa omnium, quæ pro ſalute animæ ibi producuntur, iuxta aſſertũ Diui Hieronymi. *Omnia Dei prouidẽtia agi.* *Omnia Dei prouidentia aguntur.* Tandem cleuẽtum Terræ ad ſingularem Chriſtianorum morum integritatẽ ab Omnipotẽti imperfectè conditũ eſſe perhibetur; ne ſcilicet contemplantes omnia ex Terra oriri, & orta ad eam reuerti, diuinis honoribus eam cumularent: quamobrem Diuus Chryſoſtomus id diligenter ponderat his verbis. *In ſerm. de ieiun.* *Terram perfectam poterat producere ſicuti Cælum, ſed propter te, & propter ſalutem tuam non fecit, nam, & corpora noſtra ex ipſa ſunt, & ex ipſa etiam corporum nutrimenta, & ex ipſa quoq; &*

in ipsa nostra habitatio est, & post mortem in ipsam rursus redimus: ne fortè igitur ex his omnibus, quæ ex ea videris consequi beneficijs, lubrica cogitatione in impietatem delapsus ipsam esse vitam putares, & vituperares Authorem; propterea imperfectam eam, atq; incompositam produxit, vt tu intelligens, quòd indiget etiam ipsa opere, & benefitio Conditoris, cultum, venerationemq; diuinam Creatori omnium referes Deo.

Hactenus de Terra, quatenus est elementum, considerata. Iam sese offert ponderãda, quatenus cultui peridonea traditur: Sic enim moribus etiam inculpatis famulari potest. Itaq; Terra veluti in medio Maris sita, frigidæ, & siccæ temperaturæ, aratris scinditur, vt fæcunditatem acquirat. Homo pœnitentia ductus in medio maris contritionis mersus esse videtur, dum frigidus, & pœnitentiæ austeritate siccus dicitur; ideoq; rectis operationibus excultus, acquisita gratia, fructibus, nimirum meritis fæcundatur. Etenim Terra, iuxta diuersam culturam variè se se habet; nam quantò plus foditur, & colitur, tantò magis ad recipiendos Cælorum influxus disponitur, & fructus copiosiores generat: viciſſim si relinquatur inculta, influxus cæleſtes minimè recipit, & tandem infæcunda remanet: Similiter anima nostra, quando pœnitentia, & ærumnis exercetur ad lumen diuinæ gratiæ recipiendum idonea redditur, & fructus copiosiores fundit: iuxtà illud Prouerbiorum. *Qui operatur Terram suam, saturabitur panibus.* Quando autem anima nostra pœnitentia postposita, & spretis ærumnis in dies otiatur, tunc illi diuinæ gratiæ lumen non communicatur, consequenterq; fructibus bonorum operum priuatur. Terra interdum ita globosa, & compacta est, vt semina haudquaquam recipere possit: nihilominus fracta, & comminuta non solùm semina facilè amplectitur, sed etiã copiosiores fructus gignit. Terræ huius generis diuitijs comparantur, quæ in scrinijs cumulatæ semina virtutum, germina gratiarum, & fructus rectarum operationum impediunt. At dissipatæ cum fuerint, semina, germina, & fructus virtutum, & gratiarum perficiunt. Optima Terra vel pluuia, vel rore perfusa, illicò mollescit, & fæcundatur, sed lapidosa cum fuerit, nulla humectatione roris, vel imbricum mollitur: Vir probus optimæ Terræ assimilatur, qui statimatq; rore diuinæ scientiæ aspergitur, & imbre prædicationis humectatur, illicò contritione mollescit, & bonis operationibus fœcundatur. Sin fuerit homo criminibus lapidosus, hic obstinatione duratus nullam mollitiem acquiret. Tandem Terra brumali tempore, niue operitur, gelu constringitur, necnon floribus, & fructibus spoliatur, sed redeunte Veris Sole, deperditum virorem, & decorem adipiscitur. Sũt aliqui homines, qui, hyemali impietatis tempore, obstinatione constringuntur; quapropter fructibus, & floribus gratiarum, & virtutum priuantur; sicq; decore perfectionis, gratiæ & honestatis nudati niue tantùm mundanæ prosperitatis exornantur. Verùm si Ver cũ Christo Sole gratiarum ad eos reuertatur, tunc virorem honestatis, flores diuinarũ cogitationum, & fructus rectarum operationum recuperant.

Homo pœnitentia ductus cur similis.

Cap. 28.

Diuitiæ cumulatæ qd pariant.

Christus verus Sol.

Iam ad ponderandas varias Terræ species accedamus, & Terram sigillatam Terræ medicæ speciem meditemur, quæ cohibendi sanguinis vndequaque manentis facultatem possidet. Huiusmodi Terra nobis memoriam mortis repræsentat, quæ virtute adstringente potitur, dum monumento mortis sanguis voluptatum coerceatur: ad rem enim scriptum est in sacro Codice. *Memor estò, quoniam mors non tardabit.* Est alia Terræ species Argilla nuncupata, glutinosa, & tenax hæc ad impressiones, & sigilla recipienda valdè idonea est, immò virtute ignis in lapidem vertitur: hac Terræ specie homo perdito luxu viuẽs significatur, in quo voluptatum tenacitas viget, ideoq; is ad recipiendam quamcumq; vitiorum impressionem est valdè idoneus, & tandem criminum incẽdio cõcalefactus duresci in lapidẽ: quamobrem de huiusmodi Peccantibus apud Iob legitur. *Cor eorum indurabitur tanquam lapis.* Deniq; homo potest ad Argillam comparari, quæ cum sit terra mollis tandem in lapidem cõuertitur, quandoquidem homo in iuuentute constitutus, propter mollitiem, omne correctionis genus susti pit. At senescens adeò durescit, vt nullam correctionis impressionem recipiat.

Eccl. c. 13.

Cap. 41.

HISTORICA.

L.35 c.13. IN Regione Cyzicena eam eſſe Terræ naturam ſcribit Plinius, vt exciſa, & in mare proiecta paulò poſt in lapidem conuertatur. Hoc idem circa Caſſandram accidere multi tradunt. Immò in Fonte Cnidio aquam dulcem fundente, ſpatio octimeſtri, Terra lapideſcit. Circa Aulidem quæcumq; Terræ portio, quæ mari alluitur, in ſaxum tranſmutatur. Litus etiam Paleſtinæ, & Ægypti, referente Agricola, eodem modo dureſcit. Quamobrem id Terræ genus aluminoſum, atramento ſutorio infectum, & bituminoſum eſſe oportet. Huius etiam conditionis videtur eſſe puluis puteolanus; quandoquidem ab aqua maris contactus in lapidem vertitur. Paraſinum eſt ciuitas Peninſulæ Turcarum, cuius Terra, ex Plinij ſententia, referente Ortelio, cuncta vulnera ſanare perhibetur. Demùm narrat Adricomius in Theatro Terræ Sanctæ, Aceldema fuiſſe figuli agrum ad partem auſtralem montis Sion ſitum, qui, Iudæorum conſilio, triginta argenteis, quibus Iudas Chriſtum vendidit, in ſepulturam Peregrinorum venditus fuit, quem Imperatrix Helena quatuor muris longitudinis ſeptuaginta, & latitudinis quinquaginta pedum includi iuſſit; vbi Chriſtianorum cadauera conduntur. Eſt autem huius Terræ virtus mirabilis, quæ omnem fidem ſuperare videtur; ſiquidem hoc in loco corpora defunctorum, ſpatio horarum viginti quatuor, in puluerem rediguntur; quam virtutem hæc Terra in aliam etiam regionẽ delata nequaquam amittit; quoniam, iuſſu Helenæ Imperatricis; tantum huius Terræ Romam aduectum eſt, quantum ducentæ, & ſeptuaginta naues capere potuerunt, quæ iuxta illum locum montis Vaticani exoneratæ ſunt, quem Incolæ Campum Sanctum vocitant. Hæc autem Terra, licèt Cælum mutauerit, eamdem tamen vim retinere quotidiana docet experientia; cum Romanos reſpuens ſola Peregrinorum cadauera admittat, quorum omnem carnis ſubſtantiam, Oſſibus tantùm rælictis ſpatio diei naturalis, abſumit.

Puluis Puteolanus qualis.

Aceldema quid ſit:

SIMVLACRA, ET HIEROGLYPHICA.

PRISCI, pro Terræ ſimulacro, Cybelem Saturni vxorem in curru à Leonibus tracto pinxerunt. Alij autem, pro Hieroglyphico Terræ, caput Papaueris delinerunt, quoniam globoſum ſit inſtar Terræ, & infinita ſemina varijs interſtitijs diſtincta contineat, quæ ſemina varias Terræ nationes repræſentant, & quoniam in ſummitate capitis papauerei nonnullæ depreſſiones, & eminentiæ viſuntur, hæ montes, & conualles ſignificare traduntur. Deniq; caput papauereum nonniſi concuſſum edit ſonitum; ſic Terra aratro concuſſa, & agitata copioſum fructum reddit. Ægyptij, figura Tauri, ad indicandam Terram vtebantur, cum hoc animal ad agriculturam valdè ſit idoneum. Id etiam Sacræ Paginæ teſtantur, dum Boues pingues in ſomnis oblati Ioſepho fertilitatem, & macilenti ſterilitatem portendebant. Demum Ripa, vt ante oculos ſtudioſorum iconẽ Terræ repræſentaret, delineauit Matronam ſedentem iuxta mentem Manilij, qui de Terra ſic canit.

Par. 3. Icõ.

L. 1. Aſtrõ.

Vltima ſubſedit glomerato pondere Tellus.

Hæc Matrona corolla fructibus, floribus, & frondibus contexta redimitur, herbaceo induitur veſtimento, dextra globum, & ſiniſtra manu Cornucopiæ tenet, immò penès hoc ſimulacrum Leones, & aliæ animantes terreſtres viſuntur.

PRO-

A

PRODIGIA.

IVLIVS Obsequens, qui relatione Prodigiorum immortalitatem apud Posteros sibi comparauit, narrat Terræ tremorem circa acies Romanorum,& Picentium iam iam dimicaturas bis obseruatum fuisse, anno ab Vrbe condita octuagesimo quinto post quadringentesimum, & ante Christi aduentum sexagesimo septimo supra ducentesimum.Hic autem Terræ tremor atrocissimam cladem præsagiuerunt: siquidem Picentes ferè ad vnum trucidati, & Romanorum perpauci Victores fuerunt. Item anno ab Vrbe condita quadringentesimo quinquagesimo octauo idem Author Terram pluisse refert, quæ pestem Italiæ vniuersalem prædixit. Ex eodem Authore possumus etiam colligere pluuiam terream, & etiam sanguineam è Cælo descendisse, in templo Mineruæ tres mulieres fulmine fuisse afflatas, statuam aeream longo tempore aquam B ex ore profudisse, & alia multa huius generis accidisse anno ab Vrbe cõdita post quingentesimum octuagesimo octauo, & ante Christum natum cẽtesimo sexagesimo quarto. *Prodig.71.*

DE TERRA IN SPECIE,
Et primùm de Terra Agricolarum, & potissimùm de Marga. Cap. II.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

C MARGA ad mentem Gesneri germanicæ originis esse traditur: Marg enim nomine gentili medulla vocatur:vnde Margiuna Regio ad Mare Caspium sibi nomen comparauit. Est autem Marga Terra pinguis, & ad agros fæcundandos aptissima; ideoque non est mirũ, si Plinius hanc veluti Terræ adipem appellauerit.Immò hæc inter saxa aliquando tam fluida reperitur, vt alicuius animantis medullam referat. Quamobrem non immeritò saxa magnæ matris, nimirum Terræ ossa, & Marga medulla saxorum nuncupãtur. Hinc Germani idem significantes Steinomargam cognominant. Animaduertendum autem est Margam non inter vnum, & alterum saxum oriri, sed in fibris, & commissuris saxorum produci. Immo quantò fuerit mollior, tantò pinguior pro agris aratis fæcundandis, & quantò fuerit durior, eò plures annos durat,antequam tota soluatur. Nisi velimus asserere Margam esse deriuandam ἀπὸ τῦ ἀργο, cum hęc potissimũ alba inueniatur, quamuis varijs sit coloris, vt suo loco explicabitur. Aut quia μάργος Græcis dicatur luxuriosus; hinc fortè Marga nuncupata est illa Terra, quæ nimia pinguitudinis superfluitate redundat. *Li.17.c.6.* *Steinomarga quid sit.*

D

DIFFERENTIÆ.

SI prima facie meditemur Agricolarum Terras, hæ aut pingues erunt, & raræ, aut pingues, & spissæ, aut pingues, & mediocres. Aut erunt Macræ, & raræ, vel macræ, & spissæ, vel Macræ, & mediocres. Aut Terræ mediocres,& raræ,vel mediocres iuxta vtramque differentiam obseruabuntur, & hac ratione nouem differentiæ resultabunt. Rursum Terræ pingues,aut dulces sunt, aut acres, aut astringentes. Itẽ macræ, & mediocres vel acredinem,vel adstrictionem participabunt:hinc aliæ differentiæ manabunt. Verũ in assignandis huiusmodi Terrarum differentijs,confugere oportet ad doctrinã insignis illius Philosophi, & Poetæ Virgilij, qui in libris Georgicorũ has omnes differẽtias diligenter examinauit.Primitùs varias Terræ Agricolarum differentias, ratione temperamenti enumerat, dum canit. *Terrarum nouem differentiæ.* *Li.2. Geor.*

Nec verò Terræ ferre omnes omnia poſſunt,
Fluminibus ſalices, craſsiſq; paludibus Alni
Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus Orni.

Idem Author paulò inferius memorans Terras macras, pingues, raras, & denſas, ſalſas, & amaras, humidas, graues, & leues.

Difficiles primùm Terræ, collesq; maligni,
Tenuis vbi Argilla, & dumoſis calculus aruis.

Deinde.

At quæ pinguis humus, dulciq; vligine læta.

Et paulò inferius.

Nigra ferè & preſſo pinguis ſub vomere terra.

Rurſus de Terra ſpiſſa, & rara ſic cecinit.

Rara ſit, an ſupra morem ſi denſa requiras
(Altera frumentis, quoniam fauet altera Baccho,
Denſa magis Cereri rariſsima quæq; Lyæo.)

Demum inferius de ſalſa, & amara Terra ſcripſit hunc in modum.

Salſa autem Tellus, & quæ perhibetur amara
Frugibus infælix.

Plinius, in recenſendis Margæ differentijs, ſcriptis mandauit Græcos non præterijſſe illas Terras, quæ in aruis pinguefaciendis adhibentur, & memoraſſe inter margas albas vnam ſpeciem Leucargillam, nimirum Argillam candidam, qua in Terra humida, & frigida Agri Megarici vtuntur, nec non Cretam argentariam, & Gliſchomargã: eſt enim γλισχος glutinoſus, cum hæc Marga valde ſit glutinoſa. Alioquin multas alias Margæ ſpecies aſſignat, nempè, præter albam, rufam, columbinam, argillaceam, tophaceam, & arenoſam. Tophaceam albam tactu aſperam, ſed fertilem prædicat; huic proximam rufam, Capnomargam dictam commendat, quæ intermixtum habet lapidem Terræ minutæ, & arenoſæ. Hanc Stephanus Aqueus in Plininm fumum Margæ interpretatur. Differunt etiam Margæ ratione loci, quandoquidem aliæ in proprijs venis inueniuntur, quarum poſtea aliæ ſunt duræ inſtar lapidis, quæ, iuxtà ſententiam Agricolæ, frequenter à Ruſticis adhibentur, quoniam madefactæ in quemdam veluti ſuccum vertũtur. Nos hoc in loco Margas in lapidibus obſeruatas, iconibus exprimemus, cum nõnulli ſint lapides, in quibus Marga clariſſimè conſpiciatur. Habent enim tales lapides veluti vẽtrem diuerſa materia repletum Prima facie exhibetur figura lapidis coralloidis nuncupati, ob ſimilitudinem, quam cum Corallo gerit; coloris eſt ſubrubri tuberculis quibuſdam inſignitus, & cauitatem Marga dura, & ſplendida habet repletam, quæ ratione ſplendoris, lapidem Selenitem æmulatur.

Li. 17. c. 7.

Marga in ſaxis.

Non ſolum in multis ſaxis, ſed etiam in Silicibus Marga interdum obſeruatur: nam in multis Silicum figuris, quas hic exhibemus, ſed potiſſimùm in Silice ſub numero 2. id clarè poterimus conſpicari. Hic Silex corticem habet tenuem, cuius pars interior Margam ſolidam complectitur. Tertiam damus tabellam varijs Silicum figuris inſignitam, quarum prima eſt formæ trigonæ, & Margam nigram comprehendit. In hac eadem tertia tabella ſub numero 7. delineati ſunt Hirundinum lapilli, qui admoti oculis extrahũt feſtucas, de quibus poſteà ſuo loco ſermo habebitur.

Deſcriptio ſilicis Margam continentis.

Præter enumeratas Margæ differentias, notãdum eſt in altiſſimis montibus Heluetię Ditionis Bernenſium, & Lucernenſium, ſubſtantiam quamdam fungoſam oriri candore niueo, friabilem, leuiſſimam, & fornicibus ſpeleorum adhærentem, quæ fungum petreum, vel Agaricum ſaxatile imitatur; Incolę lingua vernacula Monmilch, nimirum lac Lunæ indigitant. Quidam Morochthum Veterum eſſe pronunciarunt. Nos Margæ friabilis genus eſſe exiſtimamus, quoniã in aquis ſi diſſoluatur, lacteum colorem producit. Similem Margam craſſiorem tamen, & duriorem prædicta R. P. Euangeliſta Quatramius Eugubinus in monte Maiella ſe inueniſſe fatetur: Item Balme eſt ſpecies terrę putris, & ad pinguefaciendos campos idonea; hanc quoq; Margæ ſpeciem eſſe opinamur. Apud Indos etiam reperitur genus Terræ candidæ, referente Ioanne Euſebio Ieſuita, quod ibi lapis Goſſipij nuncupatur, & febrientibus in aliquo liquore fæliciter propinatur, ſed cum in cauitatibus ſaxorum generetur, id quoq; ad genus margæ referendum eſſe arbitramur.

Lac Lunæ quid ſit.

Lapi-

Lapides Margam continentes, sed in primo clarè conspicitur.





Sili-

Silicum octo differentiæ cum Marga, quæ in ſecundo Silice eſt conſpicua.



Aliæ

Aliæ Silicum Differentiæ cum Marga, ſed in prima differentia Marga nigra continetur.


1


2

3


5

4

6

7

8

LO-

LOCVS, ET VSVS.

METALLARII ſæpius inueniunt hanc terram in venis, & commiſſuris ſaxorũ vocantes Steinomargam, & hanc apud Agricolas rarum habere vſum perhibent, cum nonniſi in lapidicinis reperiatur. Quoad vniuerſalem locum natalem huius terræ, notandum eſt hanc reperiri in nonnullis Gallię locis, qua per campos ſparſa pingueſcunt arua. Pariter hæc in aliquibus Saxoniæ locis iuxta flumina ſimilis alabaſtriti obſeruatur. Item in Turingis, & iuxtà Hirciniam Syluam reperitur. Præcipuus huius Terræ vſus verſatur in aruis fæcundandis, quandoquidẽ per agros ſparſa non ſtatim maceratur, neq; illicò in puluerem ſoluitur, ſed per aliquod temporis ſpatium aeri expoſita, & matutino rore, & diuturnis pluuijs, & hyberno gelu liquefacta tandem Telluri permiſcetur, & vicem lætaminis ſubit, ſicq; ad vbertatem frugum
Li.36.c.7. veluti condimentum euadit. Olim, teſte Plinio, vſus Margę in Britãnia, Gallia, & Græcia viguit. Hodie ſoli Saxones, in Magna Germania, Marga vtuntur; cæteræ autem Regiones fimo abundant, propterea Margam non perquirunt. Pariter arua Campaniæ in Italia adeò ſunt pinguia, vt Margam minimè deſiderent. Illam ſpeciem Margæ, quæ lac Lunæ nominabatur, Chirurgi, Geſnero teſte, in ſiccandis vlceribus ſummopere probant: immò huius drachmam in aliquo liquore ad lac augendum nutricibus propinant. Similiter addit Geſnerus ſe audiuiſſe à viro docto, & fide digno huiuſmodi Margam in coercenda hæmorrhagia cæteris medicamentis non cedere.

DE TERRA FIGLINA, ET ARGILLA. Cap. III.

SYNONIMA, ÆQVIVOCA, ETYMVM.

L.35.c.19. FICTORES, & Plaſtæ Terras tenaces, in quamcumq; partem ductiles, & quæ exſiccatæ non dehiſcant, communi nomine, iuxta ſententiam Plinij, Argillas cognominant. Apud Græcos κεραμὶς γῆ Terra figlina exponitur, quæ vox apud Platonem Cretam quoq; ſignificat: nec mirandum eſt, quandoquidem etiam Itali Terram huius generis Cretam nominant, quamuis perperàm, quoniam Plinius Cretam ab Argilla diſtinxit. Hoc nomen græcum nonnulli deriuant ab ἔρα ſcilicet Terra, vt κέραμος, quaſi ἔραμος dicatur. Sed aduertendum eſt, quod κέραμος eſt vox æqu iuoca, ſiquidem interdum te-
Æquiuoca. gulam, quandoq; vas figlinum, necnon omne inſtrumentum menſarium tam aureum, quam argenteum ſignificat. Pariter hanc Terram vncitant Argillam, & ſunt, qui hoc vocabulum vnico L. ſcribant, nec immeritò, quia hoc cum græca origine conuenire videtur: etenim Græcis antiquioribus ἄργιλος ſcribitur. Vius tamen oppoſitum obtinuit; cum apud Nuperos Lexicographos ſcribatur ἄργιλλος, quaſi albulus, nam ἄργος album deſignat. Fuit enim vt plurimum hæc Terra olim alba, & pura illa, quæ figlino opificio famulabatur; hodie tamen hæc variorum colorum moſtratur. Iſidorus fuit huius opinionis hoc vocabulum (Argilla) deductum fuiſſe ab Argis, apud quos primùm figlina vaſa ficta fuerint. A varijs Artificibus tam fictilia, quam lateres formantibus hæc Terra nuncupatur Maltha, forſitã, quia mollita, & Malthæ Priſcorum aſſimiletur, quæ ex cera,
Maltæ Ethymum. & pice liquida ad tabulas cerandas componebatur. Hæc ἀπὸ τῆς μαλθακίας nimirum à mollitie nomen deſumpſit. Alioquin Maltha erat quædam materia aduerſus omnem annorum iniuriam ex calce viua, & adipe ſuillo ſubacta. Immò aliquid hac materia inducere, Malthare Priſci dicebant. Italis vocatur Terra Creta, item Malta, Gallis Argille, Germanis Duhlic, Hiſpanis Arzilla.

NA-

NATVRA, ET PROPRIETATES.

ARGILLA, iuxta Galeni sententiam, Terra est aliqua ex parte candida, friabilis, & pinguitudinis expers; quod de omni Argilla non est intelligendum, sed de illa tantũ, quam σκίῤῥαν Græci cognominant. Aliter Argilla constat aqueo humido mediocri, & crasso; propterea parum durescit, habetq; nonnihil humidi pinguis: est enim mollis, viscosa, tenax, & naturaliter hac proprietate gaudet, vt quamlibet figuram facilè recipiat. Hinc Horatius ad rem de hac canebat.

——— *Argilla quiduis imitabitur vda.* *Li. 2. Epist.*

Namq; sicuti Terra Agricolarum debebat esse pinguis, & soluta; ita Terra figulorum pinguis, spissa, & mediocris esse debet, non dura, vti erat Marga. Immò deficiente terra spissa, mediocres raris sunt vtiliores. Quando igitur Terra hæc figlina erit pinguis, & spissa ad illa opera, & vasa reddetur idonea, quæ violentiæ ignis resistere debent. Vicissim quando Terta figularis erit pinguis, & rara, vasa ex hac ficta liquorem combibent, vel exsudabunt. Quapropter nonnulli Artifices, ad euitandum hoc incommodum, huiusmodi argillis arenas permiscent, sed pauco emolumento, quandoquidẽ fictilia ex his parata, & in fornacibus cocta pristinam raritatem recuperant, & liquorem pariter exsudant. Argilla verò ad lateres formandos apta naturaliter pinguis, & rara esse debet, quia facile cohæret in operibus minimè est ponderosa. Itaq; Cardanus quinq; proprietates optimæ Argillæ assignabat; primum vt esset leuissima, vt liquorem neq, combiberet, neq; exsudaret, deinde ne facilè frangeretur, & igni resisteret: nam quando figlina Terra his conditionibus gaudebit, insignia vasa ex illa formari poterunt. Quamobrem propter Argillam his prærogatiuis dotatam, variæ Regiones nobilitatæ fuerunt, in quibus similis Terra nascitur. Quapropter vasa, quæ olim fiebant Sagunti in Hispania laudabantur In Italia quæ Polentiæ, Astæ, Aretij, Mutinæ, Surenti, Cumis, Rhegij, & sic deinceps in alijs huiusmodi locis ficta probabantur.

Argilla pro lateribus. Lib. 5. de Variet.

DENOMINATA.

IN his historijs consuetum est Denominata, & Cognominata recensere: propterea ab hac voce κέραμος deducitur κεραμεῖς, vel κεραμεὺς figulus: nam κεραμεῖον est officina figuli, & κεραμεντικὸς ad figulum pertinens. Item κεράμικος, καὶ κεράμεος fictilis, vel figulinus dicitur, & κεραμιον vas figulinum. At κεραμὶς indicat tegulam: hoc tamen vocabulum apud Athenæum est æquiuocum. Quandoquidem, & testam, & dolium significat. Amplius ἀργιλεόδης est argillosus, vel argillaceus; nam argillaceum est, quod ex Argilla constat, aut quod instar Argillæ est tenax, atq; viscosum. Deniq; argillosum vocatur, quod Argilla abundat.

Aequiuocatio.

DIFFERENTIÆ.

CONSIDERANTES Argillarum differentias ratione qualitatis, primò incidemus in colorem: ideò Plinius huc respiciens variam esse argillam scriptum reliquit. Pariter Agricola, quoad colorem, varia Argillarum genera constituit. Itaq; Argillarum alia est candida, quæ sæpè in fodinis metallorum reperitur, Leucargillam Plinij nonnulli nominant, sed hæc inter species Margæ fuit numerata. Alia est Argilla alba, Eislebana dicta, in qua micæ argenteæ radiant. Alia pariter est Argilla candida, sed macra, & friabilis, Græcis Σκίῤῥα nuncupata, vt annotauit Suidas, ex hac Argilla Theseus aduersus Minotaurum bellaturus fictã in itinere Mineruam secum detulit: hinc mensi, quo id factum est, σκιροφοριώνος nomen impositum fuit: παρὰ τὸ φέρειν ἐν αυτω τον θεσεά Erat autem σκιρωφωρίον vltimus Atheniensium mensis, vt scripsit Demosthenes, & decimus apud ipsum esse videtur, vt animaduerterit Vlpianus. Nos corruptum Codicem esse existimamus: quandoquidem Suidas idem scribens. δωδεκάτον,

Li. 17. c. 7.

nempè

nempè duodecimum ſegit. Hactenus de Argillis, quæ quamuis à candore nomen inuenerint: nihilominus varij etiam coloris obſeruantur. Aliæ ſunt nigræ, aliæ luteæ, quæ magnam tenacitatem participant, aliæ puniceæ, virides purpureæ, cæruleæ, & cinereæ, ex quibus omnibus pigmenta parari poſſunt, & vaſa fingi, dummodo Argillæ diligenter elaboratę fuerint. Item Argilla odorifera inuenitur in Regno Bengalæ, ex qua fictilia egregia formantur. Immo eruitur è monte Maiella in Aprucijs terra ſimillima Argillæ cinereæ, quæ bituminis, & ſulphuris odorem ſpargit.

Differentiæ ratione coloris.

Præter colorem, & odorem Argillarum, ab earundem loco natali, & ſubſtantia, aliæ emergunt differentiæ; ſiquidem nonnullæ ſpecies tenuiùs, aliæ verò minùs duci poſſunt. Ideo nobilitate præſtant, quæ tenuius ducuntur. Propterea olim Romæ oſtendebantur duo fictilia in templo conſecrata propter tenuitatem Argillæ, certamine duorum figulorum, vter eorum tenuiorem Argillam duxiſſet. Quamobrem Columella huiuſmodi delicatam Argillam ſigillariam appellauit, cum imaginibus, & ſigillis ſit aptiſſima, & Hippocrates γῆν κεραμικὴν, καὶ κεραμίνιδα indigitauit. Craſſioris autem ſubſtantiæ eſt illa Argilla cinerea dura, qua typi tormentorum bellicorum maiorum, nempe bombardarum formantur. Item Pariſijs eſt fluuius Sena nuncupatus ambiens paruam inſulam, quæ in littore habet terram huiuſmodi typis valdè idoneam, quæ etiam ſi ſit humida, metalla liquefacta recipit, ad differentiam aliarum huius generis terrarum, quæ niſi fuerint exſiccatæ, metalla liquida non admittunt. In Valdeburgia Germaniæ nobile genus Argillæ naſcitur, quod denſæ, pinguis, & tenaciſſimæ eſt ſubſtantiæ; ideoq; vaſa ex hoc formata neq; ignibus læduntur, neq; ſorbent, neq; exſudant liquorem: his aqua fortis Antuerpiam atq; Venetias defertur. Vice verſa in Giſelana Regione Terra cinerea & rariſſimæ ſubſtantiæ inuenitur, ex qua facta vaſa, & vinum, & alium liquorem exſudant. Item Pitanæ vrbs Aeolidis, & Maſſia oppidum Hiſpanię vlterioris non procul à Tarteſo producunt Argillam adeò raræ, & pumicoſæ ſubſtantiæ, vt lateres ex illa formati aquæ ſupernatent. Ab hac diuerſa eſt Argilla dulcis Columellæ, quam ad tegulas & lateres aptiſſimam commendat.

Sigillaria Argilla quæ.

Vaſa denſa quæ.

Hinc conſiderandum eſt, quod ratione Regionum, Argillæ in qualitate & ſubſtantia variant. Argilla Bononienſis cinerea, excocta albedinem acquirit, & ignem difficulter tolerat, ex hac patinæ, & vrcei formantur. Alia eſt Argilla ſublutea Bononienſis, ex qua ollæ paratæ igni reſiſtunt. Argilla Fauentina eſt niuei coloris, propterea ex illa finguntur vaſa, quæ Balearica nimirum Maiolica imitantur. Eſt etiam alia terra alba Argillę ſimilis, quam Plinius Taſconium vocat, exhac catini pro fundendis metallis parantur. Hodie Terra alba Toſconio ſimilis è monte Carolo prope Piſas effoditur, quæ Terram Valentię, & Treguandæ æmulatur; ex hac apud Piſanos finguntur vaſa, quæ vitrum fuſum in fornacibus cõtinent, nequè omittitẽda eſt Terra cinerea Norimbergenſis, ex qua vaſa ad Orichalcum fundendum formantur. Pariter Argilla Ipſenſis vehementiæ ignis reluctatur, plumbei eſt coloris, & manus contrectantes liuido colore inficit. Ex hac terra finguntur vaſa trigona, quæ cum quodammodo figuram crucis æmulentur ab Aurificibus crucibula nuncupantur, iuxta formam hic delineatam. Eſt autem Ips Pannoniæ ſuperioris oppidum, quod nonnulli Vsbiũ Ptolemei eſſe opinantur. Itaq; ex hac regione ad nos mittuntur huiuſmodi vaſa, Crucioli Italis dicta, Gallis Croſet Græcis χόανος, ſiue χώανον dicitur ſcilicet vas ex Argilla fuſorium, in quo metalla liquantur. Heſichius Η χώανον exponit typos in quos liquefactum metallum transfunditur vt varias figuras recipiat.

Argilla Bononienſis quæ.

Taſconium quod.

Apud Abyſſinos Argilla nigra reperitur, ex qua magnas patinas conficiunt. Aretij eſt Argilla ſabuli modo aſperſa, ex qua vas formatum, & in igne poſitum inſtar vitri flectitur. quare Opifices coguntur cum hac Argilla aliam permiſcere. In Africa, & Hiſpania ex Argilla cruda parietes conſtruunt, qui ventorum, imbrium, & ignis iniuriam ſuſtinentes diutiſſime incorrupti durant. In Luſitania Argilla eſt rubra, ex qua vaſa quædam pretioſa aduerſus venena formantur, ſed hæc ex hac terra colata fiunt, nam ex eadem non colata vaſa viliora finguntur. Hæc terra, ſeu vaſa ex eadem, linguæ tactu adeò ſunt glutinoſa, vt eidem penſilia hæreant; in his liquor infuſus, vrgente æſtu, mirum in modum refrigerat: præterquamquòd venenata potio in huiuſmodi vaſis ſumpta nequaquam lædere poteſt, quoniam vis veneni occulta Argillæ qualitate obtunditur. Nonnulli puluerem teſtæ horum vaſorum in dentificijs adhibent, & mulieres

Venenatæ potionis remedium.

Vas ex Terra Ipſenſe.



Vaſa figlina Luſitanica aduerſus venena.



prægnantes horum vaſorum fragmenta edunt. Ex hac Argilla colata habemus vaſa, quorum icones hic damus.

Ab hoc Argillarum genere non eſt ſegregãda Terra Campi Damaſceni, vbi primum hominem Adamum creatum fuiſſe cuncti Orientales credunt. Hæc Terra ad aliquem ruborem vergit, molliſque eſt, & flexibilis inſtar ceræ. Ex hac Chriſti cultores in illis Regionibus verſantes globulos precarios formant, vt coronas pariter precarias cõcinnant, quas poſtea Hieruſalem deferunt, vt Peregrinis vendant. Immò Mercatores Saraceni,& Turcici eamdem Terram,teſte Adricomio, in Aegyptum, Aethiopiam aſportantes caro pretio illam vendunt, nam talem virtutem de illa falsò prædicant, vt eam geſtantibus nulla incommoda contingere poſſint. Præterea alij ad varias ſuperſtitiones illam vſurpant. Aegyptij tamen illam tanquam rem ſuauiſſimam libenter edunt.

In Theatro Terræ Sanctæ.

Poſtremò non eſt ſilentio inuoluenda illa Terræ figularis ſpecies, quam Vulgus Porcellanam appellat. Hæc tali nomine fortè eſt inſignita, quoniam vaſa ex hac formata, tanquam Achates,ſint translucida:ſiquidem hæc gemma à nonnullis Porcellana appellatur;aut forta ſſis quoniam aliqui arbitrati ſunt vaſa Porcellanica non ex aliqua Argillæ ſpecie, ſed ex corticibus illorum Maris Conchiliorum parari, quæ Vulgus Porcelletas indigitat. Quoniam verò circa materiam horum vaſorum multi Authores hæſitant operæ pretium eſſe duximus varias recenſere opiniones,vt poſtmodũ clariorem,& euidentiorem amplectamur. Iam nota eſt vaſorum Myrrhinorum, vel Murrhinorum memoria, ſed Feſtus,hoc vocabulo illud genus potionis intellexit,quod Græcis μυρρίνη vocatur,& Nectar Priſcorũ fuiſſe perhibetur. Plinius autem, hoc vocabulo, vaſa quædam pretioſa indicauit, & odore commendata ab Oriente deferri promulgauit: hæc enim vaſa, nomenclatura docente, aliquem Myrrhæ odorem ſpargebant. Cardanus, prædictis omnibus diligenter ponderatis, tãdem in hanc venit ſententiam vaſa noſtræ ætatis Porcellanica ab Indis miſſa nulla ratione à myrrhinis Antiquorum vaſis diſcrepare,vbi ex Conchiliorum corticibus parari dicuntur,cui Scaliger aſſentitur.Præterea hanc ſententiam Tabula Aſiæ ſtabilire videtur, in qua legimus vaſa Porcellanica non ex Argilla illarum Regionum formari, ſed Incolæ materiam artificialem parant, ſumentes teſtas Limacum marinarum, & putamina ouorum, quibus in puluerem redactis ſuccum nobis ignotum addunt, & maſſam ub terra ad centum annos condentes, Poſteris theſauri loco relinquunt,ex qua poſtmodum effoſſa huiuſmodi nobilia vaſa finguntur. Alij ex ſucco quodam ſub terra denſato, & ex Oriente delato ſimilia vaſa formari credunt.

porcellanici vaſis Etymum.

Nectar quid.

Li. 37. c. 2.

Exerc. 92.

Cæterùm omiſſis vanis opinionibus, & Nuperis adhęrentes Argillam eſſe horum vaſorum materiam aſſeremus. Primitùs ſcribit Anſelmus Boetius Murrhina Antiquorũ vaſa ab his toto Cælo diſcrepare. Quandoquidem illa ex Oniche, & Sardoniche conſtare voluit. Ramuſius materiam Porcellanorum vaſorum Terram foſſilem ad Solem,& ventum ſpatio multorum annorum duratam, deinde pictam eſſe ſcripſit: ſiquidem in Mazdaga ciuitate Cauz Regni Fez ſunt multi figuli, qui ex Argilla vaſa porcellanica fingunt, & venalia exponunt. Hæc enim Terra dura eſt,ideò mola tunditur,& in ciſternis maceratur; deinde ſubtilior colligitur, nam ex maſſa craſſiori vaſa minus pretioſa fiunt: vaſa enim formata pinguntur, & arbuſculis exornantur, & in fornacibus cocta apparent iuxta formam, quæ in hac icone delineatur; & quoniam ex ſubtiliori Argilla vaſa finguntur, quæ chriſtalli perſpicuitatem ſuperant; ideò hæc, periculo capitis cautum eſt, ne extra Regnum deferantur, quoniam Principibus tantummodò, & Dynaſtis deſtinantur. Huiuſmoni vaſa translucent ſolijs, atq; imaginibus commendata, nullumq; purpuræ veſtigium referunt, quæ omnia nobis inſinuant hæc à Myrrhinis vaſis Veterum diſſidere.

Lib. 2. de Gem. Tom. 1. Nauig.

Veris, & genuinis porcellanæ vaſis has dotes aſſignat Scaliger, primum vt icones in vaſis expreſſæ luci obiectæ magis appareant, deinde vt iuſculis in huiuſmodi vaſe poſitis tantum vaſis calefiat,quantum à prędictis tangitur,necnon hęc vaſa à veneno contacta frangantur, & ex horum fruſtis ignis excutiatur. R. P. Aluarus Ieſuita,qui per Regnũ Chinenſe diù vagatus eſt,& adhuc verſatur inter viuos, retulit in Kiamſi Prouincia Cinæ vaſa Porcellanica in vna tantum villa fabricari, cum tamen horum maxima copia & toti Regno, & vniuerſo Orbi diſtribuatur. Hæc autem vaſa ibi tantummodò fabricantur, cum tamen Argilla hæc ibi non eruatur, ſed aliunde aſportetur,propter aquam illius loci, quæ politiam, & perſpicuitatem vaſis conciliat. Immò, ipſo referente, hæc

Prima Parte relat. Cinæ cap. 2.

vaſa

Vas Porcellanicum.

vasa ad instar nostrorum ab Artificibus laborantur, & finguntur, coloremq; cæruleum illis impertiuntur Anil, quo abundant, alia puniceo colore decorantur, & quæ Regi offerunt luteo tantum colore pinguntur. Hæc vasa in nostris Regionibus deficiente tali Argilla, & aqua memorata, fabricari non possunt: nihilominus Magnus Hetruriæ Dux æternæ memoriæ Franciscus huiusmodi vasa Chinensibus non inferiora fieri curauit. Hodie Artifices huiusmodi vasa Maiolicis imitantur: sũt enim vasa Maiolica in Maiorica insula vna Balearium, teste Scaligero, primum formata. Nostris temporibus hæc vasa Maiolica Fauentiæ ad imitationem Maioricæ elegantissima finguntur Gargias ab Horto monimentis mandauit tale apud Indos inueniri genus Iaspidis viridãtis coloris, D vt vasa ex hoc constructa, ex Smaragdo parata esse videantur, hæcq; Porcellanica nuncupari pronunciauit. *Li. 1. Hist. Aromat.*

VSVS IN VASIS.

CVM primum figlina ars inuenta fuerit, ex illa fictile formatum est, quod Testa fuit nuncupatum, quasi Tosta, cum ad vsum huiusmodi vas nonnisi in fornacibus coctum trahatur. Hæc autem fictilia in mensis summoperè commendantur, & quamuis ille Poeta de Agathocle cecinerit, qui ea de causa vasis argenteis fictilia prætulerit, quoniam ex figulis genitoribus natus fuerit: nihilominus olim multi Principes cum ingentem argenteorum vasorum apparatum in mensis habuerint, tamen ob saporis integritatem vti consueuerunt fictilibus: quibus nostræ ætatis plures Principes assentiuntur, dum, post habitis ad commessationes argenteis, fictilia ex Regionibus

Dapes in quibus vaſis ſint Gratiores.

remotis obferculorum munditiam ſibi comparant. Gratiores enim ſunt palato illæ dapes, quæ in ollis fictilibus, quàm quæ in vaſis alterius materiei coquuntur. Quapropter in multis Regionibus huiuſmodi vaſa fabrefiunt. Apud Ortelium Clytropolia eſt locus non valdè diſtans à Telepho oppido, vbi ex optima Argilla ollæ venales tantum modò fabricantur: hac de cauſa Latini hunc locum Ollariam cognominarunt. Plinius quoq; vſum fictilium his verbis commendauit. Maior pars hominum terrenis vtitur vaſis. Samia vaſa etiamnum in eſculentis laudantur, & ob hanc cauſam retinet nobilitatem Aretium in Italia: quamuis ſint, qui non Aretium, ſed Erectum legant. Eſt autem Erectum vicus Sabinorũ ad Tyberim decem & octo millia paſſuum ab Vrbe diſtans, figlinis olim celebris; hodie *Monte Rotondo* nuncupatur Quoniam autem opera huius generis Aretina ſunt mirifica, non piguit exhibere iconem Aretini vaſis antiquiſſimi coloris in ſuperficie bei, iconem Famæ buccinam inflantis delineatam habentis.

Ollaria quid. L. 31. c. 12.

Erectum quid ſit.

Vas Aretinum cum Icone Famæ.

Vſum fictilium fuiſſe antiquiſſimum inde colligimus, quoniã ſub Terra antiquiſſima & pulcherrima fictilia inueniuntur. In Saxonia, Thuringia, & Luſatia fodiendo terram plura fictilia eruunt, quibus plerũq; collum eſt anguſtum, & venter tumidus. Horũ quędam anſam vnicam habent, quędam binas, alia ternas, & nonnulla operculis teguntur.

Hu-

Huiusmodi fictilia intra Terram esse nata Incolæ firma opinione sibi persuadent. Georgius Agricola id asseueranter negat, & addit hæc fictilia fuisse Vrnas, in quibus Veteres Germani cineres corporum combustorum condebant, & hoc esse veritati consonum cõfirmat, cum vasa operculum habuerint, & quandoq; cineres, carbones, & annulos contineant. Hoc autem facilè Georgio Agricolæ concederetur, nisi liquidò constaret multis in locis illarum Regionum sub Terra vascula adeò exigua, & sine operculo reperiri, vt ridiculum sit affirmare in huiusmodi vasis cadauerum cineres conditos fuisse. An verò à natura figlinam artem imitante hæc vasa sub terra formata sint, an verò arte aliquando ita elaborata, ambigui hæremus, nec quicquam certi pronunciare audemus. Quãdoquidem in maiori etiam Polonia, propè Sremum oppidum ollæ, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum vasa fictilia intra terram generari feruntur, quæ quando effodiuntur, sunt mollia, sed in aerem producta, more Coralli, durescunt. Martinus Cromerus in sua Polonia, vnum, & alterum vas huius generis se vidisse tradit, quod tunc à Terra erutum, nondum satis benè erat conformatum.

Vasa fictilia sub terra inuenta.

Olla fictilis ex Lusatia.

Hic damus effigiem ollæ ex Lusatia Germaniæ Prouincia ex terra eruta vnicam ansam habentis. Ex Argilla admodum leui vasa quædam parua fingebantur, quorum vsus apud Ægyptios erat ad colligẽdas lachrymas in funeralibus: quapropter huiusmodi vasculum lachrymatoriũ appellabatur. Fictiles etiam erant vrnæ, in quibus Cadauerum combustorum cineres claudebantur, quarum vna antiquissima adhuc in publico Musæo conseruatur ex ruderibus Romanis eruta, διωτος, in lapideam substantiam longo annorũ decursu durata pulcherrimis imaginibus coloris subflaui exornata. Vasa quoq; violentiæ ignis diù reluctantia ex varijs Argillarum speciebus finguntur, quas Augurellus indomitas vocat his versibus.

Lachrymatoriũ vas.

Li. 3. Chrysop.

Est genus indomitæ, mirum, telluris, Hyberus
Quam Fossor vitreas Italum transmittit ad artes,
Hac etenim Argilla fictis Vitrarius ollis
Vitra liquat feruens, eademq; liquentia totas
Noctes, atq; dies longo depurat in igne.
Hanc igitur primùm creta compone tenaci,
Qua Figulus currente rota surgentia profert
Vascula, & his pergit gratas inducere formas.

Deinde variæ ſunt huius generis Argillæ iuxta Regiones, quemadmodum in antecedenti Rubrica annotauimus; ſed interdum hæc vaſa ad fuſionem idonea ex quadam Terra parantur; quæ facta cum ſint, in puluerem rediguntur, & rurſus ad fuſionem æris in vaſa formantur. Quando autem Artifices prædictis Argillis carent, ad artificium confugiunt, & ex cineribus cornibus combuſtis, & vitro tenuiſſimè trito maſſam componunt, vel cuilibet Argillæ vitrum permiſcent, & ex his vaſa ad fuſionem metallorum peridonea fingunt.

Vaſa ad fuſionem ex qua materia.

VSVS IN LVCERNIS.

QVAMVIS aliquæ Priſcorum lucernæ ex ære, vel alio metallo conflatæ fuerint; Verumtamen plerumq; ex terra figulina concinnabantur, & fortè ex hac materia conſtabat illa lucerna, quam mulier apud Lucam in Parabola Euangelica adhibuit; nam D. Auguſtinus id videtur affimare, dum exponens Pſalmum trigeſimum octauum ſupra centeſimum, inquit. *Quid facit mulier ſapiens accendit lucernam,*

Cap. 15.

Lucerna antiqua fictilis dimyxos.

lucerna

A *lucerna da luto est.* Item Clemens Alexandrinus huc respiciens fictiles fuisse lucernas probat, dum asserit: neq; lumen lucernæ ministrabit, quæ t figuli opus, nõ Aurificis. Erant igitur lucernæ ex Argilla, in fornace coctæ, cinerei plerumq; coloris, aut rubri, aut flaui. Aliæ erant figuratæ, varijsque lineamentis decoratæ, aliæ sculptæ, aliæ prorsus rudes. Lucerna autem simplex vnico contenta ellychnio vocabatur Monomyxos, Dimyxos, si duo Ellychnia ferebat, Trimyxos, si tria, & Polymyxos, si plura habuerit: siquidem μύξαι Græcis nares exponuntur, & canaliculi, quibus ellychnia inseruntur. De lucerna plures myxos habente Martialis sic cecinit.

Illustrem cum tota meis conuiuia flammis
Totq; geram myxos, vna lucerna vocor.

Lib. 2. Pedag. cap. 3.

Lucernæ variæ iuxta canaliculos.

Lib. 14 41

Verùm quoniam ad nostras peruenit manus Lucerna antiqua fictilis, Dimyxos, non piguit illam delineatam representare, in cuius medio est icon Angeli alis expansis, Zona supra pectus decussata, dextra ramum lauri, vel oleæ porrigit, sinistra circulum veluti coronam gestat. Lucerna etiam illa, quæ apud Hæbræos in honorem sabathi accen-
B debatur, erat dimyxos, & aliquando plura Ellychnia habebat.

In cauerna quadam Cretæ, quæ Vulgò crypta Iouis nuncupatur, multa fictilium fragmenta inueniuntur, & potissimùm lucernæ diuersarum figurarum eleganter cælatæ. Vna autem inter alias redolet antiquitatem, cuius operculum delineatum exhibemus, quod è quodam puteo fuit erutum; cui mulieris velo ornatæ, & Arieti insidentis imago impressa est. Erat olim apud Eleos in templo Veneris simulacrum eiusdem Arieti insidens Scopæ (vt ait Pausanias) opus, eiq; cognomen erat παυδήμια; quandoquidem παυδήμιος publicus exponitur, quod Arietis procacitati conuenire videtur: est enim Aries animal in Venerem valdè procliue: etenim qui Corinthi inter priores Lęnę pedes erat delineatus libidinem, nempè παυδήμιαν eius prostibuli indicabat. Pariter hoc in loco iconem alterius lucernę antiquę conspiciendam legentibus representamus, quę insculptam habet effigiem Apollinis arcum manu tenentis.

Lucernæ antiquæ operculum cum Veneris insidentis Arieti simulacro.

Lucerna antiqua fictilis habens inſculptam effigiem Apollinis arcummanu tenentis.

Itaq; Antiquitas huiuſmodi lucernas tam diligenter fictas, & eleganter cælatas in ſepulchris plerumq; collocabant. Legimus in quibuſdam hiſtorijs, quod temporibus Henrici Secundi Imperatoris, Romæ fuit inuentum cadauer Pallantis gigantis, quod ſpatio mille annorum ſub terra iacebat, hoc epitaphio decoratũ. HIC IACET PAL-
Lib. 10. LAS FILIVS EVANDRI, QVEM LANCEA TVRNI MILITIS INTERFECIT.
Mag. nat. Et iuxta caput ſepulchri inuenta eſt Lucerna ardens, quæ nulla aqua, vel vento extin-
cap. 13. guebatur, ſed ſubtus perforata illicò, aere ingrediente, lumen amiſſit. Iuxta oppidum Ateſte, referente Porta, in Agro Patauino, olim reperta eſt vrna fictilis, in qua lucerna ardebat, ſed imprudentia operariorum extincta eſt. Nos autem intelleximus in Territorio Patauino olim inuentam fuiſſe Vrnam hoc hexaſtico decoratam.

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc, quod in Vrna latet;
Namq; alimenta graui clauſit digeſta labore
Vaſe ſub hoc modico Maximus Olilius.
Adſit facundo cuſtos tibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Verũ ſub hac Vrna alia minor occultabatur hac inſcriptione inſignita. MAXIMVS MAXIMO PLVTONI HOC SACRVM FECIT. In hac exigua vrna radians Lucerna claudebatur puriſſimo quodam liquore repleta, cuius virtute per longum annorum
Loco cit. ſpatium accenſa permanſit. Immò noſtra ætate, Porta authore, in Neſide inſula, anno quinquageſimo ſupra quingenteſimum, cuiuſdam Romani marmoreũ ſepulchrum fuit repertum, quo recluſo, viſa eſt phiala, quæ flagrantem lucernam continebat, ſed fracta phiala, lumen ſtatim euanuit. Memorat etiam doctiſſimus Vlyſſes Aldrouandus ſe adhuc puerum vidiſſe Bononiæ in Ædibus Diui Laurentij propè templum Sancti Iobi, ſepulchro quodam aperto, lucernam ſplendentem, quæ ſtatim, ob aeris ambientis motum, extincta eſt. Putabant igitur Priſci, ſicuti cineres in ſepulchris condebantur, ita animam defuncti ibi quieſcere, & ne tenebræ illi tædio eſſent, maximo ſtudio laborabant

bant talem ibi excitare lucem, qua animæ perpetuò fruerentur: ideoq; prædictas lucernas fictiles adhibebant, quarum plurimæ nomen defuncti gestabant, vt in hac icone licet conspicari.

Lucerna antiqua vario frondium complexu ornata, & nomine Defuncti signata.

Harum lucernarum vsus ad ritus etiam cultorũ Christi penetrauit. Hoc R. P. Ciottus Min. Conuent. Sancti Francisci in sua Perusina historia animaduertit: monet enim se dono accepisse à fratre suo lucernã sepulchralem, cuius fundum littera P. erat signatum; siquidem hac nota lucernæ Ethnicorum à lucernis Christianorum distinguuntur. Hæc autem arbitraria nota, iuxta aliquorum mentem, vt ipse refert, Christum, vel pro Christo indicat. Item addit Romæ hanc inualuisse consuetudinem, vt Lucernæ hac nota carẽtes in sepulchris inuentæ, huiusmodi sepulchrum Ethnicorum fuisse significent. *Li. 7 primæ part.*

Erant autem huiusmodi Lucernæ sepulchrales, quoad magnitudinem variæ, nimirũ magnæ, paruæ, mediocres, & minimæ. Exiguam vidimus longitudinis duorum digitorum latitudinis pollicaris, colore cinereo cum duobus foraminibus rotundis, in fine lucernæ in parte opposita foramini ellychinij habebat manubrium, vt facile manibus apprehendi posset, & cum hæc esset tam parua, in tumulo alicuius infantis condita fuisse deprehendimus. *Lucernæ paruæ in tumulo Infantis.*

Præterea Veteres lumen harum lucernarum perpetuò durare affirmabant, quod si esset verum necne, ambigui sumus. Asserit quidem Beniamin in suo Itinerario lampadem ad Ezechielis sepulchrum perpetuò arsisse. Cæterùm si lux aliarum lucernarum fuerit æterna, inquirendum est, quisnam fuerit talis liquor, qui perpetuum fomitem lucernis suppeditauerit. Scribunt nonnulli Authores, qui chymicis studijs operam nauarunt, hunc liquorem esse quamdam cælestem aquã chymicis organis sublimatam, quam Democritus, & Mercurius Trimegistus scyticum laticem indigitarunt, & ellychnia ex Amiantho parata fuisse perhibent: cum similis materia ignibus intacta maneat, vel propter substantiæ proprietatem, vel quia eius humidum substantificum ab igne

Lucernæ aurei Athenis.

igne ſuperari nequeat. Sed de his opportuniori loco differemus. Pauſanias in Atticis meminit lucernæ aureæ Athenis in ædibus Mineruæ ardentis, in quam oleum infuſum nonniſi tranſacto annuo ſpatio abſumebatur, cum tamen diù, noctuque arderet; & id contigiſſe Pauſanias refert, quoniam funiculus è lino Carpaſio confectus lucernæ ineſſet, quod linum haudquaquam flammis conſumitur. Meminit etiam Diuus Auguſtinus Fani Veneris (Regionem non nominat) vbi lucerna ſub dio ita ardebat, vt nullus imber, & nulla tempeſtas illam extingueret: vndè ſicuti Amianthus lapis, ita & illa λύχνος ἀσβέστος nominata fuit. Aut igitur, inquit Diuus Auguſtinus, in illa lucerna mechanicum aliquid ex lapide asbeſto Ars molita eſt, vt arte Magica factum eſt, vt homines illi in templo ludificati admirarentur: aut Dæmon quiſpiam ſub nomine Veneris tanta ſe efficacia prætentauit, vt hoc prodigium ibi hominibus appareret. Hiſpanus ille, qui hos Diui Auguſtini libros commentarijs illuſtrauit, narrat ſe vidiſſe multa ex Amiantho ellychnia Lutetiæ Pariſiorum, & huiuſmodi lapidem flammis inuiſum eſſe. Hoc autem non affert admirationem, quoniam multi Veterum id monimentis mandarunt, & noſtra etiam ætas idem conſpicata eſt, ſed de hoc Amiantho ſuo loco dicetur.

Lib. 21. de Ciu. Dei c. 6

VSVS IN VARIIS.

Tom. 1. l. 1.

STATVAS, & Idola olim Antiquitas ex Argilla etiam fabricauit. Seruatur in publico Muſæo Idolum formam Iſidis referens, quod ex Argilla fictum, & in fornace coctũ euidenter apparet. Et Sanctus Epiphanius aduerſus Hæreſes meminit cuiuſdam Tharra, qui arte figulari ſtatuas fingere cæpit, & huiuſmodi ſtudium in vigeſimam generationem duraſſe memorat. Plinius ſcripſit figlinam artem inuentam

Li. 7. c. 56. L. 35. c. 12.

fuiſſe à Chocebo Athenienſi, & alibi aſſeruit Diburadem Sicyonium fuiſſe primum, qui Corinthi fingendarum ex Argilla ſtatuarum artem exercuerit. Sunt qui tradunt multò antè Batriadas Corintho pulſos, à Rhæto, & Theodoro hanc artem in Samo repertam fuiſſe. Item diuulgat Ortelius quoſdam populos Cani cognominatos apud Clementem Alexandrinum memorari, qui figlinæ artis inuentores fuiſſe perhibentur. Poſtmodum, tractu temporis, hæc ars tantam famam auſpicata eſt, vt nulla ſigna, & ſtatuæ ſine Argilla pararentur. Hinc colligit Plinius hanc artem facultate fundendi æris priorem fuiſſe. Cæterum Cæſar Bulengerus, referente Cæſio, altiùs originem Plaſtices, & Statuariæ repetit. Nam in ſacris Biblijs huiuſmodi artes à Deo hominibus traditæ fuerunt, quando Arca Fœderis extruebatur; vbi primi Plaſtæ, & Statuarij Beſeleel, & Oliab fuiſſe feruntur. Præterquamquòd Deus Optimus Maximus Protoplaſtes dicitur, cum ex Terra primum hominem Adamum formauerit.

Artis figlinæ inuẽtores.

Exod. c. 31.

Hodie ex hac terra formantur lateres, qui in fornacibus cocti ædificijs famulantur. Immò vt intelleximus lateres variorum colorum in aliquibus locis, fortè ex varijs Argillæ ſpeciebus parantur; ex quorum varietate nobiliſſima pauimenta reſultant, quæ Geoſtrota appellari poſſunt; quemadmodum ex varietate lapidum naturalium ſtructuræ fiunt, quæ lithoſtrota, vulgò Muſaica nuncupantur. Auguſtæ, & Norimbergi, ex hac Terra ramentis ligni abietini permixta lateres finguntur, qui in fornace cocti, & ſcobe combuſta, pumicoſi foraminulenti, & leues remanent, ex quibus Camini, & inteſtini parietes conſtruuntur. At qui carent materia lapidum, & laterum, Leone Baptiſta referẽte, ex cratibus, & Argilla muros erigunt. Halchemiæ profeſſores, ad fabricandum ſapientiæ lutum, Argilla, puluere laterum, ſtercore equino, ſcobe ferri, & tomento vtuntur. Alij Argillam, fimum Aſini, tomentum, & farinam albumine ouorum excipiũt. Alij addunt Argillæ fimum equinum, puluerem vitri, & aquam ſalſam. Alij ſumunt Argillam cinerem oſſium, ſcobem ferri, ſalem vulgarem, puluerem laterum, ceruſſam, & calcem, & ex his addita muria lutum ſapientiæ formant. In Ilua inſula Terra huius generis inuenitur ad rubeum colorem tendens, quæ in aqua refrigeranda adhibetur. Deniq; Argilla ab vſu medico non eſt ſegreganda, quoniam in tollẽdis Vibicibus commendatur, propter facultatem attrahendi, qua potitur.

Geoſtrota, & Lithoſtrota quæ.

L. 2. Arch.

Lutum Sapientiæ ex quibus cõſtet.

DE

DE TERRA SAMIA.
Cap. IV.

ETYMVM.

AD Argillarum genus Terram Samiam meritò referendam esse inferius patebit: quandoquidem ex hac fiebant vasa multorum scriptis nobilitata, quæ ad fercula, & vina fundenda in sacrificijs olim adhibebantur: hac de causa hunc locum post Argillam promeruit, & eò magis alijs est præferenda, propter insignes dotes, & prærogatiuas, quas Dioscorides, & Galenus ei attribuunt. Nomen habet à natali loco, nimirum à Samo Aegæi maris Insula, quæ cum esset Thraciæ proxima, inde Samothracia nuncupata est. Quamuis autem plures Terræ species sint in hac Insula: nihilominus hæc, de qua agimus, antonomasticè Samia nominatur. Hodie hæc Insula inculta, syluisq; horrida iacet: propterea Pyratis aptissimum est refugium, cum illis ad fabricandas naues, copiosam, & cæduam materiam præbeat; nec alia de causa Aristoteli δρυοσσαι cognominatam fuisse putamus, nisi propter quercuum, & consimilium arborum copiam, & vastitatem.

Samothracia quæ.

Dryussæ Arist. quæ.

LOCVS, ET NATVRA.

SI locum peculiarem huius Terræ, & eiusdem loci qualitatem in Samo perquiramus, confugiendum est ad Theophrastum, qui scriptum reliquit Fodinam huius Terræ in Samo esse ita depressam, vt fossor per illam rectus vagari nequeat, sed supinus, vel ad latus in ea versari cogitur: siquidem vena Samiæ bipedali altitudine, & latitudine multò maiori extenditur. Hæc Terra sibi à Natura has comparauit conditiones à Dioscoride, & Galeno recitatas: nimirum vt sit candida, mollis, rara, leuis, pinguis, & friabilis, deinde gustanti saporem dulcem in principio communicet, & admota linguæ vehementer adhæret: etenim multum aereæ substantiæ participat, quæ leuitatẽ ei impertitur: vnde Galenus Terram Samiam ad Lemniam comparatam, magis aeream esse pronunciauit. Dioscorides verò facultatem refrigerandi, & astringendi ei assignauit. Deinde, iuxta sententiam Dioscoridis, Natura aliam conditionẽ huic Terræ ingenuit, nempè vt plerumq; instar Aetitis, quemdam lapidem in proprio vtero claudat, qui lapis Samius appellatur. Hunc autem ijsdem pollere viribus, quibus Terra Samia Authores diuulgant. Hoc lapide Aurifices antiqui, ad conciliandum nitorem auro, & argento vtebantur. Hodie huius loco, Aurifices nostrates Terram Alanam adhibent, quam Tripelam, vel ad mentem Plinij, Exhebenum Zoroastis cognominant.

Conditiones Terræ Samiæ.

Lapis Samius quales.

DENOMINATA.

IVNO Samia fuit denominata non à Terra Samia, sed ab Insula Samo, in quam adducta, & Ioui nupta fuit, vt Poetæ testificantur. Pytagoras etiam ab hoc natali loco Samius fuit cognominatus. In hac etiam insula, temporibus Numæ Pompilij nata est Sybilla vocata Samia, teste Eusebio, quæ postmodum vaticino afflata spiritu, regnante Iosia in Israel, Deum vnum prædicauit, & de Christo Redemptore multa prędixit, sed de his hactenus. Nunc accedamus ad illa, quæ à Terra Samia denominantur. Antiquitas hac ad detergenda, polienda, & acuenda spicula, & alia arma vtebatur: hinc Samiare pro acuere dictum fuit: quapropter ferramenta Samiata dicebantur, quæ hac terra polita, detersa, & in aciem directa conspiciebantur. Samiarij nominabãtur illi homines, qui autem hanc exercebant, & Samiator in veteri Lexico ἀκονητὴς exponitur. Turnebus vir doctissimus in fragmento legis peruetustæ Samiarios appellat illos, qui Samia Ter-

Samiare quid sit.

Samiarij qui.

Terra enſes, & arma Prætonianorum,& Satellitum Imperatoris ad nitorem fricabant,& aciem exaſperabant.

DIFFERENTIÆ.

FERANT apud Antiquos duæ Terræ Samiæ ſpecies,quarum altera Collyrion,altera Aſter nominabatur. Plinius verò Syropicon, & Aſtera duo Samiæ genera conſtituit. Verùm Dalechampius in Codice manuſcripto non Syropicon, ſed Collyrion legit.Quare non Tyropicon legi poſſet?Quaſi dixerimus aſpectu caſei recenter coacti: cum Dioſcorides, & Plinius Samiam leuem,recentem,& albam probent, quæ his cõditionibus gaudens faciem caſei recentis repræſentat. Primum Samiæ genus nomenà medicamentis eſt ſortitum,quoniam Collyrijs miſceri ſoleret,vel quia, ob mollitie mad inſtar Collyrij facilè ſoluerctur: ſiquidem hæc ſpecies cæteris præſtantior,leuis, & pinguis eſſet,& linguæ admota ſtatim in ſuccum abiret. Aſter verò ſecunda Samiæ ſpecies à prima, nimirum à Collyrio diſtinguitur, quoniam cruſtacea,&, cotis inſtar, denſa ſit, immò globoſior, vt notat Plinius. Hæc ſecunda ſpecies nomen Aſtri ſibi comparauit, quia, ſicuti terra Lemnia icone Capræ, ita hæc icone ſtellæ ſignaretur: aut potiùs quoniam nonnullis micis tanquam ſtellis radiaret. Alij tradunt,quod in fodinis Samijs vena huius Terræ longè porrigitur, illamq; ſaxa vtrimq; amplectuntur, & diſcrimen obſeruatur, dum alia,atq; alia ad quartam vſq; extrahitur, & vltima Aſter nuncupatur.

Lib. 35.c. 17.

Collyrion quid.

Aſter quid ſit.

Non deſunt Authores, inter quos numeratur Braſauolus, qui Aſterem Samium cum Talco conuenire opinantur: hæc autem opinio optimis rationibus à Matthiolo explodi-tur,cum Talcus careat illis conditionbus,quæ in Aſtere Samio obſeruantur. Primò Talcus inſtar glutinis linguæ non adhæret, attritu eſt contumax, non cruſtoſus, ſed ſqumoſus, & perſpicuus inſtar vitri, deinde nonniſi magno labore, & diuturno igne comburi poteſt; cum Aſter Samius facilè cremetur. Præterquamquòd puluis Talci, inſtar Gypſi, ſtrangulat; idq; Aſter Samius nequaquam præſtat.

Inter recitatas terræ Samiæ differentias nonnulli reponunt illam Terram Iluenſem, quæ, nomine Terræ Samiæ, circumfertur, quia ſit candidi coloris, valdè grauis,& denſa,linguæ adhærens, & admodum frigida, ſed aliquando ferrugineis maculis ſuperficietenùs referta obſeruatur. Præterea his differentijs nonnulli addunt Terram ex inſula Melitenſi delatam, quam Circumforanei Gratiam Diui Pauli appellant, nec præter rationem, cum hæc gaudere videatur illis prærogatiuis,quæ Terræ Samiæ conueniunt: nihilominus hanc inter Cretas inferiùs memorabimus.

VSVS IN VARIIS.

IN Samo inſula ex hac Terra, tanquam ex nobili, & excellenti Argillæ ſpecie vaſa perpulchra, & in hoc genere pretioſa fiebant, nõ ſolũ ad fercula,ſed etiam ad vina Authorum monimentis ſummopere celebrata. In primis Plinius ſcripſit Samia etiam vaſa in eſculentis laudari, & ad fundenda vina Veteribus fuiſſe in vſu, teſtis eſt Tibullus hoc verſu.

Lib.35.ca. 12.

Et tibi læta trahant Samiæ conuiuia teſtæ.

Et Pamphilius Poeta in eodem ſenſu ſic cecinit.

Non pudeat Samio te Maſsica fundere vaſe.

Neq;tantum in priuatis commeſſationibus, ſed etiam in Deorum ſacrificijs Samia vaſa fuiſſe adhibita Plautus diuulgat.

—— Genio ſuo vbi quando ſacrificat,
Ad rem diuinam, quibus eſt opus, ſamijs vaſis vtitur.

Tullius quoque, citante Nonio, Pontificum Sympinia, & Samias Capedines inter vaſa ſacra recenſuit: Siquidem Romani, inualeſcente luxu, non murrhynis, & chriſtallinis, ſed potiſſimum fictilibus, & Samijs,ex inſtituto Numę prolibabãt. Hoc vaſorũ Samiorũ genus,ob tenuitatem, erat admodũ fragile,quod à Plauto declaratũ fuit his verbis. *Sis tu, vt confringi vas citò Samium ſolet.* Factis vaſorum Samiorum fruſtis vſus,ſeu potiùs abuſus

Lib. 6. de Rep.

A sus non defuit: nam Sacerdotes matris Deorum, nempe Cybeles, qui Galli vocabantur, Samia testa, non solum didymos, sed etiam caudam salacem amputabant; quemadmodum meminit Plinius, & Martialis cecinit hunc in modum. *Lib. 35. c. 12.*

Abscissa est quare Samia tibi mentula testa.

Traxerunt autem ad hunc vsum testam Samiam, quia eius vulnus innoxium foret, & acies ad proscindendum, ob sui tenuitatem, & duritiem, celerior esset. Isti boni viri id fecerunt imitatione Atys, quem Arnobius narrat furiarum plenum, & perbacchatum, cum se humi proiecisset, sub Pinu arrepta testula, quam Agdestis instigator amentiæ gestabat, virilia sibi præsecuisse. Pariter extat apud Lucilium citante Honio, lepidũ carmem de viro, qui vt cruciaret vxorem, in quam ingentes irarum motus conceperat, ridiculo, & stulto vltionis genere caudam totam sibi præsecuit. Verba sunt hæc. *Li. 3. Epig.* *Lib. 5. adverſ. Gent.* *Li. 8. Satyr.*

Et testam sumit Samiam, sibiq; illico telo
Præcidit caulem testesq; vnà amputat ambo.

Item, Marco Cælio circa Turios victo, lingua in contumeliam testa Samia fuit præcisa, quod exemplum postea M. Antonius Triumuir in proscripto Cicerone secutus est. Præterea vtebantur Antiqui terra Samia in poliendis, & acuendis armis, vt superius in Rubrica Denominatorum explicatum fuit. Scripsit Volaterranus Terram Samiam coloribus etiam inseruire, cui Theophrastus refragatur dicens; licèt terra hæc sit pulchra, pinguis, densa, & leuis, non vsurpatur tamen à Pictoribus, quoniam ipsi terram raram, asperam, & macram picturæ magis idoneam prædicant. *Vsus in poliendis Armis.*

Postremo hæc Terra tantoperè ab Authoribus celebratur, quoniam medicis viribus non careat: etenim Dioscorides, & Galenus, quia virtute refrigerandi, & astringendi polleat, illam in Celiacis, Profluuio vteri, Hæmorrhagijs, Dysenteria, & in Tumoribus mammarum, & testium præscribunt. Demùm sudores immodicos inaqua cohibere, & venenatis Serpentum morsibus resistere perhibetur. Cęterùm ambiget aliquis circa speciem terræ Samiæ, quænam in medicina potiorem vsum habeat, an Collyrion, an Aster, quoniam Galenus Asterem, & Dioscorides Collyrion commendauit. Vtraq; tamen species à medicamentis non est arcenda; sed discrimen inter hos Authores forsitan ortum est, ad mentem Agricolæ, cum plures in Samo Terrarum differentiæ reperiantur, nam facilè alia Terra Samia ad manus Dioscoridis, & alia ad manus Galeni peruenit. *Vsus in medicina.*

DE TERRA CRETA NVNCVPATA.

Cap. V.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

CRETÆ vocabulum non solum indicat Terram, de qua in præsentia acturi sumus, sed etiam Insulam Maris Mediterranei olim centum vrbibus nobilitatam, & celebratam. Ab hac fortè insula Terra hęc nomen deduxit, licet Sipontino dicta feratur à crescendo, quoniam macerata intumescat, vel quia fodina euacuata denuò ibi crescat. Potius credendum est hanc Terram nuncupatam fuisse à Creta Insula, quæ hoc candidæ Terræ genere abundat; & nostrę sententiæ Galenus, & Aetius fauent, qui illam Terram, quæ nobis Creta dicitur, κρητικὴν γῆν patronymi more à Creta Insula appellarunt. Ideo nuperum Candiæ nomen non alia forsitan ratione huic Insulæ fuit inditum, quàm à candore, quem procul nauigantium oculis Solum Cretæ offert. Plinius enim alborum in Creta montium meminit. Pariter Britannia Albion olim ab albicantibus procul cretaceis collibus cognominata fuit. Hodie vocamus Cretam Terram, non modo in prædicta Insula natam, sed alibi etiam effossam, huic tamen substantia, & colore similem: Quamuis hoc nomen ad alias etiam Cretas colore multùm dissimiles translatum sit: siquidem Cretæ variorum colorum monstrantur, vt inferius manifestabitur. Plinius aliquando Cretam metallum nuncupauit, sed id præstitit vt opinamur, vel pro fodina huius Terræ, vel generikῶς sumpto metalli nomine pro omni re fossili: *Creta Insula vnde dicta.* *Li. 36. ca. 22.*

ſili: ſic Herodotus metallum ſalis, & Diodorus Siculus Alumen metallum celebre eſſe ſcripſit: quem imitatus Strabo in lipareis Inſulis metallum aluminis effodi retulit, & Vitruius Melinum Metallum vocauit.

Quando autem Creta ſoluta fuerit ſecundùm aliquos, mutat nomen, & dicitur Maltha, ſed aduertendum eſt, quòd Plinius, nomine malthæ, duo intelligit, nimirum miſturam ex calce recenti, & ſuillo adipe integratam, deinde flagrantem limum: etenim ipſe retulit in Samoſata Vrbe ſtagnum eſſe limum flagrantem producens, quem Vulgus Maltham cognominat. Quamobrem ex dictis Plinij duplex Maltha, ſcilicet natiua, & factitia colligitur. Agricola quoq; duplicem multham conſtituit, alteram ſcribit eſſe pinguem, & craſſum limum Bituminis ſpeciem, alteram factitiam in duo genera Veteribus etiam cognitam diſtribuit. Metallarij ſuum habent genus Malthę, quo rimas catinorum obſtruunt, ne metalla in illis liquefacta dilabantur. Lapicidæ quoq; Maltha nõ carent, quam lithocollam vocant. Sed de his actum eſt in capite de Argilla, quæ & ipſa ſoluta cum fuerit Vulgò Maltha nominatur. Terra hæc Italiæ vocatur Creta, Gallis Creye, Germanis Kaciden, Hiſpanis la Creda.

L.36.c.42

Li.2.c.14.

L.1 de nat. foſſ.

Maltha quid & quotuplex.

LOCVS, ET DENOMINATA.

L.7. Achitec.cap.7.

ISIDORVS obſeruauit hoc Terræ genus in Creta Inſula maximè excellere. Vitruuius tamen optimum huius Terræ genus Zinginæ reperiri aſſeruit. Verùm iuxta ſententiam Agricolæ, in Theſſalia, Lycia, Sardinia, Vmbria naſcitur. Habet etiam Colles Cretæ Gallia, Britannia, & Muna Maris Balchici Inſula. Præterea effoditur etiam in Brabantia, vbi Ruſtici hac in aqua diſſoluta parietes domorum dealbant. Hodie in particularibus quibusdam Germaniæ locis tale genus Terræ obſeruatur, vt Fuldæ in Tribochis. Hildeshermi in Saxonibus inuenitur candida Creta, & Topho ſimilis, & altera cinerea ſimilis eſt Cadanæ in Bohemis, ſed non refert cuius ſit coloris, dummodo habeat vim abſtergendi, & pannos purgandi.

Cretula quid.

Quoad denominata, Cretula eſt nomen diminutiuum à Creta. At ſecundùm Pliniũ Cretula inter colores recenſetur: an eadem ſit cum Creta docti viri iudicent. Cretaceum vocatur, quod ex Creta eſt compoſitum: aliter planta cretacea nominabitur quæ in Solo cretoſo creuerit. Cretoſum eſt, quod Creta eſt plenum, & cretatum, quod eſt Creta inſperſum: vnde cretati pedes dicebantur Creta dealbati, quales erant pedes Seruorum, qui venales tranſmare aduehebantur.

DIFFERENTIÆ.

In lib. de Mach. bell. cap.5.

CRETARVM quædam pingues, quædam mediocres, quædam acres. Pinguis eſt Britannica, qua campos lætificare ſolent. Cretæ glutinoſæ, & optimæ vetuſtiſſimus Heron meminit. Creta pingui lætum agrorum prouentum augeri hæc verba Palladij Rutilij oſtendunt: ſpiſſa, cretoſa, & humida Terra benè Far, & Triticum nutrit. Creta argentaria dicitur illa, qua vaſa argentea exterguntur: hac etiam vtuntur Belgæ ad conciliandum nitorem vaſis ex plumbo candido formatis, quod plumbum Vulgus perperam ſtãnum Anglicum nuncupat. Vitruuius memorat quamdam Cretam annularem, quam ita fortè cognominat, quia in ipſa ſigillum annulare imprimeretur. Vocatur etiam Galeno κρητικὴ γῆ ἁπλῶς Gypſum Sutorium quibuſdam propter vſum ad dealbanda calceamenta: quare Tullius aliquando crepidas cretatas vocitauit. Hoc genus Cretæ eſt macrum, candidum ſiccum, aereæ ſubſtantiæ; ideoq; rarum, & leue, & Pictoribus admodũ vtile: An hoc ſit Cretula Plinij inter colores numerata Studioſi diligenter meditentur.

Terra Dei

Inter has ſpecies recenſetur Creta Mauritana leucophæi coloris Feſſa Mauritaniæ Tingitanę nobili vrbe allata. Hac illius regionis Incolæ hominum cadauera lauant, ſimulq; peccata abſtergi ſtolidè credunt: Quamobrem hanc Cretam Dei Terram indigitant. Item ex eadem Regione Creta Mauritana alia colore referta nigricante ad ferrugineum tendente affertur, qua Incolę loco ſaponis vtuntur. Has duas Cretæ ſpecies Ferrantes

Arantes Imperatus Pharmacopęus Neapolitanus doctissimo Vlyssi Aldrouando communicauit. Prædictis addatur speciebus Creta Syriaca, quam Terram lactis, vel lac Virginis cognominant; Bethlehemi è Specu subterraneo eruta traditur, in quem Beata semper Virgo cum infante Iesu, insidias Herodis fugiens secessisse perhibetur. Hæc Creta in orbem formari solet, cuius altera pars effigie Domini resurgentis, altera imagine Crucifixi signatur, vt in icone repræsentata cernitur. *Terra lactis quæ.*

Creta Syriaca in orbiculum formata effigie Resurgentis Domini signata.

His orbiculis Itinerantes in Terram Sanctam, pietatis ergo, à Monachis illarum regionum donantur. Huius autem Cretæ tantillo cum vino, vel alio liquore sumpto, lac in mammis mulierum augeri referunt, quam virtutem huic Terræ collatam volunt à gutta lactis è pectore Virginis destillata: hac de re hanc Cretam Lac Virginis indigitarunt. Orbiculos quoque, seu Trochiscos è Terra Sepulchro Domini adhærẽte formari, & toti Terrarum Orbi distribui nostrum non est institutum; testem habemus Gregorium Turonensem antiquum Authorem, qui in Historia de gloria Martyrum scripsit hunc in modum. *Prodit ex monumento, in quo Dominicum iacuit corpus, mira virtus, quòd sæpiùs Terra naturali candore radiante repletur, & ex inde iterum ablata, aqua conspergitur, de qua Tortulæ, paruulæ formantur, & per diuersas Mundi partes transmittuntur, de quibus plerumq; Infirmi sanitatem hauriunt, illud est tribudiale* (quid sit hoc non intelligimus, nisi fortè legendum sit triuiale) *quòd sæpissimè accessus Serpentum vitant*. Diuus Augustinus meminit Hesperij viri Tribunitij, qui Terram Sanctam Hierosolymis allatam in cubiculo suspenderat ad Dæmones fugãdos, quibus domus infestabatur. Est alia Creta Syriaca Hierosolymis à Mõte Caluariæ eruta candida, friabilis, & Terræ Melitensi simillima. His addatur Creta Turcica rubra, pinguis, linguæ aliquantulum adhærens, lineasq; rubeas ducens, qua Falloppius in verminatione fæliciter vtebatur. *Lib. 1. ca. 7* *Lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.*

Præter hanc Cretam rubram, inuenitur Creta viridis dura, linguæ parùm adhærens, cum aliquo in superficie albore Theodotium Vitruuio dicitur, à quodam viro nomine Theodoto, in cuius Fundo hoc Cretæ genus primò inuentum est. Inter has multæ aliæ numerantur, quæ à natali loco nomen habent, de quibus sigillatim inferius agetur. *Theodotiũ quid sit.*

V S V S.

SOLEBANT Antiqui viliori Creta vti, ad ducendas lineas albas, & ad aliquid aliud iudicandum: quemadmodum nos hodie Gypsum in rebus similibus adhibemus. Prisci igitur pedes prȩcipuè seruorum venalium hac Creta inficiebant: ideoque apud Plinium homines cretatis pedibus venales intelliguntur, & qui ex summis diuitijs in paupertatem redacti erant. Huc alludens Iuuenalis canebat.

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis. *Satyr. 1.*

Pedes albos in hoc loco omnes Interpretes cretatos exponunt: cum hæc Creta albe-

dine gypſum æmuletur. Tibullus in eodem ſenſu dixit.

Barbara gypſatos ferre cateſta pedes.

Immò Piſci hoc Terræ genere multa alia ſignare ſolebant. Habemus apud Horatium quem Pierij vates latinum ſalutant Pindarum, hoc carmen.

Creſſa ne careat pulchra dies nota.

Creſſam notam dicit Poeta pro ſigno Creta, ſeu cretica Terra notato. Scimus quidem à nonnullis huius loci lectionem variari, & pro Creſſa, Threſſa legi, quoniam hoc publica conſuetudine Thraciæ populis fuiſſe receptum apud Plinium legerant. Nos autem cum viris eruditis in textu Horatij nihil mutandum eſſe cenſemus, & tantidem apud Horatium valere Creſſam notam, quanti apud Catullum candida nota in hoc verſu ad Lesbiam.

Lib.7.

O lucem dignam candidiore nota.

Quandoquidem legimus apud Plinium, & Plutarchum ſolemnem fuiſſe conſuetudinem à Thracibus primò defluxam, eos dies, quibus fortuna eis benigna fuiſſet, & iucundam duxiſſent vitam, candido notare lapillo, & quando fortuna aduerſa fuerit, nigro notabant. Pythagoras enim, quod candidum ad boni, & quod nigrum ad mali naturam referebat.

Lib.7. Plut. in Peric.

Habebat inſuper Creta alios vſus apud Veteres: namq; illa in operibus figlinis, & interdum in aruis pinguefaciendis vtebantur, quod etiam Britanni facere conſueuerũt. In obſignandis etiam literis tùm publicis, tum priuatis eam adhibebant, cuius rei nobis teſtis inter cõplures alios Herodotus in Euterpe, vbi apud Aegyptios, boues ſacrificijs deſtinatos Cretæ ſigillo impreſſo à Sacerdote ſignari ſolere tradit, & bouẽ huiuſmodi ſigillo carentem immolanti pænã morte fuiſſe ſancitam. Amplius Priſci Creta, nõ ſecus ac noſtræ mulieres amylo ad candorẽ, ſoliditatem, & nitorem togis, caligis, crepidis, faſcijs, & mappis comparandum vtebãtur. Teſtes ſunt Tullius, Martialis, & Septimius; id etiã à clariſſimo viro Mercuriali in Varijs lectionibus annotatũ fuit. Cęterùm, quod maiori admiratione dignum eſt, alimentis olim Cretam, candoris conciliãdi gratia, permiſcebant. Huius rei nobis Author eſt Plinius, qui Cãpanos Alicæ (apud hos Populos hæc laudatiſſima parabatur) Cretã cãdoris, & teneritatis cõparandæ gratia, addidiſſe refert. Verba Plinij, quoniam ad noſtrum inſtitutũ ſpectant hic recenſere placuit. *Poſtea mirum dictu, admiſcetur Creta, quæ tranſit in corpus* (Alicæ intelligit, de qua illi eſt ſermo) *coloremq; & teneritatem affert. Inuenitur hæc inter Puteolos, & Neapolim in Colle Leucogæo appellato. Extatq; D. Auguſti, quo annua vicena millia Neapolitanis pro eo enumerari iuſſit è Fiſco ſuo Coloniam deducens Capuam, adiecitq; cauſam offerendi, quoniam negaſſent Campani Alieam confici ſine eo metallo.* Plinius hoc in loco metallum pro fodina Cretæ vſurpauit.

Vſus in ſigillis.

Creta inſtar Amyl.

Lib. 18. ca. 11.

Habet etiam Creta hunc vſum in fodiendis puteis, vt aquarum ſit terminus. Siquidem, Creta inuenta, aquarum inueſtigatoribus omnem ſpem aquæ adimit, nec amplius fodiendum eſſe puteum indicat. Id ante Plinium à Platone in Politicis annotatum obſeruauit Petrus Victorius in Varijs. Noluit autẽ Plato licere alicui ſuæ Reipublicæ, cuius Ideam fingit, ſumere aquam è puteo vicini, niſi prius ipſe aquam ſedulo in proprijs ædibus conquiſiuiſſet, ſcilicet donec ad Cretam peruentum eſſet; tunc enim, illa non inuenta, liberè poſſe vti propinquę domus puteo aſſeruit. Cretam verò aquæ terminum eſſe cũctis perſcrutatoribus aquarum eſt manifeſtum: nam cum hæc Terra ſolida, & dura ſit, eam aqua penetrare non poteſt. Superſunt adhuc Cretæ alij vſus, ſed potiores recenſere non pigebit. Plinius duos colores viliſſimos, nempè pigmentum Apianum, & Annulare memorat. Apianum erat viride, & ex Creta viridi parabatur, Annulare erat cãdidum ita nuncupatum, quia ex Creta alba admixtis gemmis vitreis ex annulis Vulgi fieret. Item ex Creta argentaria ſucco purpuræ imbuta, Priſci Purpuriſſum coloris genus concinnabant, quo & Pictores vtebantur, & mulieres genarum colorem ſibi conciliabant. Tandem Creta à medicamentis non eſt arcenda, immò inter Alexipharmaca reponenda; cum, in Creta Inſula, nihil maleficum, præter Phalangium, gigni conſtet: hinc mirum non eſt, ſi Terræ Creticæ beneficio, hæc inſula tot herbarum ſalutarium ſit ferax. Præterea, cum, ad mentem Galeni, facultatem extergendi abſq; morſu, & leuiter aſtringendi habeat: hac de cauſa hanc terram acidam Martiali vocatam fuiſſe credimus hoc verſu.

Li. 35. c. 6.

Pigmẽtum Apianum, & Annulare.

——— *aut acida latet oblita Creta.*

Idcir-

A Idcircò eius in Medicina vsus erit ad illa omnia, ad quæ alia sine morsu extergentia valere possunt. Apud Belgas pueris verminatione laborantibus in lacte vtiliter offerri audiuimus.

DE CRETA CIMOLIA. Cap. VI.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

B AD Cretarum genus Cimoliam esse referendam non est in dubium reuocandum: cum effectus Cretæ, & etiam valentiores præstet. Hæc nomen inuenit à Cimolo vna Cycladum insula, ex qua optima aduehebatur. Hanc insulam Ptolemeus Cimolin, Iulius Obsequens Cimoliã appellauit. Plinius verò olim Echinusam nuncupatam fuisse scripsit. Licèt Isidorus nõ Cimoliam, sed Cimæam Italiæ insulam perperàm nuncupet. Hæc insula copia Cretæ redundabat: vnde Ouidius canebat.

Hinc humilem Myconem, cretosaq; rura Cimoli.

Itaq; omnes Authores non proletarij terram hanc Cimoliam vocant, & Græcis dicitur κίμωλια γῆ. Alijs vocata fuit Saponaria, quia loco saponis olim adhiberetur. Apud Agricolam Cimolia appellatur Smectis ob facultatem abstergendi, qua potitur. Galenus, & Erotianus Onomastes σμηκτίδα γῆν apud Hippocratem τὴν κίμωλιαν exponunt. Quamuis omnia Hippocratis exemplaria τὴν σμηκτιδα γὴν habeant, & Iulius Pollux κιμωλιαν Cephisidoro σμηκρίδα vitiosè pro σμηκτριδα dici scribit. Hæc autem Terra vocata fuit Græcis σμηκτρίς, seu σμήκτις quoniam σμηχο extergere significat. At Vidius Florentinus vocabulo σμηκτριδος apud Hippocratem, vel Terram Chiam, vel Selinusiam nullo authore prodit. Apud Theophrastum πλυντρις γῆ scribitur, ad denotandam Cimoliæ virtutem, qua olim Pannorum maculæ extergebantur: etenim πλύνω lauare C significat.

Saponaria Terra quæ.

Lib. 2. de Caus. plant. cap. 5.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

CIMOLIA præcipuè, iuxta sententiam Agricolæ, describitur Terra modicè pinguis, rara, mollis, nihil arenosum continens, & in candido ad purpureum colorem nonnihil vergens. Hæc tactu frigida sentitur, & in pinguipartim astrictionem partim aliquam acredinem participat. Deinde virtus siccandi, atq; refrigerandi illi maior inest, quàm vel Terræ Chiæ, vel Selinusiæ; cum tamen astringendi sine morsu, & extergendi insigni facultate polleant. Quocirca Fullonibus, in pannis emundandis, non mediocrem præbet vsum. Cæterùm Theophrastus hanc Terram pinguem nominauit, sed plantis alendis inutilem, cum plus iustò exsiccare possit.

DIFFERENTIÆ.

DE speciebus Cimoliæ si petamus Dioscoridem, duas tantùm huius Terræ inueniemus differentias, quarum altera est candida, altera ad purpureum inclinat, & vtramq; tactu frigidam pronunciat. Plinius autem Cimoliæ species Sardam, Vmbricam, & Saxum constituit, sed postea quid, per Saxum, intelligendum sit, non declarat; fortassis huiusmodi Terræ species duritiem lapideam participabit. Ab his speciebus nõ est arcenda quædã Creta in Thessalia, & in Lycia nascẽs circa Bubonem oppidum, necnon alia Terra huic similis Saponaria nuncupata coloris cinerei manus tangentium quodam veluti vnguine inficiens, quæ ex quodam monte effoditur non procul à Ripa oppido Ditionis Tridentinæ, qua Incolæ, in expurgandis pannis, loco Saponis, vtuntur. Ab hac non multum discrepat alia in agro Vicentino eruta propè Schium oppidum, quæ nõ solum in eluendis vestium maculis est præstantissima, sed etiã materiã præbet figulis ad quædam vasa, quę proculdubiò Fauentina æmulãtur.

L. 5. c. 176.

Præterea Puteolis alia inuenitur, quæ ſulphur, & auripigmentum redolet. Item puteolana quædam alia obſeruatur coloris cinerei, quæ Tutiam officinarum imitatur. Vidimus aliquando Cypriam Terram, quam Cimoliæ ſpeciem eſſe iudicauimus. Hæc erat colore rubro, albo, & luteo referta, ſubſtantia leui, rara. & ſapore aſtringente, ſeptem millia paſſuum a Nicoſia regia Cypri vrbe effoſſa. Famaguſtæ terram hanc in fornacibus comburunt, & crematæ puluerem ſupra aquam frigidam inſpergunt, quæ ſtatim rubea redditur, qua Infectores pannos ad colorem nigerrimum reducunt. Huic alia eſt congener maculis albis ſubluteis, & rubeis inſignita, & linguæ tenaciter adhæret, quam in vino potam aduerſus hydrargyrum ſublimatum medicinam præſtantiſſimam prædicant.

Terra Cyp.

VSVS.

PRIMITVS Creta, & potiſſimum Cimolia dummodo pinguis ſit, & acrimoniam poſſideat, eſt in vſu ad abſtergendum ſebum, oleum, & alia huius generis vnguina, quæ veſtibus adhæſerunt. Quamuis alij ſola Creta non contenti, lixiuium addant. Ille autem qui id genus artis exercet, fullo appellatur, quaſi fouendo luo; cum Creta, & calida aqua pannos foueat, lauet, & maculas ab illis abſtergat. Fulloniam artem primùm exercuit Nitias Megarenſis, ſi veritatem Plinius eſt aſſecutus; nam Cretis inuentis veſtimenta curare & tergere cæpit. Itaq; Cimolia in veſtibus pretioſis colores emollit, & quodam nitore exhilarat. Græci autem, loco Cimoliæ, Gypſo tymphatico vtebantur: ſed aduertendum eſt, quòd quando veſtis erat varij coloris, Cimolia, vel Vmbrica Creta vtebantur, & quando veſtimentum erat candidum, loco Cimoliæ, vel Vmbricæ, Sardam adhibebant, vt Plinius optimè annotauit. Deniq; cum magnam vim abſtergendi participet, non eſt mirandum, ſi ſordes etiam à vaſis ſtanneis, & argenteis auferat. Immò Iſidorus talem virtutem in eſſe Cimoliæ abſtergentem aſſeruit, vt gemmis quoq; nitorem conciliet. Demum inter illa Smegmata, quæ Balneator loturis olim exhibere ſolebat, Cimoliam fuiſſe numeratam his verſibus Ariſtophanis liquido conſtat.

Fullonis etymum.

Li.7.c.56.

L.35.c.17.

In Banis.

——— κλειγένης ὁ μικρὸς
ὁ πονηρότατος βαλανεύς, ὁ πόσοι
κρατοῦσι κύκησι τέφρου,
πσεῦδο νίτρου τε κονίας,
καὶ κιμωλίας γῆς, ideſt.
——— *Cligenes paruus*
Peſsimus balneator (omnium) quotquot
Imperant commixtæ cineri
Falſinitriq; pulueri,
Et Cimoliæ Terræ.

Ab vſu medico Cimolia non eſt remouenda; quoniã Dioſcorides, Galenus, & Plinius ſummopere illam commendant, & vires Chia, & Selinuſia valentiores ei attribuunt. In primis Dioſcorides vtramq; Cimoliam aceto diſſolutam ad Parotides diſcutiendas probat. Item Ambuſtis illam applicat, cum preſtulas generari prohibeat. Plinius verò Cimolię addit nitrum, & acetum, vt tumores pedum diſſipentur, deinde illam cypriæ cerę miſcet, vt tumores teſtium diſsoluat, Cimoliam quoq; illinit, vt ſudorem immodicum cohibeat. Idem Plinius non ſolum Cimoliam, ſed etiam omnes Cretæ ſpecies in Podagra miram habere prærogatiuam diuulgauit, exemplo Fullonum, qui aſſiduè verſantes in Cretis, podagra nunquam corripiuntur. Hæc Terra, referente Galeno, defluuium capillorum ex Cleopatra in libro de Ornatu, curat. Tandem vlcera illa capitis tollit, quæ Achores medicis appellantur.

Li.28.c.6.

L.1.de cõp. med. ſec. loc.c.2.

DE TERRA CHIA.
Cap. VII.
ÆQVIVOCA, SYNONIMA, & Etymum.

IN capite antecedenti Cretæ Chiæ, & Selinusię sæpiùs meminimus: vnde ratio ordinis expostulat, vt hoc in loco de Chia verba faciamus. Animaduertendum tamen est, quòd vocabulum (Chia) præter Terram, de qua hic agimus, significat etiam speciem ficus, quæ grato quodam sapore palatum pungit, viniq; veteris, & salis saporem refert: huius Martialis meminit hunc in modum.

Infanti melimela dato, fatuasq; mariscas
Nam mihi, quæ nouit pungere, Chia placet. *L.7.Epigr.*

Ex altera parte Chia est Crætæ species à Chia Insula Maris Aegei denominata, quæ Insula tantoperè ab Authoribus celebratur, non solum ob sublime, & excelsum Apollinis templum, sed etiam ob Homeri tumulum. Hodie hæc Insula non propter Chiam terram, sed propter Mastichen lachrymam, quam Lentiscus planta, gummi modo, sudat, commendatur, vnde ad nos defertur, cum ibi planta Lentisci fæliciter crescat. Hæc Insula, authora Magino, in mari Icario circa minorem Asiam est sita, olim Chios, & Pityusa, hodie *Chio, & Scio* cognominatur. Huic insulæ nomen fuit impositum à niueo fæminarum candore: χιὼν enim nix Græcis exponitur. *Tab. 26. Cosmog.*

Terra hæc ab Indigenis hodie patria voce *Pilo* nominatur, ex qua paratur vnguẽtum, quo mulieres faciem leuigant, & erugant. Nonnulli hanc Terram vocant edulem, quoniam a grauidis illarum regionum mulierculis in cibum expetatur. Apud Arabes vocatur Tinbalad almastichi, quasi dixeris Terram Regionis Mastiches. Terra quoq; capillorum nuncupatur, vt Auicennas tradit, cum apud Aegyptios, Arabas, & Syros, in detergendis, & decorandis capillis, Terræ Chiæ adhibendæ consuetudo inualuerit. *Regio Mastichis quæ.*

DESCRIPTIO, ET DIFFERENTIÆ.

CRETA hæc candida conspicitur ad colorem cinereum vergens, qualis est illa quam Dioscorides pro optima eligi, & Terræ Samię admodum similem esse scripsit. Idem Author Chiæ fodinam in multis Phrygię locis, & potissimùm apud Lampsacum fuisse asseruit.

Tres huius Cretæ species obseruauimus; prima est Chia candida ad vasa figlina dealbanda per vtilis, cui similis est illa quæ in agro Vicentino eruitur: hac de causa *Fioretto di Scio* cognominatur. Secunda est Terra Chia candidissima, pinguis, ad instar Amyli, in puluerem redacta, quæ inter venas ferri inuenitur. Tertiam Chiam habuimus ex Insula Chio, quæ erat candida, piuguis, mollis, & modicè adhærens linguę.

VSVS.

DIOSCORIDES huic Terrę eamdem cum Samia virtutem assignat: Siquidem faciem extendit, & erugat, splendidum colorem ei conciliat, totum corpus cõmendat, & in balneis, instar Nitri, detergit. Hinc colligimus nitrosam quamdam qualitatem participare, quam etiam Galenus optimè nouit, dum de hac Terra sermonẽ habuit. Auicennas, & alij Arabes tradunt Chiam ab omni memoria, ad detergendum, in vsu fuisse apud Arabes, Aegyptios, & Syros; cumq; huiusmodi vsus esset apud ipsos ita *Lib. 9. de sim. med. fac.*

frę-

frequens, nullus erat Propola, qui eam in taberna non haberet: etenim Terra hæc macerata vnguinis conſiſtentiam acquirit, quo poſtmodum mulieres balneum ingreſſuræ corpus, vniuerſum, faciem, atq; etiam capillos diligenter inungunt, non autem ſapone vtuntur, quia extremi capilli in flauum colorem puluere Alchanæ tinguntur namq; ſi capillos ſapone detergerent, cum hic, ob ſalis, olei, & calcis cõmixtionem, acrimoniã participet, capilli optatum colorem non reciperent; immò infecti in atrum, vel rubrum colorem verterentur. Hinc fit vt etiam fæminæ ruſticæ Aſiaticæ molles ſint, & candidæ, cum hac Terra ſæpius vtantur.

Saponis qualitates.

DE CRETA SELINVSIA. Cap. VIII.

ÆQVIVOCA, ET ETYMVM.

HOC pro comperto habent Authores Selinuſiam, Cimoliam, Chiam, Meliam, & Creticam terras fuiſſe Antiquitati notiſſimas, & in frequenti vſu. Verùm ab illis, qui nos præceſſerunt, ita fuerunt neglectæ, vt nulla earum ad nos amplius afferatur. Quare nõ eſt mirandum ſi Matthiolus circa harum hiſtoriam parùm verſetur, ſed nudo tantùm Dioſcoridis textu contentus ſit. Nihilominus, vt noſtræ ſeriẽ hiſtoriæ continuemus, nõnulla etiam verba de hac Terra faciemus. Itaq; Creta Selinuſia nomen inuenit à Selinunte oppido Siciliæ, vbi copioſa eruebatur, quemadmodum Agricola, & alij Authores referunt. Nos autem animaduertimus hoc nomen (Selinuſia) æquiuocatione laborare: quandoquidem apud Athenęum legitur σελινουσία τῆς κράμβη, nimirum Selinuſia Braſicæ ſpecies, ita nuncupata à foliorum criſpitudine, qua hæc planta Apium (σέλινοι Græci dicunt) æmulatur, vnde & σελινοειδὴς etiam cognominata fuit.

Lib. 4. Dipnoſo.

DESCRIPTIO, ET VSVS.

HÆC Creta, iuxta Plinij ſententiam, quando fuerit optima, candida eſt, maximè ſplendens, friabilis, & in aliquo humore, vel liquore poſita illicò mutatur in ſuccum, & ſi modico coloris cærulei inficiatur, ſtatim Indicum coloris ſpeciem imitatur Huius duas ſpecies conſpicati ſumus, quarum altera erat Creta candida, inſtar Nitri ſplendens, altera verò in candore, & ſplendore priori erat ſimilis, ſed linguæ admota ei parùm adhærebat. Huiuſmodi Creta olim ad dealbandos parietes vtebantur, quemadmodum noſtra ætate calx candidiſſima adhibetur. Præterea Antiquitas, in adulterando Indico, Selinuſiam Cretam vſurpabat: quandoquidem Indicũ naturale apud Priſcos erat rarum, cuius loco Indicum arte factum ſucceſſit, & huius adhuc duplex genus parabatur, alterum ex ſtercore columbino, & Creta Selinuſia fiebat, hocq; improbabatur, & ab altero, igne, & odore, teſte Plinio, diſtinguebatur. Etenim Indicum factitium ab ipſis expetitum igni admotum fumum purpureum ſpargebat, & odorem aquæ ſalſæ ſpirabat.

Indicũ coloris genus.

Li. 35. ca. 6

Si vires medicas Selinuſię meditemur, notandum eſt pollere eadem virtute medica, quæ Terræ Chiæ ineſt: quemadmodum Dioſcorides, & Galenus annotarunt; cũ aduerſus venena tantam vim poſſideat, quanta ab Authoribus medicis Terræ Lemniæ attribuitur; itaut ipſi meritò comparari poſſit.

Lib. 5. cap. 132.

Lib 9. de ſimp. med. fac.

A

DE CRETA ERETRIA.
Cap. IX.

ETYMVM, DESCRIPTIO, & Differentiæ.

AD Cretarum genus hæc quoq; referenda est, quæ Eretria terra, τῆ ερετρίς, ερετρία, καὶ ερετρίας Græcè nominata est nimirum ab Eretria, quæ & Melanis dicitur, Euboeæ Iusulæ propè Chalcidem oppido loco olim huius Terrę natali; vnde ad alias regiones deferebatur. Quoniam autē hodie copiosa Eretria ad nos non affertur, nonnulli eius vsum iam desijsse pronunciarunt. Terra hæc describitur modicè pinguis, εὐόσμο, nēpe bonum spirans odorem, & huius rei testis est Galenus, qui inter illa, quæ medicinas reddunt odoratas, Terram Eretriam recensuit.

B

Dioscorides enumerans huius Terræ differentias Eretriam in albam, & cinereā diuisit, quoniam illa pictores, & hac Medici vtebantur. Mollitie probabatur, & quæ super ęs attrita violaceum colorē reddebat. Hęc bonitatis nota à Plinio fuit recitata, & à Medicis probata; quoniam hæc species candidæ Eretriæ præfertur. Galenus terram Eretriam dixit esse rubicundam, & ei vires valdè astringentes, & Terra Samia efficaciores assignauit. Ex altera parte idem Galenus alibi hanc eamdem terram non admodum astringentem esse prodidit: propterea ille Galeni locus suspectus esse videtur. Vidimus aliquando Terram Eretriæ cinereæ valdè similem, duram, siccam, & friabilem. Item, iuxtà mentem Agricolæ, obseruata est Terra pinguis in modico cęruleo cinerea, & viribus Eretriæ non dissimilis, reperiebatur hæc Hanoberæ in lapidicina saxi calcis, quæ attrita æramentis, eorumdem colorem referebat.

Lib. 1. de simp. med. fac.

Lib. 9. de simp. med. fac.

C

VSVS

ERETRIA candida, authore Plinio, Pictoribus magis, quàm Medicis ex vsu fuit: propterea idem Pliniu duos insignes Pictores Nicomachum, & Parasium memorauit, qui huiusmodi terra sæpius vtebantur. Pictores nostræ ætatis, huius loco, Cerussam adhibere credimus. Item Galenus, ex sententia Archigenis, Eretriam ad capillos denigrandos valere diuulgauit. Quoad virtutem medicam, vis huic terræ inest refrigerādi, emolliendi, & extergendi valenter sine morsu, & potissimùm quando hæc Terra elota fuerit: quarè vulneribus, & doloribus capitis à causa calida ortis vtiliter admouetur. Non erit igitur mirum, si in Taurorum Peninsula in ciuitate Parisano, virtute cuiusdam Terræ fortassis Eretriæ Dioscoridis omnia vul era sanentur.

Cerussa in picturis.

D

Quinimò ad deprehendenda empyemata adhibetur: quemadmodū Hippocrates, & Plinius testificati sunt. Hippocrates enim hæc verba scripta reliquit. *In Eretriade terra liquida, valda trita, & tepida intingito, eòq; thoracem circumcirca integito, & quo loco primùm siccatum fuerit, ibi oportet secare, aut vrere, tanquam proximè ad septum transuersum, cauendo tamen ne hoc ipsum lædatur. Sin ipsam Terram Eretriadem illinto, & similiter veluti in linteo considerato. Multi simul illinunt, nequæ primùm hac Terra illita fuerint, siccentur.* Plinius aliquantisper à recitatis Hippocratis verbis disentire videtur de Terra Eretria loquens hunc in modum. *Vtilis, & depræhendenda pura, subesse enim ea intelligitur, si ex aqua illita non arescat.* Hic non satis miramur doctissimum virum Iacobum Dalechampium, qui in Annotationibus ad Plinium pro voce (pura) obscura legi mauult, locutumq; fuisse Plinium tradit non de suppuratione pectoris depræhendenda, sed de illa, quæ, osse vulnerato, in calua latibulatur. Nos tamen lectionem vulgatam libenter admittimus, & asseuerantius dicimus, non aliam fuisse Plinij mentem, quàm assignare rationem, qua pectoris em-

Lib. 3. de morb.

Difficult.

empyema depræhendi poſſet. In hoc quidem ab Hippocrate diſſentit,quòd hic ibi ſecandum, vel vrendum præcipit, vbi Terra Eretria illita primùm ſiccari cæperit: ille verò ſi Eretria ex aqua illita non areſcat. Huic liti Nos non immiſcemus, ſed loca Authorum tetigiſſe ſufficiat.

DE TERRIS PICTORVM, & primùm de Parætonio. Cap. X.

SYNONIMA, ETYMVM.

BENE ſe res habebit, ſi hoc in loco Pictorum Terras recenſeamus; cum earum plurimæ Cretę naturam participent, de qua paulò ſuperius egimus. Quare Parætonium ob colorem candidum picturis inſeruire omnes Authores tradunt. Hoc autem nomen ſortitum eſt, teſte Vitruuio,à portu Aegypti verſus Cyrenaicam regionem. Plinius aſſeruit hoc nomen habuiſſe ab Aegypto, ſed Volaterranus ex ciuitate Aegypti eiuſdem nominis, vnde olim hoc genus coloris afferebatur. Sunt qui Parætonium appellent Cretam litoralem, nec præter rationem, cum ſubſtantia diſcrepare non videatur à Creta,& in litore Maris colligatur. Deniq; Theophraſtus hoc genus pigmenti Phalaridem terram vocitare videtur.

L.7.Arc.c.

In l.de lap.

LOCVS, DESCRIPTIO, & Generatio.

HOC coloris genus, quod Parætonium Authoribus nominatur, non ſolum Cyrenis,ſed etiam in Creta inſula erui,ſeu colligi perhibetur. Hoc,iuxta ſententiam Plinij, ſpuma Maris cum limo ſolidata eſſe dicitur; quapropter minutæ conchæ in illo inueniuntur. Iacobus autem Dalechampius naturam ſpumæ marinæ ſiccisſimam, & aridiſſimam meritò conſtituit, quibus qualitatibus Parætonium carere debet,cum tenaciſſimum, & pinguiſſimum ſit: quamobrem doctrinæ Dalechampij aſſentiri debemus, qui ſcripſit,Parætonium eſſe Cretam litoralem candidiſſimam glutinoſam, & pinguem, quæ non poteſt effodi, atq; colligi abſq; limo, & ſpuma Maris,in qua minutæ conchæ interdum occultatæ obſeruantur. Hæc autem fuit potiſſima ratio, quæ mouit Plinium ad ſcribendum, Parætonium eſſe ſpumam maris ſolidatã. Et quamuis Terræ picturis famulantes macræ,vel mediocres eſſe debeant: nihilominus inter tot terras ſolum Parætonium pinguiſſimum eſt.

L.35.c.6.

Parætonium an ſpuma Maris.

Itaq; generatur hoc Terræ genus ex ſaxis pinguibus reſolutis,qualia ſunt calcaria. Hoc autem fit, quando aqua prædictos lapides lambit, & abradit,ſecumq; materiam per cæcos meatus in mare ducit.

DIFFERENTIÆ, ET VSVS.

TERRÆ Pictorum inter ſe potiſſimum ratione coloris diſcriminantur, quia tales ab ipſis expetuntur: etenim aliæ ſunt candidæ, vt Parætonium,de quo in præſentia agimus, necnon Melia,& Eretria, aliæ ſunt rubræ, vt variæ rubricarum ſpecies, quædam luteæ, vt Ochra, quædam rufæ, & ſimiles Sandarachæ, quales in fodinis metallorum inueniuntur, aliæ ſunt virides, vt Creta viridis, aliæ nigræ, vt Pnigitis, & Ampelitis, aliæ demum diuerſis alijs coloribus ſunt refertæ, de quibus ſigillatim inferius agendum erit. Itaq; quoad varios Terræ colores, mirum ſpectaculum in Peruanis Prouincijs eſſe Hiſtorici produnt: ſiquidem eminùs aſpicientibus Territoriũ

Terræ varij coloris.

Perua-

Parætonij duæ differentiæ.



Turben cum Parętonio iuxtà partem concauam, & conuexam delineatum.

Peruanum tam varijs coloribus refertum ſeſe offert, vt tot panni diuerſorum colorum Soli expoſiti eſſe videantur. Immò Terra nigra Peruana in aqua diſſoluta optimi atramenti vicem ſubit; cum va iæ regiones variarum etiam Terrarum, & colorum ſpecies producant. In Territorio Meſſaraiæ nuncupato reperitur vena cuiuſdam Terræ, ex qua eliciunt colorem, quem Latini Giluum appellant. Affertur ex Anglia genus cuiuſdam Terræ, quod Vulgus *Bruno d' Inghilterra* cognominat, quo Pictores colorem caſtaneæ ſimilem imitantur. Hæc Terra Eretriæ ſimilis, ſed multò obſcurior obſeruatur. Vocant autem huiuſmodi colorem *Brunum*, quia ſit color quodammodo obſcurus, & ſubfuſcus, & ſubfuſci Bruni appellari ſolent. Hoc in loco in gratiam ſtudioſorum duas Parætonij differentias exhibemus delineatas. Immo quoniam ad noſtras peruenit manus Turbinatum Conchylium, cui Parætonium adhærens tenaciter concreuit, illud iuxtà partem concauam; & conuexam delineari curauimus; vt Studioſi rerum naturalium in hac tabella conſpicari poterunt.

Giluus color.

Pictores vſum Parętonij ſuum fecerunt, nam Medici tanquam inutile reliquerunt: illi tamen ſuum in Medicina vſum negare non debemus; quamuis hactenus ſit incognitus. Scripſit Plinius Romæ Creta Cimolia cocta, & ſpiſſata Parætonium adulterari, & inſuper addit, quòd Parætonium atramento interdum aſpergitur, ne illius candor Chryſocollæ pallorem afferat. Prædictis Terris non ſolum Pictores, ſed etiam Fabri Materiarij vtuntur, & præcipuè Rubrica fabrili, Creta nigra viridi, & alterius coloris, prętter Terras candidas, cum harum lineæ ſupraſigna ductæ malè appareant.

Li.35.c.6.

DE TERRA MELIA.
Cap. XI.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM, Deſcriptio.

Melia arbor.

MELIA in primis licèt ſit Terra Pictoribus tantùm familiaris; nihilominus æquiuocationem patitur; quandoquidem Melia apud Botanicos ſignificat illam arborem, quã Latini Fraxinum indigitant. Immò apud Hecatęum Melia oppidum Cariæ eſſe perhibetur. Melia igitur Terra triplex ſortitur nomen; primò apud Theophraſtum Melina dicitur, deinde Dioſcoridi Melia cognominatur. Plinius verò Iſidorus, & alij Melinum nuncuparunt. Hic aduertendum eſt, vocabulum (Melinum) æquiuocatione laborare, cum non ſolum ſignificet illam coloris ſpeciem, de qua in præſentia agimus, ſed etiam oleum, quod ex floribus malorum olim apud Plinium parabatur. Itaq; hæc Terra nomen a Melo Inſula vna Cycladum acquiſiuit, non quòd in Melo tantùm effoderetur, cum in Samo quoq; Inſula inueniatur, ſed ita nuncupata eſt, quoniam hæc Terra in Melo optima erueretur, vel etiam quia ibi copioſa reperiretur, vt Vitruuius teſtificatus eſt.

Li.13.c.3.

Color huius Terræ, ex mente Plinij, Iſidori, & Agricolæ, albus eſſe traditur. At ſecundùm Dioſcoridem cinereus eſt, & Eretriam Terram imitatur. Volaterranus autem Meliam colore Melino refertam, & Eritriadi ſimilem conſtituit. Hæc Terra, authore Dioſcoride, tactu aſpera eſt, digitiſq; confricata ſtridorem pumici ſimilem reddit, & aliquam aluminis naturam participat.

DIF-

A

DIFFERENTIÆ.

DIVERSÆ, quoad colorem, in hac Terra differentiæ obseruantur: quandoquidem Melia Plinij est alba, Dioscoridis cinerea,& illa Volaterrani,ad Melinum inclinat. Id fortassis contingere potest, quoniam ex variis locis olim effoderetur. Nonnulli ad Terram Meliam reducunt Cretam Melitensem,quæ tactu est aspera, colore alba ad cinereum inclinante, & adstrictionis est particeps, quæ à loco natali, nimirùm ab Insula Melite(Maltam hodie vocant) nomen accepit Ibi non passim eruitur, sed è specu quodam, ad quem Diuus Paulus naufragium passus diuertisse traditur. Aiunt autem hanc Terram ab eo tempore, Diui Pauli munere,aduersus Serpentũ morsus,& venenatos animalium ictus certum alexipharmacum euasisse: qua de causa Vulgò *Gratia di San Paolo* cognominatur. *Terra Melitensis qualis.*

B Sunt tamen, qui huius Terræ virtutem, instar aliarum Terrarum, à Natura recepisse asseuerant. Quicquid sit hoc liquidò constat Terram hanc non iniuria inter præsidia Alexiteria esse numerandam: quapropter non desunt viri grauissimi, veluti Gabriel Falloppius, & Bartholomeus Maranta, qui Antidotis regijs hanc Terram, loco sigilli Lemnij, tutò miscendam esse asseuerant. Reperitur etiam hoc Terræ genus in alijs huius Insulæ locis, sed longè inferior est illa, quæ à prædicto specu eruitur. Solent Nauclerj sæpius hac Terra naues saburrare eamq; cum portum attigerint,pro vera,& genuina melitensi Terra dolo malo venundare. Huius Terræ genuinę adhuc duæ mõstrantur differentiæ, quarum altera est naturalis, ex prædicto specu effossa, altera est aquæ macerata, & lota croceum ferè colorem induit: etenim hæc diligenter elaborata,& in pastillos redacta, ad penetrandum in penitiores corporis partes idonea redditur.

VSVS.

C MELIA Pictoribus ad diuturniorem colorum firmitudinem inseruire traditur; quoniam ad colores, & pigmenta huiusmodi Terram reduci omnes Authores consentiunt. Plinius tamen diuulgauit, propter nimiam pinguitudinem, hanc Terram à Pictoribus non admitti. Sed Theophrastus, & Agricola posse Meliam Pictoribus famulari affirmant; cum hoc pigmenti genus macrum esse feratur. Quare ad conciliandos inter se hos Authores, Meliam in duplicem discriminare debemus, nimirum in pinguem, & macram, itaut hæc postrema in picturis admittatur. *Melia duplex.*

Terra Melia viribus medicis non caret: quandoquidem eamdem cum alumine virtutem, sed ignauiorem possidet: propterea Vitiligines, & Lepras delet; dummodo, ad hoc munus obeundum,optima eligatur. Talis autem erit recens, mollis, non lapidosa, friabilis, & quæ contactu alicuius humoris facilè soluatur.

Quoad vires medicas Terræ Melitensis, hæc potitur facultate frigida cum siccitate, & aliqua tenacitate: quapropter linguæ admota vehementer adhæret. Sunt nonnulli, qui illam viribus Lemniæ, & Samiæ æquent, vt superiùs fuit annotatum: Quandoquidem in venis putredinem coercet, in febribus pestilentibus, pondere drachmæ in liquore conuenienti exhibita multis fuit saluti. Deinde hæmorrhagiæ occurrit, morsibus Serpentum, & canis rabidi medetur, necnon pueris verminatione oppressis præstò est.

DE OCHRA.
Cap. XII.

SYNONIMA, ETYMVM.

CVM hæc Terra Picturæ non modicam frugem afferat, libentiſſimè hoc caput illi deſtinauimus. Hæc Græcis vocatur ὤχρα, quia pallido colore ſit referta: ὠχρὸς enim pallidus exponitur. Ideoq; dum Græci ὠχρὰν dicunt, Latini Terram luteam vertunt: quamuis ſæpiſſimè, ſumpto à Græcis vocabulo, Ochram etiam hanc Terram vocitent. Hæc Terra Vitruuio, & Plinio Sil quoque appellatur vocabulo, vt opinamur, à Pœnis petito: quapropter Auſonius in Monoſyllabis quærit, vtrum hæc vox (Sil) ſit peregrini nominis, aut Latij. Sil autem apud Plinium cum Ochra conuenire inde colligimus, quia Plinius Sil pigmentum de genere limi conſtituit, & in metallis auri, & argenti inueniri retulit, & optimum Sil eſſe Atticum voluit. Cum autem has conditiones Ochræ Dioſcorides aſſignauerit, hoc vnum, & idem Pigmentum eſſe atteſtabimur. Italis dicitur Terra Gialla, Gallis Ochre, Hiſpanis Color de Almagra quemada.

Sil quod vocabulũ.

NATVRA, ET LOCVS.

OCHRA lutea, & ſubpallida conſtituitur, ab alijs aurei coloris. Theophraſtus ſcripſit æmulari colorem Auripigmenti; quapropter illius loco nonnulli Pictores Ochra vtuntur. Denùm Cardanus colorem Ochræ flammeum eſſe voluit Ochra genuina ad mẽtem Dioſcoridis, leuiſſima omninò lutea, non lapidoſa, friabilis, & natione Attica eſſe debet. Rurſus acrimonia quadam eſt referta, itaut guſtum cõmoueat; quod præſtare ſolent aliæ terræ, quas immodicus calor ſubterraneus adeo exſiccauit, vt poſtmodum aduſtæ eſſe videantur. Præterea ſubſtantiam metallicam participat, & præſertim plũbeam, quia ſemper in fodinis plumbi reperiatur: quare ex fumo plumbi ſuam originem trahere videtur.

Attica Ochra optima.

Atticam Achaiæ Regionem cõſtituit Dioſcorides locum natalẽ Ochræ; idcircò idem Author, Vitruuius, & alij Ochram Atticam cæteris ſpeciebus præferebãt. Delatio Ochræ ex illis Regionibus, Vitruuij temporibus, ceſſauit, vt ipſe teſtatur, dum Athenienſes non amplius habebant fodinas Argenti, cuius eruendi occaſione, Ochram quoq; inueniebant. Hodie, Agricola teſte, foditur Ochra in illa parte Vngariæ, quæ olim Dacia nominabatur, in Norico, in Rhetia, & in metallis argentarijs Germaniæ. Pariter, noſtris temporibus, authore Matthiolo, non procul à Tridento Ochra optima habetur, ſimiliter in Agro Veronenſi, & in montibus Vicentinis. Ad flumen Albim reperitur, & plerumq; ad flumen Ochrã Brunſuigam aliuens: qua de re Ochra à Saxonibus nuncupatur. Item in Regione proxima Orano eruitur Ochra coloris lutei ſaturati, friabilis, & leuis non ſecus ac eſſet in lapide prophyrite leuigata, quæ Atticæ tantoperè à Dioſcoride commendatę nequaquam cedit. Naſcitur inter cruſtas lapideas, quarum aliæ ſunt ferrugineæ, aliæ marmoreæ. Alia naſcitur lapidibus adhærens, qualis Francobergi habetur. Alia lapidem plumbarium amplectitur, qualis eſt Frimbergenſis.

L 7. Architec. cap. 7

Ochra fluuij nomen.

DIFFERENTIÆ.

OCHRA in duplici diſcrimine conſtituitur; cum alia natiua, alia factitia habeatur. Primitùs natiua in fodinis colligitur, & ratione loci, Dacica, Vngarica, Attica, Germanica, Vicentina, & Veronenſis dicitur. Huius poſtremæ duo monſtrantur genera, alterum compactum eſt ex cruſtis complectentibus lapides ferri, ſicq;

A ſicq; ferrugineum colorem oſtendit; alterum genus eſt cruſtoſum, ſed vbiq; croceum, vtrumq; tamen eſt friabile.

Huius Ochræ natiuæ adhuc, quoad ſubſtantiam, quatuor differentiæ obſeruantur. Prima eſt lapidoſa in fodinis, & circa ripas fluuiorum inuenta; ſecunda eſt puluis, & terra arida lapidibus adhærens, quæ vnà cum lapidibus ad ædificia Laueldiæ effoditur; tertia eſt terra ſimplex ad ripas; quarta, vel eſt limoſa, & tenax, vel marmoroſa in fodinis inuenta. Quinimò alia reſultat ſpecies, quando Ochra calore Solis aduſta in Rubricam tranſit. Nouimus quemdam, qui monſtrabat Ochram, cuius altera pars Ochram, altera Rubricam repræſentabat.

Ochra calore Solis aduſta.

Ochra factitia duplex oſtenditur, altera erat Veterum, qualis à Plinio deſcribitur, & ex Rubrica fiebat Hodie factitiam Germania tranſmittit copioſam, quæ valdè cocta eſt, & colorem à fumo recipit, dum plumbum liquatur, hacq; Pictores vtuntur. Altera pariter factitia ex plumbo vſto, & macerato in Germania etiam paratur. Hic notãda eſt difficultas in ſcriptis Plinij, quando aſſeruit Ochram factitiã eſt Rubrica vſta in ollis nouis luto circumlitis reſultare; quandoquidem hoc aſſertũ ſententię Dioſcoridis, & experientię repugnat; cum Rubrica aduſtione non tranſeat in Ochram, immò totum eſt oppoſitum, dum Pictores cremant Ochram, vt colorem Rubricæ habeant, quem poſtea *Roſſo di giallo brugiato* vocitant. Quapropter putamus textum Plinij citatum eſſe corruptum: nam quando dixit Ochram ex Rubrica fieri, legendum eſt Ochram crematẽ in Rubricam trãſire, vt quotidiana docet experientia. Ratio autem erroris fuit, quia Plinius omnia ferè ex Dioſcoride, & Theophraſto accepit, qui Rubricã ex Ochra cremata fieri retulerunt.

L. 35. ca. 6.

Rubrica ex Ochra qualis.

Apud Indos quoq; vt prodit Ioannes Euſebius Ieſuita, Terræ pallentis genus reperitur fortaſſis Ochræ, quo Pictores luteum colorem imitantur. Immò huiuſmodi colore mulieres faciem fucant, & viri ad bellum ituri, & in hoſtes impetum facturi vniuerſum corpus inficere conſueuerunt, quonian, hoc colore deturpati hoſtibus terrori eſſe ſibi perſuadent. Item ad Ochræ genus, vt noſtra fert opinio, reducenda eſt terra Tripolea ad luteũ colorem vergens, ſicca eſt, & linguæ adhærens, & in poliendo auro, & Orichalco vſitatiſſima. Nomen illi inditum eſt à loco vnde defertur, nimirum Tripoli Africæ vrbe. Naſcitur, & in Saxonia crebris in locis, & potiſſimùm Heldisheirmiũ Terræ genus, quod colore, & ſubſtantia Tripoleæ eſt proximum. Sunt aliqui, qui hanc Tripoleam ad Meliam reduci volunt, ſed quàm verè, incertum eſt; quoniam Melia Dioſcoridis cinereæ Eretriadi eſt ſimilis, & aluminoſam naturam poſſidet, tactu eſt aſpera, & digitis fricata, inſtar pumicis deraſi, crepitat, quæ conditiones in terra Tripolea deſiderantur. Quocirca hæc ad Ochram potius ſpectat, vt ſuperius annotauimus: nam color id ſuadet, deinde macra eſt, & linguam tactu ſiccat. Eiuſdem conditionis eſt terra Alana à Regione eiuſdem nominis cognominata, quæ hodie Valachia dicitur. Hæc tactu eſt aſpera coloris cinerei, & pallidi, & magna extergendi facultate potitur: idcircò vaſis argenteis ſplendorem conciliat.

L. 16 Hiſt. nat. cv. 36.

Tripoleæ terræ etymum.

Alanæ Terra.

VSVS.

HÆC Terra Pictoribus potiſſimùm famulatur, dum loco auripigmenti illam adhibent: nam in colore ab eo parùm diſcrepat, & præcipuè quando colorem melinum non ſplendentem exprimere volunt. Verùm in hoc vſu Ochra factitia vſurpatur, quæ hodie ex Germania affertur. At ſi Ochra foſſilis, & natiua in picturis interdum adhibeatur, hæc proculdubiò Dacica, & Vngarica erit.

Quoad vſus medicos, Aetius ex Ochra medicamentum componit, quod ad colliſa, & Vibices multum valet. Quoniam verò hæc Terra guſtata linguę acrimoniam communicat, ei vis erodendi, & diſſipandi aſſignatur, & quia habet in ſe ſubſtantiam metallicam, extrinſecis tantùm medicamentis permiſcetur: ideò tumores diſcutit, carnem vulnerum ſupercreſcentem reprimit, vlcerum cauitates replet, & articulorum tophos comminuit: quapropter Galenus, & ipſe Ochram reponit inter illa medicamenta, quæ tophaceas, & calloſas conſiſtentias incidunt. Medici nuperi Ochra non vtuntur, vel ob negligentiam, vel quia, illius loco, medicamina præſtantiora habeant. Poſtremò circa Ochram nos grauis premit difficultas ex textu Theophraſti, & Dioſcoridis orta. Si-

Ochræ vſus medicus.

Lib. 5 de ſimp. med. fac. c. p. 10.

quidem Theophraſtus de Ochra naturali, & in fodinis ærarijs naſcente loquens dicebat, hanc eſſe coloris lutei, detergere, ſiccare, & cauſticã vim poſſidere: hæc eadẽ à Dioſcoride deſcribitur, & probatur illa, quæ ab Attica deferebatur, & in hoc Dioſcorides decipi videtur, cum Ochra in Attica, virtute cauſtica careat: cum ſcripſerit Vitruuius Terram in Attica fodi ſolere, vt argentum eruerent, & Ochram non deſpiciendam inueniebant. Pariter Galenus ſimilem Ochram non exurere retulit. Quamobrem Dioſcorides tunc deceptus videtur, quando ab Attica Regione non æraria, vt ipſe credebat, ſed argentaria Ochra vi cauſtica carens aſportabatur.

Lib. 7. Architect. cap 7.

Com. 6 in ſec. Progn. Hipp.

DE CADMIA.
Cap. XIII.

POST Ochram Terra Cadmia ſuccedit conſideranda, quæ cum ſublutei ſit coloris, à nonnullis, loco Ochræ, adhiberi perhibetur. Hoc caput erit tumultuarium, cum in primo libro à nobis de Cadmia fornacum agentibus multa de ipſa exarata fuerint. Eſt igitur Terra Cadmia, quam Vulgus à colore Gialaminã vocat, & Feſtus ex hac adiecta ęri Orichalcũ fieri diuulgauit. Duplex autem eſt Cadmię genus, vnum, quod in fornacibus metallorũ oritur, de quo in primo libro verba fecimus, alterum eſt naturale, & foſſile, quod adhuc eſt duplex, alterũ eſt metalli particeps, alterũ verò expers, & de hac poſtrema Cadmia ſermo habetur, quæ in Agro Inſubrum, Bergomatium, Senenſium, & in Germania Belgica inter Coloniam Agrippinatem, & noblle oppidum, quod ab aquis nomen duxit, alijſq; Germaniæ Magnæ locis effoditur. Falloppius in materia medica diligentiſſimus hanc eſſe Cadmiam Cypriam Galeni aduerſus Georgium Agricolam aſſeruit; qui voluit Cadmiam Metallicam, quam pro lapide æris Plinius memorauit, eſſe illam Cadmiam Cypri à Galeno tãtoperè celebratam. Sed in hoc Authorem hunc valdè errare ſcripſit Falloppius; cum Cadmia foſſilis Galeni eſſet mitis, & nulla vi cauſtica referta: ſed lapis æroſus, & Cadmia metallica Agricolæ non modò cauſtica, ſed etiam venenata eſſe perhibetur. Eſt autem duplex hæc Cadmia foſſilis, vna dura, quã aliquis non iniuria cum Galeno lapidem vocare poterit, eò quòd aqua non ita facile molleſcat, ſublutei, vt plurimùm eſt color is: ideo Ochra quibuſdam exiſtimata, hæc quandoq; etiam alba inuenitur.

Cadmia duplex.

L. 34. c. 10.

Lib. 34. cap. 10.

Ad affectus oculorum veliſſima eſt, ad illas omnes affectiones, quibus Cadmia fornacum lota tutò occurrit. Neq; diſſentit à Galeno Plinius, vt voluit Matthiolus, quando dixit: *namq; lapis, ex quo conflatur æs Cadmia vocatur fuſuris neceſſarius medicina inutilis.* quãdoquidem Plinius de Cadmia foſſili metallica, Galenus verò de foſſili Cadmia metalli experte locutus eſt, quæ eumdem cum Cadmia fornacum in medicina vſum habere traditur. Huius Pliniũ meminiſſe opinamur, vbi de ære Mariano, ſeu Cordubenſe ſermonem habet, dum inquit. *Hoc à Liuiano Cadmiam maximè ſorbet, & Orichalcum bonitate imitatur.* Fortaſſis Marianum æs erit illud, quod Nuperi perperàm Orichalcum appellant; cum verum iamdiu Plinij ætate, æffæta tellure, deſierit, quòd & eodem Plinij loco conſtat. *Veriſimile autem illi æri, quod colore, & bonitate Orichalcum verum quàm proximè imitaretur nomen etiam relictum.*

DE RVBRICA.
Cap XIV.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

HÆC vox (Rubrica) non solum designat terram, quæ in præsenti capite ponderanda nobis se se offert, cum & ipsa picturæ inseruiat, sed etiam miniata Iuris capita indicat. Etenim Mos Veteribus erat, Legum epigraphas, & capita, vt illarum maiestatem augerent, colore rubro, nimirum Sinopide, Minio, & Cinnabari notare. Quapropter Rubrica apud Iuris Consultos nil aliud est quàm *διὰ μίλτου ἐπιγραφή*. Neq; id solum factum est, vt maiestatem legibus afferrent, verùm etiam vt terrorem Violatoribus Legum incuterent. Miniaceus enim color quid sanguineum, & cruentum minatur, & huc respexisse videtur Prudentius, quando cecinit.

—— Dicant cur condita sit Lex
Bis sex in tabulis, aut cur Rubrica minetur.

L. 2. contra Symach.

Postmodum in hoc sensu Rubrica translata est ad Titulos aliarum materierum, quæ in quibusuis libris tractantur.

Itaq; Terra hæc propter concoctũ à calore subterraneo humorem, rubea est, sanguinei, & hepatici coloris, vnde nomen Rubricæ adepta est. Immò testatur Falloppius hanc Terram Cælso Minium nuncupari propter coloris similitudinem; alioquin à Minio valdè discrepat, vt suo loco ostendetur. Synopica dicta est à Synope Cappadociæ vrbe, vnde olim aduehebatur; & licèt etiam in Lemno, Africa, & Insulis Balearibus eruereturnihilominus Dioscorides eam hoc nomine insigniuit, quia ex prædictis locis primùm collecta, mox purgata, & in Synopem vrbem delata, & lota venalis exponebatur: hac de causa Cælsus illam Minium Synopicum indigitauit. Pariter Græcis vocatur *μίλτος*, nempè terra rubei coloris. Hæc vox in græcis litteris est æquiuoca, quoniam Minium, necnon Rubiginem segetum significat. Vtrum dicatur *μίλτος*, quasi *μίτος*: hoc enim vocabulum significat filum: siquidem hac terra aqua dissoluta fabri Lignarij filum insuccãt, vt supra ligna varias lineas ducant: hinc Rubrica fabrilis nominata est fortè. Apud Plautum legitur Rubriceta, quod nomen non est Rubricæ diminutiuum, sed erat genus fuci, quo mulieres ruborẽ faciei conciliabant. Arabibus dicitur Magra, seu Mogar, Gallis Terre Rouge, Italis Terra Rossa, Germanis Rubrich, Hispanis Bano Bermeio.

Miltos quid sit.

NATVRA, ET LOCVS.

APVD Dioscoridem Rubrica Synopica probatur dẽsa, ponderosa colore iecoris, sibimet tota concolor, quæ ratione saporis sit dulcis, pinguis, & astringens. Galenus illam Rubricam in Lemno Insula nascentem primò commendat, deinde quamcumq; in alijs etiam Regionibus ortam, dummodò sit rubicundissima, spissa, grauis, concolor, & lapillis careat. Aliquando Rubrica Ochræ annexa inuenitur, quæ naturaliter Fossoribus est nocua, quoniam illos suffocare potest. Animaduertendum etiam est, quòd si contingat aliquando, vt riui aquarum per venas Rubricæ transeuntes à terra erumpant, sanguineum colorem præseferunt. Reperitur omnis Rubrica vel in metallorum fodinis, vel in proprijs venis, quæ saxis adhærent. Quoad loca, ex quibus olim, & hodie huiusmodi Terra habetur, notandum est, quòd Rubrica optima ex quibusdam Cappadociæ specubus extrahebatur, vnde postea Synopem vrbem afferebatur. Locus quoq; natalis huius Terræ erat Lẽnus maris Ægei insula, deinde Ægyptus, & Africa, necnon Insulæ Baleares. Nunc in metallis Magnæ Germaniæ inuenitur, & Falloppius addit Rubricam nostræ ætatis ex fodinis ferrarijs Agri Brixiensis, & Iluæ insulæ deferri.

Rubricæ locus.

DIFFERENTIÆ.

QVOAD natales locos variæ recenſentur Rubricę ſpecies: quandoquidem in Aldebergo Rubrica metallica arenoſa eſt. In Ferrarijs Ambergi Rubrica inſtar Hæmatitis dura eſt, & ſplendorem ferri præſefert. Circa Leumbingum Pagum Rubrica Fabrilis, mollis, & pura effoditur, ſed Aquiſgrani Rubrica continens Cadmiam foſſilem obſeruatur. In Coſmographia vniuerſali legitur quòd Synopis eſt ciuitas Gallogræciæ, vbi Rubrica nobilior, & præſtantior illa colligitur, quæ in Iberia naſcitur. Hodie ex Pontica Regione Rubrica aſportatur, quæ primo aſpectu genuina eſſe non videtur: nihilominus quia redundat illis conditionibus, quæ à Dioſcoride, & Galeno huic Terræ aſſignantur, propterea facilè admittitur. In Media quoq; colligitur Terra quædam rubra, & minuta propria lingua *Cambil* nuncupata, quæ fricata ſupra cutim, illico illam penetrat. Rubra etiam Terra reperitur in Hebron, quam, commiſſo fratricido, ex ſanguine Abel Ruborem traxiſſe ferunt: hac terra Saracenni ad nõnulla veneficia vtuntur. Toſtatus quoq; in Hebron eſſe agrum terra rubra refertum retulit, quam Incolæ non ſolum effoſſam edunt, ſed etiam per Ægyptum eam deferentes pro ſpecie aromatica caro pretio vendunt.

Cambil quid ſit. Tom. 2.

Ratione coloris hæc Terra diſtinguitur; cum quædam Rubrica vnicolor, & quædam variegata inueniatur. Rubrica ruſa valde pinguis penes Thermas Caroli Quinti eruitur. Quinimo verſicolor, nempe candidi, flaui, cinerei, & punicei coloris in eodem loco obſeruatur. Amplius Rubrica gradibus colorum diſtinguitur. Plinius enim huius Terræ tres differentias conſtituit, nimirum rubram, minus rubram, & inter has mediam, quæ omnibus præfertur: hac de cauſa Theophraſtus hanc poſtremam αὐτόχρων nempe ſua bonitate contentam appellauit. Cæterùm hanc diuiſionem multi Authores Synopidi aptant, Georgius tamen Agricola hanc diſtinctionem cuicumq; Rubricæ ſpeciei cõtingere exiſtimauit. Quoad vſum, iuxta mẽtem multorum Authorum, differentiæ Rubricæ variæ eſſe poſſunt: quandoquidem alia eſt Rubrica, quã Medici adhibent; hæc enim eſt Terra Lemnia rubra; alia eſt, qua Fullones vtuntur, & demùm alia, in qua diſſoluta Fabri lignarij filum intingunt. Agricola tamen putat omnes Rubricæ ſpecies picturis inſeruire. Poſtremò animaduertendum eſt, aliam Rubricam eſſe natiuam, & aliam facticiam. Prima vel eſt mollis, vel dura, vel ſpiſſa, vel pinguis, vel media, At factitia illa eſt, quæ ex Ochra cremata reſultat, vt in Capite de Ochra explicauimus.

Rubrica ad medicinas.

VSVS.

PRIMITVS Rubrica non ſolum per ſe picturis famulatur, ſed etiam alios colores factitios ingreditur. Scribit enim Plinius Syricum inter colores viliores recenſeri, & ex Sandyce, & Rubrica parari, & addit Phænicium etiam nominari; cum in Syria Phœnices id pigmenti genus olim compoſuerint. Agricola quoq; Syricum colorem ex pari pondere Rubricę, & Sandycis confici aſſeruit. Ad formandos Numiſmatum, vel metallorum typos miſturam quamdam ex cinere vitium, fimo equino, puluere laterum & Rubrica componunt, quæ igni vehementer reluctatur, & quaſuis metallorum formas facilè recipit. Hac etiam Terra fabri lignarij vtuntur ad opus ſuum dirigendum, & bene coaptandum, ne vlla inæqualitas in opere ligneo appareat. Huc reſpexit Perſius quando cecinit:

L. 35. ca. 6.

Syricus color qualis.

Non ſecus ac ſi oculo Rubricam dirigat vno.

Satyr. 1.

Antiquitas in pingendis nauibus hac terra vſa eſt, vt Herodotus in Thalia author eſt. Veteri, inquit, inſtituto naues omnes erant Rubrica delibutæ. Troianorum etiam temporibus Rubrica in honore erat, teſte Homerò, qui pariter naues ab hac terra commendat. Quinimò antiquiſſimus fuit Rubricæ vſus; cum in Sacro Codice, Idola pro Dijs habita Rubrica perlinirentur, vt hoc colore rubicundo maieſtatis honor illis augeretur, & hac fortaſſis ratione moti Iuriſconſulti titulos Legum Rubrica notarunt.

L. 3. Iliad.

Sapien. ca. 13.

Rubrica quoq; ad agriculturam ſpectare poteſt: quandoquidem Columella ſcripſit arbu-

Lib. de Arbor. ca. 17.

A arbusculas omnes, priusquam transferantur, Rubrica notare conuenit, vt cum feruntur, eiusdem Cœli partes aspiciant, quas etiam in Seminario conspexerant. At diligentes nostræ ætatis agricolæ doctrinam Columellæ seruantes, Rubricæ loco, arbores cera rubra notant, antequam transplantentur. Quoad vires medicas, notandum est, ex Dioscoride Rubricam possidere virtutem exsiccandi, detergendi, & adstringendi; propterea emplastris vulnerarijs permiscetur, & sumpta in ouo sorbili, necnon clysteribus iniecta aluum cohibere dicitur]. Hippocrates in libro de Vlceribus, hanc terram libenter adhibet ad πυρίκαυσα optimum enim est ad ambusta præsidiũ. Amplius vitio iecoris laborantibus fæliciter præscribitur, & potissimùm quãdo excrementa loturæ carnis similia redduntur: namq; à signatura hoc viscus Rubrica roborari posse color eiusdem indicat: cum multoties coloribus virtutes medicamentorum ostendantur; quemadmodum in Rubrica, Hæmatite, Sarda, & similibus manifestè apparet, quæ colore rubro cum sint insignita, coercendi sanguinis, & vulneribus medendi facultatem habent.

Signaturæ à Colore.

B

DE TERRA PNIGITE.
Cap. XV.

ETYMVM, ET NATVRA.

HÆC Terra Pnigitis à Pnigeo Libyæ Maræotidis vico nomen accepit, quemadmodum Agricola, & alij Authores attestantur; cum ex hoc præcipuo loco olim asportaretur. Alij malunt deriuare huius vocabuli etymologiam à verbo græco πνίγω suffoco, cum hanc terram deglutiẽti periculum suffocationis immineat: quapropter apud Græcos πνίγιτις γῆ appellatur, quasi terra suffocans. Hanc igitur terram, quam Dioscorides Pnigitim nominat, Plinius, inuerso elementorum ordine, Pignitim nuncupauit.

C

Huic terræ Dioscorides colorem Eretriadi cinereæ similem assignat, quem postea Secutus Plinius colorem Eretriæ simillimum constituit. Galenus verò, & Paulus Aegineta, & alij Authores non proletarij colorem huius terræ nigrum, & Ampeliti similem faciunt Describitur hæc terra à Georgio Agricola pinguis, spissa, mollis, partim astringens, & partim acris, cum diuersis partibus sit integrata; ideoq; aliæ partes sunt aereæ quæ calefaciunt, aliæ quæ refrigerant, hinc manus tangentiũ refrigerare videtur. Cum autem sit pinguis, est etiam glutinosa, itaut linguæ admota valde adhæreat.

Color Pnigitis qualis.

DIFFERENTIÆ.

TERRA admodum similis Pnigiti effoditur Aquisgrani, quod est nobile Galliæ Belgicæ oppidum, Cretam nigram vocant, qua fabri tigniarij, Rubricæ fabrilis loco, vtuntur ad lineas nigro colore protrahendas. Hanc fortè imitabitur alia Creta nigra minimis Pyritum micis radians, gustum salis, & Chalcanthi præbens, quæ supra Saluediam Thuringiæ vrbem nascitur: hanc ad denigrandos ædificiorum trabes adhibent. In Germania quidam lapis niger friabilis reperitur, quo pueri attramentum componunt, & Terra Pnigitis calore indurata videtur simillima. Pnigitis ex quibusdam Aprucij montibus habetur, quæ in Musæo Calceolarij Veronensis Pharmacopęi seruatur. Nos habemus terram nigram Pnigiti aliquo modo similem, quæ interdum argenteis micis abundat, & aliquando est sterilis, quæ terra nigra simpliciter appellatur. Quędam etiam terra purpurea est apud nos, quæ Pnigitis conditiones habere videtur; *Moreletto* Vulgò appellatur. Hac Bibliopolæ ad tingendos libros colore amethistino obscuro vtuntur. In Regionibus nouæ Hispaniæ, vt recitat Ioannes Eusebius Iesuita, eruitur terra, qua Pictores colorem nigrum imitantur.

Terra nigra quæ. Li. 16. hist. nat. ca. 36.

DE

DE TERRIS COMPOSITIS, & potiſsimùm de Ampelite. Cap. XVI.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

ANTEQVAM ad terras medicas ſermonem conuertamus, occaſio terræ Ampelitis expoſtulat, vt de Terris compoſitis nonnulla dicamus. Itaque Terras compoſitas vocamus, quæ ſucci alicuius concreti, ſeu pinguis, ſeu macri quidpiam admixtum habent. Hæ autem omnes inueniuntur in locis, in quibus vel ſucci concreti effodiuntur, vel aquæ prædictis infectæ labuntur. Illæ autem Terræ, quę metallorum portiones complectuntur, Pyritæ Græcis, & Marcheſitæ Barbaris cognominantur, de quibus ſuo loco verba fient. Itaq; Ampelitis inter has Terras recenſetur, quæ cum nigra ſit, & pictoribus inſeruiat, non iniuria hunc locum promeretur. Dicitur Ampelitis (ἄμπελος enim apud Græcos Vitis eſt) quia Vitibus circumlita vermes oculos vitium rodentes, quos Græci κνίπας vocant, odore ſuo interimat. Hermolaus Barbarus huiuſmodi vermes Voluoces, & Conuoluulos cognominat. Eſt enim Erucæ genus infeſtiſſimùm, quòd Vulgus Bruchum vocat. Fuerunt tamen alij, qui voluerunt hanc Terram nominari Ampelitem, quia in hac Vites fælicius prouenirent. Vocatur quoque Pharmacitis quaſi medicamẽtoſa, vel quia morbis vitium medeatur, vel quia medicamentis permiſceatur, aut denique, quia odorem medicatum ſpargat. De hac Dioſcorides, & Galenus fuſum ſermonẽ habuerunt. Hanc Georgius Agricola impropriè Terram, ſed potius Bitumen terrenum nigrum vocari poſſe exiſtimat. Theophraſtus ἀνθρακας γεωδες, nimirum Carbones terrenos appellauit. Quidam Græci Lithanthraces ad imitationem germanicæ nomenclaturę indigitarunt; quandoquidem in Germania Steinocolen, nempè lapidei carbones nominantur. De hac Terra multò plura in Capite de Bitumine in medium afferentur.

Voluoces, & Conuoluuli qui.

Lib. 5. de mat. med. cap. 58.

Lib. 9. de ſimp. med. fac.

DIFFERENTIÆ.

TERRARVM compoſitarum multæ apud Authores enumerantur differentię, verùm in pręſentia inſigniores recenſebimus, & poſtremò de ſpeciebus Ampelitis verba fient. Primò obſeruabimus Terram atramentoſam nigram ſucco liquidò atramenti ſutorij infectam. Poſt hanc alia eſt pariter atramentoſa, colore ex cinereo purpuraſcente in Ilua inſula circa Pyritem eroſum inuenta. His additur Ochra Chalcanthi particeps, alia Chalcantho, & Melantheriæ connata, Item Ochra cum lapide eroſo, Ochra colore pallido, & ſapore acido, cui fortaſſis Myſi commixtum eſt. Zaphera eſt Terræ metallicæ genus ponderoſum, cinereum, & friabile, quo vitrum, & vaſa vitrea colore cæruleo tinguntur. Huius nomen à ſapphiro deductum videtur, cui color cæruleus ineſt. Compoſita etiam Terra eſt Viterbienſis ſulphurea, quæ igni admota ardet. Ab hac non multùm diſcrepat Terra Puteolana, ſeu puluis Puteolanus vulgò Pozzolana. Hęc in collibus Puteolanis; quemadmodum, & in Regionibus Baianis circa Veſuuium montem colligitur. Sidonius Apollinaris Dicarcheiam arenam nuncupauit hoc verſu.

Zaphera quid ſit.

Porcelana quid.

Namq; Dicarcheiæ translatus puluis arenæ.

Etenim Dicarcheia, ſiue Dicęarcheia, ad mentem Feſti, ciuitas Puteolana olim vocabatur, quia iuſtiſſimè regeretur. Hic puluis generatur in ſuperficie montium, dum ſulphurea, aluminoſa, & bituminoſa incendia flammas, & vapores per interuenia eructant: ſic enim Terram ſupernam exſiccant, & ſuo vapido fumo inficiunt; vnde contingit,

Agit, vt talis Terra bituminosam, sulphuream, & aluminosam naturam redoleat; quæ postmodum humore madefacta in lapideam materiã solidatur. Et hac terra, seu ex hoc puluere si moles in mari construatur cum calce, & cæmento præsertim Cumano, lapis inexpugnabilis euadit, cum neq; fluctus, neq; vis aquæ huiusmodi molem dissoluere queat. Puteolano pulueri assimilatur Terra quędam in agro Romano effossa, quæ sabuli loco calci commixta agglutinandis in ædificio lapidibus materia fit aptissima, qua Romani in fabricis vtuntur: siquidem, tractu temporis, instar puteolani pulueris, in lapideam substantiam degenerat: quamobrem hanc Porcellanam Vulgò vocant, corrupto à Pozzolana nomine, cui eadem natura inest. A terris compositis non est arcendum illud metallicæ terræ genus, quod Rusma nuncupatur, quod excremento ferri est simile, non tamen æquè ponderosum, colore fuscũ, & terram leuiter adustam æmulatur. Hoc Rusma in tenuissimum pollinem redactum cum dimidia parte calcis viuæ, & sufficienti quãtitate aquæ in massam redigunt, qua partes pilis tectas balneum ingressuri illinunt, vt breuissimo temporis spatio omnis pilorum sylua decidat, dum tamen aqua tepida

B partes abluantur; sicque cutis, & leuis, & absq; vllo pilorum vestigio nitida remanet. Hoc psilothrum in Græcia, Asia minori, Syria, Arabia, Aegypto, reliquisque Turcarũ Imperatoris Prouincijs non solum apud Ditiores, sed etiam apud homines proletarios in frequentissimo est vsu. Bellonius scribit fodinam huius Terræ in Asia minori ab Imperatore Turcarũ XVIII. M. aureorum locari: ingens sanè est vectigal ex re tam vili, & abiecta. Idem Bellonius à mulieribus tantùm id adhiberi diuulgat; cum viri huiusmodi rem tanquam eo sexu indignam aspernentur. Sunt tamen, qui promiscui vsus esse, & à viris nequaquam negligi asseuerant: vellere autem pilos ad ornatum, & mundiciam corporis Antiquitas consueuit; idq; volsellis, dropace, psilothro, visco, & resina molie-batur: quinimò pumicis etiã ad hoc præstandũ erat vsus, vt Ouidius hoc versu fatetur.

Rusma quid sit.

Psilothrum vsuale.

Nec tua mordaci pumice crura teras.

Iuuenalis quoq; huc respiciens cecinit.

——— *attritus Catinensi pumice lumbum.*

Præterquamquod apud Antiquitatem erant mulieres vstrices, & vstriculæ cognomi-

C natæ, quæ erumpentem genarum lanuginem, aut aliarum partium adurebant; immò ab hoc eodem officio depilatrices etiam vocabantur.

Mulieres Vstrices quæ.

Inter compositas terras non infimum occupat locum terra bituminosa, & præcipuè cespes bituminosus in Belgio fossus, quem patrio nomine *Turf* appellant. In multis Belgij Prouincijs Geldria, Brabantia, Hollandia, & Frisia, in Germania etiam, vt in montanis Misniæ locis, id terræ bituminosæ genus effoditur; quod Sole excoctum igni pabulũ minimè contemnendum præbet: sic enim prouida Natura populis illis prospexit, & forsitan melius, quàm nonnullis Scytharum populis, qui lignis egentes, ossibus ignem alere feruntur.

Quamuis autem in illis Regionibus aliquæ syluæ cæduæ inueniantur, nihilominus copia arborum cæno obrutorum assiduum ignem alere minimè potest: quapropter effossus cespes lignorum vicem explet, sicq; coquendis cibis, & fouendis corporibus est aptissimus. Hoc autem non est Nuperorum inuentum, sed etiam Plinij æuo, huiusmodi gentibus fuit cognitum. Locus Plinij est, vbi de Cauchis Frisiæ Populis loquitur. *Cap-*

D *tumq; manibus lutum vento magis, quàm Sole siccantes, Terra cibos, & rigentia Septentrione viscera sua vrunt.* Huiusmodi Terra est luculentum ignis pabulum, ob copiam admixti bituminis, id odor grauis accensæ Terræ indicat, quem odorem Incolæ asperso sale corrigunt. Est autem ita facilis ad concipiendum ignem hæc Terra, vt quandoq; in Brabantia integra iugera conflagrauerint.

Cespes fossitius. Li. 16. c. 1.

Huius Terræ, seu cespitis plura genera colore, leuitate, & pondere discrepantia recensentur. In primis summopere probatur, quod ponderosum est, & duritiam quamdam laterum coctilium imitatur, & in aquis mersum inter cætera genera subsidet, tardèq; ignem concipit, sed conceptum diutissimè seruat. Secundùm bonitatis gradum obtinet illud genus, quod aliquantisper est graue, mediocriter densum, segmentis virgultorum intermeantibus, & palustribus cannis interciſum. Omnium verò deterrimum est, quod rarum, inane, & fungosum, quod accensum odorem Mephitis terræ exhalat, & nitrosa quadam fuligine oculos Circumstantium mordicat. Hoc postremum vsui Ciuium non expetitur, sed tantummodo cortinis Cereuisianorum inflãmandis, & coquendis inseruit.

Cespitum genera varia.

Est

Eſt aliud in Campania Brabantię huius Terræ, vel Ceſpitis genus minimè bituminoſũ,eſtq;nil aliud,quàm gleba ex marcidis,putridiſq;lignis coacta. Quãdoquidẽ conſtat, ante multos annorum decurſus, ab inundatione quadam enormi ſyluas integras huius Regionis ſubmerſas fuiſſe, quarum arbores paulatim putrefactæ æuo,& imbribus talem putredinem conceperunt, vt inde genus quoddam terræ ſpongioſæ reſultauerit. Eſt igitur huiuſmodi Terra è marcidis putridiſq;lignis coacta ſub terra ſuperficie ſepulta, craſſitudine octo cubitorum, & acutiſſimis ligonibus exciditur ad formam Lateris tetragoni, pedali longitudine,& palmari paulò plus latitudine. Terra exciſa in metas perflatiles erigitur,vt Vento,Soleq;ſiccetur,quę tandem ſiccata pondere leuiſſimum quodvis lignum ſuperat.

Ceſpitis cõficiendi ratio.

Terræ autem, ſeu Ceſpitis bituminoſi conficiendi ratio,de quo in præſentia nobis eſt ſermo, talis eſt. Apud Belgas loca quamplurima ſunt humilia,& ad ictum pedis tremula, quibus Terra atra ſubeſt, & quodam bituminoſo conſtans cæno. Hæc effoſſa Iunio, Iulio, & Auguſto menſibus accuratè agitata, & ſubacta per aream quadrangulam ſpargitur, & craſſitudine palmari extenditur, mox vbi paululùm conſtiterit, in taleolas pariter palmares ſcinditur, & ſiccior reddita in metas attollitur, vt diligẽter Sole,& Ventis areſcat, quod ad ſummum quatuor menſium ſpatio contingit.

Bituminoſa illa Terra non eſt prætermittenda leucophæi coloris, odore, & ſapore Naphthæ è monte Gibio agri Mutinenſis, vbi Naphthæ ſcaturigo eſt perennis. Hac Incolę ad maturandos abſceſſus, & inueteratas iuncturarum duricies emolliendas fæliciter vtuntur. Modò redeamus ad Terram Ampelitem bituminis non expertem, quæ vt plurimum nigri eſt coloris. Reperitur quidem alia ad colorem album, & cinereum inclinans, ſed apud Dioſcoridem, & Matthiolum vitioſa appellatur.

NATVRA, ET VSVS.

L.5.c.181

AMPELITIS in Seleucia Syriæ naſcitur, vt Dioſcorides voluit, & inter terras bituminoſas meritò connumeratur; cum propter qualitatem ſucci imbibiti odorem medicatum ſpargat. Plinius hanc Terram bitumini ſimillimam facit: namq; oleo permixta,more omnium bituminum,facilè accenditur, necnon igni admota illicò liqueſcit. Præterea, iuxta ſententiam Dioſcoridis, & Galeni, nigerrima eſt, & longos Piceæ carbones æmulatur: hinc Georgius Agricola glebas huius Terræ carbones terrenos nũcupari poſſe diuulgauit. Vim ſiccandi,&digerendi poſſidet,quemadmodum verba Galeni indicant: quapropter malignis vlceribus medetur.

Carbones terreni qui. Lib.5.de Comp.med. gen.

Naſcitur quidem in Seleucia, vt ſuperius annotatum fuit: hodie tamen ex Vmbria Italiæ Regione inter Apenninum, & mare Adriaticum, ſub nomine Terræ nigræ,affertur, & à Pictoribus adhibetur. Valet etiam ad honeſtandas palpebras. Olim Coloni ad mentem Dioſcoridis, vites,tempore germinationis, hac terra linibant,antequam gemmas proferrent; ſic enim vermes in illis naſcentes necabant. Medici hanc terram in emolliendo, & diſcutiendo adhibent; propterea multis medicamentis permiſcetur.

DE TERRIS MEDICINALIBVS, & primùm de Lemnia. Cap. XVII.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

QVAMVIS Terræ ſuperius memoratæ,& examinatę medicis viribus non careant,quemadmodum enucleatũ fuit;nihilominus Terræ Lemnia, & Armenia, antomaſticè medicinales appellari poſſunt, cum in quotidianis medicinis frequentiſſimum locum habeant. Immò licèt de Terris compoſitis paulò ante actum fuerit, & hæ inter ſimplices Terras recenſeantur;attamen id factum fuiſſe manifeſtum eſt ob Ampeli-

Apelitem Terram ad Pictores attinentem, quæ in numero compositarum collocatur. Iam ad Lemniam terrarum medicinalium præstantissimam ponderandam accedemus, quæ à Patria, nimirum à Lemno Insula Maris Aegei proprium nomen inuenit. Hodie hæc Insula Stalamine cognominatur: Quoniam autem sæpiùs hæc Terra aliquo sigillo impressa venundatur, à Pharmacopæis Terra sigillata nominatur. Græci σφραγιδα γης appellarunt, quoniam αἴγος, nimirum Capræ signaretur effigie Galenus sacro Dianæ sigillo signatam dixit, eò quòd Capra illi Deæ sacra foret. Sphragis etiam à multis appellatur, cum Græci σφραγιζειν signare interpretentur. Cæterùm est animaduertendum, quòd vocabulum (Sphragis) æquiuocatione laborat: siquidem, ex Plinij sententia, sphragis est gemma viridis minimè diaphana tali nomine insignita, quoniam optimè signet. Plinius Terram sigillatam, & Rubricam Lemniam eiusdem Terræ Synonima esse protulit: Leonicenus tamen huic sententiæ non adhæret, cum in Lemno Insula Rubrica sponte nascatur ab illa Terra, quæ postmodum sigillo ornatur. Verùm Plinius aliqua excusatione dignus esse videtur, dum Galenus etiam Lemniam Terram Rubricam indigitauerit. Milton quoq; hæc Terra, ratione rubri coloris, nominatur; idcircò multi Authores illam ad genus Rubricæ reduxerunt. Quare Sphragis Milton, Lemnia, Rubrica, Lemnia, Sigillum Lemnium, & Terra sigillata sunt nomina, quibus hæc Terra ab Authoribus insignitur. At, iuxtà mentem Auicennæ, Lutum diuinum vocatur, aut propter insignes prærogatiuas, & vires, quas in vsu medico exerceat, aut quia mulier quædam Diuina nomine Bartamise hanc Terram inuenerit. Arabicis characteribus aliquando est signata hunc in modum *Thin Imachtom*, nempè Terra sigillata, quo nomine Arabibus, & Turcis est cognita: Quandoque etiam ab Arabibus scriptoribus dicta est Thin Alboherah, scilicet Terra Maris, seu marina, quoniam è Lemno Maris Aegei Insula ad illos deferri soleret, in quo sensu Terram quoq; græcam dixerunt. Quinimò à facultate Albezaard cognominata fuit, quasi quid αλεξιφαρμακον indicarent, cum venenis mirandum in modum resistat.

Stalamine Insula.

Sphragis vox Æquiuoca. Li. vlt. c. 8.

Lutum diuinam qualis.

Terra græca quæ.

DESCRIPTIO, ET LOCVS.

HÆC Terra aliquantulum habet tenacitatis, & ob pinguitudinem, lubricitatis, linguæ adhæret gustu non mordaci, & si aqua soluatur, ceræ mollitiem adipiscitur. Color illi, vt Rubricæ, inest, eo tamen discrimine, vt hæc tangentium manus non contaminet. Huiusmodi color est Terræ proprius non autem à sanguine hircino illi communicatus, sic enim Galenus retulit, qui Lemnum insulam, in gratiam huius Terræ, visitauit: & quamuis hodie aliqua Terra Lemnia candicet, & alia roseo colore rubeat; id fortassis accidere potest (si tamen vera huc affertur) quoniam in profundũ fodiatur, & hac de causa calore Solis hæc Terra minus aduratur. Quapropter huiusmodi Terra alio colore referta, neq; deterior, neq; vitiosa est iudicanda. Errant igitur, qui solo colore adulterinam Terram deprehendere volunt.

Locus natalis huius Terræ, iuxtà sententiam Galeni, Dioscoridis, Plinij, & aliorum Authorum est Insula Lemnos Maris Aegei è Regione Thracię sola Terrarũ ferax, & ob Terram potissimùm Lemniam, celeberrima. Duæ autẽ sunt vrbes in hac Insula insignio-res, nimirum Myrrhina, quę Occidentem, & Hephæstia, quæ Orientem spectat, in huius postremæ territorio conspicitur collis, vnde talis Terra eruitur. Hinc orta est illa Poetarum fabula, scilicet Vulcanum Iouis, & Iunonis filium, qui cum esset admodum deformis, à patre in Lemnum Insulam præcipitatum fuisse, & tunc huiusmodi Insulam Vulcano sacratam fuisse. Galenus quoq; huius fabulæ memor Vulcanum ab hac vrbe Hephestia, vbi est collis Terræ Lemniæ ferax, Hephestium cognominatũ fuisse prodit: Quinimò addit fabulam ab hoc colle Originem duxisse, qui colore fuluo est prędituς, & eminus totus combustus intuentibus apparet. Hoc stabilire videtur Bellonius, qui huiusmodi loca visitauit: narrat enim Calohiros nempe Sacerdotes huius Insulæ sexta die Augusti conuenire, quo tempore hæc Terra à specu erui solet, qui a quodam sacello egressi rectà ad collem se conferunt, vbi Terra apparet arida, cũ nullę prorsus arbores ibi crescant. Gradus ad ascendendum sunt lapidei, vt facilior sit ascensus ad locum, ex quo Terra sigillanda effoditur, & secus sinistram partem locus Terram continens conspicitur

Locus natalis.

Vulcanus cur Hephestius. Li. 1. obser. cap. 28.

tur foramine obliquo, & obturato, quòd niſi ſexta die Auguſti recluditur; idq; non ſine magno apparatu, & ceremonijs celebratur.

DIFFERENTIÆ.

GALENVS Terræ Lemniæ tres differentias recenſet, quarum prima dicebatur ſacra, quoniam à Sacerdote ſigilio Capræ, ſeu Dianæ notabatur, & hæc tãquam præſtantior commendabatur. Secunda vocabatur Rubrica ad vſus Fabrorum. Tertia erat prædita facultate abſtergendi Fullonibus ad purgandos pannos peridonea. Quamobrem Galenus, & alij Authores hanc tertiam ſpeciem in extergendo, loco ſaponis, probabant. Prima ſpecies iam memorata hodie, vt noſtra fert opinio, ad nos non affertur, ſed alia characteribus turcicis inſignita, quæ vera Lemnia non eſt, ſed pro illa bolus armenus Orientalis vſurpatur, qui non rubet, ſed inſtar Ochræ palleſcit. Hanc opinionem non ſolùm Matthiolus, ſed etiam Braſauolus, & Falloppius ſequuntur; cum noſtra ætate ex Lemno nihil amplius deferatur: loca enim illa prorſus deſerta, & deſtituta ſunt; hinc viri docti colligunt falſum eſſe bolum orientalem Officinarum eſſe veram, & genuinam Terram Lemniam, licèt eaſdem ferè vires participet, neq; etiam veram Lemniã eſſe illam, quæ ſigillo Imperatoris Turcarum in Officinis ſeruatur.

Lib. 1. Obſer. ca. 22.

Bellonius tamen ſcriptis mandauit antiquiſſimum huius Terræ ſigillum, referentibus Græcis, & Turcis, quatuor tantùm characteres continere, quorum qui latera occupant hamis aſſimilantur, alij verò medij valdè ſunt intricati, & notam vnciæ medicinalis repræſentant, in medio autem ſigilli inter characteres quatuor puncta conſpiciuntur. Terra autem huiuſmodi ſigillo notata adeò pinguis eſt, vt ex ſebo conflata eſſe videatur; eius color in rubore inclinans ad obſcurum palleſcit. Aliud eſt huius Terræ genus in minores rotulas formatum, cuius tres tantùm ſunt characteres, grandiores tamen, & ſeptem punctis diſtincti. Hoc genus priore magis rubeſcit, guſtu nonnihil aliquantiſper arenoſum, minus pingue, & bonitate priori minimè cedit. Tertium genus exiguorum eſt paſtillorum cum notis differentibus, quia figuram vnci Hamo piſcatorio ſimilis referunt. In colore quoq; à cæteris differt; cum in illo color albus rubro permixtus maculis conſperſus appareat. Quartum genus reliquis dilutius rubet, in quo ſigilla etiam differentia obſeruantur. Præter hæc, alia duo genera tum forma, tum characteribus diſcrepantia idem Author manifeſtauit. Alterum eſt bolo Armeno diſſoluto adulteratum, duas notas admodum obliquas exprimens. Alterum in trochiſcos rudes, & impolitos eſt formatum cæteris rotundiores nucis iuglandis magnitudine, globis ferè ſimiles, præter illam partem, quæ ſigillũ admittit. Amplius aliã Terræ ſigillatæ ſpeciem admodum raram, duobus in locis Conſtantinopoli Bellonius obſeruauit, quæ aromaticum ſaporem præſeferebat, eiuſq; color ſaturatius rubeſcebat, & ſigillo plurium notarum erat inſignita. Hinc colligendum eſt omnia Terræ ſigillatæ genera, eiuſdem non eſſe coloris, cum alia candida, alia rubicunda, & alia ex vtroq; colore mixta conſpiciantur.

Terræ Lemniæ rara ſpecies.

Terræ sigillatæ decem, & septem differentiæ.



Aliæ duodecim Terræ ſigillatæ differentiæ.



Hoc

A Hoc in loco exhibemus duas tabellas repręsentantes Terræ sigillatæ varias icones, in quarum prima decem, & septem figurę conspiciuntur, in altera verò duodecim, quæ omnes ad nouem supra viginti ascendunt. Cum igitur tot, & tam variæ sint Terræ sigillatę impressiones, Bellonius aliquando cuidam Turcę perito linguæ arabicæ omnes mõstrauit, vt varietatis characterum causam doceret. At ille, omnibus perlectis, respondit singulos pastillos duas tantùm dictiones arabicas continere nimirum *Thin Machton* quæ Terrã sigillatam indicant, & varietatem characterum inde prodire asseruit, quia Turcæ eamdem rem exprimere volentes, variè suos characteres miscere possunt. Alij autem hanc varietatem referunt ad diuersos Magnates varios sigillos habentes, qui huic muneri, ideſt Terræ sigillandę præfuerunt. Antequam noster sermo aliò dirigatur, nolumus silentio inuoluere Terram sigillatam Legnicensem, quæ in rotundos formatur pastillos altitudinis vncialis, quemadmodum in hac icone Lector poterit conspicari.

Causa varietatis characterum.

B Terra sigillata Legnicensis altitudinis vncialis.

C Terra sigillanda, & sigillata in Blosio Galliæ oppido etiam effoditur, quæ prærogatiuas veræ Lemniæ possidet: quemadmodum Georgius Braun in Theatro Vrbium diuulgauit. Hæc Terra cum in Agro Blosiensis oppidi eruta fuerit, & inuenta ab erudito viro, rerumq; naturalium diligenti inquisitore Francisco Guerino, non immeritò à loco natali Blosiaca, & ab inuentore Guerinensis appellabitur.

Ad classem Terræ Lẽniæ referẽda est quædã gleba ex albo, & rufo colore mixta, cuius Hercules Saxonia meminit: hanc ex Armenia, & Samia terra constare, & aduersus febres pestilentes virtutem Lemniæ exercere prodidit. Pariter terra quædam in luteo colore obscura, annis elapsis ab Hispania ad pestem exterminandam delata fuit, quæ Lemniæ facultates possidere dicebatur, & effodi penès Marsiam Hispanię ciuitatem intelleximus. Non multum ab hac recedit Pedemontana terra luteo colore referta, intus partim candida, & partim rubra, linguæ, adhærens, quæ in vino, vel alia portione liquoris, vel aquę cardiacę pota veneni remediũ est efficax; ex Mondeui in Taurinis oppido habetur, montem regalem quidam latinè vocant. Hanc virtutibus imitatur Bolus Iluensis in colore candida, & gypso sutorum similis. Hic similiter alterius generis monstratur; nempe coloris albi, maculis ferrugineis insignita; item alia sublutea aliquã ex parte lineis albis prædita. Annis præteritis in Agro Bononiensi à Colono Terra quædam pinguis, tenax, & ceram ferè æmulans effossa fuit, quæ lucernæ admota nullũ liquorem fudit; hinc bituminosam non esse coniectauimus: item linguæ vehementer adhærebat: idcirco Lemniæ congenerem, & eiusdem virtutibus pollere iudicauimus. Neq; mirandum est in Agro Bononiensi huiusmodi Terram fuisse repertam, cum alijs etiam fossilibus scateat. Denique; præter Lemniam, quæ aduersus venena commendatur, habetur Galata, Culpea, Balearica, & Ebusiana, quæ omnes Terræ à Regionibus, in quibus nascuntur, sunt cognominatæ; & Plinius has omnes tanquam terras medicinales publicauit, dum his serpentes necari, & scorpiones perimi prodidit.

In lib. de Vesic. c. 29.

ELECTIO.

Lib.5.c.72 Lib.9.de simp. med. fac.

IN eligenda Terra ſigillata, quæ magna antidota ingreditur, Medicus vigilans, & oculatus eſſe debet, ne Terra vitiata pro genuina ſuppeditetur: quandoquidem circa hanc Terram varię Authorum opiniones circumferuntur. Dioſcorides, & Galenus Terram è Lemno Inſula eligebant, quæ redacta in paſtillos, ex Dioſcoride ſigno Capræ, & ex Galeno ſigno Dianę notabatur. Immò Galenus, ob varietatem ſigillorum, anceps, veritatem indagaturus in Lemnum Inſulam itinerari non recuſauit, vbi obſeruauit ſacerdotem, quæ Terram colligebat, & in vrbem translatam purgabat, & ex illa formatos trochiſcos ſigillo Dianæ exornabat. Hæc erat ita rubicundi coloris, vt nonnulli Rubricam Lemniam vocauerint, ſed impropriè, cum hoc nomen ſpectet ad illam Rubricam, qua fabri materiarij vtuntur. Cæterum quoniam hęc Terra hodie ad nos nonniſi adulterata affertur, Pharmacopæi Terram ſigillatam Magni Hetruriæ Ducis tutò eligere poſſunt, cuius trochiſci ex Bolo Armena orientali finguntur. Quamuis autem huius etiam Terræ ſpecies variæ oſtendantur, nimirum rubra, lutea, & alba; nihilominus rubra perfectior eſſe perhibetur, deinde lutea, cum hęc ex vera Bolo integretur, his autem deficientibus ſuccedit alba, quæ Terræ licet colore Antiquorum Terris non reſpondeant; attamen ex minera Priſcis incognita prodire poſſunt: namq; periculo facto, illis bonitate, & præſtantia non cedunt. Inſuper Bartholomęus Maranta, in ſuo Simplicium Examine, circa Terram Lemniam valde hęſitat: quapropter illam à magnis antidotis arcet, cuius loco Terram Melitenſem probat, cui tantam vim aduerſus toxica Diuus Paulus impetrauit: Quinimo, hac deficiente, Bolum Armenam admittit, non illam quę ex Matera affertur, ſed legitimam, quę morbis peſtilentibus facilè occurrit, quã Galenus in Cap. de Terra Samia memorauit: huic enim omnes prerogatiuę, & conditiones Terræ Lemniæ à Galeno aſſignantur: præterquamquòd odorẽ, & ſaporem habet aromaticum, & manus tangentium minimè inficit. Item Matthiolo in Commentarijs ad Dioſcoridem Terra characteribus Turcicis ſignata non arridet, quoniam miſturam ex pluribus Terris compactam eſſe arbitratur.

Terra Melitenſis.

PRÆPARANDI RATIO.

Lib.9. de ſimp. med. fac.

GALENVS oculatus teſtis retulit, quòd Sacerdos quædam egreſſa in collem Terræ Lemniæ feracem, nullis animalibus mactatis, ſed tantùm quadam Tritici, & Hordei quantitate in Terram projecta, alijſq; iuxta morem Patriæ, ceremonijs peractis, plauſtrum Terra illa ſacra onerabat, quam cum in vrbem duxiſſet, aqua macerabat, & Terra in lutum redacta, & exſiccata, ſupernatante aqua, lutum pingue exſiccabat donec conſiſtentiam mellis, aut ceræ acquiſiuiſſet, & huiuſmodi luto in paruas particulas diſtributo ſigillum Dianæ imprimebat: denuo particulas ſiccabat, donec, omni humiditate conſumpta, in vſum medicum trahi poſſent. Lutum autem quod in fundo ſubſidebat tanquam arenoſum, & inutile reijciebatur.

Hodie hæc Terra, vt nonnullis placet, ſigillo Turcico munita ad nos defertur, quoniam Turcarum Imperator, arce in illo loco erecta, Principes, & Legatos hac Terra donare ſolet. Primus autem, vt referunt, qui noſtro æuo hanc Terram in Italiam deferri curauit, fuit Pharmacopæus Venetus ad Inſigne Campanæ, qui proprijs expenſis homines in Lemnum miſit.

VSVS.

FLORENTINVS in Geoponicis, ad liberandas arbores vermibus vexatas, Terram Lemniam ſigillatam commendat: illam enim cum origano terit, & omnibus aqua ſubactis radices arborum illinit. Hæc Terra, ex Medicorũ ſententia, profluuium ſanguinis ex vtero compeſcit, prauis vlceribus medetur, morſum rabidi canis curat, febris

Abris pestilentis malignitatem reprimit. Immò hodie nonnulli Medici in alijs etiam febribus illam adhibent. Quapropter non debemus mirari, si talis Terra insignes antidotos, nempè Theriacam, & Mitridaticam compositionẽ ingrediatur. Amplius vlcera pulmonis saoat, & fluxum ventris coercet. Mirabiles igitur sigillatæ Terræ vires extollit Iodocius his versibus.

In Enchirid. simpl.

Lemnia pulmonis conglutinat vlcera tetra,
Et ventris fluxum sanguinis esa premit.
Nil melius pestem, seu Toxica saua repellit.
Sumito cum tenui munera tanta mero.

Non est igitur mirandum si Dioscorides, & Galenus hanc aduersus illorum animalium ictus celebrauerint, quæ virus eiaculantur. Insuper Ioannes Boterus animaduertit, quòd ex hoc Terra tanquam ex Argilla ad potandum varietas vasorum formatur, quę, vt diutiùs durent, in Fornacibus, more fictilium, coquuntur. In his igitur vasis potiones pro febricitantibus seruatæ frigidiores redduntur: præterquamquòd virtutem alexiteriam habere feruntur. Quidam Medicus annis elapsis vas pretiosum ex hac Terra conflatum Florentiæ ostendebat, quod postea secum in Patriam detulit.

Vas ex terta Lemnio.

Halchemiæ Professores ex Terra sigillata salem extrahere nituntur, dum super illam ab arenis purgatam spiritum terebenthinæ fundunt, nam, facta spatio bimestris digestione, spiritus optimam substantiam Terræ elicit: deinde chymicis organis salem sublimãt, qui omni veneno reluctatur, pesti aduersatur, & fabres male morigeratas superat.

DE TERRA ARMENIA.
Cap. XVIII.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

BOLVS, seu Terra Armenia hoc nomen sortita est, quoniam ex Regione Armeniæ finitima Cappadociæ Romam primùm allata fuerit, vagãte temporibus Galeni teterrima pestilentia; quod nomen postea ad aliàs etiam Terras, posteriori seculo, huic & facultate, & forma externa similes deductum fuit. Natura enim nulli nouerca, tùm apud nos, tùm apud alias gentes extra regionem Armeniæ, complures Terras viribus Armeniæ nequaquam inferiores produxit. Hinc factum est, vt boli Armeni appellatio terris etiam extra Armeniam genitis attributa fuerit; quod reliquis terrarum generibus contigisse videmus. Græcis βῶλος ἀρμένια & Latinis Gleba Armenia dicitur. Itaq; ad euitandam æquiuocationem, notandum est, quòd hæc vox (Bolus) simpliciter prolata significat illam Rubricæ speciem, qua Inauratores, vel Pictores suis operibus aurum inducunt. Bolus verò, penultima correpta, frustum cuiuscumq; rei designat. At βῶλος Græcis, & Gleba Latinis Terram pinguem, & in puluerem solubilem indicat. Quare, secundùm Columellam, omnis gleba refringitur, & in puluerem soluitur: hinc optimo iure Isidorus Terram ligatam glebam, & solutam puluerem appellabat. Bolus aliquando pro Fundo ab Authoribus sumitur: quapropter apud Synesium πατρώαν βῶλον pro paterno, & auito agro legimus. Immò hoc vocabulum metaphoricè sumptum cuiuscumq; rei massam significat. Item Sol elegãti translatione βῶλος χρυσέα ab Euripide dicitur. Nos autem hoc in loco, nomine Boli, frustum, vel glebam Terræ ex Armenia allatam intelligimus. Falluntur, qui hanc Terram lapidem Armenum indigitant: siquidem Terra facilè in aqua soluitur, lapis autem nequaquam: deinde Terra hæc est pallidi coloris, cum lapis Armenus ad colorem cæruleum inclinet. Multi Authores Terram hanc, propter formam, Lutum Armeniacum cognominarunt: quandoquidem ex hac tanquam ex luto Boli, nimirum Globuli, iuxta Galeni sententiam, in medio pressi finguntur. Auicennas autem lutum rubrum ad cinereum inclinans Terram hanc nuncupauit: fortassis hic Author aliam Terram intellexit: siquidem hæc, teste Galeno, colore pallido est referta. Hinc colligimus hodiernam Armeniam nuncupatã esse potius Lem-

Gleba, & Bolus quid.

Lapis Armenus qualis.

Lutum Armeniacum. Lib. 9 de simp. med. fac.

niam, tum quia propè Armeniam non eruitur, tùm quia, ex Galeno, legitima Armenia pallorem præ ſe ferat. Hæc autem pallida non eſt deinde lapis Armenus inſtar calcis, vel lapidis cocti facilè teritur; nam Bolus, cum ſit vnctuoſus, in puluerem teri nequeat.

LOCVS, NATVRA, & Adulteratio.

ARMENIA Terra, authore Aetio, eruitur in monte Baganaſa Armeniæ. Cardanus tamen à communi opinione recedẽs negat ex Regione Armeniæ vehi, addítq; illam potius Samiam, quam Armeniam Terram eſſe. Nos aliquando vidimus Terrã Armeniam ex loco natali allatam pallido colore refertam, ſiccamq; inſtar calcis: propterea Bolum Armenam Galeni eſſe credidimus: ſecundum alios denſior, & grauior eſt Aſtere Samio, & inſtar calcis facillimè ſoluitur, & in ore veluti butyrum liqueſcit.

Cum autem huius Terræ olim frequens eſſet vſus, Impoſtores illam adulterare didicerunt: quapropter Matthiolus, & Braſauolus diligentes rerum naturalium inquiſitores adulterationem huius Terræ ponderant, dum inquiunt Mercatores, lucri cauſa, ex duabus Terris vnam cõponere; quandoquidem Terram Lemniam Conſtantinopolim deferri curant, & pro Armenia vendunt ſuadentes eamdem, ex Armenia illuc aſportari; quam verò pro Lemnia exhibent, vt colore ab altera diſtinguatur, cuidam albæ Terræ ibidem naſcenti permiſcent: hinc contingit, vt minus, quàm ſincera rufeſcat, & hanc, loco legitimæ Terræ ſigillatæ, ab illis etiam ſigillo munitæ, miniſtrant. Cæterùm cum hæc fraus à pluribus ſit deprehẽſa, relicta vulgaribus Medicis Terra, quæ ſignata aduehebatur, quando Terra Lemnia opus eſt, Bolum Armenam falsò vocatam ſuppeditant. Hinc intelligimus ex eadem Terra Lemnia duo adulteria fieri, vnum Terræ Armeniæ, alterum Terræ ſigillatæ, hoc tamen diſcrimine, vt Terra illa ſigillo munita non ſit vera Terra Lemnia, neq; Terra ſigillata genuina, & Terra, quæ Vulgò Bolus, vel Gleba Armenia dicitur non ſit legitima, ſed naturam illius ſigillatæ aduerſus venena præſeferat.

DIFFERENTIÆ.

L. 5 de ſubtil.

CARDANVS Terram Armeniam in natiuam, & artificialem diſcriminat. Artificialem componit ex ſiccato luto rubeo Apuliæ, viribus Terræ Armeniæ non diſſimili, addito aceto acerrimo, & ſexta parte olei communis, totum in formam pultis redigit, & loco humido ad multos annos ſepelit. Id autẽ Cardani ſomnium eſſe Scaliger iure optimo arbitratur. Terra verò Armenia natiua Gleba eſt inuenta in parte illa Armeniæ, quæ Cappadociæ eſt contermina, quemadmodum ſuperius fuit annotatum, & ad colorem Ochræ inclinat. Hodie apud nos eſt admodum rara, nam quæ apud Pharmacopæos adhibetur ad colorem Rubricæ accedit, & ex Hiſpania, aut ex Normania aduehitur. At Bolus Armenus naturalis flauus, & albus ex Hungaria habetur, cuius beneficio Ferrum in Cuprum tranſmutari perhibetur.

Boli varij quales.

Quoniam autem Boli hoc in loco fit mentio, non erit à ratione alienum omnes Bolos alexipharmacos ſimul collatos recenſere, & omnes præcipuas ſpecies, quas aliquando obſeruauimus enumerare. Quandoquidem, licèt in diuerſis Regionibus huiuſmodi glebæ effodiantur; nihilominus omnes facultate aduerſus venena potiuntur. Primitùs viſa eſt Bolus, ſeu Gleba Acherontina lutea, pinguis, & tactu adeò glutinoſa, vt linguæ pẽſilis hæreat; apud Acherontũ, ſiue Acherontiam (Apuliæ vrbs eſt, quam hodie Materam vocant) eruitur, & Medici illius ciuitatis in febribus peſtilentibus Boli orientalis loco vtũtur; quare ob inſignes dotes iam ſigillari cæpta eſt. Ibidem eſt alia Gleba rubra Bolo Orientali, quæ pro legitima Terra Armenia in Pharmacopolijs proſtat, colore, & ſubſtantia adeò ſimilis, vt ſuperioribus annis Impoſtor quidam Matera Venetias allatam pro Bolo Orientali Mercatoribus vendiderit, qui poſtmodum per vniuerſam Italiam

magno

A magno quæstu eamdem Glebam disseminarunt. Quinimò hodie in Regno Neapolitano cautum est Edicto Regio, ne quis Pharmacopæus alia, quàm hac, loco Orientalis Boli vtatur. At Bartholomæus Maranta magni vir nominis, & maioris doctrinæ de illius facultatibus in Antidotis plurimùm dubitat, cum ex forma superficiali de interna quidpiam iudicari posse negat. Bolus autem, siue Gleba Armena, quoad colorem, secũdùm Galenum est pallida, qnamuis varietas colorum in illa hodie ostendatur. *Bolus Achetōtima quæ.*

Prædictis copulanda est Gleba, vel Bolus Bætica colore obscuro luteo, linguæ pertinaciter adhærens, qua Chirurgi Genuenses, vagante peste, anno septuagesimo nono post sesquimillesimum, fælicissimo euentu vsi sunt, & propter illius vim maximè exsiccantem vlceribus depascentibus mirò successu applicarunt. Hæc Gleba, nomine Boli Armenæ ficto, Genuam allata fuit Eruitur in Hispania Bætica propè Marsiam Regni Metropolim, quam Carolus Clusius tum Botanicæ facultatis, tum omnis elegantioris litteraturæ perit issimns Murgin Ptolemei, & Plinij esse asseuerat. Hanc sequitur Bolus, vel Gleba Bohemica colore roseo, substantia admodum pingui, sapore, & colore croB ci, quæ in febribus exãthematum simptomate oppressis præstantissima prædicatur. Hæc nomine Terræ Lemniæ, aut Boli Armenæ ex Bohemia missa fuit. Succedit Bolus Budẽsis cinerei coloris linguæ modicè adhærens, & Lemniam imitatur. Budæ, quæ Regia est Hungariæ ciuitas effoditur. His addimus Bolum Casinensem leucophæi coloris linguę tenacissimè adhærentem. Eruitur Casini nobili Latij oppido, in cuius ruderibus hodie Monasteriũ Casinense antiquissimum à Diuo Benedicto extructum spectatur. Item visa est Bolus Cypria, Hungarica lutea in Hæmaptoe, & Hæmorhagia laudatissima. Itẽ Hungarica alia casu apud Arcem Tokai inuenta: nam cum Metallarij montem Arci imminentem, aptis cuniculis, perfoderent, pingue quidpiam supernè destillare obseruarunt, quod collectum, & aeri aperto expositum in substantiam Bolo Orientali similem se conuertit. Non est omittenda Bolus Mechoacana lutea Orientalis viribus præstans, necnon Bolus Meldulensis (Meldula Æmiliæ Regionis Italiæ est Municipium non ignobile) colore ferrugineo, grauis pinguis, Armeniæ loco vagante peste à Municipibus vsurpata fuit. Item Bolus orientalis colore amethistino (Pauonazzo Vulgò vocant) naturæ est exsiccantis, & vnà cum Bolo Orientali, quam Glebam Armenam falsò nominant, affertur. Similiter Bolus Orientalis colore roseo, & colore MiC nij. Bolus Pedemontana, & Bolus Romana lutea, quæ linguæ adhæret. Amplius obseruata fuit Terra fossilis ex collibus Beatæ Virginis Montis Vesuli in colore Rhabarbarũ æmulans, in qua mixti colores violaceus, flauus, & albus conspiciuntur: hæc febribus malignis, & venenis aduersatur. Bezaar fortassis fossile Antiquorum appellari poterit. Bolus quoq; Iuliacensis vi bezartica est prædita, ex colore luteo, ad albedinem accedit; Slesiana Terra habet facultates Armeniæ, nam ibi est amnis, cuius alueus hac Terra est refertus, & quoniam per ciuitatem Strigoniam fluit; ideò Terra hæc Strigonia sigillata fuit appellata. Gleba hæc Slesiana tactu est lubrica, & in colore Bolum Theophrasti imitatur. In Bolos quoque formatur Terra Iluana sigillo Magni Ducis munita, & superius fuit notatum, quæ febres ex venenata qualitate pendentes exterminat, & cum succo limonum in verminatione puerorum vtiliter adhibetur. Huius autem variæ species, ratione coloris, in Ilua Insula obseruantur. Alia est coloris albi tendentis ad cinereum, ita mollis, vt tangentium manus vngere videatur: quapropter hanc loco Saponis adhibent. Ibidẽ etiã inuenitur Terra Samio lapidis similis; ideoque non Terra, sed potius consistentia quędam lapidea nominari potest, & ob innatam pinguedinem, linguæ oblata vehementer adhæret. Nonnulli Calamitam albam vocant, & in rebus amatorijs, non sine magna Dei offensa, vtuntur: quandoq uidem credunt, quòd sicuti Magnes vulgò Calamita attrahit ferrum, hæc similiter carnem allicere possit. Hoc tamen inter nugamenta ridicula recensendum est. *Bolus Bætica.* *Bolus Bohemica.* *Bolus Cypria.* *Bolus Orientalis.* *Terra Iluana sigillatur.* *Calamita alba quæ.*

VSVS IN MEDICINA.

CVM hæc Terra in medico vsu vt plurimum adhibeatur. Primitùs contra morbos venenatos valere traditur: quapropter per vniuersam Germaniam maximi est nominis, & in summo cultu habita, cum Patientibus febre malemorigerata corre-

correptis fæliciſſimo euentu adhibeatur. Etenim ſummopere ſiccat, atq; refrigerat; quod Terræ ſimpliciſſimæ proprium eſſe liquido conſtat; quemadmodum in Terra Samia, & Lemnia obſeruatur, quæ omnes frigidæ eſſe perhibentur. Propterea in peſte illa ſimili memoratæ à Thucitide, quæ Romæ, Galeni temporibus, ſæuiebat, hanc Terram vnicum fuiſſe præſidium Galenus ipſe teſtatur. Immò idem Author eamdem in Indyſenteria, alijſq; alui profluuijs, in eruptione ſanguinis, in vlceribus pulmonis, & in fiſtulis ſedis mirum in modum magnificauit; namq; cum egregiè ſiccet, omnis generis deſtillationes ſupprimere poteſt

Cum igitur hæc Terra non ſolum tanquam medicamentum curans, ſed etiam tanquam præmuniens vi peſtiferæ reluctetur; ſunt nonnulli, qui huius Terræ virtutẽ qualitati emplaſticæ, & aſtringenti acceptam referunt, nimirum qua meatus conſtringuntur, ne eorundem laxitas ingruens venenum recipiat, & ne in cor recta meare poſſit. Hæc autem opinio locum habere poſſet, ſi Terra hæc tantummodò tanquam præſidium præmuniens adhibeatur: ſed cum conſtet Patientibus quoq; aſſumpto veneno, propinari, ſententia hæc patùm tuta videtur: quandoquidem huiuſmodi medicamentum, ſumpto prius veneno, ſua vi aſtringente coarctaret os ventriculi, & impediret, quominus per vomitum reijci poſſet; & tunc citius ad cor accederet. Totum autem oppoſitum nos docet Galenus, qui fide oculata prodit venenum præſumptum vomitu ſemper reijci, hauſto medicamento, quod Terram Lemniam recipiat. Id autem quod de Terra Lemnia tradit, idem de Terra Armenia intelligere debemus. Præterquamquòd periculum ſuffocationis ab aliqua qualitate maligna prodiens medicamine huius Terræ tollitur. Huius rei exemplum habemus à Clariſſimo Iouberto, qui narrat hiſtoriam quatuor hominum à ſe curatorum, qui dum Stibio chatartico incautè præparando incumberent, aura Stibij venenata penè ſuffocati ſunt, mox duobus ſcrupulis Glebæ Armeniæ legitimæ ſingulis illorum exhibitis, libera facta eſt reſpiratio, & ſtrangulatus, quo maximè premebantur, omninò ſublatus eſt. Quamobrem non erit dicendum id à vi emplaſtica, & aſtringente medicamenti prouenire, ſed potius à tota, vt aiunt, ſubſtantia, qua huiuſmodi opus peragitur: cum terra, & argillacea medicamenti qualitas id præſtare minimè queat.

Difficultas circa Armeniam.

Hiſtoria Stibij venenati.

VLYSSIS ALDROVANDI
PATRITII BONONIENSIS
MVSÆI METALLICI
LIBER TERTIVS.

DE SVCCIS CONCRETIS in Genere. Cap. I.

ORDINIS RATIO, ET DESCRIPTIO.

EXPLICATA Terrarum natura, & facta eorum, quæ ex illa finguntur enumeratione, ordinis ratio expoſtulat, vt ſuccos concretos proſequamur, qui à varijs Terris ſuam originem ducunt. Eſt autem ſuccus concretus propriè dictus corpus foſſile, quod vel calor denſauit, vel frigus coegit, & in humore aliquo poſitũ facilè ſoluitur: propterea neq; lapidis nomine, neq; metalli, ſuccus concretus erit appellandus; nam licèt lapides, & metalla ex ſuccis integrentur, ita tamen compacta ſunt, vt aut nunquam, aut admodum difficulter diſſoluatnur.

GENERATIO, ET DIFFERENTIÆ.

QVADRIFARIAM ſuccus concrectus generatur: primò dum calor rem ſiccam immiſcet humidæ, deinde mixtionem coquit, aut quando aquæ terram lambentes aliquantulum craſſæ efficiuntur: aut quando humor concluſus materiã metallicam corrodit. Nam quando materia eſt æraria, inde reſultat ſuccus concretus Chryſocolla cognominatus. Si aqua lambat Pyritem æroſum, & friabilem, ſuccus euadit acerbus, vnde poſtea atramentum ſutorium, vel alumen liquidum emergit. Aut denique ſucci liquidi virtute caloris à Terra erumpunt, & ſi ingens fuerit vis caloris, ſuccus è Terra manat copioſus, veluti Pix ex Piceis crematis diſluit: ſin autem virtus ignea non fuerit vehemens, ſuccus paulatim, inſtar reſinæ Laricis, Abietis, & ſimilium arborum, deſtillabit. Itaq; ex his omnibus humoribus, vel calore denſatis, vel fri-

Chryſocolla Atramẽtum ſutorium.

frigore coactis ſucci concreti ita cognominati oriuntur: nam qui ſalſus eſt in Salem E denſatur, qui amarus in Nitrum, qui acerbus, & calidus, alter in Alumen, alter in Atramentum ſutorium conuertitur. Hoc autem ordine naturam operari inde manifeſtum eſt, quoniam artis experientia id demonſtrat, quæ ex aqua ſalſa ad ſpiſſitudinem denſata Salem, ex aluminoſa Alumen, ex ea, quæ Atramento ſutorio infecta eſt, Atramentum ſutorium concoquit.

Ars Naturæ æmula.

Hi autem ſunt ſucci medicinales, qui vel ſunt concreti, veluti qui ſuperius fuerunt memorati, vel ſunt liquidi. Succum liquidum vocamus materiam compoſitam in viſceribus Terræ, quæ materia licèt ſit liquida, non poteſt tamen aqua nuncupari ratione mixtionis, veluti eſt Alumen liquidum, quoniam eſt materia liquida actu, & mixta. Huius conditionis eſt Naphtha ſeu Petroleum, vel ſuccus lapideus, qui eſt veluti lapis eliquatus, & cum refrigeratur, concreſcit. Deinde ſuccus concretus duplicem habet intellectum; vel enim eſt materia facilè liquabilis ab humido, & hic eſt ſuccus concretus propriè dictus. Succus autem concretus impropriè dictus vocatur quicquid ex humido concretum nunquam, aut difficulter, niſi longo temporis tractu, in humorem diſſoluitur, veluti eſt omne genus lapidum: nihilominus apud Vulgum ſucci concreti lapidei appellantur, quos ex aquis in dies lapideſcere obſeruamus; hoc tamen diſcrimine, vt alij ex ſedimento aquæ reſultent: qnemadmodum Lector poteſt conſpicari in hac figura ſucci concreti Caſtelli ſeptem aquarum Romæ.

Succus concretus impropriè dictus.

Succus concretus Caſtelli ſeptem aquarum Romæ.

Sunt enim Romæ ſeptem Caſtra nuncupata ſub monte Eſquilino propè templum Diui H Petri ad vincula, vbi ex aquæ ſedimento concreſcit huiuſmodi lapis multis tuberculis refertus ad inſtar fæcis vini (Vulgus vocat Tartarum) quæ circa partem doliorum internam concreſcere ſolet. Ad huius imitationem, alias ſucci concreti lapidei ſpecies monſtramus, quales ſunt tres in hac Tabella delineatæ.

Succi concreti lapidei variæ ſpecies.



Item

Item ex ſedimento aquę in tubulo plumbeo Fontis Bononienſis talis reſultat ſuccus cõcretus, qualis ante oculos hoc in loco ponitur figuratus.

Succus concretus in tubulo plumbeo fontis Bononienſis.



Succi arenarij concreti origo.

Similiter in genere lapidis arenarij ſępiſſimè obſeruauimus ex aquis per fodinas trãſeuntibus ſuccum concretum arenarium circa Antra, & Cauernas, ex quibus lapides arenarij eruuntur oriri, qui non ſolum figuram Stiriæ lapideæ ſecundùm longitudinem adipiſcitur, ſed etiam aliquando iuxta latitudinem aqua deſtillat, & ſuccum concretum tanquam laminis, corticibus, & membranis integratum producit. Hic enim oritur à frigiditate aquæ tanquam cauſa efficiẽte, & à materia arenoſa in aqua exiſtente, iuxta formam, quæ in hac tabella exhibetur.

Succus concretus arenarius lapideus.



Erat autem huiuſmodi ſuccus concretus coloris cinerei obſcuri; deinde poſſumus conijcere, ab aquis erodentibus in hanc formam fuiſſe redactum. Præterea ex aquis ſtillantibus ſucco lapideo imbutis concreſcit ſuccus, vel potius Tophus, vel ſtiria iuxta formam in hac Tabella delineatam. *Aquæ ſtillantis effectus.*

Succus concretus ex aquis ſtillantibus.



Huic addimus Stiriam lapideam Topho congenerem in hac Tabella effigiatam, vbi etiam conſpicitur ſuccus in lapidem concretus cum palea.

Inter ſuccos concretos lapideos recenſendum eſt Stalagma Tyburtinum, quod aſſimilatur Aniſis Sacharo albiſſimo coopertis, quod opus Seplaſiarij peragere ſolent, huius iconem ob oculos ponimus. Namq, Græci σαλοῦζειν dicunt ſtillare: ideoque apud Plinium Stalagmum vocatur puriſſimum Chalcanthi genus, quoniam fieret hyberno tempore guttis, vel Stirijs in Scrobes decidentibus. Antiqui etiam Stalagmum vocarunt genus Inauris figuram guttæ imitantis, quam σαλαγμὸν Græci nominant.

Li. 34. cap. 13.

Sti-

Stiria lapidea Topho congener nu. 1. & 2.

1



2

Succus concretus lapideus cum palea num. 3.

3

Stalagma Tyburtinum:

Amplius ſucci concreti impropriè dicti nominantur etiam illi, qui ex liquore Maris falſo reſultant Siquidem ſpuma Maris cum tenuiſſimis ſordibus permixta Alcyonium, & Adarcion producit, de quibus in ſecundo libro verba fecimus. Quando autem huiuſmodi materia ex Maris ſpuma, & ſordibus concreſcens ſubrotundam formam acquiſiuerit, hanc pilam marinam appellare ſolemus. Cæterùm aliquando obſeruauimus huiuſmodi materiam in mari concreſcentem, & vermiculorum ſpeciem induentem; Quapropter ſuccus concretus marinus ſcolecias nobis fuit nuncupatus.

Pila marina quid ſit.

Succus concretus marinus ſcolecias.



Quandoquidem σκώληξ Græcè Vermis latinè dicitur; & quoniam huius duas ſpecies obſeruauimus, eaſdem ambas in duabus Tabellis delineatas ante Lectentium oculos repræſentamus.

Succus concretus Marinus ſcolecias alter.



Inſuper addere voluimus aliam tabellam, in qua delineatur Adarcium verum molle Dioſcoridis ſub numero 3. cum ex materijs prædictis in mare concreſcat: immò in eadem tabella delineatur ſuccus concretus candidus ſtalagmites ſub numero 1. Ibidem quoq; ſub numero 1. & 2. conſpicitur lapis ſpongites; ſiquidem hæc omnia ex ſordibus marinis concreſcere perhibentur.

Suc-

Succus concretus candidus ſtalagmites.



Li. 16. hiſt. nat. ca. 28. Quid ſimile prædictis ſuccis concretis, & præſertim mollibus eruitur in Lacu Mexicano, vt refert Ioannes Euſebius Ieſuita. Nam quidpiam limoſum in nonnullis Mexicani lacus alueis ſummas petit aquas, idque veritur, & palis coaggeratur: Indi excoctum, & aliquantiſper inſolatum in placentas formant, rurſuſq; herbis virentibus ſuperpoſitum Soli exponunt, donec perfectè areſcat: deinde tanquam caſeus ad vnius anni vſum reponitur. Eſtur vbi opus eſt cum Maizo torrefacto, & vulgaribus Indorum placentis. Sapore eſt caſei; vnde apud Hiſpanos nomen inuenit, ſed minus grato, & cæni quodã odore. Color adhuc recenti cyaneus, aut viridis ineſt, ſed inueterati color ad nigrum inclinat: improbi eſt, & ruſticani cibi: Demùm in aquis marinis ſuccus etiam lapideus latibulatur, ex quo Coralium ſub vndis concreſcit, & alitur; & hæc de ſuccis concretis impropriè nominatis dicta ſufficiant.

Succi Macri qui. Sin ad differentias ſuccorum concretorum propriè nuncupatorum accedamus, hos partim macros, partim pingues comperiemus. Inter macros, Sal, Nitrum, Alumen, Chalcanthum, Chalcitis, Miſy, Sory, Melantheria, Chryſocolla, Cæruleum Armeniũ, Aerugo, & Ferrugo recenſentur. Verùm ad ſuccos pingues Auripigmentum, Sandaracha, Sulphur, Bitumen, conſequenter Naphtha, Piſſaſphaltum, Mumia, & Camphora, & Succinum reducuntur; de quibus omnibus ſigillatim differendum erit: dummodò riùs de Coralio, quòd inter ſuccos concretos impropriè dictos connumeratum fuit, ıonnulla in medium afferamus.

Succi pingues qui.

DE CORALIO.
Cap. II.
SYNONIMA, EORVMQ. ETYMVM.

CORALIVM cum ſuccis concretis maximam exercere cognationem inde colligimus, dum aliquando illud vidimus adhuc imperfectum, & rude ſucco concreto albeſcente circumdatum, cui ſpecies quædam Alcyonij ſpongioſa, & colore ferrugineo inſignita adhærebat. Immò in publico Muſæo Chama Marina colore interno albicante, & externo cinereo adhuc ſeruatur, in cuius dorſo ſuccus coralinus concreuit. Quapropter magna nõ debemus premi admiratione, ſi Coralium ab alijs inter frutices marinas, ab alijs inter lapides, & demũ ab alijs inter bitumina recenſeatur. Hunc igitur locum in hac Hiſtoria promeruit, cum viam ad ſuccos concretos propriè dictos nobis ſternat, inter quos Bitumina connumerantur.

Coralium quale. Præterea cum in ſequenti libro de lapidibus verba ſint facienda, Coralium locum medium occupabit, quod neq; frutex, neq; lapis eſſe perhibetur, ſed lapidis quodammodo naturam induit. Itaq; Coralium aut Corallum, ſiue Corallus, ſecundùm Marbodeum Gallum, appellatur. Deberet autem hoc nomen vnico L. ſcribi contra communem abuſum, nam ſemper apud probatiſſimos Poetas hoc vocabulum, ante penultima correpta, inuenitur. Huius exemplum præbet Ouidius hoc verſu.

Li. 4. Met. *Nunc quoque Coralijs eadem natura remanſit.*

Aliquando tamen Auſonius, metri cauſa, in Moſela, L. geminauit, quando cecinit.

Cum virides Algas, & rubra Corallia nudat
Aeſtus.

Idem præſtitit Claudianus in Nuptijs Honorij, & Mariæ hoc verſu.

Mergit ſe ſubito, vellitq; Corallia Clotho.

Inſuper Corallus apud Marbodeum, & Corallum apud Sidonium in Epithalamio Rutecij legitur.

Lactea punicæo ſinuantur colla Corallo.

Apud Lexicographos græcos habetur κοράλλιον, ſiue κεράλιον ἀπὸ τῆς κεράς vel quaſi τῇ κερᾷ ἀλότον, nempè tonſura, & præſectione captum, nec aliter Theophraſtus, quam à radendo, vel ſecando Curalium vocauit. Quamobrem aliquibus Latinis Curalium, & Ce-

Curalium cur dictũ.

A Ceralium fuit cognominatum. Cur non poterit vocari Coralium, quasi coralat? cum Auicēnas inter cardiaca medicamenta illud recenseat, quę cordi summam hilaritatem afferunt. Aliqui, teste Dioscoride, Coralium λιθοδένδρου indigitarunt, cum illius figura lapideam arborem repræsentet. Amplius Coralium, teste Plinio, Gorgonia vocatur, cum ab aquis extractum duriciem lapideam protinus induat, quemadmodum illi euaserunt lapides, qui Gorgonas exasperarunt. Plinius quoq; Coralium aliquando Pyritem cognominauit; cum ignis illi plurimum insit. Sed aduertendum est Coralium neq; Pyritem, neq; aliquam eius speciem esse; Plinius enim Pyritem vocitat omnem lapidem, ex quo ignis excutitur. Deniq; Antipathes est nomen Coralij nigri, quod aduersus multos affectus medicamen amuletum esse perhibetur: cum apud Græcos antipathia contrariam habens affectionem exponatur, aut illud, quod opposita affectione præditū est, consequenterque vim resistendi possidet: vnde oritur Antipathia, quæ repugnantiam significat: Coraliū Arabibus vocatur Basad Mergen, Best, siue Morgian, Gallis Du Coral, Italis Corallo, Germanis Corall, Hispanis El Coral.

Li. 36. c. 19

Antipathes quid sit.

B

DESCRIPTIO, ET GENERATIO.

DIOSCORIDES Coralium plantam marinam constituit, quæ sub vndis maritimis suam mollitiem naturalem possidet, ab aquis autem educta lapideam substantiam adipiscitur. Idem exponit Ouidius his versibus:

Lib. 15. metam.

Sic & Coralium, quo primum contigit auras
Tempore, durescit, mollis fuit herba sub vndis.

Quapropter Dioscorides Coralium ferro comparauit, quod candefactum, & in aqua mersum induratur: pariter Coralium in Aere remperatur, & durescit: Quinimò sub aquis hæc planta viridis esse dicitur, sed in Aere, quasi quòd illam pudeat proprium amisisse locum, rubescit. Plinius huic marino frutici baccas candidas sub aqua pariter molles assignauit, quæ vnà cum frutice ad aerem eductæ indurantur, & rubescunt. Hæc autem Plinij descriptio multis non arridet; cum nullæ baccæ in Coralio obseruentur: nihilominus in præsentia Plinius reprehendendus esse non videtur: siquidem Lobelius aliquando descripsit, & Coralij plantam cum baccis delineauit, quæ baccæ potius tubercula circa ramos Coralijs esse videntur. Item Marbodeus Gallus in libro de Gemmis Coralium hunc in modum describit.

Baccæ coralij.

Corallus lapis est, dum viuit in Aequore vimen
Rettibus auulsus, vel cæsus acumine ferri,
Aere contactus fit durior, & lapidescit;
Quinq; color viridis fuerat modò puniceus fit,
Et velut arbusti ramusculus esse videtur;
Circa sempedem vix longior inueniendus.

Hinc colligendum est à Poetis Coralium ratione coloris punicæum nominari, & ab alijs fragile, & liquidum dici, cum ex succo concrescat lapidescente. Postmodum, quoad fruticis altitudinem, Marbodeus veritatem non est assecutus: quandoquidem Gesnerus, & Anselmus Boetius oculati testes plantam Coralij ad proceritatem humanam ascendentem obseruarunt.

Quoad generationem, & originem Coralij, Primitùs fabulosa, deinde seria recitabimus. Ouidius canendo narrat, cum Perseus caput Medusæ abscissum circa litus in arenam substratis virgis, & folijs depositisset, virgas illas à capite contactas induruisse. Hoc autem Nymphæ Pelagi animaduertentes, virgas in lapides mutatas per Mare sparserunt, quæ quodammodo Coraliorum semina, & propagines fuerunt; de quibus lapidescentibus virgis Poeta verba faciens canit hunc in modum.

Li. 4. met.

Nunc quoq; Coralijs eadem natura remansit
Duritiem tacto capiant vt ab aere quodq;
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.

Hactenus nugas asseruimus, nunc seria loquamur oportet. Planta Coralij in fundo Maris lignosa est constituenda, quæ naturam Coralij tunc induit, quando succus lapidescens totum lignosæ plantæ corpus subit, illudque adeò alterat, vt in propriam conuer-

Generatio vera Coralij.

uertat naturam, cum huiuſmodi ſuccus coagulatur. Quapropter non eſt veriſimile hanc plantam ſub aquis mollem,& eductam dureſcere;quoniam narrat Anſelmus Boeticus vir fide dignus ſe conſpicatum fuiſſe apud Antiquarium Imperatoris Coralia, quorum nonnulli ſurculi adhuc erant lignei. Hinc colligendum eſt nullam huius generis plantam haberi poſſe cum aliquibus ligneis ſurculis, ſi tota extra aquam lapideſceret. Quamobrem notã dum eſt idem Coralio contingere, quod arbuſculis in alijs aquis lapideſcentibus natis accidit:namq; ſuccus lapideus totã illam arbuſculę partem,quam penetrat in lapideam ſubſtantiam tranſmutat. Similes arbuſculæ partim ligneæ ,& partim lapideæ in Muſæo publico viſuntur. Vnum ſupereſt conſiderandum, an Coralij arbuſcula ex ſucco lapideo creſcat, & poſtea ab eodem ſucco alteretur. Primò hunc Coralij fruticem inſtar Coralinæ, Algæ,& aliarum plantarum in Mari creſcentium ſine ſucco lapideo non augeri exiſtimamus. Præterea dicendum eſt huiuſmodi arbuſculas non lapideſcere, priuſquam emoriantur, &, iuxtà ſententiam Anſelmi Boetij, emoriuntur, vel ordinario naturæ motu, vel quando ſuccus lapideſcens in arbuſculas nimis vehementer agit: namque penetrans intimiores partes illas facilè tranſmutat, & enecat.

Arbuſculæ Maris quãdo lapideſcant.

NATVRA, ET LOCVS.

MVLTI Authores in hanc venerunt ſententiam Coralium participare naturam gemmarum:Cardanus tamen Coralium non eſſe gemmam aſſeuerantius dixit. Eſt huius naturæ, ſi veritatem Dioſcorides, & Plinius aſſequuntur, vt in aere indureſcat. Hoc autem ſi in veritate verſatur, quod non credimus, inde procedit, quoniam Aer illius humiditatem ſiccat, & frigus partes cogit. Refrigeratur autem ab aere etiam æſtiuo, quia pars aeris intimas Coralij partes penetrans frigidas euadit: cunctis enim conſtat aerem diſſipatum refrigerari. Auicennas contemplans naturam Coralij,illud frigidum in primo, & ſiccum in ſecundo gradu conſtituit: propterea inter medicamenta cordialia illud recenſet, cum vapores putridos exſiccare poſſit, qui interdum ad cor peruenientes naturalem illius calorem derſtuere poſſunt. Et quando Coralium ſuſpenſum ad dolorem ſtomachi ab Authoribus commẽdatur, hunc effectum à primis qualitatibus minimè pendere exiſtimandum eſt ; cum frigiditas, & ſiccitas calori naturali opponatur: quamobrem ſimilis effectus ab alia qualitate occulta emerget. Itaq; Coralio hanc proprietatem Natura ingenuit, vt ſanguinem purificet, partes prẽcipuas roboret,& hominem hilarem reddat; immò has affectiones magis intenſas habebit illud Coralium, quod maiori rubedine erit inſignitum. At vice verſa Coralium nigrum, vel ſubnigrum hominem Melãcholicum reddere perhibetur. Quando autem Coralium elaboratum, & perpolitum à viris geſtatur, hoc ſibi à natura comparauit, vt exuberantius rubeſcat,quàm ſi geſtetur à fæminis:quandoquidem muliebri cõſuetudine in quemdam pallorem elangueſcit, & colore natiuo ferè deſtituitur. Hoc autem inde oriri creditur, quoniam fæminæ tanto calore, quàm viri non ſint præditæ, aut quia non tam puri vapores à corpore mulierum, quàm à corpore virorum in Coralium exhalent, à quibus Coralium vehementer afficitur : etenim manifeſtum eſt Coralium rubrum palleſcere, & varijs contaminari maculis, quando ab homine affectu læthali correpto geſtatur: Quapropter futuros morbos, mutatione coloris, demonſtrare ſolet.

Lib. 2. cap. 125.

Coralij qualitates.

Coralium quãdo maculetur.

Quoad locum natalem, ſcribit Dioſcorides,plurimum Coralium circa Syracuſas ad Promontorium Pachinum reperiri. Item generatur in Mari rubro, ſed nigrius:ſimiliter in Mari Perſico, vbi *Iace* cognominatur. In Gallico ſinu præſtantiſſimum circa Stæchadas Inſulas, necnon in Mari Siculo circa Heliam, & Drepanum, ad mentem Plinij creſcit. Cornarius verò Aeolias pro Heliam emendat. Quinimò ante Neapolim Campaniæ maximè rubens, & molle eruitur. Itaque dicendum erit Coralium creſcere in Mari rubro,Perſico, Gallico, Siculo, Tyrrheno, Liguſtico, & Africo; quemadmodum Dioſcorides, Plinius, Matthiolus, Braſauolus, & Mylius aſtruunt. Hodie in Mari potiſſimum Tyrrheno, & Siculo copia Coralij colligitur; cum tamen Plinius de illius inopia olim conquereretur. Retibus etiam apud Sardiniam,& Corſicam Coralium expiſcantur,

Coralij locus natalis.

tur, quod deinde apud Genuenſes expurgatur. In ijſdem locis candidum quoq; inuenitur, non tamen compactum, neq; tam ponderoſum, vt rubens, ſed leuius, & inſtar ſpongiæ rarum apparet. Deniq; Coralium nigrum genuinum in Galitia Hiſpaniæ inueniri tradit Geſnerus. Spurium verò *Saualia* nuncupatum è Barbaria, vel Africa mittitur.

DIFFERENTIÆ.

PRISCI Authores duo tantùm Coralij genera, quoad colorem, propoſuerunt; nempè rubrum & nigrum, quod Antipathes nuncupatur. Candidi autem neq; Dioſcorides, neq; Plinius meminerunt: Niſi ex aliquorum interpretatione, velimus aſſerere, Coralium album tunc fuiſſe à Dioſcoride indicatum, quando pallidum tanquam vitioſum improbauit. At nuperi Authores varias Coralij differentias, ratione coloris, conſtituerunt, nempè rubrum, album, nigrum, viride, ſubflauum, cinereum, fuſcum, & alio mixto colore inſignitum. Amplius in vna, & eadem Coralij arbuſcula, immò in vno, & eodem plantæ ramulo varietatem colorum obſeruaſſe teſtatur Braſauolus. Hoc etiam cum animaduertiſſet Cardanus, tandem pronunciauit: hanc Coraliorum varietatẽ, nec ætate, nec ſpecie differre: cum huiuſmodi Coralij frutices quemadmodum reliqui lapides vapore Maris tingantur. Inſuper in ſingulis priorum colorũ differentijs aliæ multæ obſeruantur: cum aliqua Coralij planta ſit, quæ exterius albicet, & interius rubeat. Item vna, & eadem Coralij arbuſcula varij eſt coloris: vidimus enim aliquas nondum exactè in lapidem mutatas, & omnes, vel fuſco, vel viridi, vel alio colore erant infectæ: ramuſculi ſolũ, in quibus vix aliquid ligneum apparebat, rubeſcere incipiebant; quemadmodum pomis contingit, in quibus color poſtremus, qui eſt ruber, maturitatem indicat. Aliquandò fragmentum Coralij doctiſſimo Vlyſſi Aldrouando communicatum fuit, quod erat bicolor; nam pars in terra Maris deliteſcens ſubalbi erat coloris ad cinereum tendentis, & pars Coralij ſuperior intensè rubeſcebat: quare Coralium Erythroleucon iure optimò poterat appellari.

Coraliorũ varietas.

CORALIVM ERYTHROLEVCON.

HIC

Hic aduertendum eſt, quòd, ratione coloris, ſexus in Coralijs ita obſeruatur, vt rubicundius mas, & dilutius fœmina cognominetur. Hic exhibemus iconem maris Coralij quod eſt colore ſaturatiore rubens.

Coralium ſaturatiore colore rubrum.

Quocirca poterimus aſſerere duplex eſſe Coralium, aliud maturum, aliud immaturum, maturum, quod perfectè rubeſcit; immaturum, quod varijs coloribus eſt refertum. Coralium album verum à rubro non ſubſtantia, ſed colore tantùm diſcrepat: quamuis ſint, qui album non reperiri exiſtiment. Coralium album, quod in Pharmacopolijs

Coralium album officinarum.

ſeruatur exiguus ſurculus, tanquā Stelechites eſſe videtur, meatibus vbiq; cauis (cum legitimum fortaſſis ſolidum ſit) ramis paruis, breuibus veluti mutilis. Denique Coraliū nigrum vocatum Antipathes obſeruatur figura arborea, & rubro magis ramoſum. Simile Matthiolus Neapoli ſe conſpicatum fuiſſe affirmat, quod, ratione coloris, Ebenum referebat.

Quoad materiam, Coralium multiplex eſſe perhibetur, nempè durum, molle, ſolidū, fiſtuloſum, aſperum, politum, & lapideſum. Quandoq; ex Mari erutum fuit Coralium, inſtar limæ aſperum, minutis, & paruis tuberculis, quaſi punctis refertum; itaut tangenti aſperitas quædam ſe ſe offerret, coloris erat flaueſcentis valdè diluti, & ad ferrugineum inclinantis. Hoc Coralium conſpicitur in tabella ſub numero 4. In eadem tabella ſub numero 1. delineatur Coralium rude in materia lapidea natum, ſub numero 2. Coralium rubrum emaculatum, & ſub numero 3. Coralium rubrum, & candidum.

Coralium aſperum.

Cora-

Coraliorum quatuor differentiæ.



Præterea Coralium album, quoad substantiam, leuius est, & ebur fossile æmulatur. Quandoquidem Ebur intra terram diu conditum tandem lapidescit. Coralium verò nigrum rarius inuenitur, & Ebeno fossili assimilatur. Sunt tamen nonnulli, qui hoc Coralij genus Ebenum genuinum esse opinantur, sed in magno errore versantur, cum Ebenus lignum sit ante paucos annos ab Hollandis delatum: siquidem in Insula quadam deserta inter Iauam minorem, & Insulam Sancti Laurentij arbores Ebeni Sylua, constituunt. Itaq; vt cunctis manifestum sit locum natalem Coralij nigri esse etiam alijs speciebus Coraliorum communem. Hic repræsentamus Coralium nigrum seorsim effigiatum, quod nominatur Antipathes, vbi etiam conspicitur figura Coralij rubri cum Antipathe. Hinc colligendum est has ambas Coralij species ex eodem maris loco originem trahere.

Ebenus quid sit.

Coralium rubrum cum Antipathe.

Antipathes.

Hactenus de Coralio legitimo, & genuino dictum ſit, iam ad Pſeudocoralia accedemus quæ adhuc duplicem differentiam ſortiuntur: alia enim ſunt naturalia, alia factitia. Primitùs de natiuis, poſtmodum de factitijs differemus. Pſeudocoralium rubrum olim obſeruauimus, quod Alcyonium referebat, ſolidius tamen erat, & tot veluti calamis inſignitum, vt in figura apparet.

Pſeudocoralia quæ.

Pſeu-

Pſeudocoralium rubrum calamites.



Pſeudocoralium album habet inæqualitates tuberoſas, cruſta externa ambiente alba, ſed pars interna tota fungoſa,& friabilis eſt. Alia Pſeudocoralij albi ſpecies ab Hiſpanis *Polo* cognominata in Catalania inuenitur ab illis, qui Coralia rubra expiſcantur: hanc in litus proiectam prætereuntes colligunt, & vili pretio, pro legitimo, & genuino Coralio albo, vendunt. Huiuſmodi Coralum caret cortice, in fundo Maris creſcit, non autem ſaxis adhæret, more aliorum Coráliorum. Hic damus iconem Pſeudocoralij albi, quod Genuenſes dentes Anus cognominare ſolent. Præterea exhibemus aliam Pſeudocoralij albi effigiem, quæ potius Iuncum petreum maiorem colore cinereo valdè rarum repræſentat.

Dentes anus apud Genuenſes.

Pſeudocoralium album fungoſum.



Pſeu-

Pseudocoralium album aliud, vel Iuncus petreus maior.



Gesnerus in libro de lapidibus delineauit Pseudocoralium nigrum, cuius pars interior lignea, & exterior cornea, siue lapidea erat, hoc à quodam Rhopopola accepisse scripsit, qui dixit huiusmodi Pseudocoralium nomine *Saudia* ex Barbaria, siuè Africa deferri. Ad species Pseudocoralij reduci potest planta, quæ in litore Baiano inuenta, ab Incolis *Parma* nominatur: hanc speciem multi Coralium imperfectum, & ab Aristotele Adarcem, siue Antoliden cognominari existimant Immò inter has differentias multi recensent materiam gypseam Coralloidem, & Coralinam, ad vermes necandos tantopere celebratam.

Saudia quid sit.

Coralina ad vermes.

Iam succedunt ponderanda Coralia factitia, quæ pluribus artificijs concinnantur. Mizaldus cornua Hirci in puluerem redacta acri lixiuio ex cineribus fraxini parato spatio dierum quindecim infundit, deinde extractum puluerem Cinnabari in aqua soluto permiscet, & lento igne spissamentum in quasuis formas fingendum expectat. Alij fruticem Pyri siluestris vix pedem altum, & ex vetusta arboris radice natum colligunt, & ramos, instar Coraliorum, inflexos mundant, illosque oblinunt emplastro calido, quod ex Cinnabari, Colophonia, & Cera alba paratur, postea igne carbonũ ita hanc materiam leuigant, vt Coralium genuinum nonnisi à peritis dignoscendum referat. Alij ex fragmentis Coraliorum in puluerem tenuissimum redactis, oui albumine, & cinnabari misturam componunt, vt inde quælibet Coraliorum formæ fingantur, quæ rursus oui albumine obducuntur, vt splendescant. Ioannes Baptista Porta Coralium in tenuissimum puluerem redigit, & in tepido salis Alkali lixiuio manibus noua adiecta aqua lauat, rursusq; aqua simplici abluit; deinde sedimento colorem Cinnabaris, Minij, Hæmatitis, Boli Armeni, Sanguinis Draconis, Rubricæ, Santali, Brasilij, & Erythrodani, addito Limonum succo diligenter purgato, permiscet, & in fimo condit donec puluis in colorem rubicundissimũ soluatur; mistur ã manibus adipe prius illitis pertractat, & in formas varias illam fingit, Soli exponit, & oleo perungit, vt leuigetur, & instar veri, & genuini Coralij durescat.

Centur. 1.

Coralia factitia varia.

ELECTIO, ET PRÆPARANDI Ratio.

QVANDO Coralium simpliciter nominatur, semper rubrum intelligendum est idque ramosum, & rubicundissimum à Dioscoride commendatur. Item quod facilè teratur, seu frangatur, & odorem Algæ spiret: immò non sit lapidosum, neq; tactu asperum neq; concauum Pariter Coralium album ad medicamenta expetitum debet esse candidum, ramosum, densum, graue, non inane, non perforatum: quandoquidem virtus huius Coralij vacui, & spongiosi euanuit. Itaq; Coralia tam rubra, quàm alba in Pharmacopolijs præparantur hunc in modum. Diligenter teruntur mortario, & pistillo ex Porphyrite paratis, tam diu affusa rosarum aqua, donec in tenuissimum puluerem redacta fuerint; & donec puluis in ore positus sub dentibus nullum stridorem edat: postmodum limus, aqua effusa, in offas formatur, quæ siccatæ in vasis vitreis ad varios vsus seruantur.

Cõditiones vtriusq; Coralij.

Ad præparationem Coraliorum spectare videtur illud artificium, quo Coralia pallidiora amissum colorem recuperant. Nonnulli hac vtuntur arte, Coralia pallidiora, in sterquilinio ita suspendunt, ne stercus attingant, & post multos dies illa pulcherrima extrahunt. Alij Coralia seminibus Sinapi obruunt, & pane madefacto lauant, & hac ratione pristinum colorem illis restituunt. Aliqui puluerem nucum Iuglandium veterum, addita salis nitri drachma procurant, hacq; mistura Coralium ita fricant, vt amissum colorem facilè recipiat. Multi in veteri Puerorum vrina, ablato tamen sedimento, per quatriduum Coralia mergunt, deinde illa siccata panno rubicundo tergunt, donec elegantissimè rubescant. Hodie mulieres Coralia pallidiora sola panis mica adhibita pulcherrima reddunt.

Color Coralij vt restituatur.

DE-

A

DENOMINATA.

APVD Plinium Coralius eº Phrygiæ fluuius, qui Sangarius alio nomine dicitur. Coralli vero sunt populi immanitate insignes, de quibus verba fecit Ouidius hunc in modum. *Lib. 6. ca. 1*

Hæe mea cui recitem, fluuis nisi scripta Corallis. *Li. 4. de Põto.*

Hæc autem à Coralijs, de quibus in præsentia agimus denominari non arbitramur. Constat quidem Corallinam Botanicis nominari plantam marinam, quę sinè radice saxis adhæret: hæc enim ad mentem Matthioli, muscus marinus Veterum esse perhibetur, & Corallina vocatur quoniam Coralijs, vt muscus arboribus adhæreat. Item Corallina Pauli Aeginetæ, secundùm nonnullos, Anagallis mas appellatur, cum eius flos Coralij rubicundum colorem imitetur. Pariter Corallinæ apud Theophrastum cognominantur quædam arbusculæ, quæ in Mari adhærentes saxis inueniuntur, quarum substantia Coralium imitari videtur. Similiter Clusius nonnullas plantas marinas delineat: quas, ob similitudinem, quam cum Coralijs gerunt, Coralloides indigitauit. Amplius Dentaria herba est à forma radicis ita nominata, quæ ex pluribus squammis quasi tot dentibus componitur: hæc à multis Botanicis Coralloides appellatur, fortassis quoniam figuram albi Coralij imitetur. *Corallinæe tymum.* *Li. 6. Exot.*

Non desunt gemmæ à Coralijs denominatæ. Quandoquidem apud Plinium Corallis gemma est Minio admodum similis, quam in India, & Syene inueniri prodidit. Item Corallachates gemma est Coralio simillima, & guttis aureis distincta, quæ substantiam Achatis, & Coralij refert. Postremò multa sunt, quæ à rubore Coralij Coralia cognominãtur; ideoq; hoc vocabulum labiorum epitheton apud Poetas esse perhibetur. Hinc κοραλλίζω, siuè κραλιζω, Coralium imitor, vel, secundùm Dioscoridem, instar Coralij rubesco. *Gemmæ à Coralijs dictæ.*

MORALIA.

SVMMIS rationibus in doctrina morali Authores Coralium meditantur, cum ex illius proprietatibus, & facultatibus multa documenta percipi possint. Coralium igitur in Mari rubro natum quamdiu sub aquis moratur molle est, sed retibus ab vnda eductum lapis pretiosus euadit. Homo in mari rubro voluptatum versans Coralium meritò cognominari potest: siquidem mundanis prosperitatibus mollescit, sed quando retibus prædicationis ab vndis delitiarum ad litus pœnitentiæ trahitur, tunc lapis pretiosus, ratione virtutum, euadit, dum charitate rubescit, & constantia durescit, & perseuerat. Rursus Coralio in Mari rubro versanti purgatio criminum assimilatur, quæ in amarore contritionis, & rubore confessionis consistit. Præterquamquòd Peccantes naturam Coralij tunc imitantur, quandò sub aqua pœnitentiæ, & ærumnarum morantes, molles, & ad omnes rectas operationes idonei, & flexibiles fiunt: quando autem ab huiusmodi aquis educuntur, illicò rubedine peccati inficiuntur. Pariter alij in egestatis vnda natantes mollitie, nimirum benignitate redundant: iuxtà illud Prouerbiorum. *Vir indigens misericors est.* Sed quando ab huiusmodi aqua emergunt, auaritia, vel obstinatione durescunt, & voluptatum rubore tinguntur. Id in facultatum copia pollentibus manifestatur, qui affectu aliquo correpti, & timore mortis oppressi, nil nisi rectum operantur; sed ab aquis calamitatum, & ægritudinum educti magis lapidei, quàm antea efficiuntur: iuxtà assertum Ieremiæ. *Induruerunt faciem suam supra petram, & noluerunt reuerti.* Rursus Coralium in fundo Maris delitescens, quia molle est, nullius emolumenti esse perhibetur, sed auras attingens, quia lapidescit, ad multa idoneum, & perutile redditur. Huic igitur Coralio vir ille poterit assimilari, qui dum versatur in Patria, nullius valoris in peragendis negotijs esse videtur, sed posteaquam multarum gentium mores meditatus ad Patriam reuertitur, tunc ad negotia magis idoneus redditur. Hinc Camillus Camillius accepit argumentum Phrenoschematis Ioannis Baptistæ Leonij, quando effigiauit Coralium supra aquas Maris hoc Dicto insignitum, *Cap 19.* *Cap. 5.* *Phrenoschema Coralij*

tum, VT PRIMVM CONTIGIT AVRAS; ſic enim ad virtutẽ illius, cuius erat Phre- E
noſchema optimè alluſit Tandem ſi Coralij virtus conſideretur hoc domi foriſque
geſtatum tempeſtates, & fulmina arcet, fluxum ſanguinis cohibet, & aduerſus dæmo-
niaca phantaſmata valere dicitur. Coralium in hac morali doctrina memoriam ſangui-
nis Chriſti repræſentare poteſt, quæ in mente humana vbique geſtata aduerſus vitio-
rum tempeſtates, & fulmina æternæ damnationis præmuniens medicamentum euadit:
Quinimò diabolica tentamenta diſſipat, & fluxum ſanguinei luxus coercet.

Coralium aduerſus tẽpeſtates.

VSVS IN MEDICINA.

GALENVS in libris ſimplicium medicamentorum Coralij non meminit, ſed
alibi agens de medicamentis localibus multa deſcribit pharmaca ad Phthiſim
inchoantem, & ad ſuppuratos idonea, quæ Coralium recipiunt. Dioſcorides,
in cauitatibus vlcerum explendis, in reiectionibus ſanguinis, in difficultate vrinæ, & in F
minuendo liene, Coralium in aqua potum commendat. Item, ex mente Alberti, Cora-
lium tenuis eſt ſubſtantiæ: propterea membra confirmare, & ſpiritus recreare dicitur,
vnde cor & cerebrum roborantur, & mens hilaris redditur. Demum, iuxta Regionem
ventriculi ſuſpenſum praua affectione liberatur: quare Marbodeus de hac veritate
ſic canit.

Lib. 7. de Comp. med. ſec. loc.

In libro de Gemmis.

Collo ſuſpenſum pellit de ventre dolorem.

Coralium, ſecundùm Matthiolum, & alios nuperos Authores, comitiali morbo intrin-
ſecus, & extrinſecus adhibitum occurrit menſium abundantiam ſupprimit, dentes com-
motos firmat, gingiuas deſquamatas emendat, & omnia oris vlcera ſanat. Puluis quoq;
Coralij pota Dyſentericos iuuat, & feminis profluuium reprimit: quinimò Mizaldus in
Dyſenteria cochlear liquoris Coralij in ſucco Berberorum diſſoluti propinat. Inſuper,
ex ſententia Rhaſis, Coralium de collo ſuſpenſum Epileptici caſum prohibere traditur.
Hinc Arnoldus Villanouanus grana decem Coralij rubri in materno lacte infanti pri-
mùm nato præbet, antequam alium cibum, vel potum deguſtet, ne infans viuens epilep-
ſia vnquam corripiatur; idq; Camillus Leonardus Piſaurenſis frequenter ſe expertum
eſſe teſtificatur. Medici Arabes experientia comprobarunt virtutem Coralij, in expu-
gnandis venenis, multum adiumenti Patientibus afferre: quapropter non eſt mirandum
ſi Coralia apud Indos, veluti Vniones apud nos plurimi fiant. Hac eadem ratione mo-
ti multi in re medica periti, vagante Peſte, puluerem Coralij ad pondus ſemidrachmæ
præſcribunt. Clariſſimus Foreſtus drachmas duas Coralij exhibet ijs, qui veneno vitrio-
li infeſtantur: cum omnia huius veneni ſymptomata compeſcere poſſit. Mylius Cora-
lium cum cernuino cornu, & aqua pluuia mixtum Verminationi medetur Deinde idem
contuſum cauis dentibus inſerit, vt abſq; dolore euellantur. Eſt etiam manifeſtum den-
titionem puerorum iuuari, ſi Coralio rubrum gingiuis ſæpius mordere conuentur: namq;
hoc frequenti motu gingiuæ ita tenellæ euadunt, vt dentes abſq; dolore erumpere poſ-
ſint. Deniq; Mizaldus Coralium rubrum de collo ſuſpendit, vt hæmorrhagiam narium
ſtatim ſupprimat.

Centur. 6.

Medicamẽtũ præmuniens ad Epilepſiam.

Remedium ad dentitionem.

Centur. 4.

Amplius Halchemiæ Profeſſores ex Coralijs Tincturam, Oleum, Sal, Magiſterium, F
Extractum, & alia huius generis eliciunt, quæ in prædictis affectibus iam enumeratis fæ-
liciſſimo euentu adhibent. Coralia autem in ſucco Limonum, Berberis, Ribes, vel Ace-
to deſtillato ſoluunt, & Sal ex Coraliorum fæcibus, poſt primam deſtillationem habent.
Quamuis ſint nonnulli, qui liquorem ex Coralijs, in albumine oui indurato collocatis
promptiùs elicere profiteantur. Cæterùm inter alia Coraliorum opificia, Tinctura ad-
mirãdis viribus inſignita ſummoperè ab Authoribus celebratur. Etenim Anſelmus Boe-
tius, narrat ſe ad deſperationem febre peſtilenti laborantem ſex guttis huius Tincturæ
cum cochleari decoctionis violarum hauſtis, extemplo, & quaſi ſupra vim naturæ libe-
ratum fuiſſe. Hæc enim Tinctura cæleſti quadam vi corpus humanum ad temperiem re-
digit; & propter quamdam analogiam, quam cum ſpiritibus gerit, illos adeo refocilat,
& roborat, vt facilè ægritudines ſuperare poſſint. Item ad tollendum morbum Comitia-
lem etiam inueteratum, paucis hebdomadis ſumpta commendatur, & præſertim quan-
do cum ſpiritu Vitrioli præparata fuerit. Deinde Gonorrhæam virorum diuturnam ſa-
nat,

Lib. 2. de lapid. cap. 154.

Tinctura Coralij virtus.

A nat, & minori periculo, quàm puluis Coraliorum præparatus præstat. Apud Chymistas præter Tincturam, Magisterium, Extractum, Quintam essentiam, Oleũ, & Sal Coraliorum parantur, quorum omnium præparationes tùm apud Libauium, tùm apud Mylium legi possunt. Hæc enim præsidia chymica in affectionibus superius enumeratis fælici euentu adhiberi possunt.

VSVS IN VARIIS.

PRÆTER vsus medicos, multas ad res Coralium conducere nouimus. Primitùs scribit Ruuius puluere Coralij aquas amaras in dulces trãsmutari. Deinde Mizaldus, ex relatione cuiusdam Hispani, puluere Coralij in aqua soluto plantas, & arbores respersas mirandum in modum recreari, & fæcundari diuulgauit. Amplius Antiqui Coralio tempestates, tonitrua, & marinos æstus arceri credebãt: Quinimò Coralium contusum per arua spargebant, & arboribus alligabant, necnon Ioui, Phœboq; sacrabant. De his omnibus Coralij virtutibus Marbodeus Gallus eleganter cecinit hunc in modum. *Coralium cui sacrum.*

Ex hoc finguntur gestamina commoda multis,
Quippe salutaris gestantibus ipse probatur.
Illius, vt dixit Zoroastes, mira potestas,
Et sicut scribit Metrodorus maximus author
Fulmina Typhonas, tempestatesq; repellit
A rate, vel tecto, vel agro quocumq; geratur,
Aut in vinetis aspersus, & inter oliuas,
Aut à Ruricolis cum semine iactus in agros
Grandinis auertit calamis contraria tela
Multiplicans fructus, vt fertilitate redundent.

Insuper virtus Coralij gestantium animos lætificare dicitur: vnde Antiquitatis Aruspices gestationem Coralij religiosam esse prædicabant, quoniam pericula arceret, & humanam mentem exhilararet. Quapropter multi aduersus fascinationes, & incantamenta valere prodiderunt: Quamobrem Marbodeus Gallus huc respiciens sic cecinit.

Vmbras dæmonicas, & Thessala monstra repellit
Introitus præstat faciles, finesq; secundos.

Author hoc in loco, per monstra Thessalica, veneficia, & incantamenta intellexit, quæ olim in Thessalia, propter Medeam Iasonis vxorem, floruerunt. Hæc omnia Ouidius in Transmutationibus diligenter exarauit. Solinus quoq; historiam Coraliorum prosequens, citat Metrodorum, & Zoroastrem, facultatemq; Coralij aduersus fulmina, & Typhonas magnificat. Postremò ad venustatem, & ornamenta Coralium non fuit prętermissum: quandoquidem Galli, ex authoritate Plinij, gladios, scuta, & galeas Coralijs exornabant. Alij surculos Coraliorum infantibus alligabant, quia eorum tutelam habere credebantur. Immò Priscorum Matronæ, & Puellæ Coralia ad conciliandam gratiam gestabant, quia talem virtutẽ illi inesse opinabantur, quamobrem qui res terrestres suis planetis assignant, veluti Soli Styracem, & Mastichen sacrarunt, ita Veneri tanquam Deæ venustatis, & gratiæ Coralium tanquam dicatum obtulerunt. Talis gestandorum Coraliorum consuetudo ad nostra vsque tempora penetrauit, dum monilia, & coronæ precariæ ex Coralijs parantur, & aduersus prauas affectiones gestantur. *Lib. 6. met.*

DE

DE SALE. Cap. III.

ÆQVIVOCA.

CVM de ſuccis concretis propriè dictis ſermo nunc ſit habendus, ſatius eſſe iudicauimus à ſale exordiri; cum omnium ſuccorum concretorum ſit præſtantiſſimus: hac de cauſa multi Authores, & potiſſimùm Homerus ſaltem diuinum indigitarunt: ſed quoniam hæc vox ambigua eſt, & multa ſignificare videtur; Quapropter æquiuocatio prius examinanda eſt. Itaq; Sal, apud Plinium, in gemmis vitium ſignificat. Item hoc vocabulo Mare deſignatur, vel quia ſalſum ſit, vel quia ex illius aquis Sal ad condimentum ciborum eliciatur. Quinimò, pro Mari, Sale in caſu recto neutraliter apud Priſcianum inflectitur. Similiter hoc vocabulum (Sale) apud Chymiſtas pulchrum exponit, vt Ioannes Garlandus interpretatur. Neq; hoc à ratione alienum eſſe videtur; Quādoquidem, nomine Salis, Venuſtas, & Gratia tanquam condimentum pulchritudinis oſtenditur: vnde Plutarchus aliquando dixit; factum eſt vt Gratiarum nomen Sali aliquando à quibuſdam imponeretur: hac de cauſa pulchritudinem mulieris non otioſam, aut inuenuſtam, ſed gratioſam, & ad promouendum ſalſam nuncuparunt. Inſuper Sal pro Sapientia vſurpatur, & in hoc ſignificatu, maſculino tantùm genere declinatur, vt legimus apud Terentium. *Qui habet Salem, qui in te eſt.* Donatus in expoſitione huius loci animaduertit, Sale neutraliter prolato, condimentum, ſed in maſculino genere pronũtiato, Sapientiam deſignari. Interdum pro Vrbanitate, Ioco, & Dicto ad delectationem ridiculo accipitur, & tunc tam in numero ſingulari, quàm in numero multitudinis maſculino genere effertur: in hoc ſenſu locutus eſt Catullus in Quintiam.

Li. 37. c. 1.

Lib. 5. Sym poſ. quæſt. 10.

Epigr. 81.

Non eſt in toto corpore mica Salis.

Quaſi vellet inſinuare nihil argutum; nihil venuſtum, & nihil facetum in illa conſiderari poſſe. Pariter apud Ciceronem, ad Quintum Fratrem, Sales dicendi, & facetiæ leguntur, necnon apud Propertium in hoc verſu.

Librorumq; tuos docte Menandre Sales.

Li. 3. Eleg.

Hinc colligere debemus, per Sales, non ſolum intelligendos eſſe illos, qui oculis obijciuntur, ſed etiam eos, qui per aures admittuntur. Horum duplex genus aſſignatur, alterum genus eſt purum, pulchrum, & ſerium, quod homines in admirationem rapit; alterum infimum, iocoſum, & ridiculam appellatur. A priori genere táquam ex vberrimo fonte Sales ſacri, Theologici, Myſtici, & Philoſophici ſcaturiunt, ex poſteriori genere Sales Mimici, Scurriles, Comici, Satyrici, Aulici, & ſimiles prodeunt. Itaq; inter Sales ſerios principem locum occupant, qui ex ſacris Biblijs depromuntur; à quibus D. Paulus minimè abhorruit, quoniam ſua ſcripta altiſſimis replens myſterijs ab huiuſmodi ſalibus aliena eſſe noluit, dum ſcribens ad Corynthios dixit hæc verba: Sermo veſter ſemper per gratiam ſit Sale conditus. Ex altera parte Sales Mimici turpes, & atyrici tanquam nigri damnantur, quoniam ad nil aliud, niſi ad denigrandam cuiuſcumq; famam reſpiciunt. Huc alluſit Flaccus, quando cecinit hunc in modum.

Sales Myſtici qui.

Cap. 4.

Sales nigri qui.

Carmine tu gaudes, hic delectatur Iambis,
Ille Bioneis ſermonibus, & Sale nigro.

Sermones enim Bionis poetæ ſatyrica mordacitate, nempè Sale nigro erant referti, quibus omnes Poetas ita inſectabatur, vt nec etiam Homero pepercerit. Ab omnibus prædictis ille Sal penitùs diſcrepat: de quo in præſentia ſumus acturi: quemadmodum etiam toto Cælo differt à Sale Indo, qui primùm à Paulo, & poſtmodum ab Auicenna Zuccharum nuncupatur, dum ſcribit eſſe mannam cadentem ſupra rem, quam vocant Alhoſor ſimilem Sali: ideòq; propter hanc ſimilitudinem Saccharum Sal Indus nominatur, & ſummis laudibus ab Auicenna extollitur ad linguæ ſcabritiem, dum in ore huiuſmodi Sal detineatur, qui in colore Salem, & in dulcedine mel æmulatur.

Sal Indus qualis.

SY-

SYNONIMA, ET ETYMVM.

SAL ita inflectitur in vtroque numero, vt in numero multitudinis ad genus tãtùm masculinum referatur,& in singulari neutrum etiam genus admittat. Sale quoque in casu recto profertur apud Priscianum, vt superius fuit annotatum, sed tunc Mare, hoc vocabulo, significari credimus, quoniam citat Ennium vocantem cæruleum Sale. Quoad etymologiam, scripsit Isidorus Sal cognominatum fuisse à Saliendo, cum in ignem proiectum, inde facillimè saliat, aut exiliat. Deinde putat cognominatum etiam fuisse à Salo, nimirum à Mare: cum Sal ex aqua Sali, nempè Maris conficiatur. Tandem Salem à Sole nominatum fuisse opinatur, cum spuma Maris in littore vel scopulis relicta, & calore Solis concocta in Salem conuertatur. Cæterùm Sal, vt nostra fert opinio, per metathesim, etymologiam inuenit. Quandoquidem Sal à multis viris doctis inter illas ditiones collocatur, quæ, transpositis litteris, alium sonum edunt. Itaq; Græcis Sal vocatur ἅλς; ideoq; S. transposito Sal euadit. Hęc igitur vox græca ἁλς in masculino genere prolata Salem significat; nam in fœminino genere pronunciata Mare designat. Alioquin apud Suidam ἅλας τὸ generis neutri pro Sale vsurpatur. Denique à Lucretio insigni Poeta Sal Panacea vocatur à πᾶν, & ἄκος, deducta etymologia, ob multas virtutes pro remedio, & tutela corporis animantium, quas Sal possidere dicitur Sal vocatur Hebręis Melach, Arabibus Malck, Italis Sale, Gallis Du Sal, Germanis Saltz Hispanis Sal.

Lib. 16. Orig.

Etymum verum Salis.

NATVRA, ET AFFECTIONES.

SI diligenter naturam Salis contemplemur, illum esse speciem terræ combustæ comperiemus, quoniam frigido, & humido liquatur, deinde calido, & sicco concrescit; sed quandò calor adurens mensuræ modum excedit, tunc vapor ille non Sal, sed veluti cinis euadit, ex quo postea aquæ saporem amarissimum sibi comparant: nam res adusta, humore separato, fit amarissima. Videtur autem Sal naturalem cum igne inimicitiam exercere, quoniam ex terra, & aqua resultans, calore extrinseco accedente, durior euadit, & dissolutioni magis reluctatur: ideoq; posteaquam calor igneus illius humiditatem consumpsit, ad partes terreas conuersus, totis viribus, illas dissipare conatur. Alioquin Sal naturaliter penetrat, astringit, abstergit, dissipat, reprimit, & extenuat. Deinde tanto calore refertus est, vt cruda in ventriculo contenta digerat. Hoc autem inde colligimus, quoniam cum Stomachus carnes tantùm coctas perficiat, pisces tamen crudos sed salitos, & pariter carnes crudas, & Sale imbutas facilè concoquit, & digerit: quapropter non insulsè poterimus canere.

Sal digestionem adiuuat.

Igneus est Sali vigor, & cælestis origo.

Nam cibus crudus, & stomacho insuetus Sale conspersus adeò purgatur, vt quodammodo concoquatur, & gustui fiat familiaris.

Hinc cunctis liquidò constat Salem ab aquis nascentem naturam igneam participare; cum omnia corpora corrodat, viua destruat, & mortua conseruet: Quocirca optimis rationibus Sal viuentium mors, & mortuorum vita nuncupari poterit. Quamobrem Plutarchus quandoq; in hęc verba prorupit: Quemadmodum anima nostra rerum diuinissima non sinit defluere molem animalis, sed eam continet: ita natura Salis opus animæ æmulatur, dum cadauera constringit, & ad conseruationem cohibet.

Lib. 5. Sympos.

Præterea Sal quamdam vim generationis possidere creditur, cum vigorem! femineum expergefaciat: propterea sunt aliqui, qui mulieres solo linctu salis grauidas fieri posse existiment. Hæc igitur erit potissima ratio, propter quam Prisci Venerem prolis Deam esse constituerint; cum hæc ex Sale, seu Salo nata esse perhibeatur, ideoque a Græcis ἁλίγενη, quasi ex Mari genita, fuerit cognominata. Quid plura? eximia, & plusquam aurea salis natura & vis prædicatur, quæ cum Principibus notissima sit, id operata est, vt Vectigalia, & Tributa Salis, præceteris, lõgè illis chariora sint. Quinimò, propter summum Salis censum, quo Sal auro ferè æqualis euadit, sunt, qui opinentur. Om-

Dea prolis quæ.

nes

nes in vniuerſum ſalinas, non minus quàm auri, argenti, & aliorum metallorum fodinas ad Reges iure pertinere, alijs verò ex priuilegio conceſſas fuiſſe: propterea Salem inter iura regia, quæ Iuriſperiti vocant Regalias, annumerandum eſſe cenſent. Hinc Reges, liberalitate Salis, gratiæ popularis conciliandæ, & fidei etiam retinendæ occaſionem haurire poſſunt: nam cum primùm populi ab eadem gratia, & fide deceſſerint, ſubita Salis ſubſtractione grauius ad iugum redire ſolent. Hoc manifeſtatum fuit temporibus Pauli Tertij Pontificis Maximi in quibuſdam pertinaciſſimis Etruriæ populis ad Ditionem Pontificiam attinentibus ob recuſatum Salis nouum Tributũ, quibus cum Sal triennio interdiceretur, protinus omnes ſupplices, nulla conditione, vel pacto interpoſito, Summo Pontifici morigerarunt.

Regaliæ quæ.

GENERATIO, ET PRÆPARANDI Ratio.

CVM Philoſophus ſcriptum reliquerit terrã iuxtà maiorem, vel minorem exuſtionem varias ſaporum, & colorum formas recipere; iam manifeſtarium euaſit, ex omnibus cineribus, & corporibus combuſtis, aquæ ablutione, ſubſtantiã ſapidam extrahi poſſe, quæ in quodam ignis veſtigio conſiſtit: ideoque cinere loto, eoque remanente inſipido, aqua in ſalem denſatur. Hoc idem exhalationi contingere putandum eſt: cum enim ſubſtantia ſit tetrea ad ignis naturam accedens, ſi ab aqua apræhendatur, vel in imbre, vel in viſceribus terræ, pars illius ignea ſalſam reddet aquam; Reliquum verò in terram mutabitur: hinc vera ſalſedinis generatio eluceſcit.

Lib. 2. Meteor. cap. 3.

Itaq; Sal generatur ex aqua, quæ vel naturaliter ſalſa eſt, vel humano artificio ſalſa reddita. Aqua autem naturaliter ſalſa, vel in ſalinis ab ardore Solis, vel in cortinis, aut vaſis calore igneo ſpiſſata in ſalem vertitur. Pariter quæ humana ope ſalſedinem eſt adepta, igne ſimiliter denſata in Salem mutatur Verùm multis in locis vſitatior modus eſt aquæ Marinæ in Salinam infundendæ, vel deriuandæ. Mirandum autem eſt, quòd aquæ etiam puteales, & fontanæ in ſalinas ingeſtæ fuerunt, vt Plinius de Babylone, & Cappadocia monimentis mandauit. Hoc quidem certum, & cunctis manifeſtum eſſe debet, quòd omnes aquæ ſalſæ etiam lacuſtres in Regionibus calidis ad Salinas ductę & ardore Solis ſiccatæ in Salem concreſcere poſſunt. Dalechampius in Plinium diuulgauit Monſpeſſuli ex ſola Maris aqua Salem produci, & cadente imbre citius ſpiſſari. Pariter in Creta Sal ex riuis marinis in Salinas fluentibus generatur. In Aegypto autem Sal ex Mare in Solum fluente producitur. In Africa circa Vticam, teſte Plinio, ſtruunt aceruos Salis ad modum Collium, qui ad radios Solares, & Lunares ita dureſcũt, vt deinceps nullo humore liquefieri poſſint.

Modus vſitatior Salis præpar.

Lib. 31. c. 7.

Ars igitur cum Naturam imitetur, multa Salis factitij genera producit. Antiquitas olim id præſtitit ardentibus lignis in aquam ſalſam infuſis, quod, ex mente Plinij, in Gallia, Germania, & quadam Hiſpanię parte Populi præſtare conſueuerunt: propterea, ad hoc opus, Quercus, & Corylus laudabantur. Præterea, ex ſententia Ariſtotelis, quidam in Vmbricis locus eſt tales Calamos, & Iuncos producens, quorum cinis in aqua decoquitur, quæ poſtmodum refrigerata Salis copiam reddit. Neq; hoc nos in admirationem trahere debet: quandoquidem, referente Botero, in Tunia regione nouæ Granatæ, Sal ex ramis Palmæ ſiccis, & vrina paratur. In toto ferè Valentino Regno ad oram maritimam copioſa creſcit herba, quam nonnulli perperam Anthyllida Dioſcoridis eſſe putant, huiuſque duæ ſpecies eſſe traduntur, quarum altera Valentinis *Soſa Borda*, altera multò præſtantior *Barilla* cognominatur, vtraque ſapore ſalſo cum quadam adſtrictione referta eſt. Hanc ſolent Paſtores, vrgente ino pia Salis, inſolare, & ſiccatam, & in puluerem redactam pro Sale adhibere. Huius herbæ cinerem Arabes Kali, & Salem ex hoc cinere reſultantem Salem Alcali & cinerem induratum Alumen catinum indigitant, Vitrarij ſodam appellant. Præparatio Salis Alcali, ex Ioanne Bauhino, fit foſſa excauata, ligniſq; per tranſuerſum locatis, quibus aceruus herbæ Kali imponitur, & ſubtus accenſo igne, liquor herbæ in foueam deſtillat, qui poſtmodum

Quercus, & Corylus ad quid.

Alkali quid ſit.

Alumen Catinum quid.

A dum in Salem Alkali paulatim concrescit. Denique Halchemiæ Professores vt suum lapidem philosophicum concinnent, varijs modis Salem præparare nituntur; primitùs Salem communem mundant, deinde Salem Gemmæ, Salem Alkali, Salem Ammoniacum, & alias Salis species varijs artificijs præparant, quæ præparationes apud Gebrum legi possunt.

DIFFERENTIÆ.

PRIMA facie Sal in duplicem, nempè in natiuum, & factitium distribui potest. Natiuus, vel in terra, vel extra terram reperitur. Qui in terra est, aut in montibus cæditur, aut in campis foditur, vel ab arenis eorundem extrahitur. Sal verò genitus extra terram, in fontibus, in fluuijs, in Mari, & in lacubus latibulatur. Inter natiuos fossiles, qui cæduntur, Sal Gemmeus primùm locum occupare perhibetur, quia instar crystalli radiet: propterea in Officinis Sal Gẽmæ nuncupatur. Hic in ignem
B coniectus, more alierum Salium, non crepitat, sed instar ferri ignescit. Talis ex fodinis Calabriæ eruitur, cui congener est Sal fossilis ex Alpibus Oeniponticis. Similis in Polonia coloris cinerei, & nigri reperitur: ibi enim massæ Salis crescunt, quæ ferris postea scinduntur: vbi etiã conchæ Salis innatæ Sali fossili obseruantur. Huiusmodi Sal gemmeus arte quoq; paratur, quod artificium Diodorus in libro de Salibus descripsit. Hic damus iconem Salis fossilis formæ quadratæ, & lineatæ, crassitie digiti ferè auricularis, colore in cinereo albicante; cum huiusmodi Sal non adeò sit diaphanus, vt Sal Polonicus, & Sarmaticus, intensè tamen est salax, & tempore humido imminente, Aeris mutationem ostendit. Hæc figura est in tabella sub numero 3. nam sub numero 1. monstratur Sal Gemmæ fossilis Sarmaticus figura vasis, & sub numero 2. Salis stirię conspiciuntur. Hæc stiria Salis ex Polonia fuit missa, quæ ad Stillicidia concrescit, & ex illius coctura Sal albissimus conficitur.

Sal fossile secatur.

Huius conditionis Sal Indus esse perhibetur, quem Mesue in compositione Pilularũ de lapide lazuli reposuit: & errant, qui, nomine Salis Indi, apud Mesuem, Saccharum
C intelligunt; Quoniam illi Populi suum Salem ex Monte Oromeno eruunt; quo deficiente, Sal gemmeus illi congener substituitur. At inter Sales fossiles, præter Gemmeum, multę aliæ species, quoad varietatem coloris, inueniuntur. Sal fossilis flaui coloris aliquando repertus est, qui frustum mali Cydonij imitabatur. Pariter Sal fossilis æmulus Ammoniaci visus est, cuius altera pars rubedinem, & altera albedinem repræsentabat. Habetur etiam Sal fossilis niger aliquibus vocatur Carbo Salis. Vtrum verò huiusmodi Carbones ex incendijs resultauerint, quæ interdum in fodinis contingere solent; an potius sint Carbones succis salsis permixti; diligenter ponderandum est. Insuper si colores Salis adhuc considerentur, incidemus in Salem sodomeum, non fossilem, sed ex lacu Asphaltite Iudeę delatum, qui in colore nigro rufescit, & gustus amarus est, & Naphthicus etiam appellatur, desumpto à Naphtha specie Bituminis nomine, cuius odorem spargit. Vidimus quoque ex Polonia missum Salem fossilem duritie alabastrina, & colore rubescente, quem ex montibus erutum referebant. Huius icon exprimitur nomine Salis fossilis rubri in tabella sub numero 1. Ibidem quoque sub numero 2. effigiatur
D Sal Omphacinus ex Polonia pariter missus, qui non iniuria hoc nomine donatur; cum saporem Omphacinum referat, & coloris est subalbidi.

Colores Salis varij.

Sal Naphthicus.

Salis tres Differentię.

1 Sal gemmæ foſſilis Sarmaticus figura vaſis.
2 Stiriæ Salis.
3 Salis foſſilis Tabula lineata.

Sal fossilis ruber.

Sal omphacites.



Amplius in fodinis Poloniæ inter Sales tophi aliquantulum diaphani, & colore albicantes aliquando inueniuntur, qui figuram Stelechitis æmulantur: quapropter Stelechites Salis nominantur: quemadmodum in hac tabella poterit conspicari Lector In ijsdem fodinis interdum obseruatur lapis æmulans Stelechitem, quem Salicidæ Cornu Salis, forsitan à figura, indigitant. Hic lapis semper particulæ Salis adhæret, & diuisus lineas subtilliſſimas à centro ad circumferentiam productas ostendit; quare infinitis radijs refertus esse videtur, & Astroiti lapidi assimilatur, quemadmodum icon in tabella exprimit. In eadem tabella ad calcem delineata sunt quædam semina nomine Mattaloræ fluuij Gangis olim doctissimo Vlyssi Aldrouando missa sunt hæc plantæ semina nascentis in Gange fluuio granis Tritici duplo maiora, colore subflauo, substantia ferè lapidea, ideoq; inter lithospermata merito numerari possunt.

Stelechites Salis.

Sal Stelechites ex Polonia cum Cornu Salis.





A Vt redeamus, vnde digressi sumus, à Sale fossili non valde recedit Sal Ammoniacus, quem Dioscorides Salsuginem esse in arenis Libyæ concretam, & Alumini sciffili simi- *Li.5.c.31.*
lem con ituit, Hic Sal glebis oblongis,& venis in longitudinem porrectis circa tractum Cyreniacum præcipuè inuenitur. Nomen autem sortitus est ab arenis, sub quibus latibulatur, vel ab Ammonia regione Libyæ, vbi Iuppiter Ammon colebatur . Cæterùm Sal ille Ammoniacus,qui hodie in officinis Medicorũ venalis seruatur non est natiuus, *Ammoniacus Sal ărtificialis.*
sed artificio quodam elaboratus, qui ex regionibus Syriæ, & ex Germania formatus in glebas splendescentes, & obscuritate quadam velatas defertur. Hoc Chymici ad sublimandum argentum viuum, & ad solutionem metallorum vtuntur.

Post Salem fossilem, Sal marinus, vel æquoreus durior, & nigrior monstratur, qualis penès Ceruiam Romandiolæ ciuitatem paratur. Item Sal excoctus habetur ex Salinis, quæ in Saxonia Halenses, & Luneburgicæ appellãtur. Aduertendum est, quòd micæ *Mica Salis quæ.*
Salis sunt grana in Sale marino grandiora,quæ in Sale excocto talia non obseruantur.

Post Salem, Dioscorides Muriam , & florẽ Salis recenset. Muriam duplicem constituit, nimirum naturalem, vnde noster Sal communis elicitur, & factitiam, quæ ex aqua
B pluuia, & modico Salis conficitur. Verùm flos Salis in fodinis colore candidissimus ad *Salis flos quotuplex.*
similitudinem lanuginis canescentis efflorescit. Potest etiã flos salis appellari illa Salis aspergo, quæ veluti pruina in campis, & pratis apparet, quà riui Salsi præterlabuntur, vt in Thuringia obseruatur. Gesnerus in libro de lapidibus memorat quamdam Salis spumam, quæ speciem pumicis repræsentat. Hancquè in patinis ferreis aqua salsa ferueſcente generari pronunciat. Propterea hoc in loco non solum hanc delineatam in tabella exprimimus , sed etiàm aliàs ex Burgundia allatas. In medio autem tabellæ Sal gemmæ figura Tali conspicitur . Ad calcem tabellæ habetur icon Sapphiri Orientalis manubrio plumbeo inclusi, quo Chyrurgi in Germania, Gesnero authore, sæuos carbunculos demulcere solent.

Variæ spumæ Salis differentiæ.



Sin ad Sales factícios sermonem conuertamus, omissso Sale Kali, seu Sodæ, dequo superius egimus, ad Sales aliorum Simplicium enumerandos descendemus, quorum primas Sal Absynthij occupare videtur, cum in Medicina tantopere commendetur. Deinde sequitur Sal Iuniperi, Imperatoriæ, Ononidis, Cymini, Limonum, Tartari, Saxifragiæ, Ligni Guaiaci, Nucis Myristicæ, Coraliorum, Succini, Cranij humani, vel aliorum ossium humani corporis, & Sal theriacalis Galeni, quorum omnium præparationes Ioannes Baptista Porta diligenter prosequitur. Deniq;, ad mentem Chymistarum, ex Colcothare, nimirum ex capite mortuo, idest fæce post destillationem in fundo vasis relicta, ablutione aquæ, Sal elicitur, quem Terram magicam appellant. Alioquin Sal metallicus apud eosdem Chymistas Vitriolum nominatur Item ἅλς δωδεκάθεος apud Ætium est quædam species Salis ex multis speciebus composita. Demum Sal Sacerdotale quid sit apud Diodorum in libro de Salibus legatur. Sal vitri est illud liquidum, quod in coctione vitri separatur, & frigore gelascit instar lapidis, colore albo, sapore admodum acri, quo pro sapone aliqui adhibent.

L. 10. Mag. nat.

Terra magica quid sit.

ELECTIO.

INTER Sales si quæratur, qui bonitatis arcem teneat: nonnulli Authores marinorum Salium maximè Cyprium commendant. Alij inter lacustres Tarentino primas assignant, quia suauissimus, & candidissimus sit; necnon Phrygio, qui Tattæus appellatur; cum ambo medicamenta ophthalmica ingrediantur; quoniam Sal Beticus, iuxta sententiam Plinij, oculis tantummodò Boum medetur. Qui affertur ex Cappadocia cuti candorem conciliare dicitur. Deniq; Sal Atticus, & Euboicus, ex mente Plinij, minorem habet amarorem, & carnibus seruandis aptior esse perhibetur. Itaq, Sal perfectissimus omnium Medicorum consilio eligendus est, qui sit candidus, pellucidus, densus, odorus, minimè arenosus, æqualis, & qui cum quadam suauitate temperatam actimoniam præseferat, necnon ob perspicuitatem, veram crystallum referat, qualis est, qui inter Sales fossiles Gemmeus appellatur, sicq; Salium fossilis erit præstantissimus, & fossilium montanus excellentissimus, cum inhoc perfecti Salis proprietates eluceścant. Etenim Sal fossilis quò siccior est, & durior, minùs fragilis, & magis astringens, eò ad Csalituram aptior, & vtilior euadit. Namq; siccior cum sit, eò maiorem salsedinem participat, & linguæ admotus mordet, excitat, siccat, astringit, corrodit, detergit, atq; vrit. Quapropter Sal præstantissimus enumeratas conditiones, & prærogatiuas possidere debet.

Sal Atticus & Euboicus.

Salis fossilis laudes.

LOCVS.

SAL præsertim fossilis suos natales habet subterraneos, & plerumque penès metalla; ideò diligentes rerum naturalium inuestigatores, non longè à vena Salis, metallorum venas inueniri obseruarunt. Quinimò in vno, & eodem metallo varia Salium genera reperiri retulerunt. Verùm, vt regiones Salium feraces nobis innotescãt series alphabetica, in illis enumerandis, nobis fauebit. Primùm Aegyptij, si veritatem Plinius fatetur, Florem Salis in quibusdam fontibus natantem inuenerunt. In Aethio-D pia superiori penès Regnum Abyssinorum, Sal ex montibus figura tessellarum cæditur: Quinimò Insula Aulilo eiusdem Aethiopiæ Salinas habet publicas, nec præter hanc, regio Aethiopica nouit similem; cum ex illa Sal ad omnes regiones Aethiopiæ deferatur. Africa multis Insulis est locupletata, quæ in locis humilibus cum sint sitæ, aquas marinas facilè recipiunt, quæ postea in Salem paulatim concrescunt: immò inter has insulas, vna est, anthore Botero, quæ à copia Salis, nomen Insulæ Salis sortita est. Ammoniam Regionem Salis diuitem prædicant, & Herodotus in Melpomene, post Ammonios, collem Salis collocat. In Arabia non solum sunt Sales Odorati, verùm etiam ibi est oppidum Carris cognominatum, cuius gentes domos massis Salium constructas, & aqua ferruminaras habitant, & Calepinus Gerram Arabiæ fælicis oppidum cõstituit, vbi turres molibus Salium quadratis erectæ cõspiciuntur. Arayæ Salinis tanta vis inesse di-

Li. 31. c. 7.

Insula Salis vbi sit.

E se dicitur, vt, si decem nauigia Sale onerentur, quatriduo transacto, totidem impleri ibidem possint In Aragoniæ regno sunt montes, & lapides Salis ita duri, vt instrumento etiam ferreo difficulter cædantur: immò admirabilis est illa Regio, quoniam, facta fouea, illicò cadente pluuia, Sale repletur. *Fluuij Salē ducentes.*

Apud Bactros duo vasti lacus plurimo Sale redundant: item illuc duo amnes Ochsus, & Iaxartes fluunt, qui ex appositis montibus ramenta Salis ducunt. Amplius Salis vis ingens in fluuio Boristene concrescit. Burgundia habet vrbem Visuntiū nuncupatā, in cuius agro duo fontes scaturiunt, quorum alter aquam dulcem fundit, ex altero autem Salem densant candore præstantissimum, qui Incolis maximo est vectigali.

In Calabria penès Siberenam Vulgò *Santa Seuerina* Sal copiosus eruitur. Cappadocia, authore Strabone, opibus Salis fossilis est aucta: Propè Carcassonem, vulgò *Marsonette*: teste Dalechampio in Plinium, est lacus Salem producens. Per Cariam, vbi est Neptuni templum, plures salsi amnes labuntur ad Caspias portas. Cæsarauguſta Celtiberorum, nunc Aragonum Metropolis, inter alia præcipua, habet montem Salis tertio ab vrbe lapide situm, ex quo statuto quotannis die (quod regia dignum est magnificentia) cuique ciui quantitatem Salis necessariam asportare licet. Coroseni terra est in Oriente, vnde Serapio, referente Ortelio, Sal Ammoniacum, & Bezaar deferri pronūciat. Cuba Insula habet montem Salis Mari proximum, qui montem Salis Cypri superat. Curicta Insula Maris Adriatici diuitias Salis habet opulentas, quibus Respublica Veneta multum ditatur. In Cuzco Iosephus Acosta fontem obseruauit, de quò scaturiens aqua in Salem albissimum densatur. Cypro Ioannes Boterus assignat lacum, qui diebus æstiuis, & natura Soli, & virtute Solis, Sale candidissimo repletur. Tandem Cyrenaicæ regionis populi Sale lapideo minimè carent

Siberen vbi sit.

Mons Salis in Cuba.

Lib. 3. hist. Ind. c. 17

In Dacia Ioannes Boterus mineram Salis solidam instar marmoris, & coloris violacei obseruauit, qui minutissimè tritus albedinem acquirit.

Apud Garamantes sunt montes Salis. & Germaniæ multas Salis mineras Cosmographia vniuersalis attribuit: ibi quoque sunt multi fontes aquam salsam fundentes, quos Incolæ vocabulo à Græcis detorto (quibus ἅλς Sal exprimitur.) Halas nominant vt Hala G Hermundurorum, quæ est ad Salam fluuium, Hala Sueuiæ, & Hala Rhetiæ primæ, quæ est ad Oenum.

Hala est ciuitas Saxoniæ, vbi Sal conficitur, & Salinæ halenses vocantur: namq; salsos fontes è vicinis montibus per canales supra vrbem ductos in Ahena ampliſſima deriuant, &, excitatis solle ingentibus flammis, aquam breui temporis spatio in candidissimum Salem exsiccant. Præter aquas marinas, multi sunt in Hispania putei, quorum aquæ in Salem concrescunt: Præterquam quòd Egelasta oppidum est citerioris Hispaniæ Salis natiui fodinis nobilitatum, & Sal Hispalensis apud Plinium aduersus suffusiones commendatur. Scribit quoq; Franciscus Hernandus apud nouam Hispaniam omnia illa Salis genera reperiri, quæ in reliquis Regionibus proueniunt.

Halenses fontes.

Li. 31. c. 9.

Illyria Sale scatet, & apud Indos est mons nomine Oromenus, authore Boccacio de montibus, qui Salis adeò est ferax, vt Rex ex illo maius, quàm ex aurifodina, vectigalis emolumentum reportet. Ibi quoq; est quædam regio longitudinis, & latitudinis sex millia passuum, quæ Indis Carchi ies vocatur: hæc tota Sale candido aspersa intuentibus apparet, qui tam æstiuò, quàm brumali tempore non corrumpitur: qua de re Salem fossilem esse existimamus. Insula cognomento Bona habet fontem, cuius aqua salsa æstiuis diebus in Salem degenerat. Insula Ormus Oceani Meridionalis in faucibus Maris Persici sita, tota tanquam ampliſſimus Salis campus apparet. In Italia apud Camerinum Sal saxeus adeò pellucidus inuenitur, vt instar speculi imagines reddat.

Oromenus mons vbi.

Libyæ quædam pars ampliſſimis Salis fossis minimè solidi referta est. qui postea Soli expositus ita durescit, vt lapidi Pario similis euadat. Lucaniæ montes propè oppidum Altimontis, fossili Sale sunt ditati, ex quo laminæ fabrefiunt, quæ calefactæ & abdomini applicatæ affectui colico medentur.

Maserephot aquæ, sunt Salinæ iuxta Mare Magnum, vbi æquore intumescente vnda in alueos quosdam fluit, quæ feruore Solis in Salem concrescit; ad has vsq; aquas Filij Israel, Duce Iosue, Chananeos persecuti sunt. Media habet lacum, qui, authore Strabone, ex aqua dulci Salem generat. Item fons in vico Monspessuli vicino à Dalechampio in Plinium memoratur, quem Incolæ *Balerne* vocitant; hic calidis aquis scatet, & salem pro-

Lib. 1.

producit. Moſcouia Salem metallicum optimum, & puriſſimum poſſidet, qui inſtar lapidum cæditut.

Penès Nilum vbi arua non coluntur, teſte Botero, aqua in lacus recepta in albiſſimum Salem vertitur. Nortuegia Sale nigro referta eſt, qui ferreis ollis coquitur. Cornelius Iudæus in Tabula Africæ, multas Salis mineras marmori non abſimiles Numidię aſſignat, cuius quantitatem ad alias Regiones, ope Camelorum, deferunt. Petrus Hiſpanus in Orbe nouo ſaxa Salis ingentia inſtar ſcopulorum circa litora Sancti Michaelis comperta fuiſſe prodit.

Saxa ingẽtia Salis vbi.

In Papaya Regione, ex aqua congelata Sal fit candidum, inefficax tamen, & praeuum. In Phrygia Sal generatur, qui Dioſcoridi, & Plinio Tattæus appellatur, & in affectibus oculorum perutilis commẽdatur Placentinum territorium ſcatet fontibus ſalſis, ex quorum liquore Sal optimus excoqui poteſt. In Ponto Ximenem Regionem fodinas Salis foſſilis habentem Calepinus prædicat. Polonia mineris Salis, & argenti eſt probè ditata, ex quibus tributa Regia extrahuntur: quinimò Ioannes Boterus Salinas optimas in territorio Cracouiæ, anno quinquageſimo ſecundo poſt milleſimum, & ducenteſimum, compertas fuiſſe tradit, quarum ſalem partim mineralem, & partim factiticium conſtituit. Porrectanum balneum in Territorio Bononienſi Sal habet, alumen, & ſulphur.

Balneũ Porrectanum quale.

Romandiola in loco *Ceruia* nuncupato tantam Salis factitij quantitatem fabricat, vt alijs etiam Regionibus diſtribuat. Salinæ locus eſt Thuſciæ, vbi, referente Ortelio, copia Salis fabricatur. Sardinia Salis opibus ad luxuriam vſq; eſt plena. Saxonia Salinis vberrimis ab Othono primo inuentis eſt referta. Penès Ennam, & Nicoſiam ciuitates Siciliæ montes Salis fertiles conſpiciuntur, qui ferramentis cæditur: ibidem quoq; lacus eſt Cocanicus appellatus Salem producens: item in littore Meſſanæ ex aquis marinis Sal elicitur, qui ad Solem ſiccatus, odorem violaceũ ſpirat: ibi pariter in aruis Agrigentinis, monente Plinio, minera eſt Salis à natura Salium valdè diſcrepans; cum in igne diſſoluatur, & in aqua gelaſcat:

Sal odoris violacei.

Tarentini ingentem Salis farraginem cumulant, quem Plinius omnium ſuauiſſimum & præſtantiſſimum commendat. In Tirolenſi comitatu eſt Halz oppidum, vbi plurimum Salis coquitur. Similiter in Taican Regno ſunt montes Salis ad meridiem ſpectantes è quibus Sal malleis ferreis decutitur. Thuringia riuis ſalſis irigatur ſuprà montem Kiſhunſianum. Item Sal in Tombruz Prouincia facilè in lapidem cogitur.

Apud Valeſianos populos, anno quadrageſimo quarto poſt ſeſquimilleſimum, vt legitur in Coſmographia vniuerſali, fons Salis ditiſſimus inuentus eſt. Viſuntium eſt Vngariæ Regio (vulgò Salineſe) vbi fons diuitias aquę ſalſæ poſſidet, ex qua Sal albiſſimus in dies conficitur. Aquam ſalſam habet Volateranus ager, quæ in Salem candidiſſimum excoquitur: Quandoquidem aquæ ſalſæ non ſolum in Mari ab exhalatione aduſta generantur, ſed etiam fontes ſalſi reperiuntur, vt prænominati, necnon aqua Tetutij in agro Lucenſi, aqua Balneoli Montis Catini, Porrectana noſtra, & aliæ multæ, quas omnes in præſentia recenſere non eſt opus. In Zac ibero lacu Salis ingens vis colligitur, ſed quoniam eſt propè Otzar kon Tartarorum Caſtrum, ſæpè Ductores Salis vnà cum plauſtris à Tartaris intercipiuntur.

Aquæ Salſæ vbi.

EPITHETA.

SAL à loco, vnde plerumque originem trahit, æquoreum, ab aſperitate rigens, quia in aqua facilè ſoluatur, fuſile, quia arenis careat, purum, & à colore albidum Poetæ nuncuparunt. Græcorum quidam Salem χάρις appellarunt (χάρις Græcis eſt gratia) vel quia hominibus in condimentis ſit gratus, vel quia veſcentibus gratiam, & venuſtatem conciliet. Niſi velimus aſſerere hoc epitheto fuiſſe inſignitum, authore Plutarcho, quia Veneris acer ſit ſtimulus; namque χάρις etiam Veteribus fuit vocatum obſequium, quod fæmina Mari præſtare Solet, Inſuper Homerus Salem diuinum, & Plato amicum Dei indigitarunt cum nulla Sacrificia, teſte Plinio, abſque mola ſalſa celebrarentur: deinde quia res Sale conſperſæ ferè perpetuæ euadunt; & in hoc ſenſu

Sal cur diuinus dictus.

Plu-

A Plutarchus fulmen ab Antiquis diuinum fuisse nuncupatum prodidit, quoniam corpora illius afflatu tacta diutius incorrupta durent: immò commendat epitheton, quod Sali ab Homero fuit impositum: cum Sal humano generi tanquam lux, & aqua sit necessarius. *Lib. 4. Sympos. quæst. 10.*

Præterquamquòd Sal carnibus insperſus, illas à corruptione vindicans, nonnihil diuinitatis participare videtur; cum res incorruptæ quamdam immortalitatis notam referant. Denique χονδρος ἁλῶν Græci de Sale dicunt, qui crassior sit, & veluti Chondritis vocetur,

DENOMINATA.

SALSVM exponitur, quod Salis saporem præbet. Quintilianus tamen vocauit Salsum, quod in consuetudine pro ridiculo vsurpatur. Salsamentum est, quod Sale ad vsum diuturnum conditur: hinc Salsamentarius, & Salarius deducitur, qui Salsamenta præparat; aut vendit. Salitura, & Salsura eumdem sensum cum salsamento sortiuntur. Salsedo est sapor Salis, & salsitudo quidam humor saporem Salis referens: Salsilago, vel Salsugo, apud Plinium, liquorem quemdam Salis indicat, Salire cum simplici L. etiam prolatum significat Sale condire: Salarium adiectiuè sumptum vocatur, quod spectat ad Salem. Salarium autem substantiuè acceptum est merces, quam Operarius promeruit, ita nuncupata, quia illi, tanquam homini Sal, sit necessarium. Deinde Salararius apud Vlpianum est ille, cui Salarium persoluitur. Demùm Salitor vocatur, qui Salis tributum colligit. Insuper Halchemia est vocabulum græcum à Sale deductum: exponitur enim fusio Salis: namque arti Chymicæ operam nauantes primò Salem fundere conantur. Salimola apud Platinam est, quæ vulgò *Salamoia*, & Latinis Muria nominatur. Salgama Prisci dixerunt quodcumque conditaneum ad vsum victus in vasis seruatum: propterea Columella vasa ad hoc opus ab Orificio ad fundum æqualia laudabat, vt, exemptis ad vsum Salgamis, quicquid supererat æquali pondere deprimeretur, vt iure semper submersum diu seruari posset: hinc postea Salgamarij fuerunt denominati, qui Salgama condiebant, vel vendebant. Amplius mensæ olim lautæ, & splendidæ vocabantur Saliares, aut à Sale, aut, secundum Calios, à Salijs Sacerdotibus Martis, qui Sacris quibusdam saltationibus præerant, qui vt continuatis tripudijs Sacra illa per vrbem efficere possent, lautissimis commessationibus vtebantur. Nos autem si vim vtriusque vocis ad voluptarium epulandi hominum finem, & vsum referamus, nec ipsi Salij sine Sale, neque sine vlla voluptate, quæ lautis mensis per Salem inerat, Sacra illa celebrare potuissent.

Salitũ cur dicatur Merces.

Lib. 3.

Salgama qd sit.

Saliares mẽsæque.

Salsolam herbam multi Botanici vocant Kalim, quia ex illa Sal exprimatur. Sed præter hanc, aliam non inuenimus, nisi multa loca à Sale cognominata. Salinæ erat locus Hetruriæ ad Cecinam fluuium, vbi Sal parabatur. Salinæ est vrbs Burgundiæ in Sequanis amplissima, quæ à copia Salis ibi parata denominatur. Salinæ quoq; Saxoniæ, vocantur Hala vrbs Saxoniæ, vt in Itinerario legitur.

Salsola herba.

Lib. 7.

Tandem ad Saxonias peruenimus vsq; Salinas.

Similiter Halas vrbs Achaiæ à Sale ibidem reperto cognominata fuit. Salaria est vrbs Hispaniæ Tarraconensis gemina, Item Salaria via & Porta Romæ in Sabinos ducens ita nominata, authore Festo, quia Sabini per illam Salem ab Vrbe acceptum deferrent: hinc Salarius pons fuit vocatus, qui supra Aniene fluuium quarto ab Vrbe lapide in via Salaria visitur, quà in Sabinos itur. Amplius in Veronensi agro Salinarum vicus est, vbi olim Sal fossilis fuit. Alioquin Salina est locus, in quo Sal, vel effoditur, vel ex aquis marinis arte paratur. Denique Salinum est vas; in quo Sal ad vsum mensæ seruatur.

Salaria via vbi.

ADA-

ADAGIA.

NVLLA pectoris nostri sinus voluptate oppleretur, nisi hanc historiam prouerbijs à Sale sumptis ornaremus. In primis consideratus Sal quatenus res vtilis & condimentis necessaria multis adagijs occasionem præbuit. Dicitur enim *Sale nihil vtilius*. Hoc prouerbij titulo circumfertur: cum manifestum sit humano corpori nihil esse vtilius Sale, & Sole. *Sale, & aceto* hoc prouerbio stabilire possumus sententiam Hippocratis in Aphorismis; quando scripsit extremis morbis extrema præsidia conuenire: namque hi duo succi acerrimi omnium rerum domitores esse perhibentur. *Sicuti Sal carni*. Hoc de re admodum congrua pronũciatur; cum Sal facilè impediat, quo minus carnes putrefiant. *Salẽ, & mensam ne prætereas*: hoc symbolum indicat consuetudinem amicorum non esse negligendam: cum olim mutuis conuiuijs amici conciliarentur. *Numquid potest insulsum absq; Sale edi?* Hoc iactatur in illos, qui debitos Sales ab humana consuetudine arcent, vel ijs magisquàm oporteat vtuntur, neq; norunt auream mediocritatem seruare, quæ rerum omnium condimentum esse traditur. *Sales apponito*. Pythagoras hoc symbolo significabat, quod sicuti Sal obsoniorum optimum in mẽsa semper est apponendum; ita, in omni negotio, iustitia, & æquitas semper est adhibenda. *Omni Salis expers* neque prodest, neq; officit. Hoc adagium apud Italicum Vulgus sic profertur. *Ouo senza Sale, non fa ne ben, ne male* Hoc Vulgi Dictũ videtur, quod tantum valet quantùm verba sonant: nihilominus poterit etiam pronunciari de viro optimis animi dotibus imbuto, quas postea exercere nequeat. *Quod sapit nutrit*. Vt aliquid in perfectum nutrimentum abeat, sapidum, & salsum esse debet, vt stomacho gratificari possit: etenim noxia quædam interdum pro salubribus modò sapiant, Hippocrate annuente, ægrotis conceduntur.

L. 1. Apho.

Sales humanæ consuetudinis.

Noxia alimenta dum modo sapiãt grata.

Præterea sunt alia prouerbia à Sale desumpta quæ humanum animum respicere videntur. Primùm hoc est vulgatissimum. *Nemini fidas, nisi cum quo prius modium Salis absumpseris*. Hoc prouerbium est antiquissimum, cum Aristoteles in Moralibus illius meminerit, & denotat ingenium hominis non posse, nisi longo conuictu, & diuturna consuetudine cognosci. *Salem ne alys porrigito, Romæ qui versatus non fueris*. Hoc spectat ad animi sanationem: quandoquidem per Salem prudentiam alteram sapientię partem, & per Romam, præcipuum Prudentiæ locum, & quasi seminarium denotant. *Salsitudo illi non inest*. Hoc profertur de homine stupido, & stolido, vel de homine, quem tanquam sapientiæ, & leporis expertem taxare volumus. *Sale dissicare*. Hoc attinere videtur ad illos quorum animus est expergefaciendus; nam cauillationum morsu tanquam Sale acri desides, & sopiti animi excitantur: quemadmodum Apopletici, facta fictione Salis circa plantas pedum, quandoque reuiuiscunt. *Sumpsit Salem*. Diuulgatur de illo, qui, mutato prauæ vitæ instituto, ad bonam frugem reuertitur. *Sale perunctus adiuuabitur*. Hoc adagiũ ab Aristophane memoratum pertinere videtur ad illos, qui vel ætate, vel vino deliranr; Ortumque dicunt prouerbium à laborantibus temulentia, qui simili vnguine liniti liberabantur. *Sale, & fabæ*. Hoc est symbolicum prouerbium, quod demonstrat ad rescipiscendum, gratia, & diuinatione opus esse: siquidem cum olim diuina responsa ab Aruspicibus reddrentur Sal, & Faba apponi solebat. *Salem, & oleum emere*. Huius meminit Aristoteles, & significat remedia opposita interdum esse adhibenda: nam Sal mordicat, & oleum mulcet, quoniam Sapientes acrimoniam admonitionis, vel correctionis, blandis verbis permiscere solent. *Lupus non curat Salem*. Hoc diuulgatur de illis, qui Sermones ab amicis etiã prolatos aduersus se contumeliosè dictos esse opinãtur, & illos absq; vllo circumspectionis Sale tanquam Lupi deuorant.

Lib. 10. Moralium.

L. 2. Retho.

Denique recensenda sunt alia prouerbia, quę parsimoniam respiciunt. *Ne Salem quidem dederit*. Hoc iactatur in hominem parcissimum, & sordidum, qui ne micam quidem Salis largitur, quam olim omnibus Hospitibus largiter impertiebantur. *Salem lingere*. Hoc promulgandum est de illis, qui sumptibus parcunt, & tenuiter victitant: namque Sal olim obsoniorum loco, tenuioribus fortunæ hominibus erat. Quocirca Diogenes interdum à Cratero diuite inuitatus, vt suo hospitio, & liberalitate frueretur, respondit se malle Athenis Salem lingere, quàm apud illum instaurata epularum magnificentia

Diogenis responsum.

A tia vti. *Sale emptum mancipium.* Pronunciatur hoc adagium de homine vili, quoniam olim negotiatores in Mediterranea Salem importantes mancipia à Barbaris reportabant: quinimò mos erat antiquus apud Thraces mancipia Sale commutare. *Sal abit illuc vnde venit.* Hoc diuulgandum est in illos, qui parta tueri nequeunt, aut in illos, quorum malè parta malè dilàbuntur: quocirca ad rem canebat Ouidius.

Non habet euentus sordida præda bonos.

Hoc prouerbium à quodam negotiatore Originem duxisse traditur, qui nauem Sale onustam vehebat, sed, nautis dormientibus, & aqua in sentinam paulatim fluente, Sal solutum est, & nauis submersa: Quare Sal quod ex aqua marina habuit ortum, in illam quoque transmutatum est.

MYSTICA, ET SYMBOLICA.

CVM in sacro Codice fieri sacrificia absque Sale prohibitum sit, inde colligendũ est sacras Operationes nonnisi diuini Numinis fauore fultas esse peragendas: alioquin omnis humana operatio inanis esse perhibetur. Theologi Sal pro Doctrina Euangelica accipiunt. Siquidem in sacris Paginis legitur. *Quicquid obtuleris sacrificij Sale condies, nec auferes Sal fœderis Dei tui in Sacrificio tuo, in omni oblatione offeres Sal,* Quasi asserere voluerit Legislator, quodcumque docueris, & in quacumq; virtute versatus fueris, Doctrinam apostolicam imitari debes; cum, Domini testimonio, Apostoli nomen Salis terræ promeruerint: ideoq; veluti omnis cibus ad nutrimentum aptus Sale conditur: pari ratione omnis sermo ad iuuandum idoneus apostolicæ Sapientiæ condimento indiget. Quamobrem in lectione Euangelica Sal terræ Sapientia exponitur, qua præcordia nostra condiuntur, nè popularibus erroribus implicari possint. Immò Sal bonum, vt legitur apud Marcum, & apud Lucam, Laureto exponente, Doctrinam Sacram significat. Cæterùm Sal de sacrificio auferre, vt in Sacris Paginis habetur, iuxta mentem Laureti in sylua Allegoriarum, nil aliud designat, nisi ignaua, & indiscreta ratione offerre.

Leuit. c. 2.

Cap. 9.

Cap. 14.

Leuit. ca. 2.

C Sal apud Pythagoreos moderamen actionum significat: hinc multi colligunt explanationem huius symboli. *Neque Sal, neque statera intrant viam publicam.* Item, Sale, mystica amicitiæ coniunctio designatur, non solum quia corpora Sale aspersa solidiora fiant, sed etiam quia sicuti Sal ex aqua salsa resultans in vnum corpus coit: pariter amici in vnum animum coalescere debent. Præterquamquòd amici mutui degustatis ingeniorum monimentis, ob incredibilem morum comitatem, maiori necessitudine in dies constringuntur. Deinde Iulius Iacobonius in Epistola ad Eminentissimum Donatum Cæsium Cardinalem, Symbolicam Pythagoræ sententiam de apponendo Sale, prudentiam in omni vita excolendam esse interprætatur. Postremò Nequitia quoq;, Salis nomine, in Mystico sensu intelligenda est; cum Sal, sua virtute acri, animantes in libidinem procliues reddere possit.

MORALIA.

D

AD puritatem morum nonnulla spectant, quæ à Salis proprietatibus dimanant. Primitùs quoad generationem, exposuimus Salem ex aquis marinis, ope Solis, circa litora siccatis produci, & interdùm ex aqua salsa puteorum, igneo calore, concrescere. Mare, in hac Morali Doctrina, Mundum ob ærumnarum fluctus, significare potest: puteo denotatur caro, quæ, in Prouerbijs, puteus profundus esse dicitur: horum aquæ sunt Peccantes, qui à puteis vitiorum educti, diuini Solis feruore, aut calamitatum calore, humore criminum consumpto, in Salem, nempe in viros iustos, & perfectos, imperfectos conuertuntur, de quibus in Codice Euangelico Mattheus sic loquitur. *Vos estis Sal terræ* aliquando Sal sub arenis, & interdum in montibus tanquam durus lapis inuenitur, qui poſtmodum malleis ad vsum confringitur. Arenæ sunt diuitiæ, & montes dignitatum eminentiæ, in quibus Sal, nempè vir iustus, & perfectus quandoque versatur, qui, licèt prima facie, durus obstinatione videatur: nihilominus si diuino malleo cõfringa-

Cap. 22.

Sal terræ qui dicãtur

fringatur, nimirum interiori, & exteriori ærumnarum flagello, Sal fit perfectiſſimus; cum deinceps doctrinis, & exemplis præceptor aliorum euadat.

Sales, quoad colorem, & ſaporem, varij conſtituuntur; cum alius albus, alius ruber, alius rufus, & alius ita ſplendẽs inueniatur, vt lucidum vitrum æmuletur. Pariter viri, tanquam tot Sales, varij in gradu perfectionis, & bonitatis obſeruantur: quandoquidem alij charitate rubent, alij pœnitentia rufeſcunt, alij tandem caſtitate albeſcunt, & honeſtate refulgent. Similiter Sal in ſapore variat. ſiquidem alicubi eſt ſuauis, alibi ſalſus, & amarus: vnde quantò amarior fuerit, tantò maioris caliditatis erit particeps.

Pœnitentia cui aſsimiletur.

Huic Sali aſſimilatur pœnitentia, quæ in aliquibus viris leuis, & mitis eſt, in aliquibus inſuauis, & amarior: Sed quantò amariorem quis guſtabit pœnitentiam, tantò maiorem caloris diuini copiã participabit. Si neceſſitas Salis conſideretur: inde etiam doctrina moralis dimanabit; Quandoquidem conditis Sale cibis ſapor delectabilis conciliatur; cum abſque Sale omnis cibus inſipidus, & inſuauis remaneat. Per Salem hoc in loco diſcretionem interpretari poſsumus, quoniam hac omnes cibi, nempè omnes noſtræ operationes moderantur, & condiuntur, vt debitum ſaporem, & odorem acquirant: etenim abſque Sale diſcretionis, & prudentiæ, omnis cibus, nimirum actus quamuis per ſe probus, & rectus, inſipidus tamen, & inutilis apparet. Denuò Sale appetitus excitatur, & pecudes ad paſtum, & ad pòtum prouocantur. Sal huius generis eſt diuinæ Doctrinæ ſuccus, quem dum pecudes, ſcilicet auditores in prædicatione oblatum recipiunt, tunc eorum appetitus æternorum excitatur, necnon cibus refectionis cæleſtis, & potus gratiæ, & pietatis deſideratur.

Diuina Doctrina cui ſimilis.

Demùm Sal exuſtus maiorem ſiccandi facultatem adipiſcitur: ideoque carni putridæ inſperſus, illam corrodit, & quia vſq; ad intimas partes penetrat, diligenter eam purificat: huius conditionis eſt Princeps perfectus, qui dum igne charitatis, & flammis ærumnarum eſt exuſtus, tunc maiorem vim perfectionis acquirit, & tunc putridam, & fædam voluptatum carnem, quæ indignis modis corpus, & animum ſubditorum polluit, auferre conatur; nam correctiones, quaſi roſiones adhibens, fætentem libidinis ſaniem abſtergit.

AVGVRIA, ET SOMNIA.

HÆC duo, ſcilicet ſomnia, & auguria, pari gradu in fabulari hiſtoria verſari exiſtimamus. Etenim Antiquitas malum conuictoribus facere omen pronunciabat, quando Sal in menſa euertebatur, vel diſſipabatur; quia conuiuarum amicitiã non diù eſſe duraturã præſagiret: aut quia Sal in prima lingua à conſeruando denominaretur, aut quia Sal amicitiam, & fœdus denotet, dum ex aquis concreſcens in vnum corpus coeat. Author etiam eſt Plutarchus in Craſſo, Salem, & lentem ingruentium malorum fuiſſe præſagium: cum hæc duo à Romanis lugubria fuerint credita, dum hæc mortuis apponere conſueuerint. Augurijs Somnia affinia eſſe credimus: cum ambo illiteratæ fabulæ eſſe videantur. Itaq; ſpecie Salis inter quietem viſa, iuxtà opinionem Cardani, prudentia, ſapientia, diuturnitas, & defenſio deſignantur, & viciſſim Magno Salis aceruo dolor, & mœror indicatur. Quinimò ſomnum capienti Sal oblatus periculoſam mercaturam demonſtrare fertur, quoniam Sal ſpontè liqueſcat: veluti quando in quiete Sal domi liqueſcere videtur, redditui diminutionem expectandam præſagit. At Sale per ædes, vel per vrbem ſparſo, vrbem, vel domum deſolandam Cardanus ſomniat. Sale verò inter quietem in ignem proiecto, ingenium in re ardua adhibendum ſignificat: namq; ſi ſtrepitum edat, inde tumultus reſultabit; ſin ardeat, conatus, & cogitationes euaneſcent.

Somnia qualia.

li. 1. Somn.

Furari Salem, occultam Sapientiam diſcendam eſſe demonſtrat, vt nugamenta nugamentis addantur. Copiam autem Salis deuorare, eſt re vtili, & proba abuti; & Salem in puteum proijcere, eſt inſulſam operationem moliri, & pura vitiare. Verùm ſi quis in quiete conſpiciat Salem ab ædibus auferri, eſt omnia abſq; conſilio præſtare. Quando autem ſomnians meditatur aues Salem edentes, eſt optimum conſilium aſpernari: quandoquidem aues Sale necantur. Salem edere poſt potum, vel potare poſt Salem, contrariæ operationes monſtrantur. Cibos ſalſos ita in Somnis contemplari, vt deguſtari

Aues Sale necãtur.

A stari nequeant, rerum iucundarum spem in res iniucundas, & infælices degenerare significat. Sal insipidus amentiam prædicit, & cumulus Salis per quietem inuentus, est cætui sapientum hominum, sed malignorum occurrere. Immò cum per Salem amicitia ostendatur, voluit Cardanus amicum prudentem, sed iracundum significari; itaut qui Salem somnians emat, huiusmodi amicum beneficijs sibi comperet. Denique radices plantarum Sale inspergere, est, ad mentem Congerronis, ob hæreditatem, Propinquis ad necem vsque insidiari. Hinc vnusquisq; colligere potest, quòd Cardanus alioquin vir insignis, ob similia nugamenta, in æstimatione hominum vilescit.

HISTORICA.

B POSTPOSITIS fabulis, ad seria accedendum est. Ferdinandus Aragonum, & Hispaniarum Rex, propter eius insignem pietatem, & religionem cognomento Catholicus, cum, Medicorum consilio, piscibus perpetuò abstineret; ideoque quotidie carnibus vesceretur: has tamen diebus, quibus ex religione esus carnium interdictus est, nullo Sale consperſas ad mensam ferri iubebat, modestè innuens se carnes illas absque Sale edere, quia cum malè saperent, appetitum, & gustum illis diebus à voluptate arcerent. Cæsar Carolus huius nominis Quintus, potentissimum exercitum ab Hispania in Africam ducens, vt Tunetum vrbem à truculentissimo Christiani nominis hoste Ariadeno Mythileneo occupatam eriperet. Cùm primùm, debellatis hostium præsidijs, vrbem obsessurus accederet, Cæsariani milites ardore Solis, infestissimo puluere, & maximè penuria aquæ grauiùs, & ardentiùs sitire cæperunt.

At Cæsar, hoc animaduerso, Salem omnibus distribuere, & singula cuique grana Salis linguæ supponere iussit; quod milites præstiterunt, & hac ratione, diem integrum, non solum sitim, & famem represserunt, verùm quoque multò alacriùs in hostes eruperunt. Denique Herodotus in Erato scriptum reliquit, propè Susas, decem stadijs, puteum inueniri, qui trifarias rerum species continebat, nimirum Salem, bitumen, & oleum, quæ C omnia, instrumento Ciconia nuncupato, hauriebantur.

Vis Salis in siti cohibenda.

MIRACVLA.

QVI Deo Omnipotenti ritè famulantur, salsos, & amaros fontes in dulces, & gratas aquas supra vim naturæ transmutare possunt. Id præstitit Elisæus in Hierico, vt in Sacris Biblijs legitur, qui ope Salis, pernicioſas aquas in salubres, & prædulces conuertit. Perhibetur etiam de Sancto Portiano, vt Gregorius Turonensis in eius vita recitat, qui magnis æstibus, feruente Cælo, & visceribus arescentibus, post longa ieiunia, Salem mandere consueuerat: propterea cum magna Salis acrimonia internus ardor, & sitis augeatur: nihilominus supra vim naturæ partes internæ huius viri sancti refrigerabantur, & ingens sitis sedabatur. Item ex Surio, Sale à Diuo Bonifatio Moguntino consecrato, cum Monasterium Bischfschein fortuito con- D flagraret incendio, in globos flammarum proiecto, statim diuina virtute, incendium Monasterij repressum est. Solebat etiam Diuus Bernardus Salem consecrare, quo animalia varijs morbis affecta, sed potissimùm peste infecta supra vim naturæ sanabat.

Lib. 2. Reg. cap. 2.

Tom. 5. mẽse Sept.

Interea non est prætermittenda mirabilis vxoris Loth in statuam Salis transmutatio, quam Iosephus se suis adhuc temporibus conspicatum fuisse fatetur: quinimò hactenus manet, si Brochardo, Brendebachio, Saligniaco, & alijs oculatis testibus credendum est; qui hanc inter Engaldi, & Mare mortuum sitam esse referunt, quam multi dicunt vsque ad diem Resurrectionis vniuersalis, & Iudicij finalis esse duraturam. De hac igitur circumfertur hoc ænigma.

Statua Salis vbi.

Cadauer nec habet suum sepulcrum,
Sepulcrum nec habet suum cadauer;
Sepulcrum tamen, & cadauer intus.

Mirabilis hæc statuæ Salis historia versibus à multis fuit memorata. Diuus tamen Cyprianus, qui non solum Theologus, sed etiam poeta fuit insignis, hanc admirandam

tranſmutationem alijs mirabilibus aſſociatam his carminibus exarauit.

Namq; comes coniux heu me? malè tum quoq; legis
Fœmina non patiens diuini ad murmura Cœli
Audaces oculos ne quidquam ſolà retorſit,
Nec habitura loqui quod viderit, & ſimul illic
In fragilem mutata Salem ſtetit ipſa ſepulcrum,
Ipſaq; imago ſibi formam ſine corpore ſeruans.
Durat adhuc, etenim nudaſtatione ſub æthram
Nec pluuijs dilapſa ſitu, nec diruta ventis,
Quin etiam ſi quis mutilauerit Aduena formam,
Protinus ex ſe ſe ſuggeſtu vulnera complet.

VSVS IN SACRIS Ethnicorum.

POSTEAQVAM Antiquitas vſum,& eſum glandium reliquit, & hordeum pro alimento recepit; tunc hordeum Sale conſperſum aris Deorum imponere cæpit: ſic enim Priſci Dijs magnopere ſe deuinctos eſſe fatebantur, quia, relictis glandium cibis, ad mitiorem victum peruenijſſent. Plinius quoq; monimentis mandauit, in Sacris Ethnicorum, magnam Salis fuiſſe authoritatem, quoniam nulla ſacrificia abſque mola ſalſa celebrabantur: huc alluſit Ouidius, quando cecinit. *Li.31.c.7.*

Inde vocor Ianus, cui cum cereale ſacerdos
Imponit libum, farraq; miſta Sale.
Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica Salis.

Aegyptij quoque à ſacrificijs Salem non arcebant, ſed quoniam marino non vtebantur: cum à Mare valdè abhorrerent, Salem pro ſacrificijs à fonte Ammonio petebãt, & ciſtulis ex palma contextis inde deferebant; quia illum purum eſſe exiſtimabant; cum ex fonte, & non à Mari proueniret. In ſacris etiam marinæ Veneris, pugillus Salis adhibebatur: illis enim porrigebatur, qui ad hæc ſacra intrabant, quia voluptatem generationis denotabat: viciſſim, ab ijſdem, Deæ nummus offerrebatur, qui erat indicium munerum, quæ Amatores Amaſijs impertiuntur, vt Clemens Alexandrinus in Adhortatoria ad gentes retulit. Poterat etiam Sal, in ſacris Veneris, connubij arctiſſimum vinculum ſignificare: cum olim apud nonnullos Orientis populos, hęc conſuetudo religioſiſſimè ſeruata fuiſſe tradatur; vt Sal, in actu connubiali, marito, & vxori, deguſtandus daretur, non ſolùm vt ambos ad mutuum amorem perpetua animorum copula ſeruandum adhortaretur, verùm etiam vt ex inhoneſto diuortio ijſdem terrorem incuteret. Nam, Salis ſuauitate, vinculum amicitiæ deſignatur, & viceuerſa Sal ſua acrimonia prauis, & perfidis atrociſſimas vindictæ pœnas annunciat. *In ſacris Veneris vſus Salis.*

VSVS IN SACRIS HÆBREORVM, & Chriſticolarum.

PROPHANA non ſunt inquirenda teſtimonia, vbi diuina ſuppetunt: quandoquidem in ſacris litteris de ſacra Salis natura hæc habentur. *Quicquid obtuleris ſacrificij Sale condies, nec auferes Sal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo: in omni oblatione offeres Sal.* Pariter apud Ezechielem leguntur hæc verba. *Offeres Vitulum de armento immaculatum, & Arietem de grege immaculatum, & offeres eos in conſpectu Domini, & mittent Sacerdotes ſuper eos Salem, & offerent eos holocauſtum Domino.* Populo igitur Iſraelitico typum Chriſtianæ gentis ferenti præmonſtratum eſt, vt, dum humana diuinis reconciliantur, myſterium diuinæ comparatæ gratiæ perpetuò Salis fœdere ſanciretur: propterea quòd omnia ſacrificia diuinitùs inſtituta eò potiſſimùm tendunt, vt diuinam nobis imminen- *Leuit.ca.2.* *Cap.43.*

tem

A tem iram mitigent. Deinde quicquid dominico Altari offerendum apponebatur, diuino præcepto, Sale condiebatur, vt sacra facientes intelligerẽt, per candorem Salis, puritatem mentis esse habituros,&, per Salis acrimoniã, conscientiam stimulis cõmissorum criminum esse vellicandam, vt postea animo demisso ad litandum accederent. Cæterum alibi in sacris paginis hoc legitur. *Dixit Dominus ad Aaron: omnes primitias Sãctuarij, quas offerent filij Israel Domino, tibi dedi, & filijs, & filiabus tuis iure perpetuo: pactum Salis est sempiternum coram Domino, tibi, & filijs tuis.* Cur autem pactũ inuiolabile, & semper duraturum, dictum fuerit pactum Salis, multi multas assignant rationes. Lyranus inquit: cum præcipisset Dominus in omni oblatione Salem esse adhibendum, id perpetua lege sanciuit: propterea pacta Salis semper duratura esse dicuntur. Vel dicendum est, quòd priscis illis temporibus, pactum aliquod inituri, Salem degustabant, significantes quæcumq; dixerint, vel fecerint, esse seruaturos, non aliter, atq; si Sale essent cõdita; cum Sal hac prærogatiua sit refertus, vt corruptioni obnoxia, incorrupta seruet. Hinc colligendum est Salem, ob hanc innatam affectionem, esse idoneum perB petuitatis symbolum, & hac ratione pactum Salis forsan pactum stabile, & firmum nuncupatur. Plura de vsu Salis in sacris scripsit Philo in libro de Victimis.

lib. Numer. cap. 18.

In cap. 18. *Numer.*

Iam ad vsus sacros Salis apud Christicolas accedere oportet: namq; in nostra religione Sal tales fecit progressus, vt ab illo ipsa inchoetur; propterea ipsius est veluti Ianitor, & custos: quandoquidem sacro fonte lustrandis Sal apponitur, vt constat in Concilio tertio Carthaginensi, in Catechismo Pij Quinti: immò ad hunc Salem fortè alluſit Diuus Augustinus, quando de se puero sic inquit. *Signabar iam signo Crucis eius, & condiebar eius Sale iam inde ab vtero matris meæ.* Apponitur ergo Sal sacro fonte lustrãdis, & à natiua impietate expurgandis; quoniam Sal sapientiam præ se ferat, qua ab ignorantia pessimo animi effectu liberamur: est enim quædam mentis sanitas sapientia, quemadmodum insipientia ægritudo: quocirca sapientissimè prescriptum est, vt Mystagogus, vel Parochus, dum Christo nomen damus, Salem in os inferat inquiens. *Accipe Salem Sapientiæ, per quem habeas propitium tibi Iesum Christum Saluatorem nostrum.* quasi dicere velit: cunctorum auorum parens est ignorantia; fit enim, vt ab illa facilè in erC rorem, ab errore in culpam, & à culpa in odium diuinum incurramus; quamobrem à Deo, qui est summa sapientia, & bonitas non solum recedimus, verùm quoq; maiorem illius iram, & offensam incurrimus. Si ergo Christum tibi velis habere propitium, ait ille, tum gratia, tum sapientia imbui necessarium est, vt, per hanc, Deum intelligas, & intelligendo diligas, vt, antiqua ira sedata, in Dei amicitiam recipiaris, ideòq; hunc Salem sacrum accipe, in quo est gustus diuinæ sapientiæ, quam si optimè gustaueris, fieri non potest, quin diuina etiam gratia perfundaris. Alioquin Catechismus, vbi de Ceremonijs Baptismi agit, docet hoc Sale mysticè significari baptizandum fidei doctrina, & dono gratiæ cõsecuturum esse, vt peccatorum putredine liberetur, saporem bonorum operum percipiat, & diuinæ Sapientiæ pabulo delectetur. Plura de Sale baptismali apud Bellarminum videnda sunt.

Lib. 1. *Cõfess. cap.* 11.

Mystica Salis significatio.

Insuper aqua lustralis vulgò benedicta absq; Sale non sacratur: siquidem vetusto Romanæ Ecclesiæ instituto, nimirum decreto Alexandri Pontificis Maximi huius nominis primi edito, qui post Diuum Petrum sextus Ecclesiam Dei rexit, commonemur, D vt templa, & domicilia, vbi Dæmones nobis occurrunt, Sale, & aqua ad eos fugandos aspergamus; cum illis, aqua, impuritatem, & Sale, ignorantiã exprobremus, qui cum in eminenti gloriæ gradu versarentur, neq; se, neq; sua bona nouerunt, sed insolentissima eorum audacia factũ est, ab altissimis summæ dignitatis gradibus deiecti fuerint. Verba autem Alexandri Pontificis, quæ in sua epistola prima leguntur, quoniam ad nostrum institutum pertinent, hoc in loco exarare non piguit. *Aquam Sale conspersam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus: nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat, atq; mundabat; quantò magis aqua Sale aspersa, diuinisq; precibus sacrata populum sanctificat, atq; mundat?*

Canon. 5.

VSVS IN SVPPLICIIS.

LEGIMVS apud Vlpianum, quod Priſci Reos olim ad metalla damnabant, quemadmodum in primo libro explicauimus: ſed faminæ in miniſterium metallicorum, vel in perpetuum, vel ad tempus damnari ſolebant. Eodem modo, inquit Vlpianus, fœminæ & in Salinas relegabantur, & quidem in perpetuum, quaſi ſeruæ pœnarum conſtituerentur. Paritèr olim Tyranni nominis Chriſtiani hoſtes infenſiſſimi, ad cruciatus Martyrum, quādoq; Salem adhibere ſolebant: etenim legimus in Actis Sancti Tharaci, & Sociorum hæc verba. Maximus Præſes dixit: afferte acetum cum Sale, & in nares illius fundite.

VSVS IN CIBIS.

HOC ſpectat ad dignitatem Salis, vt ſit condimentum iucundiſſimum, & aliorum etiam condimentorum condimentum: hinc factum eſt, teſte Plutarcho, vt Gratiarum nomen Salibus imponeretur; quapropter Plautini Sales apud Horatiū in Arte poetica leguntur. Itaq; Veteres conſueuerunt omnium primum menſis Salinum apponere, quoniam Sali quamdam religionem ineſſe putabant: vnde Græci ἱερὸς ἅλας dixerunt. Quinimò, ſimplici Salis appoſitione, menſam cōſecrari credebant: hinc aliquando Arnobius ſcripſit: ſacras facite menſas Salinorum appoſitu. Verum quidem eſt, quòd omnium eſculentorum Sal primas in menſa occupare debet: etenim tanta eſt Salis cum guſtu familiaritas, vt non magis ſine Sale menſa, quàm ſine iucunditate fælicitas vitæ conſtare poſſit: idcircò Sal primus menſæ apponitur, & vltimus à menſa remouetur, vt epulas paulatim illatas continuò ſapore ſuo, quaſi ſplendore perfundat. Hinc colligimus proprium, & præcipuum Salis locum eſſe medium menſæ, ſiue hæc orbiculata, ſiuę quadrata fuerit. Nonnulli tamen fuerunt, qui Salem menſæ primò apponendum, ſed primum etiam reponendum eſſe dixerunt, vt cōſtat in Hexaſticho de laudibus Salis decantato, quod hic recenſere eſt neceſſarium, cum, quæ hactenus de excellentia Salis in menſis dicta ſunt, ſtabilire videatur.

Locus Salis in menſa.

Sal primum poni debet, primumq; reponi,
Non bene menſa tibi ponitur abſq; Sale.
Exornat Regum menſas Sal cætera vincens
Condimenta cibos Sal facit eſſe bonos.

Salem cum pane Antiqui eſitabant: propterea, Varrone authore, Sal tunc temporis pulmentarij vice adhibebatur. Hinc Pythagoras Salem præcipuè in menſa ponendum eſſe ſanxit; quem morem à poſterioribus diligenter ſeruatum eſſe conſtat: vnde ad rem Horatius in Odis ſic cecinit.

Viuitur parvo benè, cui paternum
Splendet in menſa tenui Salinum.

Noſtra etiam ætate, vt intelleximus, in Confinijs Lituaniæ, & Pomeraniæ ad Aquilonem ſunt milites (quos vulgò Coſſacos vocant) in præſidijs ad tuendos fines ab excurſionibus hoſtium, & quarto quoq; menſe in ſyluis collocantur, qui non frumentum, vel alium comeatum ſecum ferunt, præterquam ſaccum Salis, & vtriculum aceti, quibus Feras, quas arcu, & ſagittis necant, condire poſſint: ſic enim abundè ſuſtentantur, & horū corpora huiuſmodi alimēto firmiora euadunt; quare Sal quotidiano victui commodiſſimum, & reliquorum ciborum caput eſſe conſtat: vnde in prouerbij conſuetudinem venit, vnum Salis condimentum omnibus aromatum condituris præſtare; quandoquidem in cibis faſtidium arcet, nauſeam prohibet, & edendi auiditatem excitat. Hinc Auſonius inter verſus monoſyllabis terminatos ſic luſit.

alis vis in cibis.

Nec noſtros reticebo cibos, quos priſcus habet mos
Irritamentum quibus additur æquoreum Sal.

Schola igitur Salernitana, interprete Arnoldo Villanouano, multa commoda recenſet, quæ à Sale in menſa poſito dimanant. Primò reluctari veneno dicitur, quoniā Sal

vehe-

A vehementer ſiccat, & aſtringit, ideò non ſolum humores è corpore educendos liquat, incidit, tenuat, purgat, atq; ſiccat, verùm quoque poros, per quos veneni vis ad partes corporis interiores penetrat, denſare, & aſtringere conatur: hac de cauſa veneni penetrationem intercipit. Præterea cibos condit, & ſapidiores reddit. Canit igitur ſchola Salernitana hunc in modum.

Vas condimenti proponi debet edenti
Sal virus refugat, rectè inſipidumq; ſaporat.
Non ſapit eſca probè, quæ datur abſq; ſale

Aegyptij Sacerdotes ſalem cibis non permiſcebant, vt Alexander ab Alexandro teſtatur, & fortaſſis quoniam ſalem Veneris ſtimulum eſſe obſeruarunt, ſed maiori admiratione dignum eſt, quòd conuiuijs Magorum Sal non apponitur, vt Derlius animaduertit, & huius ſuperſtitionis cauſam eſſe putat hic Author, quoniam Dæmon myſterijs diuinis contraria inſtituat: namq; in veteri Teſtamento omnis victima, & oblatio Sale aſpergebatur, & hodie Sal in Baptiſmo, & aqua luſtrali adhibetur. *Lib.6.Gen. cap.12.* *Tom.1.Diſ quiſ. Mag. quæſt.12.*

Præterea Sal infinitis edulijs, & alimentis permiſcetur. Primitùs carnes animalium, & pi-
B ſcium, vt diutiùs incorruptæ ſeruentur, Sale aſperguntur deinde illis ad ignem in olla poſitis ad primum feruorem Sal debet immitti; nam tunc carnes multò ſuauiores euadunt, quàm vbi feruor Salem anteceſſit: quandoquidem calor carnes præoccupans ſua ſiccitate obſtruit, & aſtringit, vt poſtèa, adueniente Sale, non ita peruiæ, nec ad condituram ita faciles reddantur. Inſuper caſeus, butyrum, multi fructus, vt Cappares, Oliuæ, & ſimiles ad diuturnum tempus Sale conſeruantur; dum illorum ſuperflua humiditas Sale abſumitur, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ, aſtrictione contrahitur, atq; ita à putredine defenditur.

Neq; ſolum eſculentis, ſed etiam potulentis Salem permiſcere conſueuerunt: etenim vino Salem addebant, vt eius grauem odorem auferrent, neq; impendebat periculum, vt in acetum verteretur. Præterea vina turbida Sali permixta illicò clareſcunt, quoniam Sal ſua grauitate partes vini terreſtriores ſecum ad fundum vaſis ducit, & hac ratione vinum citiùs purgatur, & eius aſperitas mitigatur. Quamobrem vina Sale, vel marina aqua condita, minus inebriare dicuntur, niſi fortè Sal in vini cyatho propinetur, quia tunc ſitim auget, & ſubitam inducit ebrietatem. At quando Sal à ieiuno ſumitur, vini potentiam extinguit, & ebrietatem
C arcet. Tandem Figuli maſſam, ex qua vaſa fingunt ad refrigeranda potulenta, Sale congruo aſpergere, & ſtatim ſubigere debent, quia Sal Argillam aſtringit, & maſſam ad vaſorum conſeruationem melius conglutinat: deinde liquores in huiuſmodi vaſis contenti, ope illius Salis, citò frigeſcunt. Hanc Salis vim, in refrigerando, Mediterranei nouerunt, qui in locis campeſtribus verſantes, æſtiuis diebus, nullis ſpirantibus auris, ſiti, & calore oppreſſi puteos ſiccos effodiunt, in quibus vaſa, ad refrigeranda, poculenta collocant, quæ vt frigidiora euadant, ſalem potiſſimum foſſilem in fundo puteorum ſubſternunt. *Sal vino permiſcetur.*

VSVS IN MEDICINA.

D MVLTAS ad res Sal in medicina conducit: nam cum calefaciat, ſiccet, extenuet, diſſoluat, diſcutiat, abſtergat, & aſtringat, in multis affectibus adhibetur: ſiquidem Serpentum morſibus, crabronum, & veſparum ictibus illinitur, & aduerſus opium, & fungos cum aceto mulſo hauritur. Cæterùm cum multum adiumenti multis affectibus afferat; ſatius erit à capite inchoare. Itaq; primùm vlcera, & puſtulas capitis cum ſebo vitulino curat, aurium doloribus cum aceto imponitur, & Galenus in oculorum apoſtematibus Salem adhibet. Dentium ſtuporem quem Græci ἀμοδίαν vocant Portulaca mãſa diſſoluit, & frictio Salis idem præſtat. Deinde impedit, ne dentes corrumpantur, & ſemicorruptos inſtaurat, necnon eorumdem dolorem leuat, dum Patiens ieiunus manè granum Salis ſub lingua contineat, donec prorſus liqueſcat. Præterea, ad dentes detergendos, nulla inuenitur medicina præſtantior, quàm illa, cui Sal permiſcetur. Item gingiuis humore vexatis, nec non ſcabritie i linguæ opitulatur. Archigenes quoq;, referente Galeno, extrinſecum fomentum ex Sale torrefacto in odontalgia adhibet. Rurſus faciei ſuggillationibus Sal non vulgariter prodeſt: immò & nitorem vultui conciliat, vt Ouidius de medicamine faciei verba faciens cecinit. *Li.de ocul. Cap.6.* *Lib.5.de comp med. ſec.loc.c.9.*

Arentiſq; roſæ quantum manus vna prehendat
Cumq; ammoniaco maſcula thura Sale.
Hordea quem faciunt illis infunde cremorem,
Aequent expenſas cum Sale thura roſas.

Neque hoc admirari debemus, quoniam multi Authores prodiderunt, pane cum Sale frequenter manſo, roſeum colorem genis conciliari. Sin deſcendamus ad partes infra caput affectas, comperiemus Salem ex melle, aceto, & oleo Anginæ vtiliter illiniri, & multos linctu Salis tuſſim antiquam ſedare, dummodo Sal gemmeus ad hunc vſum trahatur. Deinde ægritudinibus ſtomachi magno vſui eſt futurus, quoniam acrimonia ſua exiliores meatus reſerans ita operatur, vt alimentum facilius, & melius toti corpori diſtribuatur: quare Apollonius Herophili diſcipulus homines graciles cibis ſalſuginoſis, non autem dulcibus, & glutinoſis alebat. Præterquamquòd Sal flatus attenuat, ventrem mollit, corporis ſuperfluitates educit, & facultatem expultricem ſui officij admonet. Huiuſmodi autem operationes in aquis thermalibus ſalſis manifeſtantur, quæ multorum dierum intercapedine hauſtæ pituitam pellunt, aquam intercutem exſiccãt, obeſa corpora extenuant, frigidum ventriculum calefaciunt, & omnia inteſtina roborant. Item Patientes leucophlematiam Sale, & oleo inunguntur. Quidam Hydropici Sale decumbentes radijs ſolaribus ſe exponunt: Oportet autem Salis altitudinem non minorem eſſe tribus palmis, ne illius caliditas facilè diffletur. Sal Tormina, & Colicam ſanat clyſteribus iniectus, & ſacculis etiam impoſitus, & applicatus. Quidam ſaccum Sale vſto implent, & regioni ſtomachi calidum aptant, vt nauſeam, & vomitum ſedent. Item Sal in vino hauſtus omnium lumbricorum genera exterminare dicitur. Tandem in morbis pedum nõ vulgarem habet prærogatiuam: quandoquidem Sal cum farina, melle, & oleo tritus in Podagra remedium commodum eſt, & ſalutare: quinimò antequam dolores arthritici vrgeant, Sal cum oleo minutiſſimè tritus, & ſupra articulos fricatus medicamen præmuniens euadit præſtantiſſimum. Pedes quoq; Sale fricati à clauis, & pernionibus liberantur. Amplius in cutaneis affectionibus Sal plurimum commoditatis affert, dum pruritum ſedat, & ſcabiem tollit. Vulgus Salem cum tela aranearum leuiori vulneri imponit, cum ſanguinis fluxum cohibeat, & putredinem arceat. Deinde peſtiferis anthracibus imponitur, necnon ad ſacros ignes, & vlcera ſerpentia cum aceto adhibetur: quapropter, vagante peſtilentia, cibos ſalſos conuenire multi opinantur. Quidam feruores febrium, authore Plinio, vnguine Salis, & olei mitigarunt. Item Priſci temulentos Sale, & oleo linibant, idque aduerſus ebrietatem remedium præclariſſimum iudicabant. Ad finem Sal iuuare ſterilitatem dicitur: nam mulieres obeſæ, & pingues, quæ vt plurimum ſunt ſteriles, Salis moderato in condimentis vſu fęcundæ euadunt. Iodocius in Enchiridio Simplicium conatur virtutes Salis exarare his verſibus.

Salis gẽmei vis.

Sal ad Nauſeam.

Sal in morbis Pedum.

Vindicat humentes fœda putredine carnes,
Ad flatus ventris ſit cataplaſma potens.
Illitus anginam curat cum melle, & aceto,
Affectu gelidus tunc quoq; ceſſat hydrops.
Obſiſtit tyro ſimili ratione veneno;
Tum ſacros ignes, vlcera ſæua regit.

Halchemiæ profeſſores conficiunt oleum Salis, liquorem Salis, Salem vitrioli, quintam eſſentiam, & florem Salis, nempè Salem ſublimatum, quæ omnes operationes apud Libauiũ, & Mylium legi poſſunt. Item Sapphirum redigunt in Salem, quem putant longè maiores poſſidere vires, quàm cætera huius generis medicamenta. Sapphirum enim in calcem reducunt, & ſpiritu vini macerant, atque deſtillant; quod remanet in fundo vaſis, rurſus ad calcem reducunt, & toties deſtillant, donec in vino liqueſcat, & tandem in coquendo Sal proueniat, qui in loco humido locatus abit in ſmagiſterium, & in liquorem ſoluitur: namq; ad affectiones cordis, ad peſtem, & ad venena ſummoperè commendant.

Operationes Chymicæ Salis.

Reliquum eſt, vt de alijs ſalibus factitijs verba fiant, qui ex triplici familia plãtarum, ſcilicet, animalium, & foſſilium elici poſſunt: communes tamen in præſentia, & vſitatiores recẽſebimus. Primum paratur Sal Abſynthij, qui in affectibus ſtomachi, & in febribus laudatur, Sal baccarum Iuniperi, qui peſti aduerſatur, Sal ſuccini in epilepſia eximius, Sal de oſſibus humanis, quem in eliminanda febre quartana adhibent, nam Sal

Febris quartanæ remedium.

hu-

A humani cranij in affectibus tantùm capitis,& potissimùm in morbo comitiali à Medicis vsurpatur. Sal Coraliorum in affectibus ex sanguine putrido ortis locum habet. Sal Ononidis in Nephritide magnificatur. Denique Sal theriacalis Galeni ita nuncupatus non quia theriacam ingrediatur,sed quia eiusdem viribus polleat, in expugnandis venenis, in reserandis obstructionibus,in morbo regio, in Spleneticis,in Hydropicis, in Colicis, & alijs infinitis morbis insignem habet prærogatiuam.

VSVS APVD AGRICOLAS, & Pastores.

AGRICOLÆ Salis naturam optimè norunt; quoniam Solo salsuginoso talis insita est vis pinguis, vt Oleæ, singulis annis in his locis crescentes, dummodo cælestis pluuia faueat, suo fructu exuberant; quam olei vbertatem Sali attri-
B buendam esse censemus; & euidentissimo experimento populi Illicitani obseruant: nam quando vberiorem fructum ex aliqua Olea, vel ex vniuerso olueto percipere desiderant, tertiam modioli Salis partem cuiuscumq; oleę radici addunt, atque falsa aqua irrigant, qua semper abundare solent, agro deinde diligenter occato, & pluuiali aqua identidem aspersо, tunc duplicatos inde fructus percipiunt. Hoc experimentum in Palmis etiam procreandis obseruatur: siquidem Plinius de Palmis verba faciens ita scribit. *Diximus falsum ab his solum diligi; ergo vbi non est tale, Salem aspergunt non radicibus, sed paulò longius.* Pariter Gomesius ad rem narrat, in Horto cuiusdã Oppidani Palmam antea fertilissimam, intercapedine quinquennij,à fructu cessasse, atq; ferè penitùs exaruisse; sed eam mox excauatam, iniectis tribus Salis modiolis, & postea irrigatam pristinæ sanitati fuisse restitutam. Quin imò frumenti etiam incredibilis,& nusquã alibi cõspecta fertilitas ijsdem Illicitanis propter Salẽ prouenit. Apulia quoq; Prouincia, quæ maritima est, & salsuginoso gaudet Solo tanquam vberrima commendatur, & alendis pecoribus omnium Italiæ regionum longè fertilissima. Præterea vites si lacrymosæ sint,
C aqua salsa radicibus affusa, illicò sanantur. Item Raphanus, Beta, Ruta, & Cunila,Plinio teste, salsis aquis delectantur.

Lib. 13. *c.* 4

Lib. 2. *d* — *Sale.*

Authores, qui de re rustica agunt, multiplicẽ Salis vsum ad pecudes, armenta, & iumenta memorant: quandoquidem Pastores Salem pecudibus interdum præbent, vt ab illis fastidium pabuli auferant,namq;huiusmodi animantes eo sapore ad cibũ,& potum maximè sollicitantur: præterquamquòd lac inde largius emergit, & caseus gustui gratior euadit. Id Virgilius elegantissimè expressit his versibus.

Lib. 3. *Georg.*

At cui tacitis amor Cytisum, lotosq; frequentes
Ipse manu, salsasq; ferat præsepibus herbas;
Hinc & amant fluuios magis, & magis vbera tendunt
Et salis occultum referunt in lacte saporem.

Insuper nimiam pinguedinem, quam pecori noxiam esse pastores cognoscunt, Sale absumere, & discutere nituntur;Quemadmodum Plutarchus aliquando declarauit. Sal quoq; oues ad Venerem stimulare solet: quapropter ante congressum illis præbendum
D esse Aristoteles consulit. Amplius,qui Canibus alendis operam nauant, quãdo illos ad coitum ignauiores obseruant, Salem eorum cibis permiscent, vt languentem eorum libidinem sustentent. Salsedini enim vim inesse prolificam experientia docet, quia naues Salem vehentes incredibilem murium copiam producunt, salsugine mures ad congressum stimulante. Hinc colligit Plutarchus rationem, propter quam Poetæ Venerem ex Mari ortam finxerint, nimirum,vt,hoc inuolucro,vim Salis prolificã esse exprimerẽt; ideoq; Deos etiam marinos fæcundos,& multorum liberorum parentes constituerunt. Immò, vt veritatem fateamur, nullum animal marino fæcundius inuenitur.

Lib. de hist. An. cap. 19.

VSVS IN VARIIS.

Moneta, ex Sale vbi.

APVD Orientales gentes in Prouincia Caniclu, quæ magno Cam eſt ſubiecta, monetæ iuſti, & probati ponderis ex Sale conflantur: etenim Salem in lebete coquunt, deinde eius maſſam in formas orbiculares cogunt, quas exſiccatas pro monetis exponunt. Antiquitas quoque vtebatur Sale, in extirpanda Tyrannorum memoria, dum Edicto publico, domibus eorum ſolo æquatis, totam illam aream Sale ſpargebant, quaſi quod Tyrannis ſterilitatem Salis nunquam renaſcentis imprecari vellent. Solebant etiam Antiqui vti Sale ad corpora roboranda; nec præter rationem; quandoquidem id in piſcatoribus in aqua ſalſa verſantibus obſeruamus; cum corpora illorum cornea eſſe videantur. Hac fortaſſis ratione Galenus motus infantes nuper natos aqua ſalſa lauari præcepit, non ſolum vt cutis detergeretur, ſed etiam vt denſior reddita iniurijs aeris melius reſiſteret. Cæterum hic mos fuit Galeno antiquior, vt ex ſacris Paginis intelleximus: nam Ezechiel Propheta translatione ſumpta à veteri Hæbreorũ conſuetudine de ſaliendis infantibus recens natis, hæc verba prodidit. *Et quãdo nata, & in die ortus tui, non eſt præciſus vmbelicus tuus, & aqua non es lota, & in ſalutẽ, nec Sale ſalita, nec inuoluta pannis.* Priſci etiã ſolebant in ſeruãdis cadaueribus incorruptis, illa aromatibus pretioſis cõdire, ſed hęc ſine Sale nihil operabãtur: quocirca Ægyptij Defũctorũ corpora, exẽptis cerebro, & inteſtinis, ſalibant; deinde Myrrha, Caſſia, & alijs rebus odoratis replebant: hinc Chryſippus, apud Ciceronẽ Salis, & animę ſimilitudinẽ cõmendauit. Multi, hac Salis natura diligenter conſiderata, oleum ex Sale communi paratum perpetuò duraturum exiſtimarunt, & hoc eſſe fomitem dixerunt, quo lucernæ ſepulchrales alebãtur, quoniam Sal cõmunis in oleum proiectum ita operatur, vt duplò amplius oleum in lucerna ardeat, quod verum eſſe affirmamus; hinc tamen non eſt colligendum oleum ex Sale deſtillatum in lucernis perpetuò arſurum, quoniam oleum ex Sale deſtillatum non magis ardet quàm lapis.

li. 2. de nat. Deorum.

Oleũ ex Sale communi

Quidam in veſtibus emaculãdis vtuntur Sale, dum ſumunt partes æquales Salis communis, & ſaponis nigri, quibus permixtis maculæ liniuntur, quæ, ad mentem Alexij Pedemontani, exſiccatæ primùm lixiuio, deinde aqua tepida lauantur. Item ex Sale communi, & ſucco limonum vnguen paratur, quo, iuxtà ſententiam Vuecherij, manus illitæ, & exſiccatæ, deinde optimè lotæ elegantiſſimè dealbantur. Falloppius litteras hoc modo facilè delet. Recipit vncias duas Salis communis, & tantumdem Salis gemmæ, & Aluminis rupei, & vncias quatuor Salis ammoniaci, ex his omnibus iuxta præcepta artis deſtillat aquam, qua litteræ humectatæ euaneſcunt. Alia huius generis aqua ex diuerſis ſpeciebus Salis deſtillata à Canepario deſcribitur. Acetum quoq; arte paratur Sale impoſito, vel alia re acri, & potiſſimùm Siliquaſtro. Deniq; ſolus Sal indomitæ tormentorum bellicorum ruinæ reſiſtere poteſt; quandoquidem Plinius monimentis mandauit Salem cum nitro, & ſulphure coctum in lapidem conuerti, quem Lithographi ita dureſcere affirmant, vt arx illo munita nullo prorſus tormentorum genere conquaſſari poſſit.

l. 8. de ſecr.

li. 2. de Atr.

Acetum arte paratur.

Tandem multi Artifices in varijs operibus Sale vtuntur. Chymici conficiẽtes aquam ſepa rationis metallorum, plerumq; ſpecies Salis adhibent. Qui potabile aurum parant, referunt omnem vim diſſoluendi, & auri conuertendi in aquam, conſiſtere in Sale. Metallarij, vt venas metallorum citiùs excoquant, ad Salem confugiunt, qui cum facilè liqueſcat, metallorum etiam liquationem adiuuat. Aurum, vt purificetur, Salis grummo pondere triplici torretur, deinde Sale communi, & Sale ammoniaco politur. Quidam Aurifices Sale communi, Sale alkali, & Sale gemmæ, pro chryſocolla, vtũtur. Sunt qui Boracem, & Salem communem fuſum Sali alkali permiſcent, & hanc mixtionem tanquam Boracem fæliciter adhibent. Alij Sale ſimplici rubiginem à ferro detrahunt. Alij, in detergendo Orichalco, & ære communi, Sale tantummodò, vtuntur. Hyalurgi Salem, ſed præcipuè Alkali vitro in fornacibus collocato permiſcent. Vaſa teſtacea Sale imbuuntur, vt fidelius infuſum liquorem contineant. Pelles quoq; ſi molliantur Sale, laxiores, conſequenterq; capaciores euadunt; cum Salis acrimonia craſſitiem corij emendet: propterea, ex ſententia quorumdam, Vtres Sale loti meliores reddũtur.

Aurum vt purificetur.

Hyalurgi Sale vtũtur

DE

A

DE NITRO.
Cap. IV.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

RATIO ordinis expostulare videtur, vt in præsentia de Nitro differamus: cum hoc genus succi concreti Salis cognatum esse tradatur: quandoquidem relatum ad sensum gustus, nonnisi intensione à Sale discrepare iudicabimus. Itaque cum Cicero suadeat in quauis institutione à nominis ratione inchoandum esse, ne, ignorata nominis significatione, facilè decipiamur. Propterea prima facie Nitri etymologiam examinabimus: dummodo hoc nomine passim donetur: vidimus enim apud Galenum Litrũ etiam nominari: communis tamen lectio Nitrum habet. Nitrum nonnulli à Nitore deriuant; siquidem abstergendi facultatis particeps vestimentis, faciei, & toti denique corpori nitorem conciliat. Idque Græcorum authoritate stabilire possumus, quibus vocatur νίτρον, quasi νίτρον παρὰ τὸ νίτθειν τὸ νίζειν, nimirum à lauando, & detergendo: hac enim facultate nitrum potitur. Alij malunt hoc vocabulum à loco natali deriuare, nempè à Nitria Aegypti regione, in qua Nitrum olim copiosum proueniebat. Aliqui ponderantes Nitrum tãquam rem Sali cognatã, & quasi speciem Salis, illud Sal lucidum, Sal Alexandrinũ, & Sal nitrum cognominarunt. Hic tamen aduertendum est, illud, quod hodie Sal Nitrum dicitur, esse speciem Nitri, & non Salis: licèt Nitrũ à natura Salis non multùm discrepet. Sed error huius vocabuli inde ortus est; quia Plinius de speciebus Nitri verba faciens, scripsit Sal Nitrum sulphuri permixtum in lapidem verti. Verùm Pliniana lectio sic se habet. *Sal, & Nitrum sulphuri permixtum &c.* Vtrum modò Nitrum, quod hodie Vulgus Salnitrum appellat, sit verùm Nitrum Antiquorum, non audemus asseuerare: quamuis in temperatura primarum qualitatum à Nitro Priscorum non valdè differat.

l. 1. de offic.

l. 9. de simp. med. fac. ca. 58.

li. 31. c. 10

Salnitrum cuius natura.

Halchemiæ Professores Nitrum vocant Barach, vt Ioannes Garlandus exponit, nomine fortassis ab Arabibus detorto, quibus Baurach nuncupatur. Mauris Boras dicitur: hinc scriptoribus Barbaris Borax cognominatur. Hodie tamen, hoc vocabulo, designatur quoddam factícium Nitri genus lucidum, quo Aurifices pro glutine auri vtuntur: quemadmodum Prisci in simili opere Chrysocollam adhibebant. Hoc Venetijs ex cremato quodam lapide candido, & fissili paratur, quem Boracem crudum indigitant. Serapio Boracem Tincar appellauit, & esse speciem Salis, sapore Nitri, cum quodam amarore constituit. Quamuis autem Arabes Nitri lapidosi meminerint, non tamen Borax esse videtur, quem Operarij Veneti crudum nominant; cum humore nõ soluatur, neq; vllum saporem, nisi vstione reddat. Gallis dicitur Nitre. Italis Nitro. Germanis Rhamer, Sal peter. Hispanis Salitre.

Tincar Arabum.

D

NATVRA, ET AFFECTIONES.

NITRVM naturæ esse mediæ inter Aphronitrum, & Salem multi affirmant. Nitrum tamẽ ad naturam Aphronitri propiùs accedit: quãdoquidem, adustione, acriùs redditum magis siccat, atq; digerit. Sunt autem Nitrum, & Sal duo succi concreti natura valdè similes, vt expressit Galenus his verbis. *Saporem salsum, aut nitroso esse imbecilliorem, & astrictionis quoque assumere aliquid, amarumque ex nitrosi prouenire intensione; ambigit enim sapor ille inter salsum, & amarum, estque amaro remissior, & salso intensior.* Aristoteles quoque hos duos concretos succos conformes esse iudicauit: Quapropter humido solui, & terræ magis, quàm aquæ esse retulit. Cum autem forma, & qualitatibus à Sale Ammoniaco Nitrum non valdè discrepet; hinc aliqui Salis genus esse statuerunt. Omnis Nitri species naturaliter calida, & ficca est: quamobrem incidit, deter-

lib. 1. de simp. med. fac. cap. 36.

lib. 4. met. cap. 2.

tergit, & corrodit. Hocq; inde colligendum eſt, quoniam verſantes in Nitrarijs corroſa ſemper habent calceamenta; præterquamquod ibi nullum animal viuit, neq; vlla planta creſcit. Hinc Nitra iudicanda ſunt acria, & in medelis præſtantia, quoniam aperiant, & humores euocent: His intellectis, facilè cognoſci poterit aqua nitroſa, quamuis apud Falloppium, eius cognitio difficilis eſſe perhibeatur. Aqua igitur nitroſa in ore detenta ſaporem acrem linguæ communicat, quæ acrimonia totam linguæ ſubſtantiam ſtatim penetrat, & acredo quamdam veluti roſionem coniunctam habere videtur, & eędem affectiones ex Nitro in ore poſito dimanant. Cæterùm admiratione dignum eſt, quod aliquando ſcripſit Plinius, nimirum fæcem vini ſiccatam vires, & naturam Nitri poſſidere. Deniq; Natura talem Nitro ingenuit proprietatem, vt fæcunditatem iuuet: ideò Nili aqua, cum nitroſa ſit, ab Authoribus ad mulieres fæcundandas commendatur. Quocirca aliquando Nilus à Plinio amnis fætifer fuit appellatus, & Ægyptiæ mulieres nõ alia ratione, niſi ob hãc aquam, ita fæcundæ ſunt, vt ſeptenos partus vnico vtero geſtare dicantur. Hac etiam ratione motus Ptolemeus cognomento Philadelphus, ſecundus Ægypti Rex, cum, referente Polybio, filiam Berenicem in Antiochi Syriæ Regis matrimonio collocaſſet, Nili aquam, quam ſolam biberet, ei miſſit. Sed aduertendum eſt, quòd nõ ſolum in homine, ſed etiã in reliquo animantium genere huiuſmodi aqua, iuxta mentem Diodori Siculi, prolificam virtutem habere traditur.

Nitri cognitio ex ſapore.

L. 14. c. 20.

Aquæ Nili virtus.

Has eaſdem affectiones participare Sal Nitrum, ſiue Halinitrum credendũ eſt, quamuis à Nitro Antiquorum diſcrepet, non autem à Nitro noſtræ ætatis diſſentit. Eſt autem Halinitrum, quod in vetuſtis cæmentis, & parietibus legitur, & eſt huius naturæ, vt à terra detractum, & aqua diſſolutum, ſi in cumulos terræ ſpargatur, non ſecus ac ſato tritico, poſt quinquennium, copioſior ex illo fructus redditur. Conſtat ex tenuiſſima ſubſtantia ſegnius tamen, quam ſulphur accenditur; nihilominus accenſum maiorem ſulphure edit ſtrepitum, & ratio ex hoc colligitur, quoniam ſulphur pingue ſit, & Halinitrum terreum, & maius ſpatium occupat, dum in flammam conuertitur.

GENERATIO, ET ELECTIO.

VIRTVTE caloris, Nitrum ex ſucco amaro, quemadmodum Sal ex ſucco ſalſo generantur. Alioquin, loquendo de genetatione artificiali, Nitrum ex quocumq; metallo educi poteſt, necnon ex quolibet ligno aduſto: quandoquidem ex vſtis corporibus lixiuium ſalſum parari poteſt, ex quo poſtmodum, Fallopio teſte, Sal, & Nitrum elici poſſunt. Præterquamquòd Nitrum in Aegypto copioſum producitur, aqua Nili in nitrarias immiſſa. Albertus Magnus fuit huius opinionis Nitrum ex aqua pluuia per venas æris colata reſultare. Narrat enim in Goſſelaria regionis Teutonicæ ſe copiam Nitri inueniſſe, quod tamen Incolæ Salem eſſe putabant. Namq; pluuia cadens ſupra montem venis æreis refertum, cum ad centum paſſus per fodinam fluxiſſet in Nitrum paulatim concreſcebat, quod ab Incolis Sal gemmeus eſſe credebatur. In hoc lapidis genere multi putant collocandum eſſe Boracem crudum Venetijs appellatum, ex quo poſtea extrahunt Boracem, quem Vulgò *Raſinato* vocitant.

Li. 5. foſſil. cap. 6.

Ad medicum vſum Nitrum natiuum eligendum eſt, quod illis gaudere debet conditionibus, quæ à Dioſcoride, Plinio, & Matthiolo recenſentur. Debet igitur, iuxta mentẽ horum Authorum, eſſe tenuiſſimum, fiſtuloſum, & ſpongioſum: quocirca in hoc genere ſpumam Nitri meliorem eſſe Nitro exiſtimant. Sed quoniam in Aegypto, calce, vt aiunt, adulteratur, obſeruandum eſt hoc vitium guſtu deprehendi poſſe. Etenim legitimum Nitrum facilè ſoluitur, & calce aſperſum odorem vehementiorem ſpirat.

Conditiones optimi Nitri.

DIFFERENTIÆ.

SERAPIO ſermonem habens de Baurach, nempè de Nitro, duas ſpecies aſſignare videtur, dum aliud natiuum, & aliud artificiale, ſiue facticium memorat. Natiuũ foſſile plures habere differẽtias traditur, quę, ſubſtantia, modo generationis, & potiſſimùm loco, ſunt diuerſæ; quia aliud Armenum, Africanum, Aegyptium, Babyloni-

Ionicum, & Romanum vocatur. Quamobrem sic ratiocinari possumus. Nitrum veluti, & Sal, aut nascitur, aut arte paratur. Natiuum, vel in terra, vel extra terram reperitur. In terra, vel aliorum fossilium modo cæditur durum, densum, & lapidi non absimile, vel in specubus legitur, ex quorum fornicibus pendet, instar stiriarum, vel adhuc liquidum in terram labitur, hoc est molle, laxum, cæteris candidius, & spumæ similiùs conspicitur, quod potiùs Aphronitri, quam Nitri nomẽ promereri videtur. Quamquam aliquis meritò dubitare posset, an vtrumq; tam durum, quod effoditur, quàm quod in cauernis, siue densum, siue molle legitur, nomine Aphronitri, appellari possit. Deniq; Nitrum natiuum colligitur in conuallibus, & campis, vel in lacubus reperitur. Huius genetis cãdidum in Agro Eugubino efflorescit. Idem apud Medos, canescentibus siccitate conuallibus, fieri, Plinius scripsit; Malmyragen nonnulli vocant, nomine partim deducto à salsedine, partim quoniam à terra sponte erumpat. Hoc in substantia tenuissima spumæ Nitri respondet: quare hoc genus pro Aphronitro, & Salnitrum pro Nitro Antiquorum vsurpari poterit. De hac spuma Nitri Martialis sic cecinit.

Differẽtiæ ratione loci.

Halgiraga quid.

Lib. 14. Epigr.

Rusticus es, nescis, quid græco nomine dicar,
Spuma vocor Nitri, dicor, & Aphronitrum.

Hoc inter species Nitri meritò collocatur, cum illius proprietatibus gaudeat. Quinimò quemadmodum magna est inter Salem, & Nitrum cognatio; pariter inter spumã Salis, & spumam Nitri maxima intercedit necessitudo. Est enim res leuissima, friabilis, spumosa, coloris penè purpurei, & hæc tanquam optima ab Authoribus commendatur.

Spuma Nitri.

Nos spumam Nitri dicimus, & spumosum Aphronitrum vocamus, quod circa parietes nascitur, & efflorescit: ideòq; in vnum ferè coincidunt spuma Nitri, flos petræ, & flos Asiæ petræ, de quo postremò, suis loco, & temporibus verba fient. Discrepant tamen in substantia, nam quando resoluitur in igne, est flos Asiæ petræ, nisi resoluatur, spuma Nitri esse perhibetur. Hanc Nitri spumã Græci distinctis duobus vocabulis nominant, nempè ἀφρὸν νίτρε, vt discriminent à quodam Nitro fossili spumæ simili, quam postea voce composita ἀφρόνιτρον indigitant. Dioscorides tamen Aphronitrum, & spumam Nitri ἀφρὸν νίτρε nuncupat, & bonitate tantùm hæc duo inter se distinguit, primasq; Lydio assignat. Extat apud Galenum praui Aphronitri mentio, sed qualenam fuerit, neq; ex Galeno, neq; ex alijs Authoribus intelligi potest. Agricola tantùm hoc durum, & densum, instar lapidis, fuisse opinatur.

Nitrum virginale quid.

Nicolaus Myrepsicus νίτρον παρθενικὸν memorat: id autem (vt nostra fert opinio) erit illud, quo Virgines in balneis, & in fucis vtebantur. Neq; ab hoc Nitro multum discrepabit aliud ab eodem authore nuncupatum μαστιχὸν, & à Marcello Empyrico Matronale: quandoquidem tam matronæ, quàm innuptæ faciei fucandæ studium affectant: hac de causa apud Alexandrum Trallianum πρόσωπα μαστιχὰ factam mentionem inuenimus.

Nitri facti tij variæ species.

Si mentem ad Nitra facticia dirigamus, inter hæc recensendum erit Salnitrum vulgò nuncupatum ex Nitro Stalactico coctum, quod postea ad parandum pyrium puluerem adhibetur. Multi tamen tria tantùm Nitri facticij genera constituunt. Primum est, quod ex aqua Nili in Nitrarijs densatur, ab aliquibus Alexandrinum nuncupatum, cuius apud Galenum facta est mentio: neq; Alexandrinum vocatur, quoniam in illa ciuitate paretur; sed quoniam illuc ex Nitrarijs Ægypti affertur, indeq; toti Europæ distribuitur. Secundum est illud, quod ex Nitro fossili paratum, Boracem cognominant. Tertium est, quod ex cremata Quercu, vel Robore paratur. Hodie, Nitro deficiente, ex calce lixiuium parant, quo densato cum oleo, Nitri loco, vtuntur, non solùm ad sordes ex corpore in balneis detergendas, sed etiam ad linteamina dealbanda, & ad vestes emaculandas, vulgus saponem, à gustu sapido vocat. Ad genera facticij Nitri reducenda est fæx vini combusta, quam Officinæ Tartarum nuncupant, cum facultatis vrentis, & abstergentis sit particeps. Huc etiam referre debemus Salem Armeniacum, vel Ammoniacum, qui, instar Nitri, acrimoniam participat: ille tamen intelligitur facticius, qui ex Germania allatus ad sublimandum Hydrargyrum, arti chymicæ famulatur, est enim candidus translucens, & figura placentæ. Sunt, qui huiusmodi Salem ex vrina Camelorum in Armenia confici existimant, & propterea Salem Armeniacum indigitant. Illud quoq; Nitrum, quod Salnittum vulgò dicitur, facticium est, & Nitrum veterum esse negamus, quoniam conditiones genuini Nitri non habeat: ideòq; cum ad illius fa-

Sal Armeniacus.

culta-

facultates accedat, noſtri Pharmacopæi pro Nitro in medicinis vtuntur.

Placuit hoc in loco recenſere illas Nitri differentias, quas aliquando obſeruauimus. Primum Nitrum fuit, quod in recremento æris, atq; plumbi interdum efflorescit: deinde Nitrum σαλαχτιχον circa adificia ſubterranea inuentum, ex humore cum cæmento, & calce mixto: ſtillat enim ibi ſuccus candidus ſtirijs oblongis, friabilis, aridus, guſtu ſalſus, & feruidus, parùm, aut nihil diſtans ab Aſiatico Nitro, & quoniam circa parietes annoſas efflorescit ad modum Salis; idcircò Sal petræ nuncupari cæpit. Vidimus etiam Nitrum Aegyptium colore roſeo, leue, & friabile, cui Dioſcorides primam bonitatis notam aſſignauit. Id etiam apud ipſum ῥοδωπὸν, ideſt coloris roſei, & apud Hippocratem πῦρρον ἐρυθρὸν, nempè rubens appellatur. Quamobrem non erit mirandum ſi Ouidius, in libro de Medicamine faciei, Nitri rubentis mentionem fecerit. Factitium quoq; Ægyptium in Nitrarijs paratum, forma Salis, & ſapore paulò acriori obſeruauimus. Item pertractauimus Nitrum Puteolanum colore candidum, præter inferiorem partem, quæ ſulphurei eſt coloris, forma Salis gemmei, & guſtu acerrimo. Habemus etiam natiuum Nitrum ſciſſile, durum, ex quo Venetijs Borax coquitur; necnon idem coctum, & præparatum. Demum ex Agro Volaterrano Nitrum foſſile candidiſſimum habetur, & aliud ibidem efflorescens ex rupe atramentoſa. Vbi viſitur etiam Nitrum purum, & luteum cum atramento ſutorio natum: immò cum Melanteria impura; necnon Aphronitrum Melanteriæ annexum ibidem quandoq; inuentum eſt.

Sal petræ.

Nitrũ vnde Borax coquitur.

LOCVS.

TOTA Ægypti terra, ſeu gleba nitroſa eſt, cum copioſum Nitrum, tum in planitie, tum in montibus efflorescat: quapropter illic omnia Nitro, ſicuti apud nos ſapore, & lixiuio expurgantur, & emaculantur. Mechæ in Arabia aquæ etiam puteales Nitro infectæ eſſe perhibetur. Arſenus Armeniæ lacus, Aretuſa etiam nuncupatus, nebulis Nitrum exhalat. In lacu Aſcanio, & in quibuſdam fontibus circa Chalcida, authore Plinio, ſummæ aquæ ſunt dulces, cum profundiores Nitro redundent. Aphronitrum quoq;, ex eodem Plinio, in ſpeluncis Aſiæ colligitur molle, quod deinde Sole exſiccatur. Cairum, vt notat Bellonius, Nitrum adeò frequens habet, vt illic viliſſimo pretio vendatur. In Italia naſci Nitrum Plinius negauit: nihilominus, noſtra ætate, multis in locis, & potiſſimùm in Territorio Eugubino, albiſſimum, inſtar Goſſypij, inuentum eſt; quod conditionibus Nitri Veterum optimè reſpondet. In Iſchia Inſula varijs foſſilium differentijs redundante Ioannes Baptiſta Porta Nitrum collegit. At Nitri ſpuma in Deſertis Lydiæ copioſa inuenitur. In Clytis Macedoniæ optimum Nitrum gignitur (vetus lectio habet: Chytas Geographi collocant in ora ſinus Macedonici, vbi eſt Promontorium Chalaſtræum, Dalechampius in Plinium) quod nuncupatur Chalaſtræum candidum, purum, & Sali proximum. Apud Medos Nitrum producitur caneſcentibus ſiccitate Conuallibus, quod Almiragen, quaſi terræ ſalſuginem appellant. Item in lacu Mexicano, authore Ioanne Euſebio Ieſuita, æſtiuis diebus, & arefactis aquis, Nitrum ſcopis legitur, necnon Aphronitrum puriſſimum, & candidiſſimum, quod, inſtar Salis vulgaris, in grana cogitur. Nitrum colore roſeo Ager Neapolitanus exhibet, & colore flaueſcens inſtar Auripigmenti ex Agro Puteolano habetur. In Thracia, iuxta Philippos, Nitrum ſordidum generatur, quod Incolæ Agrium, fortaſſis ſylueſtre vocant. Efloreſcit etiam in Terra Thuringica, quæ vt plurimum nigra, & nitroſa. Demùm in Toletano lacu copia Nitri conficitur, quo Magnates illius regionis vina refrigerare ſolent.

Aquæ puteales nitro fœcundi.

L. 31. c. 10.

L. 1. Obſer. cap. 23.

L. 16. Hiſt. nat. ca. 70.

PRÆPARANDI RATIO.

NE legentibus polylogi videamus, breuibus varias Nitri præparandi rationes amplectemur. Agricola in primis Nitrum, vel ex aqua nitroſa, vel ex diluto, vel ex lixiuio confici ſolere narrat. Interea eodem modo, quo Sal, conficitur, atq; paratur. Quandoquidem Salinis Mare, & Nitrarijs Nilum infundũt: veluti igitur aqua-

L. 12. de re metal.

Maris

A Maris, aut alia aqua salsa, virtute radiorum Solis, in salinis coquitur,& in Salem transmutatur: pariter aqua Nili, virtute eiusdem caloris, in Nitrarijs cocta densatur in Nitrum. Quinimò veluti Mare suaui solum Aegypti alluens paulatim abit in Salem, ita post Nili inundationem, illa humiditas concrescit in Nitrum. Præterea quandò salsugo ex terra sponte efflorescens exigua est, arte, nimirum ablutione terrarum, extrahitur à terris salsuginosis, quæ lingua, salsæ, esse deprehenduntur: deinde talis aqua decoquitur, vt in illud Nitri genus densetur, quod Vulgus Salnitrum appellat. Præterquamquòd hoc optimum pro pyrio puluere paratur ex quodam salicis genere exotico, & raro, quod Mauri, veteri Arabum nomine, Gorab cognominant. Huiusmodi arbor non multum se attollit, sed humiliores ramos coloris lutei, & pallescentis diffundit, crassiores tamen virgas, quàm Salix nostras habet. Nostra ætate, in pręparando Sale nitro vulgò nuncupato, cistas quasdam vimineas, aut ligneas frequentibus circa fundum foraminibus peruias fimo bubulo, vel equino, sed plerumq; columbino, quod cæteris sit præstantiùs, replent (quoniam ex computrescentibus huiusmodi fimis Salnitrum in terra efB florescere obseruarunt) deinde superinfundunt aquam, sed rectiùs lixiuium vehementer calidum, donec materia ad mediocrem quemdam lentorem humectetur, & humor colatus, in vasis æneis, ad consumptionem duarum partium decoquitur, quod decoctum super aliud recens stercus funditur, & colatum rursus in vasis æneis ad duarum partium consumptionem coquitur, deinde quæ super est tertia pars, aeri nocturno frigidiori exposita, paulatim in vocatum Salnitrum conuertitur. Hoc postea in lixiuio, vel alio liquore percolato liquefiat, & iuxta consuetudinem decoquatur; nam quod supereſt concretum post hanc decoctionem, Nitrum pro pyrio puluere nuncupatur.

Gorab Salicis species.

Salis Nitri conficiendi ratio.

DENOMINATA.

C APHRONITRVM apud Latinos spuma Nitri exponitur, & Ammonitrum est, iuxta mentem Plinij, massa ex arena molli trita, & tertia parte Nitri constans, quæ recocta purum, & candidum Nitrum effundit. Nitrosum vocatur illud, quod habet Nitrum, vel quod saporem Nitri gustui impertitur. Nitratum verò est illud, cui Nitrum permixtum est. Nitraria est locus, vbi Nitrum paratur, aut locus vnde eruitur, si de Nitro fossili verba fiant. Nitria est mons Ægypti apud Scyathim vrbem, in quo olim plura cœnobia fuerunt. Pariter Nitria est vrbs in Hungaria trans Danubium sita, vt in Lexico geographico habetur, quæ loca an nomen à Nitro habuerint, an potiùs Nitrum ab illis nomenclaturam fuerit sortitum, in præsentia non est disputandum.

L. 36. c. 26

MYSTICA, ET MORALIA.

CVM in sacro Codice lotionis Nitri fiat mentio, multi, per Nitrum, quoniam acre, & mordax sit, acres etiam admonitiones, & seueras correctiones interpræD tantur. Immò Diuus Hieronymus, in expositione huius loci, per Nitrum, sermonem Ecclesiasticum exponit, qui delinquentes, & criminosos increpat, atq; arguit. Rursus vbi legitur. *Si làueris te Nitro, & multiplicaueris herbam Berith.* Abbas Ioachimus in hoc loco Iustitiam, & cordis puritatem exprimit, sicuti herba Berith carnis integritatem indicat. Itaq; hæc duo, nempè Nitrum, & herba Berith, quæ Saponaria dicitur, doctrinam vtilem significant, quæ modo blanditur, modò redarguit.

Ierem. c. 2.

Herba Berith est Saponaria.

Cæterùm doctrina moralis omnes Nitri conditiones meditatur, vt in dies diuina eliciat documẽta. Quapropter Nitrum ex aqua amara, calore Solis, cõcrescit instar Salis, & cum leue, album, & molle fit, ad varios medicinæ vsus trahitur. Hæc aqua amara hominem peccantem designat, qui in continuo criminum amarore versatur, sed calore calamitatum siccatus, & virtute Solis Christi tactus, tandem in Nitrum, nempè in virum iustum conuertitur: sic enim castitate albus, paupertate leuis, & pietate mollis euadit, qui tandem exemplis, & doctrina alijs criminosis tanquam medicina præstò est; quæ omnia in Diuo Paulo Apostolo manifestata sunt. Insuper Nitrum virtute dissoluendi, abstergendi, & purificandi potitur: quocirca in multis medicamentis adhibetur: ita Ni-

Pœnitentia Nitro aſſimilatur.

trum pœnitentiæ aſſimilari poteſt,quæ vera eſt animæ medicina,quoniam crimina contritione diſſoluit, confeſſione abſtergit, & ſordes veſtium, nempè maculas prauæ conſuetudinis purificat,atq; tollit. Aut dicendum erit, veluti Nitrum eſt amarum, & medicamina ingreditur,quæ faciem nitidam reddunt, pediculos necant,& Paralyſim linguæ ſanant: ſimiliter correctio naturam Nitri æmulatur, quæ, licèt aliquantiſper amara ſit, nihilominus faciei conſcienriæ nitorem conciliat, pediculos prauorum affectuum perimit, & paralyſim linguæ, nimirum verecundiam confitendi peccata ſanat.

VSVS IN MEDICINA.

CVM Nitrum habeat vim calefaciendi, ſiccandi, extergendi, attenuandi, & diſcutiendi, præcipuam medicinæ affert vtilitatem. Præterquamquòd alexiteria virtute potitur; quoniam aduerſus venenum fungorum, veluti, & ſpuma Nitri cum poſca præſcribitur: quinimò Nicander in lexipharmacis illud contra potionem ſanguinis taurini commendat. Reliquis poſtea morbis ferè omnibus multò eſt adiumento: namque ſi de affectibus capitis verba fiant, hoc illitum pediculos enecat, aurium vermes interficit,& earumdem ſaniem extergit. Oculorum claritati prodeſt exemplo eorum, qui in Nitrarijs verſantur: quandoquidem, ex Plinio, nunquam lippire dicuntur, quinimò oculorum argemata abolet. Odontalgiæ ex vino plurimùm confert, denteſq; nigreſcentes alicui permixtum dentifricio ad priſtinum colorem reducit. Tuſſim antiquam minuit, & ſuſpirioſis cum ptiſana præbetur. Icteritiam cum vino potum exterminat, & ſaniem ab apoſtemate ventriculi, vel inteſtinorum manantem celeriter abſtergit. Tormina pondere drachmæ cum Cymino, vel Anetho decoctum facilè diſſipat. Hydropicis cum fico tuſum datur,& extrinſecus fælici euentu illinitur. Demùm inflammationi teſtium occurrit. In Mexicana Regione, aqua Nitro inſperſa pedes lauãt: ſic enim roboratione,& aſtrictione quadam, illos à frigore,& à pernionibus defendunt. Tandem omnes cutis affectiones expugnat. Primitùs in fucis collocatum faciem emaculat. Cum puluere Iridis in oleo diſſolutum ſudores minuit, necnon in papulis, & puſtulis adhibetur. Vitiligines, lentigines, & alias cutis mendas facillimè emendat. Ambuſtis Nitrum minutim tritum vtiliter illinitur, & reſinæ admixtum furunculos extrahit. Serpẽtum morſibus cum aceto medetur. Deniq; clyſteribus etiam permiſcetur;& quamuis nuperi Medici illis ſalem addunt ad faciliorem ventris purgationem. Hippocrates tamen oppoſitum ſentire videtur, dum,illius loco, Nitrum apponendum præcipit: propterea quòd Sal aſtrictione ſua vẽtrem cogat, Nitrum verò in hoc opere ob ſingularem abſterſionem ſummoperè probatur.

Lippitudinis remedium.

Pernionum præſidia.

Nitrum in Clyſteribus laudatur.

Ex hactenus enarratis colligendæ ſunt vires aquarum, quæ Nitrum participant. Etenim harum hauſtus pituitam trahit, fæminas fæcundas reddit, tremores ſtrumarum minuit, vitijs neruorum,& pectori deſtillatione vexato prodeſt,& tandem illas vires poſſident aquæ nitroſæ, quæ ſalſis aquis ſuperiùs aſſignatæ fuerunt, ſed efficaces,quia non aſtringunt, ſed abſtergunt: ideòq; cutem mundant, & ſcabiem ſanant.

VSVS IN ESCVLENTIS, & potulentis.

ANTIQVITAS Nitro præcipuè præſtantiſſimo vtebatur,nimirum illo,quod in nitroſo Macedoniæ lacu ſpontè naſcebatur: Siquidem hoc,vice Salis,eſculentis addebat, & ad raphanos tenerrimos reddendos vſurpabat. Aegyptij quoq; Nitrum, loco Salis, adhibebant. Babylonici quamdam Nitri ſpeciem, Baurach panis,appellabant:quandoquidem huiuſmodi Nitro in aqua diſſoluto panem linibant, antequam coqueretur, nam ab illo quamdam veluti claritatem, poſt cocturam, reportabat. Item legumina, vt facilè coquerentur, ante ſationem,Nitrum cum lætamine aruis committebant: huc fortè reſpexit Plinius,quando ſcripſit ſemina etiam Nitro imbui ſolere, & Virgilius ab hoc ſenſu non receſſit, quando cecinit hunc in modum.

Baurach quid.

L.14.c.20.

Semina

A *Semina vidi equidem multos medicare serentes,*
Et Nitro prius, & nigra perfundere amurca. *L. 1. Georg.*

Verùm non esculentis, sed etiam potulentis, & potissimùm vinis Antiquitas Nitrum permiscuit. Hodie in vinis, & alijs potionibus refrigerandis Nitro vtũtur. Scribit enim Langius, diebus canicularibus, vasa œnophora in labro aqua frigida pleno esse collocanda, deinde Salpetræ, vel Nitrum illi esse inspergendum, quoniam prius aqua, deinde vinum magna frigiditate imbuentur. Hanc autem refrigerandorum potulentorum inuentionẽ Nitro factam ab operibus chymicis proculdubiò dimanasse credimus: nam Chymistæ, qui sæpè sæpius Nitro in aquam proiecto vtuntur, cum illã iusto frigidiorem obseruassent; hinc tale refrigerandi ingenium sumpserunt. Præterquamquòd multoties obseruatum est, aquas naturaliter salsas, & nitrosas, æstiuo potissimùm tempore, ex alto cadentes, frigiditas mirandum in modum reddi. Quamobrem Blasius de Villafranca hoc opus duobus vasis, & Nitro diligenter peragit. Aquæ in vase cauo positæ duæ partes ex tribus Nitri vocati permiscẽtur: deinde subitò aliud vas sphericum vino, B vel alia re potulenta plenum collo oblongo, & orificio obthurato, motu vniformi continuo, & lento, eodem semper versus, per illam aquam nitratam, manu circumfertur, & paulò post circulatio vasis acceleranda est, & post quam Nitrum in aqua fuerit dissolutum, reliqua tertia Nitri pars aquæ permisceatur, non vnico tractu, sed primo media, & paulò post alia pars media, & vltima aquæ addatur: sic enim aqua maiorem frigiditatem acquiret. Proportionem ponderis vocati Nitri ad aquam hic author debere esse subquadruplam existimat.

Inuentio vini refrigerandi.

In L. Mer. refrig. Vin.

Dosis Nitri in vino refrigerand.

Rationem verò naturalem huius effectus, cur scilicet Nitrum aquæ permixtũ æstiuo tempore illam refrigeret, hanc potissimam esse arbitramur, quoniam Nitrum calidum, & siccum est, deinde aqua summè frigida, & humida existit: ideòq; ex his simul copulatis actionem, & passionem prodire necesse est, si veritatem Aristoteles est assecutus, qui aliquandò scripsit duo corpora naturalia facultatibus oppositis referta, absq; mutua eorumdem actione, & passione se contãgere haudquaquam posse. Non est igitur mirandum, si aqua in Nitrum agens sese per antiperistasim vniat, & frigidior reddatur, & C vicissim credendum est partes etiam Nitri interiores multò calidiores fieri. Quocirca vas continens aquam, Nitrum magnam frigiditatem rebus potulentis in alio vase locatis communicare poterit. Hunc autem effectum alio experimento stabilire possumus; quoniam, æstiuo tempore, vulgares homines, absque vlla Nitri mixtione, sed solo motu circulari potum in aqua refrigerant, dum vasi aqua pleno ampulas vitreas vino plenas imponentes, & circumferentes, breui temporis spatio potui frigus impertiuntur. Hoc à nulla alia causa prodire potest, nisi ab excitato calore propter motum; quamobrem aqua per concentrationem frigidior euadit.

Lib. 1. de Gen. & Corup. cap. 2.

VSVS IN VARIIS.

D SOLEBANT Antiqui Aphronitro, quod reliquis Nitri generibus erat purius, in balneis quotidie ad detergendas sordes adhibere id nobis insinuauit Aristophanes in Ranis, quando illud inter smegmata balneatorum recensuit, cuius versus superius recitauimus. Quinimò olim Virgines, & cæteræ etiam mulieres non modò in balneis, verùm quoq; in fucis ad faciem præcipuè tergendam Nitro vtebantur. Huius meminit Ouidius in libello de medicamine faciei, quando sic cecinit.

Lib. 2. cap. de Terra Cimolia.

Nec cerussa tibi, nec Nitri spuma rubentis
Desit.

Nili quoq; arenæ minutissimæ, quia erant nitrosæ, ad dealbãda corpora palestræ, Patrotio Neronis Principis liberto aduehebantur, vt author est Plinius, qui aliquando etiam scripsit maculas vestium à Fullonibus elui lixiuio, & Nitro, & ab Infectoribus cum eodem lanam in aqua coqui, vt colores faciliùs subiret. Deniq; tantam abstergendi facultatem Nitrum ob continuum vsum possidebat, vt abierit in prouerbium apud Priscos. *Asini caput ore laueris Nitro.* Quando significare volebant, in rem vilem, & sordidam, multos sumptus non esse impendendos. Hyalurgi suum habent Nitrum, sine quo arena non glutinaretur in Vitrum, olim Nitro Aegyptio vtebantur, sed, nostris tem-

Adagium.

poribus, adhibent aliud genus Nitri factícij ex planta ſalſuginoſa cremata, quã Sodam vel Kali vocant: hanc inter Sales recenſuimus. Aegyptij olim Sale, & aliquando etiam Nitro cadaueta condiebant, quia hoc abſumens carnes, pellem tantùm cum oſſibus relinquebat.

Soda herba.

Salnitrum ad multos alios vſus trahitur. Primitùs diligenter præparatum in duplo aceti albi ſoluitur, mox in ipſo, diei naturalis ſpatio, ellychnium xilinum infunditur, deinde ab aceto exemptum, ſiccatur ad Solem, & in lucerna, vel lampade adhibetur, quia neq; fumum edit, neq; fungum prodit. Alij recipiunt partem vnam Salnirri cum quinta parte thuris, olei communis, lactis lathyridis, & decimam partem ſulphuris, quibus ceræ dimidium addunt, & candelam componunt, quæ calore, odore, motu, & ſtrepitu eſt mirabilis. Præterea, ad formandas faces, ventis inextinguibiles, ellychnia Salenitro, & aqua feruefaciunt, deinde exſiccata, Sulphure, & aqua ardenti madefaciunt. Inſuper Salnitro, Sulphure, & carbone ad parandũ pyrium puluerem, vtuntur. Siquidem ex virtute Salnitri vis, & rumor flammæ emergit, ex Sulphure incẽſio prodit, & carbo incenſionem accelerat. Ideò ſi puluis quæratur pilam abſque ſtrepitu proijciens, Salnitrum debilitare oportet, quod tauri glutine, & butyro præſtare poſſumus, authore Porta. Verùm cum puluis tantum ſtrepitum nõ ſit producturа, minorem etiam, & ferè nullum impulſum molietur.

Puluis pyritis.

DE ALVMINE.

Cap. V.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

LATINI hoc ſucci concreti genus ſalſuginem terræ, & Alumen etiam cognominarunt; quoniam lumẽ coloribus pannos inficientibus præſtet: nihilominus Alumen ambiguitatem ſortitur, quandoquidem, in lato ſignificatu ſumptum, vocatur, quod tincturam in aliquo corpore ligat, & veluti diuerſæ tincturæ inueniuntur: pariter varia etiam alumina aſſignantur. Etenim quælibet tinctura ſuo alumine indiget, ſine quo rei inficiendæ imprimi nequaquam poſſet: hinc non erit dicendum, vt quidam putant, quòd Alumen det lumen, ſed quòd ita operatur, vt lumẽ, nempè color rebus adhæreat. Quapropter Galla ad inficiẽdũ corium tincturæ nigræ Alumen vocabitur. Vnde cõcludendum erit Alumen non præbere coloribus lumen, ſed operari, vt rebus lumen, nimirum color adhæreat. Hinc aluminoſum, & aluminatum vocatur, quòd naturam Aluminis participat; cuius conditionis ſunt aquæ per venas aluminis dilabentes. Alumeria verò eſt fodina, ex qua Alumẽ eruitur. Aliter à Latinis Alumen nũcupatur Stypteria nomine à Græcis detorto, qui στυπτηριαν vocant ἀπὸ τῆ στυφειν, nimirum ab aſtringendo. Demum Alumen liquidum appellari cuperoſam, teſtis eſt Ceſalpinus, quando ſcribit. *Hodie in confectura Chalcanthi ſpumea quædam ſubſtantia efloreſcit extra, quæ concreſcit ſpongioſa facie, colore pallido, Cuperoſam vocant. Reperitur, & albicans plumoſa intus ſubſtantia. Reſudant quoq; ſponte omnia genera in Ilua, vbi Chalcitis reperitur, & Melanteria, & tandem vbi lapis ararius continetur, quem Plinius Chalcitim vocat: cuius exemplo non ineptè hodie Cuperoſam vocant, non ſolum Chalcitim, & congenera eius, ſed etiam alumina ipſa nativa.* Et paulò inferiùs addit hæc verba. *Cuperoſa autem quidam vtuntur etiam intrinſecus ad venena, & peſtem, præcipuè candida, quam Alumen liquidum eſſe diximus.* Alumen rupeum apud Chymiſtas vocatur glaciale, quoniã glacici faciẽ æmuletur. Sed varia particularium Aluminis ſpecierum nomina, in enarrandis differentijs, recenſebimus. Ne nomina ſpeciebus conuenientia, generi aſſignentur. Alumen Hæbreis dicitur Neter. Gallis Alun. Italis Alume. Germanis Alun, Alat. Hiſpanis Alumbre.

Denominata.

Stypteria.

Lib. 1. de Metall. cap. 21.

Cuperoſa.

A

NATVRA, ET AFFECTIONES.

ENCELLIVS monimentis mādauit esse naturæ mediæ inter Salem, vel Nitrum, & Chalcanthum: quare non immeritò hoc caput Alumini distinatur; cum in sequēti de Chalcantho verba sint facienda. Quando igitur Alumen supra carbones accensos collocatur, vel ollæ, succensis ignibus includitur, non secus ac esset Nitrum, statim intumescit, & in multas bullas attollitur, necnon aliquid suæ substantiæ deperdit: deinde, more aliorum succorū concretorum, in aliqua humiditate liquescit. Præterea hoc sibi à natura cōparauit, vt non ex dissimilibus, sed ex eiusdem generis partibus constet; itaut vnaquæq; pars Aluminis sit Alumen. Item possidet acidam facultatem; quæ huius succi concreti peculiaris, & naturalis esse perhibetur: lambit enim in venis terræ huiusmodi acerbum saporē, quem Auicēnas, & alij Arabes Ponticum nominant; quam-
B obrē virtute astringendi potitur: vnde nonnulli non solum hac ratione moti, sed etiam authoritate Galeni freti, Alumen refrigerare asseuerarunt. Galenus enim scriptum reliquit astringentia terrea esse, & crassa corporis consistentia, qualitate verò frigida; deinde alibi vehemētissimam adstrictionem Alumini conuenire apertissimè docuit. Ex altera parte Dioscorides Alumini facultatem excalfaciētem attribuit; cū ad eius mentem omnia Aluminum genera calefaciendi, astringendi, & repurgandi vires possideant. Matthiolus in Commentarijs ad Dioscoridem prodidit diligenter esse perpendendos Aluminis effectus; & facultates ponderandas, quibus in humanum corpus agunt: siquidem tunc necessariò affirmabimus omne genus Aluminis non obscurè calefacere, quod Chalcanthum, Chalcitis, & Misy præstant, quæ cum vehementer astringant, non tamen refrigerant; immò maximoperè calefaciunt. Et quāuis Galenus omnia adstringentia frigida prædicauerit, inter hæc tamen Chalcanthum, Chalcitim, Misy, & omnia Alumina non recensuit: etenim compertū est, aqua stillaticia Aluminis, & præsertim rupei non solum carnem, sed etiam metalla exedi. Hunc autem effectum non so-
C lum ex Alumine, sed etiam ex Chalcantho prodire manifestum est: namq; hi duo succi concreti cognati esse feruntur. In hoc autem tantummodo discrepant, quoniam Alumen Chalcantho minus terreum esse dicitur, & hoc inde colligendū est, quia ex Chalcantho Alumen prodeat.

Lib. 4. de simp. med. fac. cap. 6.

Lib. 9. de simp. med. fac. cap. de Alum.

Aluminis effectus.

Deniq; nonnulli Authores hoc naturaliter esse ingenitum Alumini referunt, vt ignibus pertinacissimè reluctetur. Id annotatum fuisse in Q. Claudij Annalibus Rhodiginus pronunciauit, & hoc esse verum, è Scylla in Archelaum belligerante comprobatum fuit. Quinimò idem ab Aulo Gellio, ad mētem Quadrigarij, recitatur his verbis. *Cum oppugnaret L. Scylla in terra Attica Pyreum, & contra Archelaus Regis Mitridati Præfectus ex eo oppido propugnaret, turrim ligneam defendendi gratia structam, cum ex omni latere circūplexa igni foret ardere non potuisse, quia ab Archelao Alumine oblita fuisset.* Hanc eamdem Aluminis facultatem Ammianus Marcellinus alia confirmat historia his verbis. *Perse assiduè malleolos, atq; incendiaria tela torquentes laborabant incassum eare, quod humectis scortis, & centonibus erant opertæ, materiæ plures, aliæ vnctæ Alumine diligenter, vt ignis per eas laberetur innoxius.* Maiolus quoq; memorat virgam igneam in ignem proiectam nec inflammatam, nec combustam fuisse; propterea quòd Alumine esset illita: quocirca ex recitatis historijs, quæ illita sunt alumine ἀτλογισα nominari poterunt. Cæterùm, vt veritatem fateamur, Alumen in narratis historijs memoratum, fuisse Amianthum lapidem opinamur, qui validissima astringendi, & ignibus resistendi virtute potitur: neq; mirandum est Alumen pro Amiantho vsurpatum, & nominatum fuisse; cum Alumen sciffile, teste Dioscoride, Amiantho maximoperè assimiletur: hac de causa hæc similitudo multos Authores nuperos à gradu veritatis detrusit.

Alumen resistit igni.

Colloq. 18.

DIFFERENTIÆ.

PRISCI Authores,vt Dioſcorides,& Galenus, tria tantum Aluminis genera, nempè liquidum, rotundum, & ſciſſile recenſuerunt: quapropter Marcellus admiratur,cur tria tantũ Aluminis genera Dioſcoridi cognita fuerint; cum tamẽ multò plura inueniantur. Verùm animaduertere oportet verba Dioſcoridis in textu exarata, quæ nobis inſinuant ea tantùm Aluminis genera à Dioſcoride fuiſſe memorata, quæ vſui Medico inſeruire poſſunt. Itaque nos in præſentia omnes differentias enumerare conabimur. Prima igitur facie Alumen in natiuum, & factícium eſt diſtribuẽdum: rurſus vtrumq; in liquidum, & concretum eſſe diuidendum. Liquidum plerumq; naſcitur, & rarò conficitur. Concretum ſæpè oritur, & ſæpè etiam arte paratur. Liquidi duo genera aſſignantur, quorum alterum purum eſt, & lactei coloris, θρύμμον Græci nuncuparunt, quia vili pretio, & vulgò vtile eſſe perhiberetur. Alterum impurum, pallidum, & multis ſordibus inquinatum; propterea Græci παράθορον, quaſi abijciendum cognominarunt. Concreti verò Aluminis, ob varietatem figuræ, multæ conſtituuntur differentiæ. Primitùs recenſetur ſciſſile, quod Græci σχιστὸν vocant,quod aliquantiſper variat: nam quandoq; obſeruatur veluti flos natiui Aluminis, & caneſcentibus capillis ſimile,tuncq;Græcis Trichite dicitur.Aut Alumen concretũ eſt rotundum,ideoq; Strongylon nuncupatum:quamuis nonnulli à Strongyle inſula denominatum eſſe velint;idq; triplex oſtenditur, quia vel inſtar bullarum intumeſcit, vel fiſtulorum eſt tanquã ſpongia, vel eſt ſolidum, & Talo aſſimilatur; ideòq; Aſtragalote nuncupatum. Aut habet figuram lateris,& Plinthite dicitur. Aut deniq; ex cruſtis integratur, & Placite nominatur.Hoc poſtremum Aluminis genus Dioſcorides Βωλίτου,quaſi globoſum cognominare videtur. Huiuſmodi genuina alumina annis elapſis nemini ferè fuerunt cognita: quapropter ex illorum ignorantia. Medici in labyrintos varios labebãtur,cum tamen apud antiquos eſſent notiſſima.Noſtra autẽ ætate,diuina ope,nõ tantùm genera Priſcis nota, ſed multa alia illis congenera nobis innotuerunt. Primus, qui has Aluminum ſpecies ad recentem reduxit notitiã, fuit Bartholomeus Maranta diligẽtiſſimus rerum naturalium inueſtigator, qui in ſulphurarijs, & alijs fodinis Puteolanis propè Neapolim, & in alijs etiam Regionibus inuenit; illaſq; clariſſimis, & doctiſſimis viris Matthiolo, Ghino, & Aldrouando humaniter communicauit. Propterea harum ſpecierum multas icones in hac tabella delineatas repræſentamus.

Aluminis concreti variæ ſpecies.

Marantæ laus.

Prima differentia eſt Alumen ſciſſile non purum,ſed ſulphuri, atq; Melantheriæ permixtum; quemadmodum odor, ſapor, & color indicabant.

Sub numero 2.deſignatur fragmentum Aluminis ſciſſilis Volaterrani,ad differentiam illius, quod Puteolis effoditur. Hoc fragmentum erat puriſſimum, quibuſdam in locis perforatum,& flaueſcens, coloris tamen albi, facultatis aſtringentis, vt natura omnium Aluminum expoſtulat.

Sub numero 3. pingitur Alumen rotundũ cum ſua minera erutum ex fodinis Puteolanis. Eſt enim talis minera matrix, ex qua Alumen emergit; quoniam in illa conſpiciuntur grana rotunda, ſubrotunda, & interdum oblongæ figuræ: quapropter ratione huius figuræ, non immeritò Strongylon fuit nuncupatum, coloris erat candidi, matrix cum granis ab illa effluentibus, quæ omnia in icone apparent.

Sub numero 4. exhibetur figura fragmenti cuiuſdam Aluminis, quod nomine Adarcij doctiſſimo Aldrouando fuit communicatum: nihilominus locatum fuit inter ſpecies Aluminis, propter inſignem aſtrictionẽm, qua pollebat; coloris erat ſubalbi ad fuſcum tendentis, & quibuſdam filamentis conſtare videbatur.

Sub numero 5.exhibetur icon Aluminis ſciſſilis in Ariminẽſi agro effoſſi. Succus quidem concretus erat, ſed ita durus, vt potius lapidem, quàm Alumen æmularetur, vel Amianto lapidi aſſimilabatur, aut potiùs materiam gypſeam imitabatur, & præſertim lapidem ſpecularem; licèt non eſſet ſciſſilis,ſed fragilis admodum,& friabilis,vt potiùs inter Gypſi genera, quàm inter Alumina eſſet reponendum. Particula hoc in loco depicta non erat craſſior annulari digito cum lineis per longitudinẽ ductis: huius ſuperficies, & planicies erat fuſci coloris, & cortex ſuperior denſior erat, quàm inferior, & demum materia interna candida, & pellucida.

Sub

Variæ Aluminis natiui differentiæ.



D

Sub numero 6. monstratur icon Aluminis schisti, quod lapidiforme appellari poterat ob antiquitatem,& duriciem: superficies externa erat coloris subfusci, pars interna erat subalba, & substantiæ admodum astringentis.

Sub numero 7. delineatur minera aluminosa balnei Scorpionis (alij legunt Serpētis) in agro Viterbiensi, quæ doctissimo Aldrouando missa fuit. Hæc materia erat alba, hispida, foraminibus prædita instar spongiæ, necnon leuis substantiæ.

Alumen Scaiolæ quid sit.

Prædictis differētijs aliqui Authores addunt Alumen Scaiolæ, quod nil aliud est nisi pars gypsi perfectior: hac de causa flos gypsi fortè appellatur, & pariter ex minera gypsi eruitur. Et Pandectarius hoc Alumen ab Alumine Plumæ nequaquam discrepare perperàm credidit: immò Stipterion à Græcis appellari magno errore prodidit; quandoquidem generis nomen speciei malè attribuit. Etenim Alumen plumæ, quod sciſsile Latinis, Schiston Græcis, & quandoq; etiam Trichite dicitur, dum ex illius fractione capillamenta tanquam plumæ exire videntur, & Alumen Iamenum apud Serapionem, & alios

Alumen plumæ.

Alumẽ Iamenum. & alios Arabes, mulieres florem lapidis cognominant; & ad fucandã faciem adhibent. Itaq; hoc Alumen non ſolum diſcrepat ab Alumine Scaiolæ, ſed etiam ab Amiantho lapide, quemadmodum Braſauolus, & alij Authores optimis rationibus animaduertunt. Cardanus quoq; ſcriptum reliquit Alumen plumę differre ab Amiantho lapide, ſed poſtea addit huiuſmodi Alumen, inſtar Amianthi, ignibus reluctari. Hoc autem Cardani aſſertum prorſus amplecti non debemus: quandoquidem hoc Alumen non inflammatur, nec vritur, ſed paulatim conſumitur; quod Amiantho contingere nequaquam poteſt. Hanc ſententiam Dioſcorides ſtabi iuit, quando ſcripſit omnia Alumina cremari modò Chalcitidis, & paulò inferius pronunciauit Amianthum lapidem Alumini ſciſſili aſſimilari, non tamen igne conſumi.

Lib. 5. de ſubtil. Amianthus lapis. Li. 5. c. 77. Cap. 100.

Si differentiæ Aluminum, ratione coloris, obſeruentur: hæ pariter erunt variæ; quoniam aliud Alumen eſt candidum, aliud in candido cinereum, vel aliquantiſper ſubfuſcum, quod aliqui Authores nigrum appellarunt. Iumò rubrum in candido obſeruatum eſt; necnon Alumen candidum natiuum in vena nigra Lobeslana inuentum eſt. Similiter lapides ab illa rupe exciſci, vnde Alumen rupeum arte prodit, varios colores nanciſcuntur. Vidimus quandoq; lapidem huius generis maculis rubentibus, cinereis, & flaueſcentibus in albo variegatum. Interdum huiuſmodi lapidem colore marmorſs Tyburtini ſumus conſpicati, & aliquando colore cinereo, faſcia nigra, & maculis luteis diſtinctum.

Aluminis actitij differẽtiæ. Hactenus de ſpeciebus Aluminis natiui diſſeruimus: modò ad Alumina factitia ſermo eſt conuertendus. Itaq; inter hæc primum locum occupat Alumen illud pellucidum ex præduro lapide candicante, & aluminoſo, vi fornacis vſto, deinde pluribus diebus irrigato; quemadmodum inferius explicabimus, quod in Agro Romano propè Tolfam elaboratur, & à fæcibus ſeparatum in ligneis receptaculis, ad ſimilitudinem Cryſtalli anguloſi, concreſcit. Officinæ Alumen Rochæ, Cordus Alumen rupeum, & Chymiſtæ Alumen glaciale indigitãt. Hoc Alumen interdũ in candido rubeſcit, quod poſtea arte varias acquirit figuras: quandoquidem Octagonon, Dodecagonon, & Pangonion viſitur. Hoc in loco exhibemns tabellam, in qua varię Aluminis rupei figuræ conſpiciuntur.

Alumen Rochæ.

Variæ Aluminis rupei figurarum differentiæ.



A Sub numero 1. visitur figura Aluminis rupei duodecim triangulorum, & in medio singulorum apparet foramen.

Sub numero 2. cernitur icon Aluminis valdè similis priori, nisi quod inter illos duos superiores, & inferiores triangulos habet figuras quatuor, quæ potiùs formæ quadratæ, quàm triangularis faciem referunt, & in medio quadratarum figurarum quatuor aliæ figuræ inæquales cernuntur: itaut hoc Alumen octo triangulos, & totidem alias figuras tum quadratas, tum diuersas habere videatur.

Sub numero 3. figura Aluminis quodammodo ad primã accedit, sed in hoc discrepat, quia non omnes angulos acutos, sed aliquos obtusos habeat.

Sub numero 4. icon Aluminis duodecim triangulis constat. Deniq; quinta figura ex quindecim triangulis integrari videtur, colore autem, omnia hæc Alumina erãt consimilia, nimirum subrubra.

Fuerunt multi Authores, qui monimentis mandarunt Alumen rupeum ab Alumine liquido Veterum minimè differentire, quorum opinio nobis admittenda esse non vide-
B tur; quia rupei Aluminis nulla materia liquida reperitur, sed potiùs densa, & lapidea, cum de rupe cædatur. Quinimò illud Alumen, quod ex huiusmodi lapide candido paratur, albedinem seruat, & instar Crystalli radiat, quod autem conficitur ex huiusmodi lapide obscuriori, rufescit, & maiori acrimonia pollet. Quapropter candidum ab Infectoribus expetitur, quoniam præstantius, nitidius, & minori acredine sit refertum. Hinc apertissimè cognoscimus Alumen rupeum cum Alumine liquido Priscorum nullam prorsus habere cognationem. Hanc sententiam stabiliuit Plinius dicens Alumen *l. 35. c. 15.* liquidum fieri ex aqua, & limo, nimirum terræ exsudantis natura, cortiuatum hyeme, æstiuis Solibus maturari, nitidumq; & lactei coloris probari cum quodam acri calore, & adulteratum mali punici succo deprehendi, namq; sincerum ea mistura nigrescit; quæ conditiones in Alumine rupeo minimè obseruantur.

Aluminum factitiorũ generibus additur illud, quod Officinæ Alumen Zuccharinum vocant à metæ Zuccharinæ fastigiata forma, in quã mistura ex Alumine rupeo, albumine oui, & aqua rosacea solidatur, quo mulieres in mangonio facici sæpe vtuntur. Neq; *Alumen Zuccharinum.*
C prætermittendum est Alumen fæcis, quod ex Tartaro, nempè ex fæce vini vsta conficitur, & inter Nitra collocatur: quemadmodum in proprio capite fuit declaratum. Huic affine est Alumen Catinum, quod nomen inuenit à Catino, in quo paratur: quamuis alij scripserint fuisse cognominatum Catinum, quasi Catharum à purgando: siquidem Hyalurgi, in purificatione vitri, hoc adhibẽt; componiturq; ex cinere illius herbæ, quam Sodam, vel Kali nuncupant, de qua in capite de Sale differuimus. *Alumẽ fæcis.* *Alumẽ catinum.*

LOCVS.

DIOSCORIDES significauit omne genus ferè Aluminis in Ægyptiorum Regione nasci, scissile verò etiam alijs in locis oriri, in Macedonia, Sardinia Hieropoli Phrygiæ, Libya, & Armenia Agricola autem Alumen inueniri scribit in multis Germaniæ locis, in Saxonibus ad Albim, in Misenis vltra Albim, Badebergi in Voltlandis ad Blauam, in Thuringis ad Salfeldiam, in Bohemis Schachicij, in Norico, in Italia, in Sicilia, in Ponto, in Iudæa, in Babylone, & in alijs locis a Dioscoride, & Plinio memoratis. Plinius autem Alumen Melinum, ab Insula Melo denominatum maximoperè probauit. Deniq; Brasauolus & ipse fatetur ex Fodinis Germaniæ se Alumen accepisse; quandoquidem vbi fodinæ sunt, ibi Alumen, aut propè reperiri testificatur. Nos autem iuxta consuetudinem, ordine alphabetico, locos natales Aluminis magis peculiares enumerabimus. Omissis igitur Ægypto, & Africa, in territorio Calatrano minera Aluminis valdè diues collocatur. Territorium Cosentiæ ciuitatis Calabriæ venis Aluminis, & Salis abundat. Cuba insula Alumen profert, & in Cypro minera quasi nigra Aluminis rupei inuenitur. Cypsella in Thracia sita est, & vulgò partim græco, partim turcico nomine Chapsylar nominatur, cuius Incolæ, vt annotauit Bellonius, maiori ex parte Turcæ sunt, pauci Græci, & nonnulli Iudæi, quorum vnus Aluminis census, persoluto annuatim certo pretio, obtinet Hoc autem in loco Alumen non secus ac in Italia præparatur. Dibana terra aluminosa, est media inter Lipsiam, & Vibergam. *Li. 5. c. 82.* *L. 3. de foss.* *Lib. 1. Obser. cap. 6.*

Ger-

Germaniæ fodinas Agricola, & Braſauolus commendat; cum ibi copioſum Alumen reperiatur. In Haſſia aquæ ſapiunt Alumen, vt in Coſmographia vniuerſali annotatur. Huiuſmodi mineræ ſunt etiam in Helleſponto penès Metelinem, in Hiſpania penès Carthaginem.

Ilua inſula producit Alumen liquidum lutei coloris, quod manibus pertractatum molleſcit. In India, ad montem Ciapotulanum, Alumen perfectiſſimum fuit obſeruatum. Iſchia inſula venis auri, & Aluminis probè ditata eſt. Lipareæ inſulæ mineris Aluminis redundant, quæ habitantibus maximo ſunt emolumento. Lobeslana vena nigra eſt, ex qua poſtea candidum Alumen extrahitur. Luſatiæ quoque venam Natura aluminoſam nigram ſuppeditauit.

Propè Maſſam ciuitatem Italiæ, venæ Aluminis ſunt inuentæ. In Mexicana Regione ex terra aluminoſa coquunt Alumen, quod candidum, & pellucidum eſt inſtar noſtratis, necnon acri & aſtringenti ſapore eſt præditum. Hoc, referente Ioanne Euſebio Ieſuita, in Emporijs venale exponitur.

In Puteolano territorio ſunt mineræ ſulphuris, & Aluminis: immò non longè à Puteolis in foro Vulcanio habetur Alumen liquidum craſſæ ſubſtantiæ in colore flaueſcēs, cui ſapor ita acutus, & aſtringens ineſt, vt linguam inficere poſſit. Penès Plumbinum eſt Caſtrum, referente Sanſoino, vnde alumen effoditur. Porettanum balneum in territorio Bononienſi ſapit Alumen, Salem, & Sulphur; cuius conditionis ſunt Albulæ appellatæ in Agro Romano, & Corſena in Agro Lucenſi. Sardinia, annotante Botero, venis Aluminis eſt ditata, ſed Incolarum negligentia locus fodinarum ignoratur. Saxonia propè Luneburgum nobile oppidum venis aluminoſis ſcatet. Sicilia affluit alumine multis in locis, ſed potiſſimū Meſanæ, vt in Coſmographia vniuerſali habetur. Deniq; Tolfa locus eſt in Ditione pontificia luculentis opibus Aluminum ditatus, cuius maior pars ſunt montes ſaxis aluminoſis referti. Pariter in Agro Volaterrano aquæ aluminoſæ vertuntur in Alumen.

Li. 16. hiſt. nat. cap. 27.

PRÆPARANDI RATIO.

Lib. 12. de re metal.

DOCET Agricola varijs rationibus Alumen præparari: primò ex aqua aluminoſa ita decocta, vt in Alumen denſetur, vel ex diluto Aluminoſo, vel ex terra aluminoſa, vel ex ſaxo, vel pyrite, vel alio mixto conficitur. Alumen rupeum candidum, & pellucidum paratur apud Tolfam (Etruriæ apud Fliſcos municipium eſt, forum Claudij apud Ptolemeum eſſe ſunt, qui ſcribant) ex ſaxo, ſiue rupe exciſa, & in calcem redacta. Hanc autem conficiendi Aluminis rationem à Ioanne quodam de Caſtro Longobardo, temporibus Pij Secundi Pontificis Maximi, inuentam fuiſſe ſcribit Volaterranus. Itaq; lapides Aluminis fodina erutos, & in calcem coctos, frigida reſoluunt, huiuſmodi calcem in prægrandem Cacabum, cuius fundus eſt ex ære campano, conijciunt, & ſuppoſito igne validiſſimo, aqua in quam calx reſoluitur, per canales in vaſa quædam ex aſſeribus quernis, & Ilicinis (aliud enim lignum huic operi eſt ineptum) ruditer parata ducitur, & lignum mox aquam receptam in Alumen conuertit; ita ut latera vaſorum tota cryſtallina, & adamantina eſſe videantur, ſingulis particulis in figuras plerumq; hexagonas abeuntibus, pellucidis, & candidis; quotieſcumq; huiuſmodi calx ex minera alba parata fuerit: alioquin ex lapide rubeſcentis mineræ Alumen emergens, & ipſum rubeſcit.

Alumen Rochæ vſtū.

In Pharmacopolijs Alumen rupeum ad varios medicamentorum vſus præparatur hunc in modum. Collocatur Alumen rupeum in olla ſupra carbones accenſos, & tandiù vritur, donec bullas amplius non attollat: ſic enim redditur admodum leue, & pumicoſum, tuncque vocatur Alumen Rochę vſtum, quod in operationibus Chirurgicis tantoperè celebratur. Halchemiæ Profeſſores ex Alumine calcem, quintam eſſentiam, aquam aluminis dulcis, & alia huius generis eliciunt, quæ operationes, & præparationes apud Libauium recitantur. Aliter pro medicaminibus chymicis, præparatur Alumen, ſi quinquies phlegma illud capiti ſuo mortuo, aut fæcibus, ex quibus elicitum fuit, affundatur, & deſtilletur, & poſtremò ad ſiccitatem pellatur. Deniq; multa de præparatione Aluminis glaciei (ſic enim Alumē rupeum Chymiſtis nominatur) necnon

Alumen glaciale.

de

de mundatione Aluminis Iameni pro magisterijs chymicis apud Gebrum legenda sunt. *Part. 1. lib. 2.*

VSVS IN MEDICINA.

ADLABORARE debemus pro virili parte, vt omnes Aluminis in medicina vtilitates explicentur Dioscorides celebrat præsertim Alumen sciſsile, rotundum, & liquidum, sed probatissimum omnium sciſsile, & in hoc genere quod recens sit, candidissimum, & minimè lapidosum. Quandoquidē vis Aluminis fætorem oris tollit, tonsillas, & vuam labentem cōprimit, humentes gingiuas cohibet, & earumdem inflammationibus occurrit. Dentes mobiles ex aceto, aut melle confirmat. Aurium distillationibus cum succo herbæ seminalis (Botanici Polygonū vocant) fæliciter auxiliatur. Alumen liquidum natiuum, non tamen fluidum in bullas formatum, teste Plinio, aduersus vitia lienis probatur. Fœtum ex vtero pellit, vt scribit Dioscorides, deinde, exsiccando, omnes sanguinis fluxiones coercet. Quinimò cum aqua mixtum cimices, & pediculos interficere perhibetur. Sunt etiam, qui scribant puluerem Aluminis vsti sub axillis, pedibusq; gestatum eorundem prauum odorem corrigere. *Lib. 5. cap. 77.* *Herba seminalis.*

Præterea omnes Aluminum differentiæ cum succo Olerum lepram curare dicuntur. Cum fæce vini vlcera difficilia siccant, serpentia reprimunt, & carnem superfluam in illis absumunt. Deniq; omnia cutis vitia emendant, quæ à Dioscoride, & ab Auicenna enumerantur. Vnde Iodocius, in Enchiridio simplicium, vnico Tetrastico omnes Aluminis virtutes comprehendère conatur hunc in modum.

Vlcera, quæ putrent, compescit, stringit, & vrit.
Confirmat dentes, membraq; laxa iuuat.
Cum Sale compones si balnea, curat hydropem.
Aphthas (decoctum) sanat in ore tuo.

Hinc colligendæ sunt facultates aquarum Alumen participantium, quæ astringunt, & roborant; ideòq; profluuia mulierum cohibent, vomitiones, & abortum reprimunt, vlcera vesicæ, & renum detergunt, sanguinis mictum compescunt, vt in aqua Brandula nuncupata in Agro Carpensi manifestarium euasit. In ore si sæpius detineantur, distillationem ad fauces ruentē inhibet. Extrinsecus quoq; adhibitæ cuti vitiatæ magno sunt adminiculo: qnamobrem Auicennas in scabie, & hydrope balneum aquæ aluminosæ commendabat. Falloppius proponit aquam, quam vocat Aluminis, vel aquam aluminatam magistralem, cuius artificiosa compositio, & virtus apud Authorem legenda est. *In Lib. de morb. gall. cap. 93.*

VSVS IN VARIIS.

PRÆTER vsum medicum Aluminis, in multis alijs hic succus concretus quamplurimum prodesse poterit. Propterea Alumen dum Vinum adhuc nouum est, in eo infunditur, antequam feruescat: hac enim ratione, ad mentem Cardani, corruptionem incurrere nequit. Alij cum Origano, & lacte Alumen terunt, vt fiat spissamentum, quo illita à muscis eleganter defenduntur. Vt aliquid scribatur supra chartam à litteris absterſam, locus aqua priùs aluminosa est humectādus: sic enim atramentū non diffunditur. Rursus, in scribēdis litteris latētibus, recipienda est sufficiens quantitas Aluminis rupei, & minutim trita pauca obruatur aqua, vt litteræ scribi possint, quæ per se exsiccatæ in propatulo nusquam apparebunt, nisi charta communi aqua mergatur, nam tunc aqua obscurans chartam, in qua Alumen candicabat, ita operatur, vt litteræ legi apertissimè possint. Aliqui sumunt partes æquales Aluminis, & Ichthiocollæ, & cum aceto misturam componunt, qua aliquid imbutum, ad mentem Alberti, non comburitur. Item manus succo maluæ, & ouorum albumine illitæ, deinde Alumine insperſæ, absq; læsione ignem pertractabunt. Pariter, ex eiusdem Alberti sententia, vt quis totus appareat ignitus, liniatur Alumine, & aspergatur Sulphure; namq; absq; noxa conflagrare dicitur.

Varij Artifices, & præsertim Aurifices Alumine vtuntur. Primitùs aquam separationis

nis auri ex Alumine, Halinitro, & Chalcantho parant: deindè aqua ex Alumine aurum purificant. Amplius aquæ aluminoſæ, & atramentoſæ colorem æris ferro impertiuntur. Præterquamquòd mixtura Aluminis, & Atramenti ferrum indurat. Laccam artificialem ex lotio optimè deſpumato, & Alumine rupeo minutim trito conficiunt. Infectores lanas in aqua cum Alumine coquunt, vt faciliùs recipiant, & diù colores retineant.

Varij Artifices vtuntur Alumine.

Amplius veſtimenta maculoſa, aqua Aluminis, emaculantur, & præcipuè quando diligenter in hac confricata, aqua frigida abluantur: nam maculæ euaneſcunt, ſi hoc opus ſecundò repetatur. Item ad mangonizandam faciem Alumen alijs ſmegmatibus non cedit; quoniam, iuxta Mizaldi ſententiam, Alumen teritur cum oui albumine, & paratur vnguen, quo biduo, vel triduo facies linita emaculatur, erugatur, & venuſta redditur: idem præſtat Alumen Zuccharinum. Alioquin Alumen ſciſſile, vel plumæ ſupra genas fricatum illis ruborem adeò intenſum impertitur, vt ignis in illis eſſe videatur. Vuecherius etiam notat hoc Alumen ſciſſile ad formam ellychnij ſecari, quia in oleo ardet perpetuò, & non conſumitur. Similiter hoc Alumen minutim tritũ, & ioci gratia intra humeros proiectum, vel in lecto ſparſum, aſſiduo, & intenſo pruritu patientes afficit.

Lib. 3. de ſecr.

DE CHALCANTHO.
Cap. VI.

ÆQVIVOCA.

POST Alumen, de Chalcãtho agendum eſſe immediatè arbitrati ſumus; quoniam natura huiuſmodi ſuccorum cõcretorum valdè ſit affinis propter inſignem aſtrictionem, quam poſſident: diſcrepat tamen in hoc, quia Chalcanthum magis terrenæ ſubſtantiæ, Alumen verò minus ſit particeps. Hoc autem inde colligendum eſt; cum Chalcanthum producat Alumen: etenim oleum ex Chalcantho elicitum, quid aluminoſum ſpirare ſolet. Cæterùm, quia hic concretus ſuccus varijs apud Authores gaudet nominibus ambiguitatem euadere nõ potuit: quandoquidem vocatũ etiam fuit atramentum ab atro colore, quod multis rebus, ſed præſertim corijs impertitur. Quinimò hoc nomen, atramentum, æquiuocatione laborat: namq; aliud eſt atramentum naturale, quod ſanguis Sepiæ Authoribus dicitur, aliud eſt atramentum ſcriptorium, vel librarium, quo in ſcribendo quotidie vtimur, aliud eſt typographicum, quod Chalcographi pro characteribus imprimendis adhibent, aliud tectorium ad picturas idoneum, aliud deniq; ſutorium, quo Sutores colorem atrum corijs communicant, quod etiam, nomine Chalcanthi, deſignatur, de quo in præſentia ſermo habetur. Albertus Magnus, Matthiolus, & alij Authores ſuccum hunc concretum, nempè Chalcanthum, nomine Vitrioli, vel Vitreoli indicarunt. Sed aduertendum eſt, quòd vulgus, hoc nomine, Chalcitim, Miſy, & cætera huius generis Chalcantho affinia intelligit. Præterquamquòd Vitreolum apud Botanicos ſignificat herbam circa muros naſcẽtem, quam propterea Parietariam indigitant. Dioſcoridi tamen Helxine appellatur, quia veſtimentis tenaciter adhæreat. Vitreolum autem dicitur, quia ad tergenda vitra ſit idonea: quinimò ob hanc etiam cauſam Vrceolaris quibuſdam cognominatur; cum in tergendis vrceis alijs remedijs abſtergentibus non cedat.

Ordinis ratio.

Atramenta varia.

Vitriolum herba.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

CHALCANTHVM in primis vocabulum eſt à Græcis deſumptum, quandoquidem in lexicographis Græcis non ſolum legitur χάλκανθος in genere neutro, verum quoq; χαλκανθος generis maſculini, & χαλκανθη generis fœminini, quibus nominibus Chalcanthum, ſeu Atramentum ſutorium ſignificatur. Dicitur autem Cal-

can-

A canthum, quasi flos æris, aut quia, vt alij volunt, ex Chalcitide, vel lapide æroso efflorescat; non autem χαλκὲ ἄνθος, diuisa voce, quæ denotat æris florem, seu æruginem, de qua partim in primo libro partim in hoc tertio differemus. Nicander in Alexipharmacis χαλκοῦο ανθὴν pro Chalcantho scripsit; idq; Scholiastes græcus animaduertit, dum illud aduersus fungorum venena præscribit, & eadem vis à Dioscoride Calcantho attribuitur. Præterea Dioscorides, Plinius, & multi alij Authores Chalcanthum vocarunt. Atramentum sutorium, & coriarium, quoniam olim apud Sutores, in tingendis corijs, adhiberetur. Hodie, quia est admodum acre, & coria adurit, Opifices rarissimè eo vtũtur; namq; illius loco, vinum est in vsu, in quo ferrum computruerit. Albertus Magnus, Matthiolus, & alij Chalcanthum cognominarunt Vitreolum, cum instar vitri pelluceat. Brasauolus, in Examine Simplicium, notat ab aliquibus nuperis, corrupto vocabulo, vocari Colcotar, quo vocabulo Chymistæ etiam vtuntur ad caput mortuum olei Chalcanthini denotandum. Admonet etiam Brasauolus, quòd Zez Serapionis nõ est Chal-
B canthum, vt nonnulli perperàm affirmant, sed Misy Antiquorum significat, quod Chalcantho affine esse dicemus.

Chalcanthum cur dicatur Vitriolum.

Primam speciem Chalcanthi apud Dioscoridem, quod stalacticum vocatur, Serapio in Tractatu de simplicibus, Sciaron Arabibus appellari scripsit. Nuperi Authores Coperosam, vel Cuperosam, veluti rosam varij coloris indigitarunt, efflorescentem circa cupas, in quibus aqua atramentosa condensatur in Chalcanthum. Quamuis sint, qui omnes Chalcanthi species hoc nomine donauerint. Quinimo in fodinis circa pyritem ærosum, & extra fodinas circa terram atramẽtosam huiusmodi materia, instar rosæ varij coloris, efflorescere obseruetur. Item Amatus Lusitanus animaduertit hoc naturale vitriolum ab Hispanis, Italis, & Gallis Cuperosam appellari. Geber eximius artis Chymicæ professor, quando agit de medicinis Lunam citrinantibus, Chalcanthum gummam Cupri vocat: ibi enim ærosam Cupri substantiam intelligit. Auicennas tertiam Chalcanthi speciem à Dioscoride descriptam Sahire, & Serapio Afron indigitarunt. Gulielmus Placentinus, in explicatione medicinarum simplicium Chalcanthum, voce corrupta, Chalcaturã nuncupauit. Italis dicitur Vitriolo, Gallis Vitriol, ou Cuperose,
C Hispanis Caparcosa, Germanis Kupfer, Vuasser, nimirum aqua Cupri, & interdum Victriol.

Cuperosæ etymum.

Annot. 74. in Dioscor.

Gummi Cupri quid

NATVRA, ET AFFECTIONES.

AQVAM congelatam, assumpta æris natura, Chalcanthum prædicare possumus, quæ postmodum habeat diuersam formam, atq; substantiam, iuxta naturam lapidis, cui adhæret. Quandoquidem hoc veluti & Chalcitis, Melanteria, Sory, & Misy (omnes hi succi concreti magnam inter se habent cognationem) ex acerbo succo producuntur, qui generatur, quotiescunq; humor circa pyritem erosum, & friabilem concreuerit. Quamobrem non est mirandum, si aliquãdo Galenus scripserit Chalcanthum, tractu temporis, in Chalcitim degenerare. Vidimus quandoq; circa lapidem ærarium agglutinatum instar crystalli Chalcanthum candidum, aliqua tamen ærugine
D infectum: vnde colligendũ est materiam Chalcanthi ex ære originem ducere. Præterea Chalcanthum naturã quoq; Aluminis participat, cum ipsius oleum, referente Cardano, Aluminis odorem spiret: idcircò non est mirum si vehementer astringat. Immò, ad mentem Agricolæ, odorem etiam fulminis spargit, & cum odor fulminum sapiat sulphur, asserendum erit Chalcanthum, & sulphur in vnã quodammodo naturam conuenire, non tamen colligendũ est Chalcanthum ex sulphure vulgari constare, sicuti neq; arguendum est sulphur ex Chalcantho integrari. Possumus tamen affirmare Chalcanthum habere quamdam substantiam communem, quæ vtriusq; compositionem ingreditur. Hæc autem substantia communis est Salina quædam, vnde acris illa fuligo exhalat', & spiritus ille acidus prouenit. Quapropter Chalcanthum, & sulphur erunt substantiæ compositæ, dum vtraq; Sale sui generis potitur, qui in fuliginem acrem, & spiritum acidum resoluitur. Hactenus à multis peritis Chalcanthi, & sulphuris spiritus pro rebus diuersis sunt habiti, cum tamen spiritus sulphuris, & Chalcanthi veluti ex eadem re prouenientes nulla ratione discrepent, dum ambo eumdem saporem, colorem, easdem prorsus qua-

Lib. 5. de subtil.

Spiritus Sulphuris, & Chalcanthi differentia.

Spiritus sulphuris, & chalcanthi differentia.

litates,& effectus poſſideāt,& in ijſdem affectionibus à medicis præſcribantur.Neq; hactenus eſt inuentus, qui peculiarem aliquam ſeu manifeſtam, ſeu occultam qualitatem in ſpiritu ſulphuris oſtendere potuerit, quæ in ſpiritu Chalcanthi eadem non fuerit obſeruata.

Halchemiæ profeſſores aſſiduis operationibus,& diuturnis obſeruationibus,inuenerunt metalla in Chalcanthum reſolui: quapropter ſi hoc veritati eſt conſonum,non immeritò Chalcanthum omnium metallorū parentem cognominarunt. Quamobrem fortaſſis Theophraſtus Paracelſus,in libro Auroræ Philoſophorum,Chalcanthum nobiliſſimum minerale prædicauit hoc ænigmate à Philoſophis velatum. *Viſitabis Interiora Terræ Rectificando Inuenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.*Huius ænigmatis omnes primæ litteræ, à quibus ſingula vocabula inchoant, ſimul iunctæ formant nomen, quod ſonat Vitriolum: Hoc ænigma recitatum etiam fuit in primo capite primi libri huius Tomi, quando de ortu metallorum agebatur.

Sin odor, fumus, & color obſeruentur: notandum eſt odorem eſſe noxium, & fumum adeò grauem, vt omnes arbores enecet.Quoad colorem Chalcanthum Italicum eſt viride, vſtum verò rubedinem Rubricæ valdè ſimilem acquirit, æs enim in illo latibulatur; quocirca colore æris partes Chalcanthi interiores ſunt refertæ, non eſt ergo mirandum ſi aduſtum rubrum euadat, dum talis color in ære etiam obſeruatur. Alioquin in Chalcantho color aliquando candidus,quandoq; viridis,& interdum cæruleus viſitur, in ſua quoq; materia quaſdam micas habet veluti ſcintillātes: cum omnia foſſiliū genera aliquid habeant, quod refulgeat,vt inter metalla,aurum,inter lapides,gemmæ,& inter ſuccos concretos, Chalcanthum, de quo in præſentia agitur. Ex conditionibus, & prærogatiuis Chalcanthi recitatis natura aquæ Chalcanthoſæ cognoſci poterit:namq; hæc, more Vitrioli, aſtringens eſt,& cum aſtrictione intenſam acredinem poſſidet:præterquamquòd, dum guſtatur, odor abominabilis percipitur. Verùm, colore,huiuſmodi aqua non cognoſcitur, quoniam Chalcanthum in propria vena non refert illum colorem, qui extra venam in illo obſeruatur.

DIFFERENTIÆ.

Lib. 34. cap. 12.

VARII Authores varias Chalcanthi differentias conſtituerunt. Plinius illud in foſſile, & factitium diſtribuit. Matthiolus quoq; diuiſioni plinianæ inhærens, duo Vitrioli genera in Hetruria eſſe retulit, quorum alterum eſt foſſiticium, & per ſe in viſceribus terræ concreſcit, quod vulgò Cuperoſam vocant. Alterum factitium, cuius apud Infectores frequens eſt vſus. Semper nobis placuit diuiſio Chalcanthi à Dioſcoride aſſignata, dum illud in natiuum,& factitium diſtinguit; deinde natiui,& foſſilis duas ſpecies enumerat. Prima eſt, quæ in venis, fibris, & commiſſuris ſaxorum à Chalcitide efflóreſcit, aut circa fornices fodinarum, inſtar ſtiriarum deſtillat. Hoc genus græci σαλαχτινὸν nominant. Hoc puriſſimum Chalcanthi genus à Plinio celebratur genitum hyberno tempore ſtiriis in ſcrobes decidentibus. Alterum foſſile Dioſcoridis, quod partim natiuum, & partim factitium æmulatur à Græcis πικτὸν, ſcilicet concretum dicitur;ſitq; ope pluuiæ à montibus per metalla labentis in lacunam,quæ poſtea in vaſa transfuſa,ope illorum,qui damnati erant ad metalla,paucis diebus in Chalchanthum concreſcebat. Metallarij olim in Cyprijs verſantes fodinis primum Vitrioli, genus ſtalacticium, & ſecundum concreticium indigitabant. Hæ duæ Chalcanthi differentiæ natiuæ à Dioſcoride nuncupatæ, tum ratione glebarum, tum ratione productionis inter ſe diſſident Hoc Chalcanthi genus in fodinis ſponte concretum Germani Kupfer Rauch, nimirum fumum æris cognominant. Exactam ſecundæ ſpeciei Chalcanthi Dioſcoridis generationem docuit Galenus, quam verſans in fodinis Cypri, & præſertim in mineris montis Solei, vel Solis (hic noſtra ætate vocatur mons Sanctæ Crucis, cum in illius faſtigio extructum ſit templum nomine Sanctæ Crucis Deo Sacratum) obſeruauit, & præcipuè conſpicatus eſt locum effoſſum repleri aqua viridi ex pertuſo colle deſtillante, quæ à nonnullis in piſcinas vinctis, extra ſpecum, fictilibus quadratis, efferebatur, quæ poſtea paucis diebus in Chalcanthum denſabatur, quemadmodum etiam docuit Dioſcorides. Hic vnum eſt animaduerſione di-

Lib. 5. cap. 64.

Lib. 9. de ſimp. med. fac.

A dignum, quod in prima differentia, nempè in Chalcantho stalactico perfectam coctionem, sed in secunda, uempè in Chalchantho concretitio molita est.

Hactenus de natiuis, & fossitijs Chalcanthi speciebus dictum sit. Iam ad Chalcanthum factitium properandum est. Hoc plerumq; ex gleba quadam maculis ferrugineis, & æruginosis conspersa paratur, dum in aqua coquitur: quapropter Græcis χάλκανθος nimirum cocti le nuncupatur. Quādoquidem ars naturæ æmula nititur, breui tempore, moliri illam operationem, quam Natura, tempore diuturniori, efficit: ideò materiam, ex qua Natura Calchāthum producit, in aqua diligenter coquit, & inde Vitriolū breui temporis spatio elicit, quod ob illius imperfectionem, & imbecillitatem cæteris Chalchanthi speciebus postponitur: quocirca eius vsus potiùs apud Infectores, quam apud Medicos est frequens. Inter factitia olim Vitriolum Cyprium excellebat; hodie Germanicum, & Romanum summoperè commendatur: Romanum tamen in omni opere cæteris antecellere videtur. Nuper ex regionibus transmarinis, à quibusdam Syris nomine Tutiæ

B Indicæ, genus quoddam Vitrioli factitij, sapphirini coloris, & taxillorum forma, aduehi cæpit, & Venetijs pro medicamine oculorum venundatur. Inda Tutia ab illis appellatur, quia olim ex India in Syriam afferreretur; cum tamen à Tutia toto Cælo discrepet. Nunc quoq; hæc eadem materia ex quadam Dalmatiæ parte asportatur.

Chalcāthū factitium.

Tutia Indaqua.

Nonnulli viri docti admirantur, cur Galenus omniquaq; diligentissimus primæ, & tertiæ differentiæ Chalcanthi non meminerit; cum tamen Dioscorides omnes tres differentias diligenter ponderauerit: hinc has species Galeno incognitas fuisse arguunt. Quamobrem, vt partes Galeni tueamur, asserere debemus secundam Chalcanthi differentiam à Galeno tātummodo fuisse examinatam, quoniam hæc in vsu medico erat frequentissima, dum Chalchanthum stalacticum in prima specie constitutum esset modicæ quantitatis, & Chalchāthum tertiæ differentiæ in Hispania tantummodo, sua tempestate, pararetur; quemadmodum Dioscorides nobis insinuauit. Præterquamquod hæc tertia species ad medicinæ vsum non trahebatur. Galeno tamen hanc quoq; differentiam fuisse cognitam inde colligimus, quoniam meminit atramenti scriptorij, cuius mistu-

C ram Chalchantum tertiæ speciei ingreditur. Deinde nostra ætas Chalcantho secundæ speciei caret, quod à Galeno tantopere celebratur, quoniam hodierni artifices Chalcantho coctili, nimirum tertiæ speciei vtuntur.

Quoad colorem, in Chalcantho varij colores obseruantur. Scribit Albertus Magnus aliud esse rubrum, aliud citrinum, aliud fuscum ad nigredinem inclinans, & aliud viride. Secundū Dioscoridem, Brasauolum, & Plinium, aliud est cæruleum, & pellucidum, aliud candidum, quod Leucoium appellatur: alioquin Leucoium apud Botonicos est violæ flos notus.

Lib. 5. minerr cap. 3.

Postremò recensebimus illas Chalcanthi differentias, quas longa obseruatione conspicari sumus. Primum fuit Chalcanthum Saxonicum tenue, & albæ violæ persimile, quale Leucoium nominari paulò ante diximus. Secundum fuit Chalcāthum ex fodinis Bohemiæ, ad instar tessellarum à natura formatum, prodiens à pyrite æroso; & Melanteria pyritem circumplectente. Obseruauimus quoque Chalcanthum cæruleum stillaticium ex Cypro, & idem ex Agro Volaterrano; immò & Tridentinum vnà cum sua vena ex fodinis Tridenti erutum. Pariter Chalcanthum cum Misy natum, cum Chalcitidè,

D cum Misy, & Sory, necnon cum Misy, Melanteria, & Alumine.

Leuiorum vox æqui noua.

Amplius Chalcanthi factitij plura genera examinauimus primum fuit cyprium coctile pellucidum, colore cæruleo; huius autem multas etiam species vidimas, nempè Cyprium fistulosum, & alterius qualitatis, item factitium in Italia cognomento Romanum, viride, rubrum, & alterius coloris. Chalcāthum in Germania coctum, & cæruleum præ manibus habuimus non elegantia, sed bonitate cyprio inferius, insuper aliud Germanicum subalbum, quo nonnulli in componenda theriaca, pro Chalcitide perperàm vtuntur. Denique Vngaricum nobis fuit communicatum, cuius beneficio ferrum in æs transmutatur, dum illi in aqua dissoluto ferrum additur, quod paulatim in rubiginem soluitur, ex qua postea miro artificio æs factitatur.

CHALCANTHO AFFINIA.

INTER quinq; ſuccos concretos, nempè inter Chalchãtum, Miſym, Sorym, Chalcitim, & Melanteriam maxima intercedit cognatio, & affinitas. Id cõfirmarunt non ſolum Dioſcorides, Galenus, & Plinius, verũ quoq; Matthiolus in Prolegomenis ad Dioſcoridem, dum hos quinq; ſuccos concretos viribus inter ſe non diffidere pronunciauit: quãuis maior pars horum ſuccorum, noſtra ætate, ſint ignota: pauci enim ſunt in Italia, referente Matthiolo, qui legitimas horum ſuccorum differentias obſeruauerint. Priſci tamen horum ſuccorũ cognationem nouerunt ex fodinis vnde eruuntur, quæ pyrite tanquam horum generum omnium cõmuni parente redundant. Deinde horum affinitas inde colligitur, quoniam Chalchanthum natiuum, & præſertim Cyprium, Chalciteos, Miſyos, & Soryos eſt particeps, cum ducat originem ab aqua vireſcente, quæ continuò ſtillici dio ex monte dilabẽs in ſpeluncam, Chalcitim, Miſym, & Sorym abluit, deinde ſponte in Chalcanthum denſatur: idcircò facilis eſt inter hos ſuccos tranſitus, dum omnes tractu temporis inter ſe tranſmutantur: quinimò Galenus Calcanthum conſenescens paulatim verti in Chalcitim obſeruauit. Quamobrem nonnulli iure optimo atramentum metallicum patrem Chalcanthi conſtituerunt, &, per atramẽtum metallicum, Chalcitim, Miſym, & Sorym intellexerunt: etenim has omnes ſuccorũ ſpecies ſimul copulatas Agricola Pyritem æroſum appellauit. Huiuſmodi atramentum metallicum Galenus ſimplici nomine metalli vocitauit, non quòd malleo, inſtar metalli, duci poſſit, ſed metaphoricè loquens id tanquã magnam metalli portionem continens ſimplici nomine metalli indigitauit. Idcircò idem Galenus fatetur ſe in fodinis Cypri ęrarijs conſpicatũ fuiſſe huiuſmodi metallum ſuaptè natura concretum, & in tres Zonas valdè extenſas alternatim hoc ordine diſtinctũ, vt inferior Zona eſſet Soryos, ſupra quam ſecunda Zona Chalciteos inſtar efflorescentiæ apparebat, & tertia erat Miſyos, quæ ſupra Chalcitim ad inſtar æruginis cõſpiciebatur: quapropter hi tres ſucci concreti proculdubiò tãquam cognati, & affines ex vnica radice dimanare videntur. Iam accedendum eſt ad ſingulorum examen. Chalcitis eſt ſuccus metallicus cõcretus rubro æris colore refertus; vnde nomen ſibi vindicauit. Eſt tamen diuerſa à Pyrite æroſo, qui & Chalcitis à Plinio fuit nuncupatus; ex illo enim æs, & argentum excoquitur, eſtq; coloris nigri, aut fuſci, aut cinerei, cũ tamen Chalcitis, de qua in præſentia agitur, colorem æreum perpetuò referat. At Plinius hanc diſtinctionem exactè non obſeruauit, dum de noſtra Chalcitide verba faciens, lapidem vocari ſcripſit, ex quo æs coquitur, item continere tria foſſilium genera, Æris, Soryos, & Miſyos, quibus verbis pyritem ęroſum, & Chalcitim veram cõfudiſſe videtur. Præterea legitur Chalcitis συπηρίν apud Hippocratem, quam nõnulli viri eruditi quamdam aluminis ſciſſilis ſpeciem, eamq; trichitim eſſe aſſeuerant, quæ in pyrite ærario cõcreſcere ſoleat. Galenus, in expoſitione vocum Hippocratis, ſimpliciter Chalcitim intelligere voluit: inquit enim χαλκῖτις συπηρίν ἴσον τῷ χαλκίτιδι. Quamuis ſint, qui velint Chalcitim, & Alumen tanquam duo diſtincta ab inuicem medicamenta ibi ab Hippocrate fuiſſe memorata. Verùm Chalcitis ita aſtringit, & acris eſt, vt acrimonia ſuperet, quæ tanta eſt, vt carnem vrat, & eſcharam inducat: quocirca collocatur inter venena, quæ, viſcera erodẽdo, interimunt. Eſt autem mediæ inter Sorym, & Miſym naturæ. Item Chalcitis, in compoſitione Theriacæ Andromachi ſenioris reponitur, vt tota antidoti maſſa colore nigro inficiatur. Hinc multi crediderunt hoc ſimplex medicamentum ab hac antidoto vtiliter arcendum eſſe, cum id medicamenti genus cauſticum ſit, & internis viſceribus ſummoperè noceat. Sed non animaduertunt Chalcitim vſtam reddi mite medicamentum, & acrimoniæ expers. Qui autem ſcripſerunt hoc medicamen vſtum maximè cauſticum fieri, non ſolum veritatem non ſunt aſſecuti, verum quoq; in doctrina Galeni parùm verſati eſſe viſi ſunt: is enim pluribus in locis pharmaca erodentia vſtione vim cauſticam deponere tradidit, & præſertim quando ſcripſit. *Nulli dubium eſt mitia pharmaca mihi dici Diphrygem, Sarcocollam, Chalcitidem vſtam, item combuſtum æs, æruginem, & Chalcantum; quæ ignem non experta, acria omnia ſunt; combuſta moderata: lota, poſt combuſtionẽ, lenia, mordacitatiſq; expertia fiunt.* Id longè ante Galenũ à Dioſcoride annotatum fuit: nam poſtea quam de Chalcantho, Chalcitide, Miſy, Sery, & Melanteria

Lib. 5.

Li. 9. de ſimp. med. fac.

Loco cit.

L. 34. c. 12.

L. de Vlcer.

Theriaca color qualis.

Lib. 4. de comp. med. ſec. gen. ca. 5.

A teria abundè pertractàuit, deinde addit hæc verba. *Hæc autem ferè omnia, quæ vstionem experta non sunt, peruſtis validiora esse existimandum est, præter Salem, vini fœcem, nitrum, calcem, & consimilia, quæ cruda remissiora sunt, combusta autem efficaciora redduntur.*

Pariter Galenus seorsim de Chalcitide verba faciens, talia protulit verba. *Chalcitis est medicamentum mordax, si cruda adhibeatur. Quapropter, vt vim ipsius diminuamus, vsta frequentius vtimur.* *Lib. 6. de comp. med. sec. loc. c. 3.*

Quamuis autem Chalcitis in gratiam solius coloris Theriacæ admisceatur, vt Galenus testificatus fuit, non tamen omittenda est, etiamsi toti massæ saporem ingratum conciliet: propterea quòd id commodè peragi nequit, sinè vitiata totius antidoti præparatione. Præterquamquòd si Chalcitis omitteretur, illius loco, aliud medicamentum esset substituendum, quod præstare, nimis temerarium foret: omnis enim vis, & facultas antidoti peruerteretur: Satiùs igitur erit vnà cum Galeno huic pharmaco theriacali addere Chalcitim, vt deinde, deriuata eius rei, & facultate, in vniuersam antidoti B massam, quibusdam internarum partiũ affectibus opitulari possit, verbi gratia, sputo sanguinis, & cęteris ęgritudinibus, quę insigni astrictione indigeãt: quinimò vt externis etiã morbis, nempè vlceribus malignis occurrere queat. Verum quidem est, quòd, in defectu Chalcitidis, Chalcanthum aduri potest, cum genere, & viribus illi proximum esse paulò ante declaratum fuerit. *Morbi astrictione indigentes.*

Misy, affinitate generis, Chalcitidi simile Dioscorides prædicat, non autem illud Misy è tuberũ genere, quod in Cyrenaica Prouincia suauitate odoris, & saporis præstãtissimum nasci, Plinius prodidit, sed hoc in loco intelligimus fossile, & metallicum, quod colore est luteo, & friatum aureis scintillis radians, substantia dura, arenosa, & terrea: quamuis nonnulli id in formam pollinis concrescere obseruauerint. Est autem Misy partium multò, quàm Chalcitis tenuiorum, necsolum ex Chalcitide, sed etiam ex Chalcantho tum fossili, tum facticio, Melanteria, & Sory efflorescit. Quinimò, ob specialem cognationem, Chalcitim in Misy quandoq; , temporis tractu, transire aunotauit Galenus, nimirum crassis partibus Chalcitidis, naturæ, & temporis ope, attenuatis: Nascitur in ijsdem metallis, in quibus crescit Chalcitis, necnon tanquam ærugo supra æs in- C terdum efflorescit. *Misy Tuberum genus.*

Sequitur Σῶρυ, seu Σῶρι (sic enim apud Aetium, & Paulum legitur) an quia Σωρὸς sit cumulus, vel aceruus, quoniam aceruatim vnà cum Misy, & Chalcitide augeatur. Est melanterię natura adeò proximum, vt Dioscorides scripserit multos Veterum, in vtriusque cognitione, deceptos fuisse, quia Sorym recipiẽtes, Melanteriam esse crediderunt. Est autem Sory sui generis, melanterię non absimile, colore ferè nigro, duritie lapidea, ob vehementem cõcretionem, odore ita graui, vt olfacientes nauseam sentiãt. Pinguedinẽ aliquam habere solet cum aliquibus foraminibus, quæ proprietas huic concreto succo peculiaris esse perhibetur. In ijsdem, quibus Chalcitis, & Misy metallis, prouenit. Virtutibus, & astrictione prædictis succis assimilatur. Apud Aetium Διασώρεως emplastrum habetur ad vlcera καχοήθη efficacissimum. *Sory natura & vires.*

Melanteria succedit dicta Dioscoridi μελαντηρία, Latini atramentum metallicum appellant. Hic succus in metallis cõcrescens duplicis originis obseruatur; nam aliquandò instar salsuginis, vel lanuginis, circa pyritem ærosum efflorescit, rara, mollis, leuis, per D quam atramentum viride sutorium, forma capillorum sæpè numero procedit, aut est gleboſa, dura, & solida, quam Dioscorides terrenam nuncupauit. Color Melanteriæ niger est, vt ipsa indicat nomenclatura: etenim μέλας est niger, & τηρέω seruo, quia nigrũ colorem semper seruet. Exsiccata plerumq; cinerea euadit, & contactu aquæ (digiti, aliqui ex Arabibus scripserunt) confestim nigrescit. Præterea in melanteria sulphureus quidam puluis gustu Misyos efflorescit. Quamuis Agricola Sorym melanteriæ, quasi florem, & Misym Chalcitis esse voluerit. Amplius Melanteriæ veluti, & Misy vis maxima astringens inest, itaut omnia medicamenta astringentia sua tenuitate superent. *Melanteriæ natura, & vis.*

LOCVS.

L.5. foſsil. cap.6. CHALCANTHI peculiaris locus erit venæ metallorum terminus, ſi nonnulli, referente Falloppio, veritatem ſunt aſſecuti. Quandoquidem Plinius aliquãdo ſcriptis mandauit, finem effodiendorum metallorũ eſſe venam Aluminis repertam: cum hæc indicare ſoleat nihil amplius metalli ibi ſupereſſe. Aliqui autem, per Alumen, in hac Pliniana lectione, exponunt glebam quamdam in terræ viſceribus aduſtam, quæ Vitriolum vulgò nuncupatur. Hanc opinionem Falloppius iure optimo probare non videtur. Verùm, quoad regiones Chalcantum producentes, Galenus meminit Cypri, & Plinius Hiſpaniam, & Cyprum memorauit. Agricola loca multò plura pro natali Solo aſſignauit Chalcantho, nimirum Hiſpaniam, Germaniam, Saxoniam, Hyrciniam Syluam, illam Hungariæ partem, quę Dacia quondam vocabatur, Cyprum, Ciliciam, Aegyptum, Africam, & Italiam.

L.33.c.11.

Nos autem, iuxta conſuetudinem, natales locos magis peculiares recenſebimus. Primitùs ad radices Apennini, quæ vulgò Alpes Diui Peregrini appellãtur, vena eſt Chalcanthi, quæ, ex centenis, denas optimi Chalcanthi libras reddit. Apud Branbecum pagum vena, ſeu terra aluminoſa inuenitur, quæ nonnihil Miſyos, & Chalcanthi participat. Bagnaceræ Agri Romani oppido, Chalcanthum viride paratur, Vngarico, ob præſtantiam æquandam ſimile. Apud Cepuſiũ, quod eſt pars Carpathi montis, tria æris metalla inueniuntur, vbi atramentũ ſutorium, nempè Chalcanthum conficitur. Falchia eſt quædam regio, vnde, teſte Serapione, Vitriolum effoditur, vt refert Ortelius. In Germania omne Chalcanthi genus habetur, primò Stalacticum variorum colorum, deinde concreticium rufum, puniceum, candidum, & viride, præterea in ſubſtantia varium, nempè lapideum, pingue, ſciſſile, & teſſellatum, deniq; coctile cæruleum, & viride. Iluæ inſulæ mineras Chalcanthi, ſulphuris, & plumbi Boterus aſſignauit: immò Vitriolum in hac inſula effoditur Cyprij æmulum, quod colore Armenij lapidis colorem imitatur. Inſuper factícium in multis Inſulæ locis paratur. In Poloniæ montana regione, apud Miezum oppidum, eruitur Vitriolum, quod poſtea in lapideam duricien coqui nuper cæpit. Schemmicij, vena Chalcanthi in candido pallida obſeruatur, quæ Alumen participare perhibetur. In Senenſis agri pluribus locis, præſertim in ſyluęſtribus plerumq; vallibus, authore Matthiolo, vena Chalcanthi foditur, quæ potiùs terrea, quam lapidea eſſe dicitur, nonnullis maculis reſperſa, quarum aliæ colorem rubiginis, aliæ æruginis referunt. Demum in Agro Viterbienſi, ſed præcipuè in Volaterrano apud Libienum montem, terra nigra vnà cum Vitriolo eruitur, & ibi fontes aquam fundunt, quam, ob ſaporem, acutam, & acrem cognominant, cum nullum animal illam guſtare audeat, quia ſubſtantiam Chalcanthoſam participat.

Chalcanthum vli paretur.

In comm. ad Dioſc. l. 5.ca.74.

PRÆPARANDI RATIO.

FACTICIVM Chalcanthum præparari docebat Dioſcorides ex gleba quadam maculis rubiginoſis conſperſa, aqueo humore madefacta, & fermentata ardore Solis; vnde poſtea Chalcanthinus humor elicitur, qui ſolo interdum calore Solis, & quandoq; ignis in Chalcanthum denſatur. Præterea alios præparandi, & conficiẽdi Chalcanthi modos Plinius aſſignauit. Alios etiam doceãt Metallarij quos, breuitatis ſtudio, prætermittimus, & ſolam huius parandi rationem recitabimus, quam Matthiolus in commentarijs ad Dioſcoridem recenſuit. Itaq; in Italia eruunt quemdam lapidem, vel potiùs cuiuſdam terræ glebam coloris cinerei, intermixtis maculis viridibus, & rufis, ſapore acerbo, odore viroſo, foſſoribus admodum noxio: quapropter hanc non in cuniculis, ſed, aperto Solo, & Cœlo, fodiunt. Huius materiæ aceruos, ſpatio ſemeſtri, imbribus, & Soli exponunt, deinde totidem diebus ſub tecto ſeruant, deinde aqua ſoluunt, defæcant, & in vaſis plumbeis coquunt: ſola enim materia plumbea ab acredine ſucci huius concreti non corroditur: Hæc igitur aqua refrigerata, & alueis ligneis transfuſa, vt de ſ lumine rupeo explicatum fuit, paulatim in Chalcan-

Li.5.c.74.

L.34.c.15.

thum

thum concrescit. Gabriel Frascatus agens de aquis Returbij, Agri Ticinensis, scripsit multos, in Hetruria apud Massam, in parando Chalcantho, obseruasse, ex permixtione ferri, & æris, in aqua chalcanthosa feruente, eamdem in Vitriolum meliùs, & citiùs condensari, quam operationem esse necessariam multi alij Authores prodiderunt. Sed vt veritatem fateamur, valdè decepti sunt, cum experientia totum oppositum doceat. Cæterum obseruatione dignum est, quòd materia chalcanthosa in aceruos cumulata, quamdam materiam spongiosam varij coloris extra superficiem spargit, quemadmodũ etiam efflorescit extra vasa lignea, in quibus prædicta aqua densatur in chalcanthum, hæc tamen tenuioris est substantiæ, & vtramq; Cuperosum vocant. *Lib. 1.* *Cuperosa quid sit.*

Adeò frequens, & necessarius fuit Chalcanthi vsus, vt ingenium hominis excogitauerit nouum factitandi Vitrioli modum, iuxta vulgatum carmen.

Est semper nobis nouitas grat ſima e um.

Hoc nouum Vitrioli genus est illud, quod Syri quidam Venetijs Tutiam Indam vocantes venditant. Paratur autem hunc in modum, iuxta descriptionem à Caneparío assignatam. Recipitur æqualis portio Salis nitri purificati, Salis Sodæ similiter depurati, Aluminis rupei, Aluminis Fęcis, Chrysocollæ naturalis, limaturæ æris, vel æruginis vulgò Viridis æris: his omnibus tritis, & in fictili olla collocatis sufficiens quantitas vrinæ, & aquæ affunditur, quæ iuxta ignem posita seruefiant, donec tertia pars decrescat, & tunc materia colata, &, abiectis fæcibus, in cella vinaria, vel alio loco humido reponatur, nam, breui tẽporis spatio, instar factitij alterius Chalcanti in magnos lapillos, forma ferè quadrata, & oblonga concrescet, colore cæruleo subuiridi, substãtia magis densa, quam vulgaris Chalcanthi, & ad instar lapidis solida. Nihilominus etiamsi constet materia densa, & solida, more aliorum succorum concretorum, in aqua, vel alio quouis liquore liquescit, & facultatem astrigendi, exsiccandi, & abstergẽdi possidet. Quinimò quamuis sit Vitriolum absq; vlla portione Vitrioli paratum, attamen naturam Vitrioli refert, quoniam ex ære, & Alumine integratur, quos duos concretos succos Vitriolo affines, & cognatos esse explicauimus. *Tutia Inda quæ.* *In Lib. de Atram.*

Ad præparationem Chalcanthi spectant etiam nonnullæ operationes chymicæ, quibus sulphur, & hydargyrum à Chalcantho elicitur. Constat enim ex Aristotile, & communi omnium Philosophantiũ sententia, nullũ corpus in hoc mundo esse constitutũ ex aliqua simplici, & vniformi substantia, sed ex pluribus inter se contrarijs, & discrepantibus, quæ postea ab inuicem aliquo artificio segregari possunt, cui sententiæ, multis in locis Galenus assentitur. Cum igitur Vitriolum sulphuris odorem spargat, nõnulli Halchemiæ Professores, chymicis organis, illud necnon hydrargyrum à Chalcantho segregare conati sunt. Huiusmodi autẽ artificiosæ operationes apud Caneparium leguntur. *In Lib. de Atram.*

Præparatio Chalcitidis tanquam Chalcantho cognatæ hoc in loco est ponderanda siquidem, pro vsu medico, eatenùs aduri debet, donec colorem floridum contraxerit: At, apud Galenum, ex vario huius medicamenti adurendi modo, varij etiam colores in Chalcitide resultant. Quandoquidem Chalcitis in olla absq; operculo supra carbones accensos posita liquescit, parte eius spumosa innatante; tuncq; ab igne deposita, Chalcitis pristinum colorem seruat, & hac ratione, ad conficiendam theriacam, expetitur: alioquin si alio modo aduratur, alium colorem acquirit, qui postmodum à Galeno minimè commendatur. *Lib. 1. de Antid. cap. 15.*

VENENVM CHALCANTHI, & Medela.

BRASAVOLVS, in Examine Simplicium, Chalcantho humanam valetudinem offendi posse inde dicit, quoniam, in parando Chalcanthi oleo, fumus ab illo dimanans non modò homines, sed etiam vicinas arbores interimat. Quapropter multi Authores aquam Stygij fluminis Thessaliæ Calcantho infectam fuisse perhibent, qua olim Alexãder peremptus esse traditur. Sunt enim huiusmodi aquæ Chalcanthosæ adeò acres, vt non solum humana corpora, sed etiam vasa ænea, & ferrea erodere possint. Hinc aqua stygia fuit cognominata, quasi στυγερός, quæ vox mœstum, & odiosum signi- *Stygiæ aquæ etym.*

ſignificat: qua de cauſa Plato Stygem, ob prauã huius aquæ qualitatem, Tartaro Acheronti, & Cocyto infernis amnibus annumerauit. Idcircò non eſt mirandum ſi Chalcanthum ſit acre, erodens, cacoſtomachon, & vomitorium: immò narrat Renodeus, quòd nonnullæ mulieres clinicæ, ad arcendas quaſdam febres chronicas, & typos quartanarios tollendos, incerto pondere, cum vino, vel aqua roſacea Patientibus propinant, & ſæpè citato vehementiſſimo vomitu, & temeritate adiuuante, febres ſoluuntur, & ſæpè etiam formidoloſa ſymptomata reſultant. Hinc diſcendum eſt omnia Atramenta non præparata, ad mentem Galeni, pluribus in locis, acria, exedentia, & adurentia eſſe. Huic ſententiæ accedit Auicennas, qui verba faciens de Atramẽtis pronunciauit Atramenta, ſine præparatione, eſſe nocua, & præſertim Colcotar, quod pulmoni, & ventriculo eſt inimicum; cum qualitate venenata minimè careat.

l.4.de ſimp. med. fac. cap.18.

lib. 2. de Art.cur.ad Glauc. ca. 2.

Itaq; ſymptomata Chalcanthi malignitatem conſequentia erunt tuſſis ſicca, necnon phthiſis, & aliquando totius corporis extenuatio. Cauſa tuſſis ſiccæ eſt caliditas, & ſiccitas Chalcanthi attenuans materias in pulmone contentas; vndè oritur poſtea exulceratio ob materierum acrimoniam, quam ex vi adurente Chalcanthi contrahunt. Præterea caliditas, & ſiccitas huius veneni abſumens humiditates totius corporis, neceſſariò illud extenuant.

In expugnanda hac praua Chalcanthi qualitate, Authores medici pharmaca communia cum medelis Arſenici ſublimati, & calcis præſtantiſſima, & efficaciſſima cõmendant. Itaq; ſtatim ab initio morbi, vomitum prouocare nituntur, vt materia venefica adhuc in ventriculo contenta educatur: deinde clyſteribus procedendum eſſe autumant, vt eadem materia in cellis inteſtinorum ſtabulans per ſeceſſum purgetur. Item frigida, & humida alterantia præſcribunt. Raſis ſcribens ad Almanſorem, lac cum ſaccharo, & butyrum etiam crudum laudat. Albucaſis non ſolum lac cum ſaccharo, verum quoq; ſaccharum cum oleo roſaceo, & butyro extollit. Auicennas, in hoc caſu, à lacte aſinino, & à ſyrupo de Hyſſopo non recedit. Alij tanquam Bezaar huius veneni Iuleb violaceum cum aqua violarum deſtillata paratum tanquam efficaciſſimum prædicant.

Vomitoria quando cõueniant.

VSVS IN MEDICINA.

CHALCANTHVM in medicina tam internis, quã externis pharmacis commoditatis plurimum affert. Natiuum autem Vitriolum cuiuſcumq; coloris, & ſpeciei rarò in vſu medico habetur, propter nimiam hominũ auaritiam, qui mineras exhauriunt, nam feſtinantes naturæ partum, fructus acerbos colligunt, & cupiditate maioris lucri, perſæpè eruũt terram Vitrioli, antequam natura illud in actum producat, deinde ex eadem terra Vitriolum coctile arte eliciunt, quemadmodum in Rubrica antecedenti expoſuimus, & hæc eſt ratio potiſſima, propter quam Vitriolum natiuum non reperiatur. Verùm ſi aliqua huius portio aliquando videatur, hæc ſeruatur pro oſtentatione apud illos, qui facultati Simplicium operam nauant. Itaq; hoc præparatum, pro ſingulari arcano, in Germania, & Vngaria, præſcribitur vexatis peſte, quę in illis regionibus ſæpè craſſari ſolet. Præparatur verò dum ſoluitur in aqua roſarum, & panno percolatur, deinde hæc materia in vaſe vitreo, penes lentum ignem, ponitur, donec aqua exhalet, &, data occaſione, drachmam huius in iure, vel vino, & præſente febre, in aqua Roſarum, vel Gallegæ, maximo auxilio & proſpero ſucceſſu, Patientibus propinat. Rhaſis in illo opere, quod Continens vocatur, vbi remedia canitiei diuulgat, de Chalcantho loquitur hunc in modum. *Retulit mihi quidam amicus meus, quod ipſe eo quod in potu ſumpſit drachmam Vitrioli, ex eo diſſolutæ ſunt ventoſitates groſſæ, & calefactus, & exinde diminuti ſunt capilli albi, qui in ſuo capite erant,* ex quibus verbis colligendum eſt, non modò Chalcanthum eſſe caniciei remedium, verùm quoq; id abſq; noxa, vt medicamentum internum, præſcribi poſſe. Hãc ſententiam non ſolum inter Arabes Rhaſis, ſed etiam iuter Græcos Dioſcorides eſt amplexus, qui hæc verba de Chalcantho protulit. *Latas ventris tineas necat, drachmæ pondere, deuoratum, aut cum melle linctus, vomitus ciet. Aduerſus hauſta fungorum venena ex aqua potum auxiliatur.* Ab horum ſententia recedere videtur Galenus, qui Chalcanthum deuoratum noxium eſſe, & pharmacis internis permixtum nullo modo eſſe tutum ſcripſit. Quare, in conciliandis horum grauiſſimorum

Peſtis remedium.

li. 25.cap. 34.

li.15.met. med.c.20.

A rum authorum opinionibus, asserendum erit; Chalcanthum crudum, & nullo artificio præparatum maximo Patientibus nocumento fore: cũ eius vis erodens obtundatur, tunc medicamentis internis permisceri posse concedimus. Quandoquidem ipse etiam Galenus Calcanthi morsũ aceto pluribus diebus contriti proculdubiò obtundi, & bonitatẽ illius augeri diuulgauit. Præterquamquòd Galenus, in libro de Theriaca ad Pisonem, & in libro de vsu Theriacæ ad Pamphilianum, Chalcitidis vstæ meminit: vnde discendum est Atramenta, inter quæ recensetur Chalcanthum, correcta, & præparata, tutò in medicina administrari posse. Hæc autem multifariam corriguntur; quemadmodum docuit Galenus agens de materiæ medicinalis præparatione; namq; iuxta illius mentem, quædam decoquuntur, quędam aduruntur, & quædam lauantur. Quinimò idem Galenus alibi Atramenta admixtione aliorum, sed præsertim mellis præparauit. Id quoq; Dioscorides, Auicennas, & Serapio præstiterunt. Quocirca Atramentorum malitia adustione, & frequẽti aquæ rosarum ablutione optimè castigabitur. Hodie multi Pharmacopæi, Chalcantho ad albedinem torrefacto, deficiente Chalcitide, in Theriaca componenda, vtuntur. Thomas etiam Bouius Empyricus Veronensis Chalcanthum ad pondus drachmæ dissolutum in tribus vncijs aquæ communis, & totidem mellis, per spatium quatuor horarum, ante prandium, aduersus Pleurisim, & pestem præscribebat: siquidem, per partes supernas, & infernas, elegantem peccantium humorum purgationem molitur. Demum clysteribus etiam iniectum cum vino, Ischiadis doloribus opitulari multi referunt.

Lib. 2. de comp. med. per gen.

Comm. 4. in 6. lib. Hipp. de morb. vulg. text. 19.

Li. 6. & 7. de Comp. med. sec. loc.

Chalcanthum medicamentis externis permixtum aduersus innumeras affectiones adhibetur. Primitùs Chalcantho in oleo dissoluto non solum Alopecia, & Ophiasis curatur, verùm quoq; capite illito, furfurationem tolli, Galenus ex Archigene prodidit. Multi medici illo in collyrijs ad oculorum rubedinem vtuntur. Deinde crustis in ore natis Galenus ex Archigene, & Heraclide, multò esse adiumento tradidit. Pariter idem Galenus, iuxtà mentem Asclepiadis, & Scribonij Largi, pharmaca Ozenas, & Polypos respicientia ex Misye, Sorye, Chalcitide, & Chalcantho constare publicauit. Auicennas id medicamenti genus non infrugiferum proponit ad tollendos fistularum callos, & præsertim nasi. Immó idem in aqua solutum, & naribus infusum nobile capipurgium euadit; quoniam, annotante Dioscoride, sua acredine sternutamenta prouocat. Galenus verò ex Asclepiade tradit, Chalcanthum minutim tritum, & in nares arundine insufflatũ, sanguinis profluuium cohibere: hinc Falloppius virgas ex Chalcantho liquefacto format, vt solo tactu, coerceat sanguinem ex aliquo loco abdito dimanantem, quò vel manus, vel aliud medicamentum penetrare nequeat. Insuper affectibus dentium, & gingiuarum, necnon fætori oris Galenus ex Chitone, Chalcanthum auxiliari scripsit. Compositio autem huius medicaminis constat ex æquis portionibus Chalcanthi, Aluminis, putaminum Mali Punici dulcis, quæ trita, & leuigata dentibus, & gingiuis, quando opus est, affricentur, stomacho tamen ieiuno, deinde vino astringenti os abluatur.

Lib. 1. de comp. med. sec. loc.

Lib. 6. de comp. med. sec. loc.

Lib. 3. de comp. med sec. loc.

Lib. 5. de comp. med. sec. loc.

Componitur etiam vnguentum ex Chalcantho descriptum à Castore Durante in Herbario, & eadem descriptio habetur apud Ambrosium Parcum, quod non solum excrescẽtias carnis in qualibet corporis parte tollit, sed etiam Carunculam in collo vesicæ natã deprimit, atq; eradicat. Hinc multi Chirurgi didicerunt soluere Chalcanthum in aqua rosacea, vt cariem sanarent, & vlcera cuiuscumq; generis gallica ad cicatricem perducerent. Bernardus Penotus, in Tractatu de specificis Receptis, ad tollendos Podagræ cruciatus, Chalcãthum, vel Vitriolum romanum in aqua marina solutum coquit, deinde lintea in hac humefacta partibus affectis sæpiùs applicat. Pariter ex hoc, pro partibus ambustis, Patientes vtilitatem immensam accipiunt: siquidem Dioscorides, & Galenus Atramentum scriptorium in hoc affectu commendant, cum illius compositionem Chalcãthum ingrediatur. Hanc sententiam stabiliunt Fernelius dicens: seu igni, seu aqua, oleouè feruente ambusta fuerit quæpiam pars corporis, ardorem extinguet, & inflammationem sedabit Atramentum scriptorium, si ab vstione protinus arripiatur, & ex aqua tepida applicetur. Non erit igitur mirandum, si quædam mulieres clinicæ partes inflãmatas, & præsertim erisipelate vexatas atramento scriptorio liniant. Auicẽnas sermonẽ habens de Colcotare, nimirum de Chalcantho, & Chalciti, hoc simplex, & crudum in scobem redactum, & vlceribus insperſum probauit, quoniam additam carnem

Cap. de Plantag. aquat.

L. 6. Meth. cap. 20.

Lib. 2. tract. 2. cap. 167.

ab

Li. 4. de comp. med. per gen. ca. 5. 6. & 7.

abſumat, & cicatricem acceleret. Quocirca Galenus, ex mente Andromachi, Aſclepiadis, & Heræ, memorat quædam emplaſtra ad vlcera putrida, maligna, phagedenica, chironia, & diſepulotica, quæ ex Miſye, Chalcitide, Sorye, & Chalcantho integrantur. Quinimò, pro operibus chirurgicis, in Medicorum officinis paratur emplaſtrum Diachalciteos, aliter Diapalma nuncupatum; quamuis hoc, neq; Palmam, neq; Chalcitim, ob raritatem, recipiat. Chalcitis enim Miſy, Sory, Melanteria, & alia huius generis ab Antiquis celebrata, hodie nobis ferè ſunt incognita; ideòq; pro Chalciti, in hoc medicamento, Calcanthum ei affine collocatur. Quemadmodum etiam in alijs huius generis medicaminibus Chalchanthum munus Soryos, Miſyos, & Melanteriæ obire poterit; quoniam hæc omnia inter ſe connata eſſe, in Rubrica antecedenti, expoſuimus. Demùm in Scabie delenda, & Chalcitide, addita Cadmia, in aceto, quadraginta diebus caniculatibus, infuſo, medicamentum pſoricum apud Dioſcoridem, & Plinium parabatur, & ſecundùm Galenum, ex Chalcantho, & Chalcite, addito lithargyro conficiebatur. Pariter Falloppius recenſens cauteria potentia ignea, Chalcanthum, Miſy, Chalcitim, Cadmiam, & Calcem non extinctam memorat; cum hæc ignis caliditate referta inflammationem excitare poſſint. Ex virtutibus Chalcanthi hactenus enarratis eliciendæ ſũt facultates aquæ Chalcanthoſæ, quæ à viribus aquæ aluminoſæ non multùm diſſident, niſi quòd illæ ſunt multò efficaciores, quoniam, ſecundùm Agricolam, inſignis earum acrimonia virtuti aſtringenti eſt copulata: hinc ad præſidia multorum affectuum trahuntur. Quapropter Renodeus memorat aquas Spadenſes, & Pucenſes Chalcãthi qualitate refertas, quæ quodam quaſi miraculo affectus deploratos perfectè ſanant.

Cauterium excitantia.

Chymiſtæ quatuor præcipua medicamenta ex Chalcantho, chymicis organis, eliciunt, nimirum Phlegma, Spiritum, Oleum, & Salem, de quorum virtutibus mirabilia prædicant. In primis, leui igne, deſtillantes Chalcanthum, ſeu Vitriolum, extrahunt Phlegma æmulans elementum aquę: eſt enim album, clarum, frigidum, & inſipidum, conſequenterq; ſpiritus, ſaporis, & odoris expers, quod tam in capillis denigrandis, quàm in vitijs oris auferendis magnificant. Secũdus humor ex deſtillato Vitriolo prodiens vocatur aqua Vitrioli, aut ſpiritus volatilis cryſtallinus, & in officinis Spiritus Chalcanthi, ſapore, odore, & valore à prædicto phlegmate diſcrepans, cum mediam quamdã naturam inter Spiritũ, & Oleum poſſideat: ſiquidem odore eſt ſuauis, ſapore acidus abſq; ſenſibili acredine, & denique valore prædictum humorem phlegmaticum, & etiam oleum ſuperat. Hic ſpiritus Chalcanthi, quoniam volatilis eſt, facilè per meatus corporis ad cerebrum, ad cor, & ad alia viſcera penetrat: quare, ad arcendam Epilepſiam, Paralyſim, cordis palpitationem, & morbos vterinos vtiliter adhibetur. Immò ad inſtar ſyrupi de ſucco limonum, putredini reſiſtit, & partium tenuitate obſtructiones hepatis, & lienis reſerat. Interdum huius ſpiritus aliquot guttæ florum Cichorij conſeruæ permiſcentur, & euadit medicamentum ori gratiſſimum, & ad immodicam ſitim extinguendam efficaciſſimum. Sin huiuſmodi guttæ ſyrupo violaceo addantur, eumdem rubicundum, & elegantem colore, & ſapore pergratum efficiunt; idemq; oleum ſulphuris præſtare perhibetur.

Phlegma Vitrioli.

Spiritus Chalcãthi.

Tertium medicamen, quod ex deſtillato Chalcantho egreditur, eſt oleum æmulans ignis elementum, id quoniam maxima ignis violentia ex Colcotare exit; propterea Colcotarinum nuncupant oleum; eſtq; adeò calidum, vt lignum in eo poſitum emittat fumum, non ſecus ac ſi conflagraret, & guſtatum ferit linguam non ſecus ac ſi ferro candente tangeretur. Hoc eſt verum, & legitimum Vitrioli oleum, quo Chymiſtæ aurum, argentum, & ferrum ſoluunt. Huius præparandi modum Porta, Cardanus, Libauius, Crollius, & alij nuperi Authores aſſignant. Chirurgi illud adhibent in Vlceribus putridis, & deploratis, necnon in præſcindendis cancris, & membris corruptis. Huius ope euellunt porros, verrucas, & cuiuſcumq; generis callos. Bartholomeus Maggius, in libro de vulneribus ſclopetorum, narrat oleum Chalcanthi conducere ad remouenda grana pulueris pyrij vulneribus, & cuti impreſſa, ſi, ſpecillo huiuſmodi oleo humefacto, madefiant. Præterea inſignis huius medicamenti acredo, aliqua induſtria, remittitur, & potiſſimùm eius phlegmate, quod primũ ex deſtillatione exierat; hoc enim modo caſtigatum multi Medici internis etiam pharmacis permiſcent. Bouius Empyricus Veronenſis in ſuo Fulmine aduerſus medicos putaticios rationales, poſt rationem conficiendi huius olei aſſignatam, docuit etiam modum quatuor, vel quinq; guttarum permiſcendarum

Oleum Vitrioli.

Arum aquis destillatis varias partes humani corporis respicientibus. Quandoquidem cum aqua Sampsuci, Buglossæ, vel Melissæ, capitis dolorem, & vertiginem curat, cum aqua rosarum febrem continuam exterminat, cum aqua Fumariæ scabiem delet, cum aqua Acori, vel Fæniculi memoriam labilem restituit, cum vino cretico obstructiones aperit, cum aqua Plantaginis fluxum alui cohibet, cum aqua lactucæ somnum conciliat, & sic deinceps, huiusmodi oleo cum alijs diuersis aquis permixto, cæteris morbis humanum corpus afflictantibus mederi profitetur: proprium enim est Empyricorum velle, vnico præsidio, omnes ægritudines exterminare. Hæc autem omnia à Bouio recitata, in volumine Clauis Chymicæ etiam exarata leguntur. *Empyricorũ remedia*

Quartum medicamentum, quod Chymistę ex Vitriolo extrahunt, est Sal, quem à grana sex, cum aqua Melissæ, præscribant, vt affectionem colicam expugnent, dolores veterinos dissipent, Hydropicos iuuent, & languentem appetitum excitent: namq; omnes crudos, & viscidos humores tunicis ventriculi adhærentes detergit, & absumit. Deinde
B Chymistæ veluti ex Chalcantho, destillandi arte, Phlegma, Spiritum, Oleum, & Salem habuerunt, rursus hæc quatuor copulant, vt inde resultet (vt ipsi aiunt) Clyssus vitriolatus, quem, ad eliminandos omnes morbos, specificum remedium diuulgant, cum ex eorum sententia, per aluum, per vomitum, per sudorem, & per lotium noxios humores trudat.

Deniq; ex Vitriolo parant Tincturam essentialem, Magisterium Vitrioli, Lapidem Salamandricum, vel Elyxir, Oleum Vitrioli compositum a Bernardo Penoto Aquitano descriptum, Oleum Vitrioli absq; destillatione, Aquam Vitrioli destillatam, Oleum Vitrioli rubicundũ, Epilepsię reluctans à Theophrasto Paracelso descriptum, & Oleum Vitrioli potabile, iuxta opinionem Zapatæ; quorum omnium descriptiones, & præparationes apud Milyum, Libauium, & Caneparium leguntur. His addamus, quod multi Chymistæ, in parando croco Martis, quamuis perperam, Vitriolo vtuntur, dum sumit quantitatem sufficientem Vitrioli purificati, dimidium limaturæ ferri, & omnia molita, & siccata in olla ad fornacem reuerberij collocant, & hanc materiam in rubram calcem
C transmutatam, Crocum martis vocitant. Optimus tamen Martis crocus à petitis Pharmacopæis absq; Chalcantho conficitur. *Magisteriũ Vitrioli.* *Crocus Martis quomodo paretur.*

VSVS IN VARIIS.

CHALCANTHO, seu Vitriolo factitio, & tertiæ speciei, varij Artifices, nempè Pictores, & Infectores vtuntur. Quinimò in Officina infectoria maximum habet vsum, dum non solùm panni hoc denigrentur, sed etiam illi obscurantur, qui radice Rubiæ fuerunt infecti, quoniam illos decoquunt in aqua, in qua Vitriolum prius liquefactum fuerit. Cæterùm non modò pannos, sed capillos quoq; denigrat: Quocirca Vegetius, ad hoc peragendum opus, recipit septem scrupulos Chalcanthi; quatuor succi Rhododaphnidis, & cum quantitate sufficienti sebi caprini linimentum componit. Item, ob nigredinem, quam rebus communicare solet, ludus, teste Cardano, aduersus conuiuas sic paratur: lintea, & mappæ puluere Chalcanthi inficiuntur, quia suum candorem non amittunt, deinde manus lotæ horum contactu nigræ euadunt. Amplius, ob insignem nigredinem, atramẽtum scriptorium absq; Vitriolo non præparatur. Id olim ex fuligine, gummi, glutine taurino, & Chalcantho conficiebatur. Hodie in nostris Pharmacopolijs diuersæ habentur huius descriptiones; vna tamen & valdè cõmunis est, quæ Gallas, Vitriolum, Gummi, & Vinum recipit; quorum ingredientiũ quantitatem sequentes versiculi indicabunt. *Linimentũ ad capillos.*

Sit Chalcanthi quarta, semis tantùm uncia Gummi
Integra sit Gallæ superaddas octo Falerni.

Verùm magna admiratione dignum est, quomodo Chalcanthum haud quaquam nigrum possit alijs rebus, & præsertim atramento scriptorio nigredinem communicare: sic enim, quod non habet, cæteris impertiri videtur. Causa autem naturalis huius effectus est, quia succus est densus, & ex partibus tenuibus, & adustis constat; propterea in humida solutus substantia lumen prohibet, & nigrorem producit. *Atramentũ scriptorium ex quibus constet.*

Quidam ad formandos characteres citò euanescentes, Chalcantho in spiritum redacto,

cto, & humidæ, tenacique materiæ permixto id præſtare conantur. Quando autem formare volunt characteres, chartam corrodentes, oleum Vitrioli atramento ſcriptorio addunt, nam paucis diebus, exuſta charta, litteræ ſcriptæ pereunt. Idcircò Chymiſtæ hoc vtuntur, dum aquas ardentes, & corroſiuas fabricant. Gemmarij, referente Anſelmo Boetio, vt Turcoidi colorem amiſſum reſtituant, varia adhibent artificia, ſed inter alia, hoc eſt præſtantiſſimum, ſi, Oleo Chalcanthi, cutis gemmæ ſuperior exedatur; nam ſubiectus color gemmam elegantiorem reddit. Inſuper Chymici, ad tingendum, & figendum Mercurium, aqua ex Halinitro, & Vitriolo Romano deſtillata vtuntur. Deinde ex Sale communi, & Chalcantho Romano elicitur aqua, in qua, annotante Vuecherio, oſſa macerata mollia euadunt.

Lib. 2. de Cæp.

Poſtremò ſunt, qui velint ignem perpetuum Antiquorum ſine fomite Chalcãthi præparari minimè poſſe: hic enim ignis non ſolum in lucernis ſepulchralibus, ſed etiam in æde Victoriæ perpetuò ardebat, eiq; Virgines Veſtales erant ſacratæ, vt perpetuum illum ignem cuſtodirent. Huius etiam meminit Virgilius, quando cecinit.

Lib. 6. de Secr.

Æternumq; adytis affert penetralibus ignem.

Lib. 2. Aeneid.

Caneparius autem in libro de Atramentis, liquorem hunc ignis perpetui fomitem parari hunc in modum ſcripſit. Sumantur tres ſitulę lotij putrefacti, in quo ſex libræ Chalcanthi Romani ſolutæ triduo infundantur; deinde, leui igne organis vitreis deſtillentur, nam egredietur pars tenuior, & halituoſa, inſtar ſpumæ, quæ rurſus deſtillatione leui igne rectificanda eſt, quia tunc exibit ſpiritus lotij cum ſpiritu Vitrioli, inſtar Salis, qui in noua ampulla reponatur, altera ſubiecta ſtipatis iuncturis, & ignis augeatur, donec Sal aſcendat, ſeptieſq; huius Salis ſublimatio repetatur; deinde libra huius Salis addatur vncijs tribus Talci minutim moliti, cum lapillis fluminis in ſacculo, vt moris eſt, poſtea ter ſublimetur per balneum maris, & ſoluetur inſtar olei viridis, quod perpetuò ardere perhibetur.

Fomes ignis perpetui.

DE CHRYSOCOLLA.

Cap. VII.

ETYMVM, DIFFERENTIÆ, & Vſus.

Differentiæ

CHRYSOCOLLA, quę ab illis ſuccis concretis non recedit, quos venę potiſſimum ærariæ producere ſolent, id nominis apud Græcos obtinuit, quia ſit Τὸ χρυσοκόλλα, nempè auri gluten, quo aurum auro copulatur. Hæc Chryſocolla duplex eſt natiua, & factitia. Quamuis Græci hoc nomen primò factitiæ impoſuerint, quam Romani Santernam appellarunt. Natiua in venis metallorum generatur, dum materia metallica imbribus humefacta ſiccatur. Id nobis vaſa ænea manifeſtare poſſunt, quæ diù humida defacta cum fuerint, inſigni viriditate effloreſcunt. Itaq; natiua in fibris, & venis metallorum plerumq; arenę ſimilis inuenitur, aut adhærens materiæ metallicæ, abraſa tamen eiuſdem arenę ſimilitudinem refert. Nam quãdo aquæ materias metallicas lambunt, tunc Chryſocolla pulueri ſimilis naturaliter ſubſidit. Plinius tamen id hominum cura, & induſtria factum fuiſſe ſcribit, nimirum immiſſis in venam metallorum aquis len ter tota hyeme vſq; in Iunium menſem, deinde Iunio, & Iulio ſiccatis.

Li. 33. c. 5.

Naſcitur omnis Chryſocolla natiua in metallis ærarijs, quoniam ex ſolo ære prodit; neque obſtat ſententia Plinij, qui aliquando ſcriptum reliquit in aurarijs etiam metallis Chryſocollam generari, & hac de cauſa hanc auri ſaniem indigitauit: ſiquidem hæc etiam in argentarijs, & plumbarijs producitur, quotieſcumq; huiuſmodi venæ metallicæ nonnihil æris participauerint.

Lib. 33. cap. 1.

Color natiuæ Chryſocollæ eſt viridis, ſuis tamen diſtinctus gradibus; nam alia inſtar Smaragdi ſaturatè viret, alia eſt viridi colore diluto referta, quam viliſſimam diuulgãt

alia

alia demùm, inter has, medium coloris, & bonitatis locum occupat.

Chrysocolla factitia duplex constituitur, altera fiebat ex natiua dura, deinde lutea herba tingebatur: idcircò herbacea nominata fuit, necnon ὀροβῖτις, ab erui colore, aut potiùs quia, instar granorum Orobi, formaretur. Huius conficiendæ rationem Plinius assignauit, qua Pictores vtebantur, hodie hac caremus. Altera facticia Santerna à Latinis fuit appellata, quæ, ad mentem Plinij, cypria ærugine, & pueri impubis vrina, addito Nitro, temperatur, & cyprio ære, cyprijsq; mortarijs teritur. Galenus verò hanc ex ærugine, & vrina tãtum componi scripsit. Id autem genus à Dioscoride in genere ęruginum reponitur, eoq; aurum ab Aurificibus ferruminari traditur; & alio in loco retulit parari ex vrina pueri impubis, & cyprio ęre ferrumen auri (ἐπὶ τοῦ χρυσίου κόλλα) nulla Nitri mentione facta. Est etiam aliud facticię Chrysocollę genus è nitro confectum, quod tamen nihil æruginis continet: hoc hodierni Aurifices, loco Chrysocollæ, vtuntur, Boracem Barbari nuncupant, & inter Nitri genera à nobis fuit memoratum.

Herba lutea.

Lib. 33. cap. 5.

Lib. 2. cap. de Vrina.

Varius Chrysocollæ apud Veteres fuit vsus, primò ad aurum glutinandum, vnde nomen sibi comparaui, deinde ad pingendum, & tandem ad medicandum. Vis enim illius astringens, calefaciens, & σπαστικὴ est, debetq; in eorum numero medicamentorum collocari, quæ, in modica quantitate sumpta, vomitum prouocant, & in maiuscula dosi interficere possunt. Demùm olim in spectaculis Chrysocollam fuisse adhibitam, author est Plinius, qui aliquandò protulit hæc verba. *Visumq; iam est, Neronis Principis spectaculis, arena Circi Chrysocolla sterni, cum ipse concolori panno aurigaturus esset, introducta Opificum turba.*

Lib. 33. cap. 5.

DE CÆRVLEO, QVOD CYANON Græci appellant. Cap. VIII.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM:

CÆRVLEVM, quasi Cæluleum (æmulatur enim colorem cælestem) quod Græci κυανον vocant. Apud Arabes vocabitur Lazuli, quoniam hac voce colorem cæruleum indicant: vndè fortassis prodit *Azurum* apud Italos, quo similem colorem significant, & quoniam hoc genus coloris transmare ad nos aduehitur: propterea vulgò Azurum vltramarinum nuncupatur: succus est concretus Chrysocollæ adeò affinis, & cognatus; vt hi duo succi sæpissimè simul nati, & concreti, vni, eidemque materiæ metallicæ adhærentes in fodinis inueniantur. Immò quandoq; alter horum succorum alterum inclusum complectitur; vbi modò plus Cærulei, modò plus Chrysocollæ concreuisse videtur.

At quoniam κυάνου apud Græcos varia significata legẽtibus obscuritatem parere possunt; nos in præsentia hanc æquiuocationem explicare decreuimus. Primitùs Cyanos est floris nomen in Agro Frumentario nascentis, quem Herbarij Italici Græculam vocant, quasi insinuare velint hanc plantam non vulgari, sed græco nomine fuisse donatam. Cyanos quoq; apud Aristotelem, est nomen illius auis, quam multi Passerem solitarium indigitant. Hesychius κυανόν aquam marinam, tanquam cæruleam exponit. Sed, quod maiorem nobis parit difficultatem, est alia duplex huius vocis significatio. Etenim Cyanus vocatur ille succus in metallis concretus cærulei coloris, de quo in pręsentia nobis habetur sermo, necnõ Gemma, seu lapis ab hoc succo valdè diuersus: quarè, vocis Cyani non intellecta homonymia, multos in errorem induxit, qui succum hũc cum gemma, vel lapide confunderunt. Notandum est igitur Cyanum esse lapidem aureis aliquando arenis conspersum, Arabibus lapidem Lazuli nuncupatum; esse quoq; succum metallicum, de quo in præsenti agitur. Plinius huiusmodi succum latina voce Cæruleũ, Gemmam verò, seu lapidem, seruata dictione græca, Cyanon cognominauit. Ideò sunt hallucinati, qui Plinio, his duabus vocibus, vnam, & eadem rem intellectam fuisse crediderunt.

Cyani æquiuocatio.

Græcula herba.

Cyanus est lapis Lazuli.

Lib. 33. ca. 12.

Li.37.c.9. Nam, diligenter animaduertentes verba Plinij, inuenient ipſum vocaſſe Cæruleum E arenam, & inter colores repoſuiſſe, & Cyanon inter gemmas recenſuiſſe, in mares fæminaſq; diſtraxiſſe, & ſapphiri ſimilem conſtituiſſe. Neq; de gemma, aut lapide verba fecit Dioſcorides: quemadmodum illius verba oſtendunt. *Cæruleum naſcitur in Cypro ex æraryis metallis, copioſius verò ex litorali arena, quia inuenitur ſecundùm quoſdam Marts excauatos ſpecus*. Galenus quoq; Cyanon inter medicamenta metallica repoſuit, Theophraſtus arenæ ſimilem dixit, Plinius arenam ſimpliciter nuncupauit: vnde hos omnes Authores de ſucco, & non de gemma, vel lapide locutos fuiſſe intelligimus. Prędictis addamus, quòd gemmam, quam Gemmarij Turchoidem, Turcheſiam, vel Turchinam, fortaſſis à loco natali appellitant, nuperi quidem Authores, ob colorem cæruleum, Cyanon quoq; indigitarunt.

Turcheſia gemma.

DIFFERENTIÆ.

THEOPHRASTVS, in libro de lapidibus, duo Cærulei genera conſtituere videtur, nempè natiuum, & factìcium. Alij Græci tria Cyani genera in vſu F nationibus diſtincta proponunt, nimirum duo natiua, Scythicum, & Cyprium, Factìcium vnum, nempè Aegyptium, quod præcæteris maximè probatur. Vitruuius, & Plinius alia duo, ſcilicet Puteolanum, & Hiſpanienſe addiderunt. Quinimò Anonymus quidam Græcus monimentis mandauit, Carthaginenſes huius ſucci natiuum genus habuiſſe, quod ex metallis Inſulæ Damoneſi eruebatur. Affertur tamen terra illa mineralis à Toſtato memorata, quàm Vulgus Azurinum vocat ad pingendas imagines, *Ioſue c.15.* & litteras idoneum, & alij appellant *Azuro & Acre*. Hodie enim Acre vocatur, quod Acaron in ſacris Biblijs dicitur.

Factìcij Cærulei multæ aſſignantur differentiæ, & ex his aliquæ natiuis ſunt præſtantiores. Cæruleum Aegyptium olim laudatiſſimum, cuius temperationes Vitruuius pri- *Li.7. Architec. cap. 11.* mùm inuentas fuiſſe docet, apud quem variæ huius parandi rationes leguntur. Deinceps, & Veſtorius Puteolis faciendum inſtituit; & in Hiſpania arte fieri ſolitum, hæc verba Plinij oſtendunt. *Acceſsit his* (Aegyptio ſcilicet Scythico, & Cyprio, quæ Cærulei genera ante memorata fuerant) *Puteolanum, & Hiſpanienſe arena ibi confici cœpta*. Hinc G *Lib. 37.ca. 13.* mirari debemus Agricolam virum rei metallicæ peritiſſimum, qui Hiſpanienſe ad genera natiua reduxit. Cæterùm Cærulei varios conficiendi modos, apud eumdem Agricolam, curioſus lector legere poterit. Nuperi Pictores, deficiente hoc cæruleo, ex lapide lazuli ſimile præparant. Penès Ciuitatem Volterræ, quædam glebæ terræ cęruleæ inueniuntur, ex quibus Pictores Cęruleum etiam ſibi componunt. Tandem diſcrepat Cæruleum colore cæruleo, quoniam alterum altero, vel obſcurius, vel candidus obſeruatur.

GENERATIO, ET LOCVS.

NATIVVM Cæruleum producitur, quotieſcumq; humor ſalſus, & acidus materiam metallicam eroſerit. Reperitur in venis, aut fibris metallorum, aut per ſe arenę durę, vel ſabuloni ſimile, aut abraditur à materia metallica, quæ ple- H rumq; arenæ aſſimilatur; ſed vis ingens caloris Cęruleum arenæ ſimillimum efficit. Effoditur autem omne Cæruleum ex metallis, non ſolùm ærarijs, quamuis Dioſcorides ex arena litorali in Cypro olim generari voluerit. Eſt tamen magis veriſimile in cauernis Cypri, quas marini fluctus effodiendo fecerant, circa venas metallicas concreuiſſe, ex quibus poſtmodum Cæruleum huiuſmodi natum erueretur. Sed aduertendum eſt, quòd huiuſmodi ſuccus probè à natura concoctus, & ita duratus, vt inſtar gemmæ niteat, poſſit iure meritò gemma nuncupari: quemadmodum in Samothratia gemma, & lapide Thracio euenire ſolet, qui ob duritiem inter lapides, & quidem gemmas à Plinio *Lapis Thracius qualis.* recènſentur: cum tamen omnis eorum materia ex puro (vt noſtra fert ſententia) bitumine conſtet. Sunt enim nil aliud, niſi ſuccus bituminoſus in ſpeciẽ lapidis denſatus. Idem credendum eſt lapidi cyaneo, vel Lazuli cõtingere poſſe, qui proculdubiò nil aliud eſt,

quàm

A quàm succus cæruleus in lapidem concretus: idcircò, lapidis nomine, passim vocitatur; cum tamen ratione originis, & modi generationis, inter succos concretos connumerari possit.

FACVLTAS, ET VSVS.

CÆRVLEVM facultatem mixtam, nimirùm acrem, & parùm astringentem possidet. Quocirca Dioscorides hæc verba in textu græco protulit. Δύναμιν δὲ ἔχει καταξαλτικὴν, καὶ μετρίως στυπτικὴν, ideſt vim habet reprimentem, & modicè erodentem, Galenus quoq; Dioscoridis sententiæ accedit, dum inquit: acris facultatis, detrahendi, & digerendi maioris, quàm Cinnabari, particeps est etiam astrictionis. Galenus hoc in loco, per καθαιρετικὴν δύναμιν, intelligit facultatem medicaminis, qua caro supercrescens imminuitur, detrahitur, & pars ad statum naturalem reducitur. Neq; id de humorum detractione, seu euacuatione id intelligendum esse censemus, vt Matthiolus admonere visus est; hancq; nostram stabilimus sententiam, quoniam Galenus in textu græco, statim addit διαφορητικὴν; tanquam verbum æquiualens. Est autem διαφόρητικον medicamentum, quod latenter digerit, atq; discutit. Immò alibi Galenus prodidit hæc verba: sunt inter septica quædam, quæ vocant καθαίρετικα, ijsq; vtuntur ad inducendam vlceribus excrescentibus cicatricem. Hæc Galeni verba satis monstrant, quid, per catheretica pharmaca, his in locis intelligendum sit. Neq; constat quomodo Matthiolus, ex hoc Galeni loco elicere velit purgantem Cyani, seu Cærulei facultatem non incognitam fuisse Galeno. Huic lapidi Arabes æquam cum Armenio ducendæ melancholiæ virtutem assignant: idcircò ex hoc in Pharmacopolijs pilulæ componuntur; sed grauiter puniendi essent illi Medicamentarij, qui, in his componendis, loco lapidis Lazuli, Cæruleo facticio vtuntur.

Lib. 5. cap. 105.

Lib. 9. de simp. med. fac.

Lib. 5. de simp. med. fac. cap. 5.

DE ARMENIO. Cap. IX.

ARMENIVM, quod Armeniacum vocat Galenus, est succus pariter metallicus à Cyano, nisi candore modico, discrepans: cũ huiusmodi succus & ipse cærulei sit coloris, vt testatur Dioscorides, qui in textu græco id ὁμοιοχρωτικὸν esse scribit. Quamuis Plinius à Dioscoride dissentire videatur, dum inquit: optimum esse, quod maximè vireat communicato colore cum cæruleo; idem Author mox addit hæc verba: à Cæruleo distat cãdore modico, qui teneriorem hunc colorem efficit. Ioannes autem Mesue meliorem esse pronunciat cum Armenium lapidem; qui colorem medium inter viridem, & obscurum participat, & qui macularum distinctiones partim virides, & partim nigras ostendit. Hæc Authorum varietas maximam parit legentibus difficultatem, in dignoscendo Antiquorum Armenio. Hinc fortè asserendum erit non vnicum, & perpetuò cõstantem Armenio fuisse colorem, aut modò hunc, modò illum colorem, pro ætatum, & opinionum diuersitate, in Armenio commendatum fuisse. Nam Dioscoridi, & Plinio genuinum Armeniũ ignotum fuisse non debemus affirmare. Præterea constat apud Romanos, inter pigmenta, Vitruuio, & Plinio authoribus, fuisse vsitatissimum. Neq; mirandum est à Dioscoride, & Plinio Armenium inter lapides recenseri, cum nos succum metallicum esse dixerimus; quandoquidem notandum est, quod Dioscorides eodem sensu lapidem vocauit Armenium, quo & Indicum in sequenti capite appellauit, nimirùm à lapidea duritie, & tamen Indicum herbæ succum esse eodem loco docuit. Mesue quoq; Armenium probat, quod in lapidis termino facilè non soluatur: neq; in puluerem redigatur.

Lib. 5. cap. 105.

Lib. 35. cap. 6.

Lib. 2. de simp.

Armeny color quis.

Sapore Armenium à Cæruleo discrepat; nam quamuis ei, vt Cæruleo mixtus sit; nihilominus aliquantulum acre est, & minimè astringit. Differt etiam loco, quoniam ex Armenia tantũ (de legitimo enim loquimur, cuius apud Veteres fit mentio) affertur; cum

Sapor.

viciſſim Cæruleum multis in locis inueniri ſoleat. Quare Armenium poſſumus appellare Cæruleum apud Armenos genitum.

Quoad vſum medicum, Armenium virtute abſtergendi, & facultate bilis atræ purgandæ potitur. Huius virtutis licèt Galenus, & alij Antiquiores non meminerint, poſteriores tamen Græci, vt Alexander Tralianus, Paulus Ægineta, & Ætius, necnon tota Arabum familia id monimentis mandarunt.

DE ÆRVGINE, ET FERRVGINE. Cap. X.

INTER ſuccos concretos macros poſtremum locum Ærugo, & Ferrugo occupant, quorum, licèt primo libro, inter recrementa metallorum meminerimus; attamen hoc etiam in capite illis proprio, nonnulla de eis recenſere decreuimus. Itaq; Ærugo, ſeu Æruca duplex conſtituitur, nempè natiua, & facticia. Prima eſt ſuccus metallicus in ærarijs metallis concretus, qui generatur, dum ſuccus vehementer acidus æris materiam eroſerit: huius duo genera Dioſcorides in Cyprijs ærarijs conſtituit. Primum exiguæ tantùm quantitatis circa lapidss æroſos effloreſcit; ſecundum è quodam ſpecu, æſtiuis Caniculæ diebus, probi coloris, & copioſum, ſed vitioſum deſtillat. Eſt, & tertium ærugínis genus, quod à ſimilitudine vermium σκωληκα Dioſcorides nominauit. At Dalechampius in Annotationibus ad Plinium legit κολλίκα, quaſi in placentulas, & veluti in rotundos, & exiguos panes formatum; & huius erroris authorem citat Plinium. Textus autem Dioſcoridis, qui Plinium fefellit, ſic ſe habet. *Donec æruginis colore ſit, & ſtrigmentorum fiat craſsicie; tunc placentulas Rhodijs ſimiles formato, & recondito.* Plinij autem verba ſunt hæc. *Teritur autem, donec viride fiat, contrahatq; ſe vermiculorum ſpecie; vnde & nomen.* Hic animaduertendum eſt, quod Plinius ſtudio tacuit Rhodiorum vocabulum, cum explicare neſcieret, quales Rhodij vermes eſſent. Dioſcorides igitur non expectandum eſſe iubet, donec hoc genus æruginis in vermiculos ſe ſe cõtrahat, vt Plinius intellexit, ſed cum ſatis ſpiſſa ſit, manibus formari εἰς κολλίκα ῥοδιακοις ὁμοίως, quod de vermibus nõ eſt exponendũ; fiebat enim apud Rhodios probatiſſima ærugo in exiguos panes formata, vt annotauit Vitruuius, qui poſteaquam Ceruſſæ apud Rhodios conficiendæ modum aſſignaſſet, eadem, inquit, ratione, circa lamellas æreas verſantes effingunt æruginem, quæ æruca appellatur. Ideò ex hoc Vitruuij loco ſatis conſtat quid Dioſcorides, per κολλίκας ῥοδιακοις ὁμοίως intelligere voluerit. Errant igitur, qui κολλίκας ῥοδίας malè interpretantur non placentas è Rhodo Inſula, ſed paſtillos ocularios exroſis confectos, ad quem vſum, paſtilli etiam ex ærugine parabantur. Quocirca ex hactenus dictis manifeſtarium euaſit Plinium in exploranda hac Dioſcoridis ſententia, hallucinatum fuiſſe, dum corrupto exemplari vſus eſt.

Æruca qua.

Lib. 34. cap. 12.

Lib. 7. Architec. cap. 12.

Præterea facticiæ æruginis tria ſimiliter genera oſtenduntur; vel enim abraditur ab ære, quod Græci ξυσθὸν appellant, vel in paſtillos, & placẽtulas (ex Dalechampij ſentẽtia, nam omnes alij Authores Plinium ſecuti, in vermes habent) formatur: vel ab Opificibus ſparatur mortario, & piſtillo Ciprij æris, cum vrina pueri impubis, qua aurũ ferruminatur. Hanc ſpeciem nomine Chryſocollæ, vel Boracis ſuperiùs memorauimus. Color æruginis in cæruleo eſt ſubcandidus, ſapore eſt acris, & inſigni facultate potitur, in liquanda non ſolùm tenera, ſed etiam dura carne.

Æruginis facticiæ ſpecies.

Ferrugo, ſeu Rubibo ferri, veluti ærugo æris eſt vitiũ, & ſcabres quædam, qua ferrum humore contactum infeſtatur. Color illi ineſt ruber, ſed nigredine permixtus: vndè rubiginis etiàm nomen inuenit. Vis illius, inſtar Chalcanthi, eſt aſtringens, minus tamen erodẽs, qua de cauſa hodie in Germania ſutores illam in tenuiori Cereuiſia diſſoluunt, & coria tingunt. Noſtri verò Coriarij in Italia, ferrum vetus, & rubiginoſum in vino putrefaciunt, quo deinde coria nigro colore inficiunt. Hac Telephum ſanaſſe Achilles perhibetur, qui propterea apud Veteres è gladio de cutiens rubiginem pingebatur.

Ferrugo quia, & qualis.

Rubigo æquiuocatione non caret, eſt enim malum cæleſte, & communis Vinearum, & frugum peſtis, cuius gratia, Rubigalia apud Romanos à Numa Pompilio inſtituta fue-

A fuerunt. Græci hoc malum ἐρυσίβην vocant de hoc Ouidius sic loquitur.

Interea crescat scabræ rubiginis expers,
Nec vitio Cæli palleat ægra seges. *Lib. 1. Fast.*

Quocirca per metaphoram apud eumdem Authorem sic dicitur.

Roditur vt scabra positum rubigine ferrum. *De Ponto Eleg. 1.*

Namque veluti Rubigo ferrum exedit, & paulatim consumit; pariter hęc pestis segetem exurit, & omnem messis spem adimit. Id nobis idem Poeta insinuat hoc versu.

Et teneras segetes, & ferrum amplectitur acre. *Lib. 4. Fast.*

Hinc originem duxit Rubigus, apud Varronem, vnus è duodecim Dijs Agricolarum, & Ruga Dea apud Ouidium, & apud Diuum Augustinum de Ciuitate Dei; quibus Antiqui sacrificabant, ne rubigo segetem, & arbores consumeret. Quamobrem huiusmodi sacrificia Rubigalia dicta, seu potiùs Feriæ in honorem Rubigi Dei VII. Kalend. Maias celebrabantur, vt Rubiginem à campis auerteret; cum eo potissimùm tempore huiusmodi labes segetem corrumpere soleat. *Li. 1. de re rust. Lib. 4. cap. 31.*

DE SVCCIS CONCRETIS PINGVIBVS, & primùm de Auripigmento. Cap. XI.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

SVCCVM omnem concretũ in macrum, & pinguem distribui superiùs fuit explanatum: cum igitur de macris hactenus disputatum fuerit, reliquum est, vt de pinguibus differamus. Verùm si quis Chalcanthum Alumen, & Sory succos pingues tradiderit. Obiectioni occurremus, asserentes prædicta esse quidem pinguia, sed igni apposita non conflagrare: præterquamquòd, origine, à succis pinguibus discrepant: nam hi, virtute caloris, è terra exprimuntur, illa verò producuntur, quando humor pyritem erodit. Quocirca deinceps succi pingues sese offerunt considerandi, nempè Auripigmẽtum, Sandaracha, Sulphur, & Bitumen, de quibus figillatim verba fient, dummodo prius de Auripigmento agatur.

Itaq; quoad nomen, Isidorus scriptum reliquit Auripigmentum appellari, quia sit aurei coloris pigmentum, dum in picturis auri colorem repræsentat. Aut potiùs, quia in fodinis inuentum aureo colore refulgeat: vnde Augurellus hunc respiciens cecinit hunc in modum. *Auripigmenti Etymum.*

Est lapis effossus Syriæ pictoribus, auri
Pigmentum verò, quod & ipsi nomine dicunt.
Frangitur attritus specularis more lapilli
In summa ostentans auri tellure colorem. *Lib. 1. Chrysop.*

Græcis, vt legitur apud Dioscoridem, vocatur ἀρσενικὸν; fortassis, quia ἄρσην mas, & ἀρσενικὸς masculinus exponatur; & quoniam metaphoricè fortis, & strenuus dicitur; hinc Arsenicum in familia mineralium, vt tanquam strenuum venenum exprimatur, Arsenicum nominatur. Veteribus Atticis, annotante Eustathio, dicebatur ἀῤῥενικον. Quocirca non est mirum, si apud Galenum, pro Arsenico, Arrhenicum, & Arrhenice legatur; cum apud eosdem Græcos tam ἀρσενικὸς, quàm ἀῤῥενικὸς masculinum significent. Arsenicum igitur, & Auripigmentum sunt nomina huius Mineralis, quæ ab Authoribus sæpè sæpius confunduntur, & indiscriminatim vsurpantur: nihilominus omnia eadem esse non videntur; cum nomen Arsenici latiùs, quàm vocabulum Auripigmenti pateat: quandoquidem omne Auripigmentum Arsenicum declaratur, sed viciſſim omne Arsenicum Auripigmentum esse non videtur. Idcircò Albertus Magnus triplex Arsenicum constituit, album, rubrum, & citrinum, & hoc postremum Auripigmentum appellat. Idem nobis Brasauolus insinuare videtur, quando tradit, apud nuperos Chymistas, Arsenici nomine, tria intelligi, nempè Auripigmentum, Risagallum; & quod peculiari vocabulo, Arsenicum nuncupatur: quinimò Chymistarum *Lib. 9. de simp. med. fac. Lib. 5. miner. cap. 3.*

rum nomina proponit, ſcilicet Arſenicum croceum, quod eſt Auripigmentum; Arſenicum rufum, quod eſt Sandaracha, & Arſenicum album, quod, ſimplici nomine Arſenici, intelligitur. Sed in hoc poſtremo, teſte Braſauolo, decipiuntur, quia hoc album Arſenicum, non naturale, ſed Venetijs ex Auripigmento arte paratum credunt; cum tamen in fodinis Arſenicum etiam coloris albi inueniatur. Hebræis vocatur Zarnach, deinde Arabibus, & Mauritanis propter linguæ affinitatem, Azarnach, Gallis Orpin, Arſenic. Italis Orpimento, Arſenico. Germanis Operment. Hiſpanis Oropimento.

In Exam. ſimp.

DIFFERENTIÆ.

DIOSCORIDES duo genera Arſenici aſſignat, quorum alterum eſt cruſtoſum coloris aurei, cruſtis tamen inuicem hærentibus, & cum alia materia minimè permixtis, quod optimum eſſe iudicat: alterum gleboſum (βωλώδες, non βαλανώδες, ideſt effigie glandis, vt nonnulli perperam legunt) & accedens ad colorem Sandarachæ, quod deteriùs eſſe voluit. Plinius tria genera conſtituit, optimum coloris aurei prædicat, pallidius, & coloris Sãdarachæ deteriùs, tertium mixti coloris. Primùm cruſtoſum, nulli materiei permixtum, & vocatum à nonnullis foliatum fuit illud, ex cuius magna quantitate C. Princeps aurum excoxit. Aliud verò accedens ad colorem Sandarachæ ignobilius eſt, & ex illo nullum aurum excoqui poteſt. Cardanus quoque tria genera recenſet, primum candidum, quod vocat Arſenicum, ſecundum croceum, quod nomen Auripigmenti retinere ſcribit, & tertium lucidum, quod Riſagallum nominat; hocq; ex duobus prioribus integrari, & arte etiam parari retulit. Scaliger tamen aduerſus Cardanum ſcripſit, hoc tertium genus valida ignitione fieri, & colore eſſe rubrum, non autem luridum, cum color luridus ſit liuidus ex pallenti; & viridi mixtus, quali s in carne ex percuſſione lori reſultare ſolet.

Lib. 5. de Subtil.

Exercit. 104.

Coloris luridi etymũ.

Satiùs erit cum Agricola hoc, prima facie, in duo genera, nempè in natiuum, & facticium diſtribuere. Natiuum, ratione coloris, & figuræ, ad tres differentias reducit. Primum conſtat ex multis cruſtis, & auri colorem imitatur, & cruſtæ ſunt ad ſimilitudinem cruſtarum Magnetis, & lapidis ſpecularis, cruſtæ tamen Auripigmenti faciliùs ab inuicem ſeparari, necnon meliùs frangi, & in puluerem teri poſſunt. Secundam ſpeciem puluerem eſſe coloris auri, & ſecundas in bonitate occupare tradit. Tertiam ſpeciem cæteris viliorem, colore quodammodo Sandarachæ refertam proponit. Tandem duo etiam genera facticij Arſenici deſcribit. Præter aſſignatas natiui Arſenici differentias, multi ambigere poſſunt, an aliqua alia reperiatur. Quandoquidem ſcripta inuenimus apud Heſychiũ lexicographũ hæc verba ἀρνικὸν χρώματος εἶδος χλωροῦ ὅπερ ἡμεῖς ἀρσενικὸν λέγομεν, ideſt Arnicon coloris ſpecies viriditatem exprimens, quam Arſenicon dicimus fortaſſis, quia Pictores Auripigmentum cum Indico miſcentes colorem viridem componunt: luteum enim, & cæruleum viridis coloris termini tanquam medij conſtituuntur. Aut quia aliquando portiunculæ virides immixtæ luteo conſpiciantur, niſi velimus aſſerere χλωρὸν non propriè ab Heſychio pro pallido, aut luteo acceptum fuiſſe: quandoquidem apud Galenum multis in locis χλωρὸν interdum idem dici, quod ὠχρὸν legimus, quoniam Atticæ gentis fuit proprium vnum pro altero pronunciare, & in hoc ſenſu ab Hippocrate ſæpiùs fuit vſurpatum. Dicamus igitur duplex eſſe Auripigmentum, luteum, & rubrum, quod eſt Sandaracha. Luteum duplex conſtituitur, natiuum, & facticium. Natiuum, fiſſile, & gleboſum, denique facticium album eſt, & flauum. Primum facticium ex æquo pondere naturalis Arſenici, & Salis paratur, dum hæc ſimul mixta in fictili comburuntur, donec vapores elati circa vas, ad ſimilitudinem cryſtalli concreſcant; quod poſtea Arſenicum cryſtallinum nuncupant. Secundum facticium ex Arſenico naturali, & Sulphure permixtis componitur, quod Arabes medici Realgar cognominant, & alij, nomine corrupto, Riſagallum vocitant. Clariores facticij Arſenici modi apud Agricolam leguntur. Demum ex illa Arſenici ſpecie delata ex Germania, quę Petraltum vocatur, & colore citrino, & rubro referta eſt, tanquam ex deteriori, & viliori Arſenicum ſublimatum conficitur: namq; ſcobe æris admixta, albedinem acquirit, deinde modicum ſulphur illi permixtum aliquem ruborem producit, & Riſagallum conſtituit.

An alia ſpecies Arſenici.

Arſenicum cryſtallinum.

Riſagallum quid.

NA-

NATVRA, ET LOCVS.

NATIVVM Auripigmentum est succus in terræ visceribus concrescens, colore, & splendore auri æmulus: immò ita auro assimilatur, vt quemlibet, præter peritum in re metallica, fallere possit, hinc Agricola aliquando scriptum reliquit, Auripigmentum auri singulare indicium esse. Similiter Cardanus prodidit Auripigmentum esse Auri particeps; cum tamen impensa lucrum superet. Hoc generatur in venis metallorum, virtute ignis subterranei, elaboratum, & ob exactam, & perfectã coctionem flauum colorem, & auro valdè similem acquirit. Minorem, quam sulphur, & bitumen, pinguedinem possidet, & gustui acrimoniam insignem communicat. Est enim, ad mẽtem Alberti Magni, naturaliter sulphureũ, adurens, calidũ, siccum, plus tamen calefacit, quàm siccet, cõsequenterq; putrefacit. Agricola Auripigmentum simile lapidi speculari constituit, & tamen lapis specularis pinguidine caret: propterea addit esse succum concretum vstum, & pinguem. Quocirca Theophrastus, in libro de lapidibus, id inter illa fossilia reponit, quæ ignem passa, & veluti combusta sunt, cum ab exhalatione sicca, tanquam à propria minera prodeat. Tãdem Auripigmentum ad naturam Sandarachæ erit reducendum; cum ab illa, nonnisi maiori coctione, dissentiat: quapropter asserendum erit hæc duo inter se differre, quia vnum altero in terræ viero magis sit concoctum: siquidem Sandaracha, vlteriori concoctione, rubedinem acquirit. Quamobrem Dioscorides, in vno, & eodẽ capite, de Auripigmento, & Sãdaracha pertractauit, cum hæc duo eiusdem naturæ, & qualitatis esse iudicauerit. Pariter Galenus idem de Auripigmento, & Sandaracha affirmat, cum ambo vrentis facultatis esse perhibeantur. Hæc autem omnia Matthiolus in Commentarijs ad Dioscoridem confirmauit.

Lib. 5. de re metal.

Lib. 5. de subtil.

Lib. 5. de miner. cap. 5.

Lib. 9. de simp. med. fac.

Quoad locum, Eustachius Rudius monimentis mandauit omnes Arsenici species ex regionibus orientalibus vehi. Ortelius autem nominat Dispontum regionem circa Pontum, vnde Auripigmentum affertur. Item ex Mysia optimum crustosum, & aureo colore defertur. Propterea optimis rationibus Dioscorides, Vitruuius, & alij Authores scribũt in Ponto, in Mysia, & in Cappadocia nasci: quinimò addit Agricola in Carmania quoq; reperiri: vnde Strabo duos Montes in Carmania constituit, quorum alter Salem, alter verò Arsenicum continet. Plinius etiam refert Auripigmentum, quod apud Pictores est in vsu, in Syria effodi. Demum Eustachius Rudius afferri ex nonnullis Germaniæ locis illud Arsenici genus scripsit, quod Petraltum nominant, & ex citrino, & rubro mixtis componunt.

Lib. 15.

Lib. 33. cap. 4.

Si respiciamus peculiares fodinas, notandum erit in ijsdem aurarijs, & argentarijs metallis reperiri, in quibus etiam Sandaracha nascitur. Hanc sentẽtiam stabiliuit Theophrastus, in libro de lapidibus, dum ex aurarijs Auripigmentum, Sandaracham, Chrysocollam, Rubricam, Ochram, & Cæruleum erui tradidit.

VENENVM ARSENICI, & medela.

IMPROBÆ Arsenici qualitates tanquam exitiosæ, tum ab edulijs, tum à medicamentis semper sunt arcendæ: nam, ob vim erodentem, humido radicali officiunt, calorem natiuum afficiunt, & omnes partes internas humani corporis labefactãt. Hoc autem Arsenicum, siue sit naturale, siue factitium, præter vim erodentem, quæ à quarto caliditatis, & siccitatis gradu dependet; deleteria, & putrefaciente facultate est insignitum. Hinc propterea venifica, & lethifera proprietas, maior tamen & efficacior, quàm ab Euphorbio dimanat. Hoc esse pessimum venenum Dioscorides, Matthiolus, Agricola, & multi alij Authores diuulgant: Quinimò Cardanus non solum hominibus, sed etiam brutis, plantis, & metallis vehementer obesse pronunciauit: quandoquidẽ mures, lupi, vulpes, & alij huius generis animantes, nõ solum, hoc degustato, pereũt, sed etiam in rabiem ita feruntur, vt sui generis animalia inuadant, & quęcumque mo-

mormorderint, eadem rabie ſtatim corripiantur. Deinde plantæ Arſenico ſuffictæ ſiccantur, & prorſus intereunt. Similiter hoc veneno metalla inficiuntur, quia eorum humidum ita abſumitur, vt perfectè liquari nequeant.

Arſenicum cunctis rebus eſt venenum.

His de natura Arſenici venenata intellectis, enumeranda, & ponderanda ſunt ſigna, & ſymptomata, quę virus huius mineralis conſequuntur. Authores memorant ſymptomata, quæ ab Euphorbio ſumpto excitari ſolent, ſed tamen, propter maiorem caliditatem, & ſiccitatem Arſenici, hæc quoq; validiora, & vehementiora euadunt. Namq; ſitis, & inflammatio eſt intenſior, palatum, ſtomachus, & inteſtina eroſione infeſtantur, & omnes nerui, ob inanitionem, & morſum, conuelluntur. Demùm Patientes aſperitatem gulæ, tuſſim, difficultatem ſpirandi, ſuppreſſionem lotij, & dyſenteriam incurrunt. Item ſimilia accidentia ab omni ſpecie Arſenici ſumpta reſultabunt. Nihilominus præſtò eſſe debet medicus illi, qui Riſagallum deuorauerit: nam Conciliator narrat ſe curaſſe iuuenem, cui Riſagallum cum hepate ſuillo fuerat exhibitum, qui poſteaquam præſentiſſimo remedio à morte fuit vendicatus, circa omnes iuncturas, ob nimiam veneni ficcitatem quaſi immobilis remanſit.

Symptomata Arſenici.

Quoad curationem, Dioſcorides danda eſſe Patientibus hoc veneno vexatis illa præſidia exiſtimat, quæ acrimoniã Arſenici retundere, & aluum lubricam ſeruare poſſint; & inter hæc recenſet ſuccum Ibiſci, & Maluæ; Item probat decoctum ſeminum Lini, Tragi herbæ, vel Orizæ, necnon lac copioſum cum mulſa, & iura pinguia, quibus veneni acredo facilè hebetatur. Tandem præſcribit omnia medicamenta, quæ, in profligando Cantharidum veneno proponuntur. Idcircò mucilagines Pſyllij, Maluæ, Cydoniorum, & oleum Amygdalarum dulcium in hoc caſu ſummam vtilitatem afferre dicuntur. Sed nonnulli Authores cryſtallũ foſſile in puluerem tenuiſſimum redactum, & pondere drachmæ cum oleo amygdalarum dulcium propinatum, tanquam antidotum huius veneni præſtantiſſimum extollunt. Conciliator, in expugnando Riſagalli veneno, tanquam proprium veneni antidotum, ſtatim oleum nucleorum Pini, ad pondus vnciarum quatuor, exhibitum proponit. Alij oleum ex nucibus magnis, quæ ex India vehuntur, ad pondus ſemilibræ, expreſſum, & potum magnificant.

Lib. 6. cap. 29.

PRÆPARANDI RATIO.

AVRIPIGMENTVM cremationepræparatur, & modum huius aduſtionis Dioſcorides aſſignat, dum illud ponit in noua teſta, ſubiectis carbonibus ignis, & aſſiduè mouet, donec candefactum mutauerit colorem: tunc enim refrigeratum teritur, & reponitur. Alij Auripigmentum coloris ſubcitrini in vaſe vitreo excoquunt, donec adhærens vaſi rubeſcat; quia tunc vires Præcipitati adipiſcitur. Solent enim metalla plerumq; virtute ignis colorem mutare: præſertim Auripigmento hoc cõtingere ſolet; cum, violentia ignis, rubicundum euadat: veluti in fodinis, vehementiori calore ſubterraneo, in Sandaracham vertitur; quæ ſolo colore, non autem ſubſtantia, teſte Cardano, ab Auripigmento diſcrepare perhibetur. Itaque Chymiſtæ à natura edocti Auripigmentum catinis includunt ad furnum, quem reuerberij vocant, quinque horarum ſpatio, citra expirationem, & hac ratione illud in Sandaracham tranſmutãt. Eſt tamen alia Sandaracha foſſilis, quæ in venis Auripigmenti reperitur.

Lib. 5. c. 75

Lib. 5. de Subtil.

MORALIA.

RERVM naturalium ſcrutatores Auripigmentum, inſtar auri, radiare, & ad rubedinem tendere obſeruarunt, præſertim quando in Sandaracham conuertitur. Idcircò Præceptores moralis doctrinæ, per Auripigmentum, deſignant hominem honeſtatis aurum, & charitatis ruborem ſimulantem, qui poſtmodum acredine Auripigmenti non caret, dum, euaginata lingua, aliorum famam ſemper rodit. Deinde Auripigmentum quatenus aureum repræſentat colorem, & naturaliter eſt minerale fragile, & ſulphuri additum omnia metalla, præter Aurum, conſumit, carni humanę erit aſſimilandũ, quæ, quoad ſpeciem, & venuſtatem corporis, aurea apparet, ſed poſtea

Detractor cur ſimilis.

Astea fragilis dicitur, dum criminibus reluctari minimè possit; verùm si illi fætidum libidinis sulphur copuletur; tunc, instar Auripigmenti, tentamentis animam dissoluit, delectationibus erodit, consensu, & operationibus dissipat: propterea nullum inuenitur metallum, nempè nullus homo, qui ab hac, præter aurum, scilicet præter virum sanctum, & iustũ, non consumetur, & erodatur: habetur enim in Apocalypsi. *Quis poterit pugnare cum bestia?* Insuper ex Auripigmento calci admixto medicamentum psilothrum paratur, quo pili imbuti absq; dolore cadunt. Auripigmento mors denotari potest, cuius morsu omnes apprehenduntur, & destruuntur, calce, intelligenda est charitas, quæ calefacit, & vitam gratiæ parit. Quando igitur hæc duo, nempè dilectio Dei, & monumentum mortis aqua pietatis copulantur, proculdubiò inde psilothrum morale resultabit; quo omnes diuitiarum pili absq; dolore peribunt. *Cap. 13.*

Rursus Auripigmentum facultate calefaciendi, dissoluendi, purificandi, & erodendi potitur: Quocirca ad multas corporis affectiones tollendas fæliciter adhibetur. Pænitẽtia Auripigmento assimilari potest, quæ Peccantes dilectatione dissoluit, confessione purificat, & corporeis calamitatibus erodit: propterea ad delendos multos animæ affectus, & vitia adhibetur. Tandem veluti, virtute Auripigmenti, vngues vitiosæ, & deformes cadunt, nouæque, & meliores crescunt: pariter ardor pœnitentiæ vetera destruens crimina, est in causa, vt gratiæ, & virtutes animæ in dies magis atque magis crescant.

VSVS IN MEDICINA.

DIOSCORIDES, & Galenus vnanimes ad denudandas pilis partes Auripigmento vtũtur. Hinc colligit Agricola aquas in regione Oenipeorum, in Aegypto, & in Gadaride, Auripigmentum, vel simile aliud fossile participare: propterea quòd homines caluos reddant, & pecora illas potantia, pilos, vngues, & cornua amittant. Hodie, in Thermis, vel Hypocaustis, Auripigmentum est notum, dum ibi psilothrum vulgare componunt ex quatuor partibus viuę calcis, & singulare Auripigmenti, omniaq; simul decoquunt, & coctionis terminum esse dicunt, quando penna gallinacei in illo immersa deplumis euadat. Circa hoc psilothrum difficultas oritur quandoquidem Aristoteles in Problematibus scriptum reliquit capillos Auripigmento rufos reddi, neq; ob huius mineralis colorem, hoc a veritate alienum esse videtur: sed quomodo hic effectus ab illo prouenire poterit; cum, illius contactu, ex Dioscoridis, & Galeni sententia, pili cadant? Respondere oportet vtrumq; effectum ab Auripigmento diuersimodè adhibito dimanare posse: namq; capilli hoc infecti, cute intacta, rufescunt, sed, cute linita, pili cadunt. *Psilothrum vulgare quale.*

Deinde Agricola scriptis mandauit Arsenicum esse quidem nocentissimũ venenum, hoc tamen Syndone inuolutum, & penès regionem cordis gestatum, tanquam aduersus pestem prophylacticum remedium prædicauit: item hoc, amuleto, multos, vagante pestilentia, seruatos fuisse, aliqui Authores perhibẽt. Huius autem effectus rationem multi volunt esse, quoniam cor veneno sensim assuefactum, minùs facilè ab aere venenato offendatur. Sed verisimilius esse credimus venena esse venenorum antidota; cum Scorpius proprium virus sanet, & caro viperina non solum proprio, sed etiam cæterorum Serpentum veneno occurrat. Item oleum ex luteo Arsenico paratum pulsibus illitum, vt aiunt, sumptum venenum, per vomitum, per secessum, & per sudorem expellit.

Præterea extrinsecis etiam miscetur medicamentis, ideòq; in vlceribus adhibendum esse præcepit Hippocrates. Quamobrem, in curandis fistulis, emplastrum ex Auripigmento, sulphure, calce, & sapone paratur, cum hæc omnia vehementem exsiccandi, & purificandi virtutem possideant: hæc enim, in curatione huius vlceris, requirũtur. Schola igitur Salernitana huc respiciens canit hunc in modum. *In lib. de Vlcer.*

Auripigmentum, sulphur miscere memento
His decet adponi calcem, coniuge saponi,
Quatuor hæc misce, commixtis quatuor istis,
Fistula curatur, quater ex his si repleatur.

Lib. de Cuter. cap. 8.

Alij in ſimili caſu oleum Arſenici fæliciter adhibendum eſſe præcipiunt. Hoc autem, iuxtà ſententiam Falloppij, tali ratione paratur. Recipitur libra Arſenici cryſtallini, & Saliſnitri, teruntur, & miſcentur in botia (vt inquiunt Chymiſtæ) contra botiam, rimis diligenter ſtipatis, & ſuperius vas habeat in ſummitate paruum foramen. Igni lento tandiù laboratur, donec omnis humor ſit egreſſus; quod veluti in oleo Vitrioli, ſuperficie gladij, cognoſcitur; tunc apertis vaſis ſumatur libra illius mixturæ, Salis ammoniaci tantumdem, & mixta, iuxta præcepta artis, toties ſublimantur, donec in fundo vaſis ſolum Arſenicum tanquam oleum ſolidum relinquatur, quod in vaſe vitreo clauſum, & in loco humidiori collocatum, in oleum limpidiſſimum tranſmutabitur.

Oleum Arſenici.

Iam ponderandum eſt, vtrum Arſenicum medicamentis internis permiſceri poſſit. Quandoquidem Auicennas Auripigmentum datum tuſſientibus, & ſaniem expuentibus in ouo ſorbili multùm valere ſcripſit. Etenim hic vir inſignis illam virtutem Auripigmento aſſignat, quæ ſulphuri, ex Dioſcoridis, & alioruu Græcorum mente, tribuitur; dum Tuſſientibus, & Aſthmaticis ſulphur in ouo ſumptum mirandum in modum prodeſſe tradiderunt. Quinimò idem Auicennas alibi protulit hæc verba. *Arſenico eſt virtus mirabilis in omnibus, quæ ſunt neceſſaria de incarnatione, & reſolutione ſanguinis, & prohibitione nocumenti, cum in potu ſumitur.* Verùm in hanc ſententiam Dioſcorides etiam græcus author venit, dum Sandaracham (quæ nil aliud eſt, quàm Arſenicum vlteriori coctione aduſtum) Empyematicis, & Suſpirioſis cum melle, & reſina exhibet. Nos autem huiuſmodi genus medicamenti prorſus vitandum eſſe cenſemus: Quamuis correctum, & caſtigatum in modica quantitate, ad mentem clariſſimorum virorum, præſcribi poſſet. Immò grauiter puniendum eſſe errorem illorum opinamur, qui, in Athanaſia magna Nicolai Myrepſici, pro ἑλενὶς legunt ἀρσενικὸς, & propterea Auripigmentum, pro Helenio planta, huic compoſitioni addunt: quos poſtea Arnoldus Villanouanus, in ſuo Antidotario, ſecutus eſt. Chymici tandem, ad vſum medicum, ex Arſenico, conficiunt, calcem, oleum, florem, & butyrum Arſenici, omnes autem hæ præparationes apud Libauium recitantur.

Lib. 4. Canon. fen. 4. tract. 2. c. 5

VSVS IN VARIIS.

PICTORES in primis, loco Ochræ, Auripigmento vtuntur, & viciſſim, ex Theophraſto in libro de lapidibus, loco Auripigmenti, Ochram adhibent; cum, colore, nihil inter ſe diſcrepare videantur. Nihilominus, iuxtà rei veritatem, hi duo colores ab inuicem valdè differunt; nam Auripigmentum clarius fulget, & color Ochræ obſcurior apparet. Alij, Auripigmento, Rubinum ementiri conantur, dum, lento igne, Auripigmentum in vitro non exactè obthurato diligenter excoquunt: namque fruſtula vitri lateribus adhærentia, ſed admodum frangibilia, Rubini vices ſupplent. Amplius, in fabricando auro, Auripigmentum à nonnullis Chymicis adhibetur, exemplo C. Principis, cuius hiſtoria à C. Plinio ſecundo his verbis recitatur. *Aurum faciendi eſt etiam vnaratio ex Auripigmento, quod in Syria foditur: Pictoribus in ſumma tellure, auri colore, ſed fragile lapidum ſpecularium modo. Inuitaueratq; ſpes C. Principem auidiſſimum auri; quamobrem iuſſit excoqui magnum pondus Auripigmenti, & planè fecit aurum excellens, ſed ita parui ponderis, vt detrimentum ſentiret; illud propter auaritiam expertus: quamquam Auripigmenti libræ XIIII. permutarentur, nec poſtea tentatum ab vllo.* Quid ſibi velint poſteriora illa Plinij verba (quamquam Auripigmenti libræ XIIII. permutarentur) non intelligimus, & libenter audiremus aliquem huiuſmodi verba explanantem.

Rubinus ſimulatur.

Li. 33. c. 4.

Deniq; ad enecandos mures, Arſenicum apud nos eſt in frequentiſſimo vſu; quoniam id inter alia murium venena multi Authores efficaciſſimum diuulgant: Quinimò, ad accelerandam muribus necem, vas aqua plenum apponi iubent: ſic enim virus per venas citiùs meare, & mures inflatos mori perhibent. Hoc autem nobis minimè perſuadent; quandoquidem huiuſmodi animantes, poſt deuoratum venenum, copia aquæ hauſta, liberari credimus: nam aqua vis veneni retunditur, & faciliùs euomitur. Succus etiam Chamæleonis herbæ, addita aqua, & oleo, mures necare perhibetur, niſi protinus, authore Plinio, aquam biberint. Item noſter Creſcentienſis mures occidi ſcripſit Roſal-

Murium venenum quale.

gario

Agario trito in cibis, quibus delectantur; sed remouendam esse aquam ait, cuius potu, sæpè iuuãtur. Etenim huiusmodi animalcula, post sumptum venenum, ocyus ad aquam confugiunt, vt æstuantem, & erodentem, veneni facultatem madore, & frigiditate aquæ mitigent: præterquã quòd ventriculo aqua repleto, venenum vomitione reijciunt. Hanc nostram stabilire potest sententiam authoritas Aristotelis, qui in Historia animalium, Arsenicum muribus necandis appositum à familia fuisse narrat, & huiusmodi pulniculum fortè fortuna, quam domi alebant, Columba degustauit, quæ, posteaquam lethalis veneni acredinem sensit, illicò ad situlam aquæ plenam accurrit, sed cum à familia arceretur, protinus interijt; victura fortè, nisi salutari aquæ præsidio prohibita fuisset. *Lib. 8 c. 28*

DE SANDARACHA.
Cap. XII.
ÆQVIVOCA

POST Auripigmentum, Sandaracha succedit examinauda, quoniam inter hæc duo fossilia cognatio maxima, tum ratione coloris, tum ratione substantiæ, intercedit. Sed primùm, quantum nostræ se se extendent vires, æquiuocationem explanare conabimur: quãdoquidem non solum Sandaracha significat succum in vtero terræ Auripigmento affinẽ, de quo in præsentia sermo est habendus, verũ quoq; apud Arabes, & eorum interpretes, Sandaracha, siue Sandarax, magna nominum confusione, designat vernicem scriptoriam, nimirum gummi Iuniperi, cuius puluere chartę inspergũtur, ne bibulæ euadant, vocatur enim vernix, quasi veris ros, cum gummi iuniperinum, tempore vernali, gignatur, & æstiuo perficiatur: aut, secundùm alios, vocabulum vernicis deducitur à Verno, nempè splendeo, quia picturis splendorem conciliet. Cornarius autem hoc vocabulum à voce Germanica Vernesser deriuat, qua vernicem significari perhibet: Præterea nostri Pictores vernicem vocant quandam compositionem ex gummi iuniperino, aloe, & oleo nucum, vel seminum lini paratam, quam coloratis iconibus lumen impertiuntur. Item Sandaracha, apud Vitruuiũ, colorem ex cerussa in fornace combusta paratum indicat: hunc colorem Dioscorides, & Galenus Sãdycem, Actius, & Paulus Aegineta Syricum appellarunt. Sandarachaui esse nomen herbæ apibus gratissimæ, refert Calepinus, ad mentem Plinij, & alio nomine Cerinthum nominari scripsit. Sed, vt nostra fert opinio, Calepinus in magno errore versatur. Quandoquidem Plinius illo in loco, per Cerinthum, vel Sandaracham, mellis ceraginosi speciem fortassis in colore ad Sandaracham accedentem intellexit, quam Aristoteles Erithacen appellauit. Est quidem verum, quod Plinius alibi peculiara enumerans pabula apibus valdè grata, memorauit Cerinthem herbam, non autem Cerinthum, quam postea Virgilius in Georgicis inter herbas apibus pariter gratas recensuit, & ignobile gramen appellauit his versibus.

Sandaracha nomen æquiuocũ.

Vernix cõmunis.

Lib. 11. c. 7 Cerinthus quid.

Lib. 21. cap. 12.

——— *huc tu iussos asperge sapores,*
Trita meliphilla, & Cerinthe ignobile gramen.

Deniq; Sandaracha, in hexico geographico, est Portus Bithyniæ in ora maris Euxini extra fauces Bosphori Thracij, & hic locus hodie Sorochon appellari perhibetur.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

CVM Auripigmentum optimum existimetur crustosum, aureo colore micans, nulli materiæ permixtum, & squamis fiscile, non erit abre, si hoc in loco Sandaracha, nomine Auripigmenti rubri, vnà cum Schola Arabum indigitabimus: siquidem prædictas sortitur Auripigmenti cõditiones, præter rubicundum colorem. deinde eumdem cum Arsenico spirat odorem, vires habet æquales, & ijsdem generatur metal-

metallis, in quibus Auripigmentum prouenit. Dioſcoridi,& alijs Authoribus græcis dicitur Σανδαραχη, fortaſſis απο τὲ σανίδια ἐχεῖν, nimirum ab habendo tabellas, & cruſtas, & forſitan copioſiores, quam habeat Arſenicum: etenim valdè ſquamoſa,& cruſtoſa obſeruatur. Hinc poſtea Plinius Sādarachatum appellauit,quod admixtam habet Sandaracham,& Sandarachinum dicitur, quod colorem flammeum refert, qualis in Sandaracha conſpici ſolet. Germani lingua vernacula, hoc foſſilis genus, Mauſgift, nimirum Myophonon,ſeu muricidam cognominarunt: nam, quamuis, in capite antecedenti,explicatum fuerit Auripigmento mures ocyſſimè necari,nihilominus, Sandaracha,in perimendis huiuſmodi animantibus, multò lethalior eſſe perhibetur.

Sandarachatū quid.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

EXPONITVR Sandaracha, ſecundum Agricolam, ſuccus concretus, quaſi vſtus, colore rubro, vel flammeo refertus, redolens virus ſulphuris, & generatur, dum vi caloris ſubterranei Auripigmentum ruborem acquirit, veluti dum Ochra exuſta in Rubricam conuertitur. Quocirca Theophraſtus, in libro de lapidibus, Sandaracham inter illa foſſilia reponit, quæ ignem paſſa ſunt, ideoq; minorem Auripigmēto pinguedinem participat,cum portionem illius vlteriori coctione amittat. Amplius naturaliter potitur ijſdem viribus,quas Arſenicum poſſidet. Dioſcorides enim ſic inquit Δύναμιν δὲ ἐχει τὴν αὐτὴν τῷ ἀρσενικῷ. Quocirca non ſecus ac Arſenicum lethale venenum, & præſertim brutorum animantium generi eſſe traditur, quod etiam Ariſoteles in hiſtoria Animalium exarauit. Vnde poſtea Rhaſis,in Continente,ſcriptum reliquit: Arſenico rubro (ſic enim ille,& cæteri Arabes Sandaracham appellāt) peculiarem hanc proprietatem ineſſe, vt in aqua diſſolutum, quam equi potare ſolent, eos illicò necare poſſit.

Lib.3.foſſ.

Lib.8.c.24

Inſuper Natura concreto huic ſucco colorem quēdam,veluti rubicundum ingenuit: nihilominus hic ſuccus tritus, in aqua diſſolutus, & ad opus picturæ accommodatus colorem luteum intenſum, non autem rubicundum refert. Hinc manifeſtè cognoſcimus Sandaracham ad naturam Auripigmenti proximè accedere: Vitruuius igitur Sandaracham facticiam natiua meliorem eſſe iudicat,cum foſſili, & natiua multò ſit rubicūdior. Probatur tamen rufa ſaturatior, friabilis, pura, colore, accedens ad Cinnabarim,& odore, ſulphur referens. Hodie rarò ſola reperitur, ſed plerumq; mixta cum auripigmento ſquamoſo, quale fuit tertium genus à Plinio memoratum.

Lib. 7. Architec. cap. 11.

G

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

HIC ſuccus concretus pinguis ab Authoribus in Sandaracham foſſilem, & natiuam, necnon in artificialem, & facticiam diſtribuitur. In primo genere aliqua obſeruatur differētia, ratione coloris, & figuræ: namq;, vel ad ſatietatem rufa eſt, & Cinnabaris colorem imitatur, aut minus eſt rufa, & partim ſublutea. Deinde diſcrepat, propter figuram: ſi quidem alia eſt naturaliter gleboſa, quæ vt plurimum eſt illa, quæ pluribus locis naſcitur, ſed optima, præſertim in Ponto, teſte Vitruuio, prouenit. Alia eſt inſtar pulueris, vt Theophraſtus, & Vitruuius animaduertunt, qualis ex loco quodam inter Magneſiæ, & Epheſi fines eruitur. Hanc ſpeciem nec molere, nec terere oportet, eſt enim ita ſubtilis, quemadmodum ſi manibus contrita fuiſſet. Artificialis,ſeu factícia ex Auripigmento hac ratione paratur:mediocres particulæ Auripigmenti in olla, orificio obturato,ſpatio quinq; horarum,ita in fornace coquuntur,vt colorem Sandarachæ contrahant. Georgius Agricola Auripigmentum in vaſe vitreato, igne ſuppoſito, liquefacit: nam ferè inſtar ſulphuris accenditur: deinde combuſtum, & refrigeratū in Sandaracham tranſmutatum obſeruat. Aliter etiam Sandaracha factícia præparatur. Auripigmētum puriſſimum candenti ferro impoſitum,ad inſtar ſulphuris, liquefit: liquefacto bacillus immittitur, & mox filum oblongum tenue, ad ſimilitudinem capillorum, extrahitur coloris aurei rutilantis, & poſtquam, ſublato igne, induruit, colorem Sandarachæ ſubrufum adipiſcitur. Ex hac materia trita colo-

H

rem

rem luteum χρυσοζωτα pulcherrimum eliciunt, colorem floris calendulæ æmulantem, quem nostri Pictores *Gialdorato*, aut *Naranzato* vocitant.

Quoad locum natalem, inuenitur Sandaracha in ijsdem fodinis tum aurarijs, tum argentarijs, in quibus Auripigmentum naturale crescit: qua de causa, inter hæc duo fossilia, maxima dignoscitur affinitas. Hinc Scaliger aliquando pronunciauit frustilla quædam rubicunda in Auripigmenti vena inueniri, quæ nil aliud, nisi Sandaracham sapiũt. Si respiciamus regiones. Nascitur Sandaracha in Topazo Maris rubri insula, quæ, authore Plinio, ad nos non affertur. At iuxta sententiam Agricolæ, crescit in Mysia Hellesponti, in Ponto ad fluuium Hispalim, in Asia minore, in finibus Magnesiæ, & Ephesi in Cappadocia, in Pimolisseno tractu Paphlagonię, & tandem in Carmania.

Exercit. 104.

Li. 35. c. 6.

VSVS IN MEDICINA.

CVM Sandarachæ natura Auripigmento valdè sit affinis, vires etiam, ad instar Auripigmenti, in medicina exercere poterit. Dioscorides scripsit Sãdaracham cum resina mixtam Alopeciæ mederi, cum pice scabras vngues pellere, cum oleo, pediculosis prodesse, necnon narium, & oris vlceribus opitulari, & cum rosaceo cæteris pustularum præsidijs non cedere. Dioscorides autem, quia Sandaracham Auripigmento mitiorem cognoscit, illam medicamentis internis ad purulentos permiscuit, & patientibus antiquam tussim, huius fumum per fistulam receptum, tanquam commodum, & salutare remedium præscripsit. Vnde mirandum non est, si Auicennas & ipse Arsenicum medicamentis internis addiderit: quandoquidem vis huius medicamenti in modica quãtitate exhibiti, cum liquoribus, & resinis obtunditur, & temperatur. Namq; cum mulso purulentæ excretioni præbetur, & cum melle antiquæ tussi, & raucitai medetur. Quocirca est notanda Agricolæ sententia, qui prodidit, Zamæ in Africa fontem esse, quo canoræ voces euadunt, cuius effectus hanc esse causam opinatur, quia huiusmodi aquæ Sandaracham participent. Tandem Galenus huic Fossili tanquam Arsenico facultatem vrentem assignat, ideòq; digerentibus, & extergentibus permiscet.

Remedium vocis.

Lib. 9. de simp. med. fac. cap. de Sandarac.

VSVS IN VARIIS.

PLVRIMOS vsus habere Sãdaracha ab Authoribus traditur. In primis Pictores illa vtuntur, & præsertim quoniam sit ἀνθηρον χρῶμα, nimirum quoniam colorem floridum repræsentet: hinc Hesychius antonomasticè Sandaracham ἀνθηρον exposuit, cum olim inter floridos colores reponeretur. Erant enim floridi colores, quos Dominus pingenti præstabat: quandoquidem, cum pretiosi essent, legibus excipiebantur, vt à Domino, & non à Redemptore repræsentarentur: nam qui extruendam domum recipiebat tales adhibere colores ad pingendum cogi non poterat, quia pretiosiores essent; sed tantummodò coloribus vulgaribus vti tenebatur, nisi fortè prius de hoc pacti fuissent. Insuper inter smemgata potest recensseri, cũ Plinius, ad delendas faciei lentes acetum Sandarachatum admixta æris squama commendet. Demum ad fabricam Sandycis concurrere Sandaracham aliqui affirmant. Nam, licèt Sandyx, iuxta communem Authorum sententiam, ex combusta Cerussa præparetur, quem colorem Plinius Sandaracham adulterinam appellat: nihilominus scriptum reliquit Volaterranus, Sandycem ex æquis portionibus Sandarachæ, & Rubricæ præparari.

Colores floridi Antiquorum.

Lib. 35. ca. 15.

Lib. 27.

DE SVLPHVRE.
Cap. XIII.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

IMMENSO verborum agmini cedentes, breuibus æquiuocationem, & Synonimiam Sulphuris comprehendemus. Quandoquidem Chimiſtæ, ad mentem Theophraſti Paracelſi, vocabulo Sulphuris, intellexerunt omne pingue in corporibus, & quod facilè inflammatur. Deinde hac eadem voce vſi, omne aridum, & ſiccum in metallis exiſtens deſignarunt, quemadmodum, nomine argenti viui, omnem humidum, & viſcoſum humorem denotarunt.

Lib. 16. Orig: Quoad nomen, Iſidorus ſcripſit Sulphur vocari, quaſi Solum vrens, quoniã πῦρ apud Græcos ignis exponitur: multum enim igneæ, & areæ naturæ participat. Omnes Latini Authores indiſcriminatim Sulphur, & Sulfur ſcribunt. Legimus etiam in vetuſtiſſimo marmore Sulpur, & fortaſſis quaſi συνπυρ, nimirum cum igne: ſæpè enim υ à Latinis in u. vertitur, & u verſo in L, factum eſt vocabulum Sulpur. Hodie, P. in F. tranſmutato, Sul-

L. 7. Hermath. fur conſtituitur. Goropius prodidit, quòd Sulphur in lingua Cimbrica dicitur Solfer, quæ vox nil aliud, niſi conſeruationem ignis ſignificat. Nobis autem ſemper arriſit Go-

Lib. 2. de Sale. meſij opinio, qui ſcriptis mandauit Sulfur nuncupari, quaſi Salis furfur; cum igneas ſalis vires poſſideat, & virtute ignis, ex materia ſalſa reſultet: ſiquidem ex ſalſis exhalationibus perpetuò generatur; licèt ſalſum ſaporem depoſuerit. Hoc autem eſſe verum nobis loca maritima inſinuant, quæ perpetuis conflagrantia incendijs, inſigni Sulphuris copia redundant. Itaq; natura operante, tunc conficitur Sulphur, quando ſalſum, & oleoſum maris alimentum igni occurrit, & vnà cum bitumine terræ permiſcetur: ſicG

Salis furfur. enim humor ignis abſumitur, & tunc Sulfur tanquam aliquis ardor veluti furfur, ſeu quoddam ignitum Salis, & bituminis recrementum ſecernitur. Ideò Fernelius, ad mentem eorum, qui naturas metallorum perſcrutantur, Sulphur oleum terræ appellari re-

Lib. 4. Phyſiol. cap. 3. citauit. Apuleius Sulphur appellauit metallum viuax; Sulphur tamen apyron Dioſcoridis, & Plinij intellexit: Comaris etiam Scythica, ex ſententia Hermolai Barbari, cogno-

Oleũ terræ. minatur, fortaſſis quoniam in Scythia Sulphur copioſum proueniat. Ab aliquibus vo-

Androdamas. catur Androdamas fortaſſis, quia ſuo fœtore hominum impetus domet, ad inſtar gemmę eiuſdem nominis, quam deſcripſit Plinius. Ab alijs dicitur lapis philoſophicus; immò in arte chymica, non ſolum, nomine Parentis metallorum, ſed etiam Vitri, quandoque intelligitur: etenim referunt Halchemiæ Profeſſores, quòd ſicuti vitrum omnes colores recipit, pariter, in præparatione Sulphuris, varij colores apparent, qui poſtea oculis Argi in Pauonis caudam conuerſis deſignantur.

Græci θεῖον, & θεῖον, necnon θηιον Poeticè, & Ionicè Sulphur appellarunt. Heſychius

Lib. 22. θειάριον, & θειαγον vocauit. Gloſſographus vetus, & Euſtathius in Odyſſea τὸ θεῖον inter- H pretantur. Fuit autem his donatum nominibus, quia θεῖον in græcis litteris diuinum ſignificat; cum Sulphur odorem fulguris, & fulminis ſimilem ſpargat, quæ diuinitùs miſſa eſſe videntur. Hac de cauſa Perſius fulmen Sulphur ſacrum indigitauit his verſibus.

Sulphur ſacrum quid.

Ignouiſſe putas, quia cum tonat, ocyus Ilex
Satyr. 2. *Sulphure diſcutitur ſacro.*

Niſi velimus aſſeuerare Sulphur vocari apud Græcos diuinum, & ſacrum, quoniam Antiquitas illud, in ſacrificijs, & luſtrationibus adhiberet. Aliter à Græcis cognominatum fuit κεραύνιον πῦρ, quaſi fulminalis ignis. Quinimò dictum etiam fuit ἅρπαξ, & Harpaction ab effectu, quia facillimè ignem rapiat. Hebræis vocatur Opherit, vel Gopherit, quæ vox, annotante Goropio, promptitudinem ad incendium ſignificat. Arabibus Chibur, vel Albuſach, Gallis Soulfe, Italis Solfo, Hiſpanis Piedra Cafre, Germanis Schuuefel, Luſitanis Enxufre.

NA-

A

NATVRA, ET AFFECTIONES.

SI meditemur naturalem Sulphuris substantiam, Dioscorides pronunciauit esse medicamentum fossititium ex quadam pingui terræ materia prognatum. Nequc hoc à veritate alienum esse videtur, cum re vera Sulphur sit pinguitudo terræ, quam violentia ignis expressit. Idcircò Lactantius Firmianus non sine ratione obseruauit Sulphur circa loca flagrantia potissimùm diffluere,& propterea illud spumam terræ bullientis constituit. Etenim Sulphur, quemadmodum, & bitumen plurimum aeris, & ignis continet: quapropter facilè accenditur, &, ob hoc incendium, cum bitumine maximam habet affinitatem. Immò, propter eamdem causam, Auripigmento, & Sandarachæ maximè est amicum; cum hæc duo ex pingui,& sulphureo succo resultent: huius indicium est illorum incendium, quia dum comburuntur,pinguedinem sulphuream redolent Qui plura de substantia Sulphuris scire desiderat, petat Albertum Magnum, qui omnes conditiones substantiæ sulphureæ diligenter examinauit.

Lib. 5. cap. 83.

Spuma terræ bullientis.

Lib. 4. Miner. cap. 1.

B Quoad primas huius concreti succi qualitates,notandum est, Sulphur esse intensè calidum, quoniam ab exhalatione fuliginosa proueniat, & ea ratione crescat, qua fuligo fumi in caminis augetur. Galenus illud tenuis essentiæ,& temperaturæ calidæ constituit, & alibi idem Galenus scripsit Sulphur tanta caliditate esse refertum, vt diutiùs, si cuti adhæreat, exurendo, vlcus aperiat. Quinimò cum igne tantam habet cognationem, vt prunis inspersum illicò accendatur, neque vnquam extinguatur, donec pinguis, & oleosa eius substantia prorsus consumpta fuerit: huc respiciens Ouidius quandoque cecinit.

Lib. 9. de simp. med. fac. cap. de Sulph.
Lib. 5. de comp. med. per gen.

Vt penè extinctum cinerem si sulphure tangas
Vsuit, & ex minimo maximus ignis erit.

Hinc multi Sulphur in quarto gradu calidum constituerunt. Brasauolus tamen in Examine simplicium, huic opinioni refragatur; quandoquidem calida in quarto excessu venena esse pronunciauit; cum tamen Sulphur in ouo sorbili præscribatur à Dioscoride in tanta quantitate,quæ hominem proculdubiò interimeret: quocirca Sulphur caC liditate tantùm tertij ordinis potiri tradit. Neq; officit quod comburat, quoniam nonnulla in tertio gradu etiam calida idem præstare possunt.

Quoad cæteras Sulphuris qualitates, materia Sulphuris tetrum, & ingratum spargit odorem: namq; minera Sulphurea fætorem Allij in mortario contusi refert. Quocirca talis odor indicium venæ sulphureæ Metallarijs præstare solet. Præterea,quando vritur iniucundum pariter fundit odorem: immò vapore hoc, & fumo fætido amabilis ab auro flauities detrahitur, & splendor illi congenitus aufertur. Insuper saporis est subpinguis, & ingrati, & quò purius est, eò magis fumum cæruleum emittit: vnde Ouidius cecinit.

Sapor Sulphuris.

——— puro de Sulphure fumi
Cærulei.

Pariter Claudianus eadem ratione motus Sulphur cæruleum indigitauit: siquidem incensum huiusmodi coloris fumum fundit; qua de re Poeta cecinit hunc in modum.

Lib. 1.

——— & lumen odorum
D *Sulphure cæruleo, nigroq; bitumine fumat.*

Aliquem aquis candorem Sulphur impertiri solet, vt admonuit Agricola, in Tractatu eorum,quæ effluunt è terra: hinc Virgilius huius meminit,quando canens,aquam sulphuream Naris fluuij albam esse prodidit.

Sulphurea Nar albus aqua.

Lib. 2. Aeneid.

Quoad figuram,aduertendum est, Sulphur fossile non admodum in figura variare, cum plerumq; illius glebæ eruantur, & rarò stiriæ de speluncis, vel cuniculis pendentes decutiantur. At factitium quandoque habet figuram teretis baculi, interdum figuram crustæ, & aliquando figuram rotundam acquirit, dum per foramina ollarum destillat.

Figura Sulphuris factitij.

Denique Natura, in procreando hoc Mineralis genere, fuit admodum liberalis, cum

aliorum foſſilium aliquæ tantummodo venæ in fodinis extenſæ obſeruentur, ſed ſulphuris integros montes produxit, quemadmodum in Inſulis Æolijs penès Siciliam, in Æthna monte, & alijs locis huius generis manifeſtum eſt, de quibus ſuo loco verba fient.

Poſtremò Chymiſtæ referunt Naturam materiæ Sulphureæ nonnihil argenti viui permiſcuiſſe. Quapropter cum aliquas in Sulphure partes metallicas obſeruauerint, illud materiam, principium, & parentem metallorum indigitarunt.

DIFFERENTIÆ.

Lib. 5. cap. 73.

DVO prima facie Sulphuris genera conſtituere poſſumus, nempè natiuum, & facticium: ſic enim veſtigia Dioſcoridis ſectabimur, qui primum vocat Sulphur apyron, nempè ignem non expertum, cum apud Græcos ἄπυρος, ignem non expertus, exponatur. Alterum nuncupatur Pepyromenon; nam πῦρ ignis, & πέπτω, coquo, exprimitur; quandoquidem Sulphur factitium igne perficitur. Deinde natiui, ſeu foſſilis, nimirum Apyri multæ differentiæ aſſignantur. Primum genus in terram gleboſam, & ſolidam concreſcit, & hoc, quia pellucidum eſt, & purum, medici adhibere ſolent. Secundum omninò eſt tenue. Tertium quaſi mica reperitur. Factitij Sulphuris Plinius varias recenſuit ſpecies, nempè glebam, Sulphur familiare Fullonibus, deinde Egulam, cuius vſum in ſuffiendis lanis prædicat, & aliud ad ellychnia commendat, non quia ellychnia lucernarum ex illo fierent, ſed quia Sulphurata ad lucernas incendendas ex illo pararentur: quamobrem nonnulli hoc vocant Cauton, vt notat Hermolaus Barbarus, quia Græcis καυτὸς & καυσὸς vſtus, vel vſtilis dicitur. Hodie, apud nos, duo factitij Sulphuris genera monſtrantur in figura, & colore diſcrepantia; namq; aliud eſt pallidum, & congelatum figura panis, hocq; virgineum nuncupant, vel quia purius ſit, vel quia illo Virgines capillos rufent. Aliud magis viret, & figuræ eſt teretis, quia liquatum, & transfuſum in fiſtulas arundineas, talem figuram adipiſcitur: hoc Vulgus noſtræ ætatis *Solfo in canna* vocitat. Ratione coloris, Sulphur à Sulphure diſcrepare ſolet, nam aliud eſt luteum, aliud viride, aliud cinereum, aliud rufum, & aliud alterius coloris, quæ differentiæ non ſolum natiuo, ſed etiam facticio Sulphuri competere poſſunt.

Sulphur cauton quid.

Sulphuris colores.

Halchemiæ Profeſſores duplex Sulphur conſtituunt, alterum intensè calidum, & ſiccum, quod Martem vocant; alterum non ità calidum, atq; ſiccum, ſed ſubtile, & Soli intrinſecum, quod Venerem nuncupant, compoſitumq; ex ſale, & Sulphure prædicant. Sulphur autem in argento viuo abditum illud eſſe aſſeuerant, quod formam Solis, & tincturam coloris auri naturalis exhibet. Sulphur quoq; metallicum chymicum nominari Latonem ſcripſit Braceſchus, in libro de Ligno vitæ; vbi citat hæc Morieni verba. *Ignis, & Azoth, ideſt Argentum viuum conuerſum in Solem Latonem lauant, ideſt Sulphur noſtrum metallicum.* At Garlandus notat Sulphur viuum, Sulphur decoctum, & Sulphur clauellatum, apud Chymiſtas, vnum, & idem eſſe. Item Sulphur Naturæ, & Sulphur Artis, in eadem Chymiſtarum Schola, per ſpiritum metallorum ſublimatum, & concretum in terram foliatam, deſignatur. Deniq; Chymici Sulphur incombuſtibile album, vel rubrum memorant, quod in generatione auri, vel argenti requiritur; quandoquidem Sulphur combuſtibile omnia denigrat, & in igne conſumitur. Hoc autem genus Sulphuris, cum hactenus non inuenerint, ipſis ſolis notum, & inter eorum arcana repoſitum eſſe perhibent. Iam nobis innotuit, quòd ipſi varijs operationibus Sulphur ad naturam incombuſtibilem reducere incaſsùm conati ſunt. Quandoquidem pinguitudo illa combuſtibilis, aut non eſt ablata, aut, illa ablata, genus quoddam aluminis, vel Chalcanthi reſultauit.

Sulphur metallicum.

Reliquum eſt, vt recenſeamus illas Sulphuris differentias, quas, longo temporis tractu, ad noſtras manus peruenerunt. Primum fuit Sulphur viuum colore flauo refertum, & ſuccini æmulum, quod apud Ceſenates effoſſum fuit. Idem quoque præſtantiſſimum ex Quito Prouincia Peruana habetur. Fuit etiam nobis communicatum Sulphur Apyron ex Melo inſula, pellucidum quidem, ſed

A sed ex viriditate flauescens, præcæteris, à Plinio commendatum. Item Sulphur apyron, instar Nitedulæ radians, colore luteo ad viriditatem tendente, quod Dioscorides λαμπύριζον appellauit. Neq; prætermittendum est Sulphur cinereum ex Nicaragua noui Orbis Prouincia aduectum, quod densum, gleboſum, & minimè pellucidum est. Amplius Sulphur viuum nigrum, rubrum, rusum, & ποικίλον dictum, quod colorum varietate est conspicuum. Sulphur viuum colore subflauo vidimus, quod, in locis sponte conflagrantibus, in sublime elatum circa lapides concrescit, & propterea sublimatum nuncupatur. Conspicati etiam sumus sulphur virgineum purissimum coloris lutei, collectum in illa planitie Sulphurea, quam Forum Vulcani cognominant. Neq; omittimus Sulphur viuum circa radices montis Æthnæ collectum, cuius maior pars pinguedinis ab incendio montis est consumpta. *Sulphur sublimatum quale.*

Præter has simplices Sulphuris differentias, nonnullas quoq; compositas obseruauimus, nempè Sulphur viuũ luteum cũm Alumine, cum Nitro, cum Atramẽto sutorio, necnon cum Alumine sciſſili, & Melanteria. Item cum Pissasphalto delatum à Samnitibus, quos hodie Aprutios nominant. Nuper habitum fuit ex Agro Neapolitano Sulphur natiuum candidum, & liquidum portioni Aluminis permixtum, quod inundante certis temporibus lacu (qui continuò feruet, & ebullit) in superficie terræ colligitur, & ex eo oleum ad multa vtilissimum exprimitur. Tandem Sulphur auri particeps ex Comitatu Tyrolensi habuimus, è cuius centum libris dimidia vncia auri purissimi excoquitur.

THIOTOPOGRAPHIA.

AGRICOLA monimentis mandauit Sulphur plerumque circa loca ardentia reperiri: siquidem terra conflagrans mineras Sulphuris, & bituminis continere perhibetur. Pariter loca aquis calidis scatentia Sulphur, etiam habere dicuntur. Agricola autem hanc aquarum caliditatem à bitumine prodire voluit: sed sententia tanti viri à multis Authoribus, & præsertim ab Andrea Baccio reprobatur, qui causam aquarum calidarum Sulphuri assignauit. Id videtur confirmatum ab Ouidio, C dum cecinit. *Lib. 3. de ortu subter.* *Lib. 1. de Ther. cap. 17.*

Quid referam Baias prætextaq; litora velis,
Et quæ de calido Sulphure fumat aqua. *Lib. 1. de Arte.*

Quandoquidem nonnulli fontes adeò feruent, vt oua infusa percoquant, & animalia quoq; in illis demersa depilent. Id in Germania, teste Cesalpino, contingere tradunt. Item in Agro Volaterrano aqua ita feruens inuenitur, vt ex animantibus iniectis, modico temporis spatio, ossa tantùm à carnibus nudata extrahantur. Albulæ aquæ in Agro Romano ab albo colore cognominatæ, quem à mixtione Sulphuris acquirunt. Corsena in Agro Lucensi, & Porectana in Agro Bononiensi, Sulphureę, & Aluminosæ sunt; ideoque à fonte calidissimæ egrediuntur. Alumen autem participare dicuntur; cum Sulphuris combustio Alumen reddat. Pariter aquæ malè olentes plerumq; admixti Sulphuris sunt indicium. Fons in Heldesheimio fædum puluerıs pyrij extincti odorem spargit, & aqua huius fontis lapides circumiacentes limo obducit, qui derasus, & exsiccatus genuinam Sulphuris materiam refert. Tetrum quoq; odorem Sulphuris spirabat Fons, D qui nuper erupit ex montibus proximis Scarpariæ oppido in Valle Mugelana sito, cum terræmotibus conquassaretur, sed paulò post, cessante terræmotu, exsiccatus est. Tandem Plumbum in sua minera nonnihil Sulphuris continere traditur: quocirca credendum est aliquid etiam Sulphuris reperiri posse in venis, in quibus plumbi materia generatur.

Iam nostra interest ad peculiaria Sulphuris loca, iuxta seriem alphabeticam recensenda accedere. Aeoliæ insulæ adiacentes Siciliæ, quæ septem ab Authoribus numerantur, nempè Lipara, Hiera, Strongyle, Didyme, Eticusa, Phenicusa, & Euonimus, Seruiushas esse nouem retulit, & Facellus, in Historia Siciliæ, decem, iuxta tabulas Tolomei, descripsit; ita nuncupatæ, quoniam temporibus Iliacis ibi Aeolus regnasse creditur; item Vulcaniæ dictæ, quoniam harum omnium natura sit Sulphurea, & per interualla, tanquam ex fornacibus Vulcani, ignis euomatur. *Regiones, quibus Sulphur nascitur.*

Lib. 4. In his igitur, & præſertim in Lipara, teſtibus Dioſcoride, & Plinio, optimum Sulphur generatur. Hoc Silio Italico non fuit ignotum, quia cecinit hunc in modum.

Nam Lipara in vaſtis ſubter depeſta caminis.
Sulphureum vomet exarſo de vertice fumum.

Leander etiam, in ſua Hiſtoria, ſcribit, ad mentem Plinij, copiam Sulphuris ex nominatis Inſulis extrahi. Verùm, noſtris temporibus, mineræ Sulphuris deſierunt, fortaſſis quia in illis incendia ceſſarunt; conſequenterq; materia Sulphuris fomes, & alimentum ignis, non amplius generatur. Æthna mons nocturnis admirandus incendijs, ob copiã Sulphuris, eſt celebratus: nam conſtat hunc montem ab ea parte, qua Eurus, & Africus flant, ſpeluncas habere plenas Sulphuris vſq; ad mare deductas, hæ cauernæ recipientes in ſe marinos fluctus ventum creãt, qui agitatus ignem ex Sulphure accendit: vnde flammæ poſtea, & fumi vſq; in Siciliam feruntur. Quapropter hoc in loco Gigantes à Ioue fulminibus fuiſſe peremptos Poetæ fabulantur, vt Virgilius eſt teſtificatus. De hoc monte, & eius conditionibus locutus eſt Ouidius hunc in modum.

Aethna mons.

Nec quæ Sulphureis ardet fornacibus Aethna,
Ignea ſemper erit, neq; enim fuit ignea ſemper.

Perpetuus enim humor, qui in his generatur cauernis, perpetuum incendijs fomitem F ſuppeditat: vnde ad rem aliquando Virgilius cecinit loquens de flamma Aethnæ montis ſic.

Lib. 3. *Aeneid.*

Atq; hæc ipſa tamen iam quondam extincta fuiſſet,
Ni furtim accedat ſecretis callidus humor.

Amplius aquæ ab hoc monte ſcaturientes inſignem Sulphuris putorem ſpargunt, quarum Ouidius in Metamorphoſi meminit. Ideò non eſt mirandum, ſi Poetæ huiuſmodi montem Sulphureum cognominauerint. Claudianus ſic canit de Æthna.

Lib. 1.

Seu Mare Sulphureo ductum per viſcera montis.

Cæterùm non modò in Æthna, ſed in multis quoq; Æthiopiæ montibus copia Sulphuris producitur. Amſanctum locus eſt apud Hirpinos, qui Vulgò hodie dicitur *Valle di Picenti*, & à Coſmographis Vmbilicus Italiæ deſcribitur: hoc in loco ianuam ſedium infernarum eſſe fabulantur, propter mortiferas Sulphuris exhalationes, quæ illinc egrediuntur, de hoc loco locutus eſt Cicero hũc in modũ. *Quid ſi videmus, quam ſint varia* G

Lib. 1. *de Diuin.*

terrarum genera, ex quibus, & mortifera quædam pars eſt, vt & Amſancti in Hirpinis, & in Aſia Plutonia? Talis locus, iuxta mentem Partaſij in Claudianum, ab Incolis propter inſignem putorem, Mephitis appellatur. In Anconitano Agro ad montem aqua Sulphurea obſeruatur. Aſia circa flumen Ochrum, authore Strabone, terram Sulphuream produ-

Lib. 2. — cit. Penès Aſculanam ciuitatem, aquæ Sulphureæ, ab odore, ſapore, & colore cognoſcuntur. Auernus eſt lacus in Campania apud Baias, & Puteolos, qui ob inſignem Sulphuris fætorem, Plutoni dicatus eſſe perhibetur, Græcis cognominatur Aornus, quia ſuperuolantes aues læthali exhalatione peremptæ decidant. Huc Virgilius reſpexit canens hunc in modum.

Lib. 6. *Aaneid.*

Quem ſuper haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis &c.
Vnde locum Grai dixerunt nomine Auernum.

Hac de cauſa multi ſedes infernas, hoc in loco, eſſe exiſtimarunt. Demum in Auſtria — aquæ Badenſes mineram habent Sulphuris, immò nonnihil Aluminis, & Salis parti- — cipant. Baianus lacus copia Sulphuris à Natura probè fuit ditatus, quemadmodum H Ouidius libro primo de Arte fuit teſtificatus. In Bohemiæ argentarijs fodinis aliqua — portio Sulphuris inuenitur: quamobrem in illa etiam regione aliquæ Thermæ ſulphureæ inueniuntur. Apud Boſſetum minera ſulphereæ materiæ diues conſtituitur, quæ Andrea Baccio teſte, inſigni pinguitudine eſt referta.

Lib. 4. *de Tler.*

Calabria opes Sulphuris habet luculentas, quia non ſolum in Territorio Terræ Reginæ nuncupatæ reperitur materia ſulphurea, ſed etiam penès ciuitatem Coſentiæ, quàm nonnulli ad Aprutios pertinere ſcribunt; Leander tamen illam in Calabria col- — locat. Ceſenæ montes opibus ampliſſimis Sulphuris aucti ſunt. In Cilicia Fluuius quidam Cilix cognominatus ſapit Sulphur. In Cinenſi regione mineras eſſe Sulphuris non

Part. 1. *rel. Cin. c.* 3.

eſt dubitandum, quoniam narrat Aluarus Ieſuita, ad vſus domeſticos Cinenſium, puteos eſſe refertos igne, quemadmodum noſtri in Europa aqua redundant, habereque

angu-

A angustum orificium, cui apposita edulia optimè coquũtur. Vnde colligit hic vir doctus, subtus copiosas esse Sulphuris mineras. Colles Leucogæi Campaniæ à colore albi Sulphuris cognominati fuerunt, vulgò *la lumiera del Solfo*. Creta venis Sulphureis non caret. Apud Cumas, vbi Oraculum Sybillæ celebrabatur, erat sudatorium valdè vtile, quod à vaporibus Sulphureis erat generatum

Europa, inter alias Orbis partes, magnas Sulphuris opes sibi à Natura cõparauit Gallia, quoniam duplici Mare, nimirum Mediterraneo, & Anglico clauditur, multis aquis Sulphureis scatet. In Germaniæ multis locis aquæ Sulphureæ, & potissimùm in Moguntia obseruantur: etenim hæc ciuitas, Antiquorum testimonio, metallis, & Sulphure affluit. In Gothia Regione vicina Thraciæ, & Noruegiæ Sulphureos aquas Andreas Baccius obseruat. *Europa.* *Gallia.* *Germania.*

In Heluetia, non solum apud Badam oppidum, vt relatum fuit superius, sed etiam penès Limacum flumen, aquæ sunt calidissimæ, referente Cornelio Tacito, quæ à prædominio Sulphur possident. In Hibernia copiosum Sulphur, circa Eglam montem, effoditur, qui flammarum globos ostendere nunquam cessat. Apud Hierapolim ciuitatem Phrygiæ, Vitruuius copiam aquarum feruentium, & Sulphurearum memorat. Hispaniam non solum metallis auri, & argenti, sed etiam venis Sulphureis diuitem Baccius constituit. Per hanc regoinem amnis Minius labitur sese in Oceanum Occidentalem exonerans, cuius aqua non modò miniosa, sed Sulphurea quoq; esse traditur.

Iaua insula montem Sulphureum habet semper ardentem, cuius flammæ, anno octuagesimo sexto post sesquimillesimum, tanta violentia eruperunt, vt decem ferè hominum millia perierint, proiectis in vrbem lapidibus, deinde tanta cineris, & fumi copia, tridui spatio, aerem occupauit, vt dies in noctem conuersus esse videretur. Iluæ insulæ non modò metallorum, sed etiam Sulphuris abundè suppetunt diuitiæ. India quoq; Sulphur viuum optimum pellucidum, & coloris auri habere traditur. Islandiæ montes circa latera monstrant incendia, & cacumina niue habent cooperta; riui autem aquarum ex illis fluentes copiam Sulphuris reddunt. Italiam magna Sulphuris quantitate auctam Andreas Baccius prædicat; cum in multis locis varia obseruentur incendia, nimirum penès Florentiolam oppidum inter Bononiam, & Florentiam situm, circa Alpes Apennini, & in multis alijs locis: vnde colligit Author hæc loca mineris Sulphuris, & bituminis scatere. Sed notandum est illam Italiæ partem ad Mare Adriaticum, & Septentrionem spectantem, vmbręq; Apenniui subiectam, paucis aquæ calidæ fontibus redundare: partem verò circa Mare Tirrhenum, & Meridiem, cnm sit magis aprica, magis esse Sulphuream. Propterea Matthiolus, in Commentarijs ad Dioscoridem, apertissimè pronunciauit quodcumq; Sulphur, siue natiuum, siue facticium in Italia semper copiosum haberi. Deniqne in Iudæa olim non procul ab Oppido Macheronte, Sulphuris vena fuit obseruata. *Iaua Insula.* *Lib. 2. de Ther.* *Italia Sulphurea est.*

In Lycia est mons Chimęra nuncupatus, cuius cacumen propter Sulphur, & bitumen ardet. Id testatur Virgilius.

——— *Flammisque armata chimæra.*

Pariter Plinius: flagrat, inquit, mons Chimæra, & quidem immortali, diebus, & noctibus, flamma. Liris fluuius est in Campania, quem hodiernum Vulgus Liternum appellat, & Sulphureas ducit aquas: Quemadmodum Silius Italicus his versibus expressit. *Lib. 2. cap. 106.*

At qui Fibreno miscentem flumine Lirim
Sulphureum. *Lib. 8.*

In Maiela monte Apuliæ, præter venas multorum metallorum, Sulphureæ etiam mineræ reperiuntur. Ex Melo Insula, testibus Dioscoride, & Plinio, optimum Sulphur aduehitur. Mexicanum regnum non caret montibus lapides, & flammas eructantibus, circa quos Sulphuris quantitas colligitur. In Moguntinis etiam balneis Ioannes Boterus copiam Sulphuris obseruauit. Moscouia lacum habet totum Sulphureum, vt Sigismundus in Historia eiusdem Regionis recitauit.

Inter Neapolim, & Cumas semper magna fuit Sulphuris mercatura. Nicaragua, teste Nicolao Monarde, mittit Sulphur valde simile illi, quod ex fodinis Cesenæ eruitur. Orbis nouus, & præsertim regio Vtlatlan, multas mineras perfectissimi Sulphuris possidet, ex quo, referente Botero, Hispani optimum puluerem pyrium confecerunt in Ormuz insula Boterus duos obseruat eminentes colles, quorum alter Salem, alter *Orbis nouus.*

verò

verò Sulphur præbet. Alij vero narrant, hanc inſulam tanta Sulphuris materia olim abundaſſe, vt ſpatio ſeptem annorum conflagrauerit.

Pamphilia Sulphuris opibus pollere traditur, cũ in multis huius regionis locis incendia appareant: vbi nullæ prorſus plantæ conſpiciuntur: terra enim illa, ob incendia, humore caret, quo herbas nutrire poſſit. In Pannonia inferiori aquæ cuiuſdam frigidi fontis odorem Sulphureum ſpargũt. Parnaſſus mons liquorem album Sulphuris fundit. Patauinum territorium multa habet balnea Sulphurea, ſed potiſſimùm Aponenſe, de quo Mantuanus ſic cecinit.

Hinc Aponi fons ille vetus toto inclytus orbe
Exit in Engeneos colles, fluuiumq; calentem
Sulphure, porrectis in Cælum è montibus haurit.

Phlegæi campi comprehendunt illam planitiem Sulphuream, quam Forum Vulcani nuncupant, vbi ſunt colles leucogæi, de quibus paulò ante ſermo fuit habitus. Poloniæ regnum Sulphuris fodinas in montium iugis habere Ortelius tradidit. Circa Puteolos loca ardentia, ob exhalationes Sulphureas, viſuntur, & quamuis Varro à frequentibus puteis (ſunt enim circa hunc locum aquæ calidæ, & frigidæ) ciuitatem hanc in Campania fælici ſitam deuominatam fuiſſe crediderit: nihilominus, iuxta communem ſententiam, à putore dictus eſt huiuſmodi locus, quoniam grauibus Sulphuris, & Aluminis odoribus ſit putidus. Demum circa Pyreneos montes mineram Sulphuream Andreas Baccius conſtituit.

Lib. 4. de ling. lat.

Apud Sabinos labitur fluuius Nar cognominatus à Veſeuio Monte ortum ducens, & aquas albas, & Sulphureas oſtentans, de quo Auſonius ſic cecinit in Monoſtichis.

Fluminibus Italis propellens Sulphureus Nar.

Quamobrem non erit mirandum, ſi Sulphureus ſit lapis Sabinus, Salentinus, & Sidicinus, quoniam hæc loca plena eſſe Sulphure Georgius Agricola pronunciauit. Samatra montem habet continuas euomentem flammas; ideòq; hæc inſula Sulphureis diuitijs ſe iactare non deſinit. Neq; ſilentio inuoluenda eſt Sardinia, quam Plinius, ob venas Sulphuris, prædicat. Scotia opibus Sulphureis gloriatur. In Senenſi agro eſt balneum Sancti Philippi, & non procul ab illo Sulphur fabricatur. In Septentrionis finibus, vbi trium menſium dies eſt longa, Sulphureæ venæ reperiuntur, cum, teſte Baccio, in multis Agri illius locis, terra ardeat; quemadmodum in montibus Islandiæ conflagrare dicitur. Sicilia multa habet loca fodinis Sulphureis celebrata, vt Facellus, in hiſtoria Regionis, exarauit Siciliam Italiæ olim coniunctam fuiſſe conſtat, ſed cum eſſet naturæ Sulphureæ, fortaſſis violentia accenſi ignis, ſeparata fuit. Id Virgilius optimè expreſſit his verſibus.

Lib. 10. de nat. foſſ.

Lib. 31. ca. 14.

Hæc loca vi quondam, & vaſta conuulſa ruina
Diſſoluiſſe ferunt; cum protinus vtraque tellus
Vna foret &c.

Lib. 3. Aeneid.

Leander recitans Siciliæ hiſtorias, natiui Sulphuris meminit, cum habeat locum Sulphureo concrematum incendio, qui adhuc vulgò *la Cremata* appellatur: nam ibi mineras Sulphuris eſſe cognoſcunt, propter aquas, quæ grauem Sulphuris odorem ſpirãt. Præterquamquòd in eadem Sicilia inter Agrigentum, & Bibonam, lacus eſt nomine Biſana, qui prætereuntium naribus Sulphureum odorem impertitur. In Syriæ lacu *Coppe* nuncupato naſcitur Sulphur, vt Ioannes Boterus eſt teſtificatus.

Tenerifſa inſula habet montem, è cuius cacumine Sulphurei lapides euulſi in Hiſpaniam mittuntur.

Veſeuius vulgò *Monte di Soma* proculdubiò opulentia Sulphuris, bituminis, & aluminis tumidus ſuperbit, quoniam conſtat experientia, & teſtimonio Vitruuij, Strabonis, & aliorum Authorum Veterum, non ſolùm ſub Veſeuio, ſed etiam ſub alijs montibus illius oræ maritimæ, ignes ex Sulphure, & bitumine incenſos latibulari. Hinc huiuſmodi montis cauernæ incendijs maioribus in dies agitatæ tonitruis, & terræmotibus interdum ingentibus concutiuntur, vt tanta cineris copia inde exeat, vt, obſcurato Sole, in Africã, in Aegyptum, & Romam vſque peruenerit; & hac de cauſa, aquæ fontium huius loci ſemper bullientes obſeruantur. Item Viterbienſis lacus noſtra ætate eſt famoſus, Vulgò *Bullicano*, ab effectu, quoniam ob exhalationes Sulphureas, bullire nunquam ceſſet. Quare autem aliquæ aquæ Sulphureæ bulliant, aliæ autem calidæ tantummodò ſint, &

Veſeuius mons.

non

A non bulliant, id credendum est, inquit Andreas Baccius, prouenire, quia bullientes subtus caminos ignis habeant, calidæ verò, & non feruentes, calidos tantummodò vapores rec piant. Volaterranus ager non caret Sulphure, sicuti neq; Vngaria, sed quoniam superius Sulphuris in Pannonia meminimus, in locorum enarratione, non vlterius progrediemur. *Lib 7. d Therm. c.7*

PRÆPARANDI RATIO.

FACTICIVM Sulphur Pepyromenon Græcis dictum in multis Italiæ locis multifariam præparatur; nimirum in Agro Senensi, in Volaterrano, iu Puteolano, & apud Cesenates. Primitùs Sulphur, vel liquor Sulphureus purificatur, & ab aliena substantia separatur, vasis factilibus ignem in fundo tantùm sentientibus: sic enim purior substantia ascendit ad superiorem vasis regionem, & per rostrum in aliud vas recipiens, instar olei, paulatim dilabitur, quod postea in loco frigidiori locatum varia figura concrescit. Verùm Georgius Agricola verba faciens de facticio Sulphure, monuit
B Sulphur præparari, & confici ex aquis Sulphureis, ex venis, & glebis eiusdem, necnon ex rebus Sulphuri admixtis. Quandoquidem aquæ in cortinas plumbeas ingeruntur, & eatenus coquuntur, donec in Sulphur densentur. Ex hoc postea, & squama ferri concoctis, & in vrceos transfusis, & facticio Sulphure luteo obductis paratur aliud artificiale Sulphur, quod Cabalinum vocant, quoniam Veterinarijs, ad scabiem equorum delandam, relinquatur. Gleba Sulphurea effossa, in parando Sulphure facticio, Cesenates, Puteolani, & Volaterrani vtuntur. Ex aquis Sulphureis conficitur in Pannonia inferiori propè Budam. Tandem fit etiam Sulphur ex pyrite, vel lapide crustaceo proprij generis. *Lib. 12. de re metal.* *Sulphur Caballinum.*

Præterea Sulphur cum argento viuo Chymicis organis sublimatur, & in pigmentum rubicundissimum trãsmutatur, quod officinæ Cinabriũ appellant. Demum ex Sulphure oleum varijs modis elicitur. Hollerius Sulphur in Oenostagmate, nẽpè in aqua vitę tamdiù ebullire permittit, donec lẽtor quidam aquę innatet, quem molliori lana, vel Gossypio excipit, aqua toties permutata, donec tota olei quãtitas collecta fuerit. Hoc postmodũ oleo, ad eliciendum in corpore humano hydrargyrum detentũ fæliciter vtitur. Alij recipiunt vncias tres Sulphuris, Terebenthinę tantumdem, vncias duas vini optimi, libram olei rosacei, omniaq; ad ignem lentum feruefieri permittunt, donec vinum fuerit consumptum. Nonnulli partes æquas pumicis, & Sulphuris sumunt, & trita ad moderatum ignem in cucurbita vitrea collocant, & oleum optimum educunt. Aliqui spiritum vini pulueri Sulphuris addunt, deinde accenso, & consumpto œnostagmate, Sulphur tritum, & arenæ commixtum ampullæ includunt, & lento igne oleum eliciunt. Nostra ætate, Pharmacopæi campanæ vitreæ suspensæ ita supponunt patinam aliquantò latiorem, vt labra eiusdem, ad duos circiter digitos, ambitum campanæ superent: fundo patinæ superponitur vasculum Sulphuris apyri, quod candenti ferro accenditur, & agitatur, deinde, illo absumpto, aliud, atq; aliud vasi imponitur, vt ex eius copioso vapore ad campanam elato oleosus vapor in paropsidem subditam descendat. Optimum autem oleum præparari referunt ex solo flore Sulphuris, qui in locis Sulphurosis, tanquam ros ex mõtibus, exsudat, sapore dulci, & ita grato, vt tanquam edulium cum pane, Bra-
D sauolo teste, prandentibus seruire possit. *Olei Sulphuris præparatio.*

VENENVM, ET MEDELA.

SVLPHVR esse venenatæ naturæ ex assertis Plinij colligere possumus, qui aliquando scriptum reliquit: depressis puteis, Sulphurosa, vel aluminosa occurrentia Putearios necare. Præterea, ex mineris Sulphureis, dimanat quandoque vapor ita putidus, & acutus, vt anhelitum claudat, & spiritus vitales corrumpat. Quamobrem aues supra huiusmodi loca volantes à simili vapore suffocatæ cadunt. Quinimò syluestres, & domesticæ animantes, item lacertæ, & serpentes, quando ad talia loca fortuitò accesserint; illicò læthali vapore affecti moriuntur. His addamus caliditatem, & siccitatem *Li. 31. c. 3.*

tem Sulphuris, quæ quartum gradum attingere videtur.

Symptomata huius veneni.

Quare noſtra intereſt recenſere ſymptomata, quæ huiuſmodi venenatam materiam in corpore humano operantem conſequuntur. Ardoynus Piſaurenſis, inter hæc ſigna, enumerat ingentem totius corporis calorem, dolorem hepar affligentem, & inteſtinorum torſionem, ſiquidem calor excedens à temperatura Sulphuris calidiori dimanat, & cauſa doloris hepatis eſt illius inflammatio, necnon ſanguinis accenſio in iecore generati. Deinde torquentur inteſtina à mordicatione, quæ à tenui Sulphuris ſubſtantia promanat. His accedit grauedo linguæ, & ſtomachi propter ſiccitatem ſuperfluam, quæ huiuſmodi partes, & præſertim linguam ad motum ineptam reddit. Tandem aluus fluxu vexatur, quoniam inteſtinorum membranæ vellicantur, & punguntur ab excedenti caliditate, & tenuitate Sulphuris: quapropter inteſtina ad producendum fluxum excitantur.

Cum medici finis ſit humanum corpus curatione ſanare, animaduertendum eſt, curationem huius veneni eſſe ferè ſimilem medelæ argenti viui ſublimati, & calcis: idcircò ad illa pręſidia erit cõfugiendũ. Albucaſis tamen, in capite de potu Sulphuris, potionem Secaniabin Saccharini, nempè Syrupum acetoſum ſimplicem, ſuccum granatorum, & ptiſanam hordeaceam exhibet. Plinius Secundus, in capite de medicinis ex vſu lactis, ad Gypſum, ad Ceruſſam, ad Argentum viuum, & ad Sulphur, lac aſininum propinat. Haliabas in regali diſpoſitione, laudat oleum Seſami; & aquam calidam, aut butyrum calidum, vt Patiens euomat. Deinde iura pinguia, mucilagines ſeminum Pſillij, & clyſteres cum aqua Hordei, & oleo violaceo conueniunt. Tandem Chriſtophorus de Honeſtis, in ſuis Problematibus, pro bezaartico medicamento Sulphuris, cryſtallum tritum cum vino ad drachmam, præſcribit.

Lib. 28. hiſt.

Lib. 4. Pract. cap. vlt.

DENOMINATA.

NON deſunt multa tam animata, quàm inanimata, quæ à Sulphure denominari poſſunt. Inprimis Pluto Sulphureus fuit cognominatus, quoniam locis ſubterraneis, & præſertim natalibus Sulphuris dominari perhibetur: idcircò Poetæ de nuptijs Proſerpinæ verba facientes ſic cecinerunt.

Totaq; Sulphureo nubit Proſerpina Diti.

Peucedanus.

Illa planta, quæ Latinis Peucedanus, & Peucedanum, & Græcis pariter πευκέδανος appellatur, quoniam folia Pinus ſimilia gerat: etenim πεύκη apud Græcos Pinus exponitur. Aut potius denominatur à piceo fætore: vnde Germani lingua vernacula, Peucedanum Schuuefenchetz, nempè radicem Sulphuream indigitarunt. Inſuper Melilotus ille vulgaris, ſeu Trifolium odoratum Dodonei, noſtri Rhizotomi *Solfanello*, ideſt Sulfuratum cognominant, cum eius flos neſcio quid odoris Sulphurei ſpiret. Ludouicus Dulcis quamdam gemmam memorat Kaman, aut Kakaman nuncupatam, varijſq; coloribus diſtinctam, quę à loco natali Sulphuraria poſſet indigitari: ipſe enim putat dictam à Kaumate, nempè ab incendio, cum nonniſi in locis Sulphureis inueniatur. Deinde accedẽtibus ad loca denominata à Sulphure, primò ſeſe offert Forum Vulcani in Agro Neapolitano ſitum, quod hodie vulgò vocatur *la Solfatara*, à copia Sulphuris, quod ibi generatur. Apud Plinium, & Solinum hæc loca Campi Phlegæi, quaſi Sulphure ibi inuento flagrantes dicuntur. Id teſtificatur Silius Italicus his verſibus.

Melilotus vulgaris.

——— *illos quos Sulphure pingues*
Phlegæi legere ſinus.

Vnde poſtea Poetæ Gigantes his in locis cum Hercule fuiſſe præliatos, & horum vulnera aquarum bullientium, & incendiorum loci cauſam fuiſſe finxerunt. Ad loca ſpectat etiam Sulphuraria, quod vocabulum aliquando indicat fornacem Sulphuream, in qua facticium Sulphur elaboratur, & quandoq; denotat fodinam, vnde Sulpur eruitur. At Sulphuratio eſt nomen verbale, & Sulphureitas fixa eſt nomen à Chymiſtis fictum, ſicuti & argenteitas fixa in profundo ſubſtantiæ auri, & argenti, quibus vocibus, deſignant ſubſtantiam ſubtiliſſimam, & puriſſimam, quæ facilè, ad modum cerę liqueſcit.

Mephitis quid. Satyr. 3.

Mephitis quoq; Sulphurea appellatur. Eſt autem mephitis propriè putor terræ, qui ab aquis Sulphureis dimanat: quare huc reſpiciens Perſius, cecinit hunc in modum.

Gutture

Gutture Sulphuras lentè exhulante Mephites.

Sulphureum vocatur illud, quod ex Sulphure constat, vel quod naturam Sulphuris refert. Sed Sulphuratum nomen adiectiuum exprimit illud, quod habet admixtum Sulphur. Hinc Sulphuratum substantiuè sumptum significat illud exile lignum ex vtraque parte Sulphure imbutum, quo lucernæ accendi solent: hoc à Martiali ramentum Sulphuratum, & à vulgo Italico *Solfanello, & Solfarolo* dicitur.

Pariter apud Græcos θειώδης (cum θεῖον sit Sulphur) Sulphureus, vel Sulphurosus exponitur: hinc θειόω Sulphure perfumo, vel expio, & περιθειῶσαι est lustratio, quæ Sulphure celebratur. Item θειόχροος non solum Sulphuris colorem habens, sed etiam luridus exprimitur. Deniq; apud Mesuem memoratur Diasulphur, quod est medicamenti genus in varijs affectionibus adhibendum.

EPITHETA.

SVLPHVR ob varias affectiones, quibus potitur, varia etiam sortitur epitheta. In primis viuax, viuens, & viuum fuit nuncupatum, quoniam statim atque ignem sentit, illicò accendatur. Ouidius dixit.

Admotas rapiunt viuacia Sulphura, flammas.

In hoc etiam sensu Nemesianus Poeta viuum vocauit canens.

Incendens viuo crepitantes Sulphure lama.

Item Claudianus illud viuens nuncupauit, quando dixit.

——— *viuentia Sulphura tecum.*

Ratione coloris vocarunt Sulphur Authores, & præsertim Poetæ luteum, atrum, luridum, & cæruleum. Ouidius luteum nominauit, in Methamorphosi canens.

Lutea, & exiguis ardescunt Sulphura fumis. *Lib.* 15.

Atrum Sulphur cognominauit Silius Italicus, quando scripsit.

——— *atq; atro circumlita Sulphure fumant.*

Pariter, ob coloris obscuritatem, Ouidius quandoque luridum indigitauit, quando cecinit.

Lurida supponunt fœcundo Sulphura fonti.

Deniq; Claudiano Sulphur visum est cæruleum, non ratione substantiæ, sed forsitan ratione flammæ, quam accensum ostentat: protulit igitur Poeta hæc verba.

Sulphure cæruleo, nigroq; bitumine fumat.

Quoad alias qualitates, Sulphur alia quoq; sortitur epitheta. Ouidius in libris de arte, calidum, ratione temperaturæ, sic vocauit.

Et quæ de calido Sulphure fumat aqua. *Lib.* 1.

Item fumans Sulphur Veteres nominarunt, forta ssis, quia illius suffumigio in multis vterentur, vt suo loco exponetur. Ouidius id memorat.

Tactaq; fumanti Sulphure balat ouis. *Li.* 4 *Fast.*

Et quoniam, ratione caloris ingeniti, Sulphur caliditatem, & acredinem gustui communicat: idcircò Ludouicus Bigus Poeta illud acre prædicauit.

——— *acre nimis fœmina Sulphur habet.*

Mantuano vocatum fuit liquidum, cum leui calore Sulphur liquefiat.

——— ——— *Liquidoq; calentes*
Sulphure Cumarum campos.

Statio nuncupatum fuit odorum, fortè ob grauitatem odoris, quem spirat; cum odorum tam de fædo, quàm de iucundo odore pronuncietur. *L.* 4. *Theb.*

Visceribus laceris, & odori Sulphuris aura.

Quocirca multi hac ratione moti, Sulphur tetrum, quasi fædum, & graueolens appellarunt.

Flammarum exarmata globis, & Sulphure tetro.

Cæterùm Sulphur non solum graue, fædum, & tetrum, sed ingratum quoq; nominatum fuit: iuxta hoc distichon.

Qui bibit ingrato fœdatum Sulphure Bacchum,
Præparat ad Ditis se Phlegetontis aquas.

Deniq;

Denique à Statio Sulphur gregale, nimirum commune, & vile fuit dictum. Apud Græcos φλόγερον vocatur Sulphur, quaſi ignitum. Apud Homerum in Odyſſea legitur καλὸν ἄκος, nimirum medicina, ſeu remedium malorum. Alioquin, apud eoſdem Græcos, appellatur etiam καθαρὸν, quaſi expurgans; vel quia in multis morbis adhiberetur, vt ſignificauit Homerus, vel quoniam Antiquitas, in expurgandis domibus, illo vteretur. Hinc fortè Latini Sulphur diuinum indigitarunt, aut potiùs, quia olim inſitum eſſet mortalium mentibus, fulguri, & fulmini neſcio quid diuini, aut ſacri ineſſe, & cum Sulphur odorem fulminalem ſpargere obſeruaſſent; quapropter hoc epitheton illi aſſignarunt. Aut quoniam Sulphur multarum rerum, & pulcherrimarum ſit origo: quamobrem Chymiſtæ illud, Patrem, & Originem metallorum nominarunt. Quinimò Priſci Sulphur non ſolum diuinum, ſed etiam balnea ſulphurea reputarunt diuina veluti oracula, à quibus Auguria ſumebant. Id præſtitit Tiberius Cæſar, qui in illis ſibi fælicitatem eſt auguratus, vt Suetonius monimentis mandauit. Pariter Lucanus meminit Cornelij Vatis, qui in balneis Aponenſibus diem ſtragis Pharſalicæ præſagiuit: cecinit igitur Lucanus hunc in modum.

Lib. 22.

Balnea ſulphurea diuina dicta.

Euganeo (ſi vera fides memorantibus) augur
Colle ſedens Aponus terris, vbi fumifer exit,
Atque Antenorei diſpergitur vnda Timaui.
Venit ſumma dies, geritur res maxima, dixit
Impia concurrunt Pompei, & Cæſaris arma.

MYSTICA, ET MORALIA.

MEmoratur in ſacris Biblijs Sulphur, & præſertim in Apocalypſi apud Ioannem, quod ab ore equorum egrediebatur. Lauretus autem in ſylua Allegoriarum, hoc Sulphure ſacrilegas Hęreticorum obtrectationes deſignat, quibus Eccleſiæ dignitati derogare nituntur. Quando autem alibi, nimirum apud Iob legitur. In habitaculo iniqui Sulphur aſpergi; ſignificat fætorem libidinis accendi. Demum Sulphur, quod ſupra infames ciuitates pluiſſe in Geneſi dicitur, denotat hoc crimine irretitos non minutulam labeculam, ſed maximam, & nefariam labem contraxiſſe pœnis infernarum ſedium dignam, quarum materia Suphur eſſe traditur. Quapropter, cum hæc materia in lacu Gomorrheorum maximè augeatur, nõnulli viam ad infernas ſedes tendentem ab hoc lacu originem ducere coniectarunt.

Cap. 9.

Cap. 18.

Præterea natura Sulphuris multa nobis ſuppeditat documenta, quæ ad integros, & incõtaminatos mores ſpectare poſſunt. Etenim Sulphur proprium fætorem aquis etiam frigidis ſecus mineram labentibus communicat. Ideò aſſimilatur homini, in cœnoſa libidinis latrina verſanti, qui aquam etiam frigidam, nempè hominem caſtum aliqua conſuetudine ſibimet coniunctum prauo exemplo offendit, necnon odorem optimæ famæ in fætorem vituperationis conuertit: nam, vt habetur in ſacro codice, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Item Sulphur accenſum emittit tetrum odorem, & talem ſpargit fumum, qui faciem decolorare perhibetur. Quare Sulphur vitium Hypocritarum repræſentare poterit, quorum facies ſimulatione palleſcit; ideòque ad rem legitur in ſacris Paginis apud Mattheum: *Exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Deinde ob grauem Sulphuris odorem, reuocandum eſt in mentem monumẽtum mortis, necnon fætoris, quem caro humana, poſt interitum, incurrit. Itaq; memoria mortis inſtar Sulphuris, habebit vim attrahendi ad bonum, diſſoluendi cor per contritionem, & abſumendi crimina. Amplius, nomine Sulphuris, quod putorẽ ſpargit, & facilè accenditur, in doctrina morali, fætor, & ardor infernæ ſedis intelligendus eſt, qui neq; extingui, neq; ſuperari poteſt: quandoquidẽ, iuxta ſacras paginas, ſtagnũ ignis, & Sulphuris in locis infernis eſſe perhibetur. Demum aquæ per venam Sulphuream labentes, fætorem, calorem, ſaporem, & efficaciam Sulphuris contrahunt: his aquis, homines in luxum ſoluti repræſentantur; qui calorem cogitationis, ſaporem delectationis, & efficaciam operationis ſibi comparant, & tandem fętorem infamiæ nanciſcuntur. De his apud Iſaiam legitur. *De cadaueribus eorum aſcendet fætor.*

Eccleſiaſt. cap. 13.

Cap. 6.

In Apocal. cap. 19.

Cap. 34.

Inſuper Sulphur, cum ſit igneæ naturæ, & facilè flammam concipiat, poterit humanæ car-

A ni assimilari, quæ, appositò tentamentorum igne, ad praua desideria facilè accenduntur. Vel etiam humanam voluntatem potest referre, quæ, igne appositò, nempè oblata occasione, ad prauas cupiditates illicò inflammatur, aut ad bonũ desiderium mouetur. Aquę etiam sua natura frigidæ per mineram Sulphuris transeuntes, dum naturam Sulphuris participare incipiunt, calidissimæ euadunt. Per Sulphur, in hac doctrina, intelligendæ sunt mundi diuitiæ, in quibus ignis, & ardor auaritiæ latibulatur: namq; licèt nonnulli homines sint pietate aquei, & temperantia frigidi; transeuntes tamen per venas Sulphuris, nimirum bona temporalia administrantes, proculdubiò calorem auaritiæ, consequenterq; prauum famæ odorem acquirunt. Postremò, cum multæ Sulphuris species ab Authoribus assignentur, vna tantùm à Medicis, nempè, Sulphur apyron, & pellucidum probatur, cæteræ autem species, tanquam impuræ à medicina arcentur. Sulphure, propter calorem, Amore, & dilectio denotatur, cuius similiter multæ species recensentur: nam alia est dilectio à Venere cruciante dimanans, alia est beneuolentia ficticia, alius est amor sui, quem Græci Philautiam vocant, alia est beneuolentia fraterna, alia
B charitas consanguinea, alia demum est dilectio, qua verus Christicola Deum prosequitur. Sed, inter tot affectiones, nulla est magis animæ medicinalis, quam vnus erga Deum amor; reliquæ enim dilectiones aliquid semper impuritatis participant.

VSVS IN MEDICINA.

APYRON Sulphur non parùm vtilitatis allaturum esse medicinæ, Dioscorides, & Plinius attestantur. Primitùs eius suffitu Surditas curatur, lethargici excitãtur, & Paralytici iuuantur. Isidorus illi tantam vim inesse scripsit, vt Comitiales deprehendat: sed potiùs asserendũ est, Patientes in paroxismo epileptico detentos fædo Sulphuris odore liberari. Morbis etiam thoracis multò est adiumento, quia Asthmaticis cum spiritu terebenthinæ præbetur. Ad purulentos in aliquo pectorali liquore prescribitur. Dioscorides puluerem Sulphuris in ouo sorbili suspicionis propinat, & alij
C puluerem Sulphuris in ouo sorbili Istericis prodesse referunt. In expugnando veneno, Sulphur non est prætermittendum, quoniam, cum sit præditum virtute attrahendi, cum aceto ictibus venenatorum fæliciter imponitur. Ideò Eminentissimus Cardinalis Ponzetus Melfitensis proponit puluerem Sulphuris cum sputo hominis mixtum, vt morsus, & ictus omnium animantium aquaticorum, & præsertim Scorpionis marini, & Draconis curentur. Doctissimus quoque Fernelius hanc sequitur opinionem, dum laudat Sulphur saliua, vel lotio, vel melle, vel oleo subactum, vt ictibus venenatis prosit.

Veneno resistit. Lib. 3. de Venen. cap. 24

Lib. 6. meth. med.

Amplius in morbis cutaneis, & potissimùm in tollendo pruritu, & delenda scabie, Sulphur minimè infrugiferum Authores inueniũt, quoniam medicaminibus intrinsecis, & extrinsecis illud permiscent. Brasauolus Sulphur in ouo sorbili quotidie scabiosis præbet. Extrinsecus verò ad prædictum affectum, cum nitro, vel resina adhibetur. Nostræ mulieres clinicæ Sulphur cum oleo communi soluũt, & aliquando cum terebenthina, & linimentum ad scabiem componunt. Virgilius quoq; in Georgicis, vt pecudum scabiem reprimat, à Sulphure non recedit, quando canit.

Lib. 3.

Aut tonsum tristi contangunt corpus amurca,
Et spumam miscent argenti, & Sulphura viua.

Pariter Iodocius in Enchiridio simplicium conatus est vires medicas Sulphuris vnico hexastico comprehendere hnnc in modum.

Consumit, soluit, trahit, & coquit omnia cruda,
Asthmaq; cum tussi tollitur inde graue.
Ad scabiem, lepras, pruritum corporis vngues
Scabros, ad quæuis seua venena fera.
Vt venter tum eat minus, hinc tibi balnea fingas.
Ad spasmum, podagram, membra perunge, valet.

His intellectis de virtutibus Sulphuris facillimè poterimus cognoscere vires aquarum Sulphurearum, nam & ipsæ calefaciunt, & neruos emolliunt: quamobrem Resolutis, Conuulsis, Tremulis, Stupidis, & Contractis conuenire perhibentur. Quinimò his tumores discutiuntur, dolores mitigantur, Coxendici, & Podagrici iuuan-

tur. Scabrem delent, vlcera ſanant, lentigines tollunt, vitiligines emendant, dolores E
Iecoris, Lienis, & veteri ſedant, necnon tumores in huiuſmodi viſceribus genitos abſq; magno labore reſoluunt. Huius conditionis ſunt balnea patauina nuncupata Aponenſia, quoniam ſine labore prædictis morbis medeantur.

Tandem oleum Sulphuris, quod in Officinis ad varios vſus medicos ſeruatur, non ſolum vtiliter adhibetur exterius ad dentes dealbandos, ad fæditates cutis auferendas, & ad vlcera venerea ſananda, nam, teſte Falloppio, hoc gummata etiam gallica diſcutiuntur, ſed etiam interius ſumitur, ad eliminandos illos affectus, qui à flatibus, & à materia frigida craſſa, & putri procedunt. Peſte quoq; affectis magno eſt adminiculo, Epilepſię, Aſthmati, & multis alijs ægritudinibus pulmonis, ſi cum aqua, vel alio decocto idoneo ſumatur. Odontalgiæ etiam plurimum commoditatis affert, ſi illo dentes affecti leuiter contangantur. Deniq; oleum Sulphuris in medicina illas exercet vires, quas de ſpiritu Chalcanthi in proprio capite recitauimus.

In lib. de Tum. præter. cap. 18.

Ad finem Theophraſtus Paracelſus, & chymici aſſeclæ infinitas virtutes Sulphuri, & potiſſimùm oleo aſſignant, quo rectè adminiſtrato, omnes morbos curari aſſeuerãt. Præterea ipſi ex floribus Sulphuris cum Terebenthina mixtis, & ad calorem ficcum, aliquot dies, digeſtis liquorem, inſtar rubini, extrahunt, deinde menſtruum ſeparant, vt remaneat oleum Sulphuris rubicundiſſimum, quod, more chymico, cum œnoſtagmate circulatum reddit Sulphuris balſamum, cuius tres, vel quatuor guttas in Suſpirioſis, & Purulentis mirabilia operari diuulgant. Rurſus Sulphur ter, & quater cum Colcotare ſublimant; vt ab immundicijs ſeparetur, deinde ex illo purificato vtiliſſima medicamenta cum ſaccharo, ad medelam Aſthmatis, parant; quoniam Sulphur balſamum pulmonum eſſe prædicant: Quinimò ex Sulphure ſalem quoq; eliciunt, cuius grana tria cum Pulmonariæ aqua tuſſientibus propinant, & pariter tria grana cum drachma balſami Sulphuris, aduerſus Phthiſim, commendant. Item Crollius in Baſilica chymica ſcripſit lac Sulphuris eſſe balſamum humidi radicalis: hac de cauſa in Hecticis, & aridis id maximoperè conuenire retulit. Verùm, pace tanti viri, hæc ſententia à recto tramite recedere videtur, quandoquidem hoc præſidium Phthiſicos tantummodò iuuare poteſt exſiccando vlcus; cum radicale humidum augere minimè queat: hoc enim nonniſi alimentis humectantibus conſeruatur, & inſtauratur. Sulphur autem veluti foſſile, & minerale non alit, ſed, inſtar ignis, conſumit, ideòq; tantùm abeſt, vt Hecticis ſit emolumento, vt potiùs illis plurimum nocere poſſit. Demum in Officinis Chymiſtarum paratur Sulphur vitriolatum, quod à ferro elicitur, & Crocus etiam Martis appellatur; ſed de hac operatione ſuo loco habitus eſt ſermo.

Balſamum pulmonũ.

Sulphur Vitriolatum.

VSVS IN SVPPLICIIS.

CÆLIVS Rhodiginus monimentis mandauit Apolidas ſeruos viles nuncupari à Iureconſultis, qui ſine ciuitate in opus publicum perpetuò dabantur, & in inſulas deportabantur, ſiue in miniſterium metallorum, ad quæ fæminæ quoq; damnari in perpetuum ſolebant, vt teſtatur etiam Vlpianus ſiue in Salinas, item, & Sulphurarias. Cum autem in Agro Neapolitano maxima Sulphuris copia eruatur; veriſimile eſt loca Sulphuraria à Iureconſultis ſæpè nominata in eodem regno fuiſſe, ad quæ H
olim mittebantur Rei, vt eorum crimina vindicarentur. Sed quid per prophana vagamur, cum ſacri codices ſimilem differendi materiam nobis ſuppeditent? Nam ſummus rerum Opifex ſcelerum omnium punitor, ad diuinam manifeſtandam Iuſtitiam, Sulphure, & igne ſupplicium nefandis Ciuitatibus impoſuit, vt in Geneſi legitur. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham Sulphur, & ignem à Domino de Cælo, & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem vniuerſos habitatores Vrbium, & cuncta terræ virentia.* Pariter in Deuteronomio verba fiunt de Supplicijs, quibus Deus Omnipotens Populum Hæbraicum conſtrinxit, & inter hæc Sulphur, & ardor Solis recenſentur. *Dicetque ſequens generatio, & filij, qui naſcentur deinceps, & Peregrini, qui de longè venerint videntes plagas terræ illius, & infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus Sulphure, & Solis ardore comburens, itaut vltra non ſeratur, nec viuens quipiam germinet.* Item Pſalmographus memorat torrentem Sulphuris, quem diuina Sapientia in ſupplicijs exercuit.

Lib. 25. lec. antiq. cap. 19.

Cap. 19.

Cap. 29.

Pſalm. 30.

Quin-

A Immò apud Isaiam, Populo hebraico minitabatur his verbis. *Et conuertentur torrentes in picem, & humus eius in Sulphur.* Insuper apud Ezechielem legitur, quod in pœnam scelerũ commissorum, Sulphur, & ignem pluet supra exercitum Hebræorum. *Ignem, & Sulphur pluam super eum, & super exercitum eius, & super populos multos, qui sunt cum eo, & magnificabor, & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium, & scient, quia ego Dominus.* Amplius Diuus Ioannes in Apocalypsi memorat quatuor equorum capita, quę ignem, fumum, & Sulphur spargebant; quibus tertia hominum pars fuit interempta. Vnde colligimus, quod mundi Rector, in puniendo, à supplicijs Sulphuris non se continuit. Quinimò in eadem Apocalypsi stagnum ignis, & Sulphuris tanquam insigne su plicium fuit Diabolo assignatum. *Et descendit ignis à Deo de Cælo, & deuorauit eos, & Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & Sulphuris, vbi Bestia, & Pseudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum.* Tandem apud Diuum Ioannem in subsequenti capite, in Incredulos, Homicidas, Fornicatores, Veneficos, Idolatras, & Mendaces, stagnum igne, & Sulphure plenum tanquam supplicium constituit.

Cap. 34. Cap. 38. Cap. 20. Cap. 21.

VSVS IN SACRIS ETHNICORVM.

CVNCTIS manifestarium esse cupimus lustrationes, & sacrificia Ethnicorum fædi Sulphuris odore esse decoranda, quoniam eorum Dij digni sunt, quibus perpetui honores simili odore tetro decernantur, nã Sulphuris fætore, & flamma in sedibus infernis cruciantur. Habemus enim apud Psalmographum hæc verba. *Quoniam omnes Dij gentium Dæmonia, Dominus autem Cælos fecit.* Agricola scriptum reliquit Græcos, necnon Romanos veteres, cum anili nimirùm superstitione tenerentur, credidisse se Sulphure religionem ędium expiare posse. Quocirca Vlysses apud Homerum, igne, & Sulphure domũ, & aulam adoleuisse perhibetur. Etenim simili odore graui, & tetro Sulphuris Phantasmata pelli sunt opinati. Tibullus ad rem sic cecinit.

Psalm. 95.

Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres
Te dicor votis eripuisse meis.
Ipsaq; ter circum lustraui Sulphure puro,
Carmine cum magico præcinuisset Anus.

Lib. 2. eleg. 5.

Neq; hoc à ratione alienum esse videtur; quandoquidem Dæmones imbuti hoc suffitu Sulphureo, & recordati cruciamentorum Sulphuris infernæ sedis, inde aufugere verisimile est. Plinius quoq; Sulphur, in Antiquorum religionibus, ad expiandas suffimẽto domos, locum habuisse prodidit. Ouidius etiam huius consuetudinis recordatus in libris de Arte exarauit hæc carmina.

Lib. 35. ca. 15.

Et venit, quæ lustret anus, lectumq; locumq;
Præferat, & tremula Sulphur, & oua manu.

Immò non solum ædes Sulphure lustrabantur, sed & ipsi homines, si aliquo polluti crimine fuissent: nam manè caput Sulphure aqua, & igne purgabatur. Ouidius id explicauit hoc versu.

Terq; senem flamma, ter aqua, ter Sulphure lustrat.

Rectius idem expressit Propertius canens.

Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terq; meum tetigit Sulphuris igne caput.

Lib. 4. Eleg. 9.

Proclus etiam Platonicus, in libro de sacrificijs, narrat olim sacerdotes, in purificationibus, & lustrationibus, Sulphure, & bitumine vsos fuisse, quoniam illud cum aqua marina permixtum, maxima cum reuerentia spargebant. Id possumus confirmare testimonio Apulei, qui scriptis mandauit, ante Deorum simulacra nauem picturis exornatam ab Antiquitate collocari solere, vbi sacerdos, face accensa, ouo, & Sulphure, multis precibus fusis, lustrabat. Tandem in supplicationibus, quas Vulgus processiones appellat, ob variam causam institutas, Prisci suffumigio Sulphuteo vtebantur. Nam tempore messis, præcedente vitula, & agna coronata, cætus Agricolarum, & Pastorum arua circumdans, clangore tubæ, & cantu, sua falsa Numina mulcere credebat. Neque ob aliam rationem, neq; in alio sensu Sulphur apud Græcos θεῖον, nempè sacrum, vel diuinum nuncupatum fuisse existimamus.

VSVS IN VARIIS.

MVLTI Opifices Sulphur adhibere ſolent. Nam Fullones veſtimenta lixiuio prius abluta eo Sulphuris genere ſuffiunt, quod, iuxta mentem Plinij, gleba vocatur. Sicuti Infectores in ſuffumigio Lunarum eo vtũtur, quod Egula nominatur: quoniam huius ſuffitu lanis candorem, & mollitiem cõmunicare nituntur. Alij, vt ab operibus inauratis detrahant Aurum, Sulphur adhibent, dum puluerem Sulphuris ſupra inaurata inſpergunt, & accẽdunt, deinde ſupra catinum materiam decutiunt: etenim quod cum Sulphure cadit erit aurum, quod, purgato Sulphure, facilè extrahitur. Amplius Sulphuri ineſt vis ſegregandi aurum ab argento, & huiuſmodi ratio apud Georgium Agricolam legenda eſt. Chymiſtæ aſſeuerant Sulphur, ad producendum aurum, maxime prodeſſe, quia colorem, & ſplendorem metallis impertitur. Sulphur etiam, teſte Hermolao Barbaro, vſtum cum ære, colorem violaceum, & cũ argento, cæruleum producit. Aurifices, in colorando auro, vel alio opere inaurato, ſumunt æquam portionem Sulphuris, & tartari, addito ſalis modico, vel ſecundùm alios portionẽ cucurmæ; omnia cum aqua ad lentum ignem in olla feruefiunt. Tunc res coloranda priùs diligenter lotio abſterſa, & funiculo appenſa in prędicta materia mergitur, deinde extracta, ſi perfectè fuerit colorata, linteo exſiccatur: ſin ſecus, toties infunditur, donec perfectum auri colorem acquiſiuerit.

Lib. 10. de re metal.

Quoniam Terræmotus, & incendia ſubterranea ex Sulphure potiſſimùm prouenire ſolent: hinc humanum ingenium excogitauit tormenta bellica, quibus, ope pyrij pulueris, globi ferrei, vel plumbei, imitatione fulminis impelluntur. Conſtat autem huiuſmodi puluis quatuor partibus Halinitri, vna Sulphuris, & alia Carbonis, quæ omnia trita, & per incerniculum tranſmiſſa, œnoſtagmate miſcentur, deinde exſiccata in puluerem pyrium conuertuntur. Fomes ignis, quem Vulgus eſcam vocat, paratur ex fungis arborum à parte lignoſa ſeparatis, & in lixiuio coctis, ſed horum vnicuiq; libræ, Sulphuris duæ vnciæ adduntur. Sulphurata, quibus ignis ex ſilice, & ferro excuſſus elicitur, Sulphure parantur. Etenim Sulphur adeò amicum eſt ignis, vt illo vix tacto ſtatim accendatur: hac de cauſa nonnulli lucernam accenſam flatu extinguunt, & parieti admotam, magna ſpectantium admiratione, illicò reaccendunt. Verùm admiratio ceſſare debet, inquit Galenus, quoniam murus antea Sulphure fuerat illitus. Qui deſiderant lapidem, qui re humida, vel ſputo tactus ignem excitet, ſumant lapidem calcarium, coctum, & aqua aſpergant, nam adeò incaleſcet, vt admoto Sulphure, flammam emittat, & puluerem pyrium inflammet. Aliter recipitur æquale pondus Sulphuris viui, & Halinitri, Camphoræ duplum, hæc cum calce in mortario priùs tenuiſſimè trita, & in ſyndone ligata, & vaſe teſtaceo clauſa, ſtipatis argilla rimis, in fornace figulorum, ad coctionem vaſorum ponatur. Deinde aperta olla, erit in lapidem prædicta materia tranſmutata, qui ad prædictum effectum erit idoneus.

Puluis pyrius ex quibus conſtet.

Lapis aqua vel ſputo tactus ignẽ excitans.

Nonnulli, ope Sulphuris, procurant ignem, cuius incendij vis neq; pluuia, neq; ventis elangueat. Quapropter candelam in aqua ardentem parant ex vncijs duabus Sulphuris apyri, calcis viuæ, terebenthinæ, & ſalis ammoniaci, vncia naphthæ, & dimidia camphoræ, libra ſemiſſe addita ceræ. Etenim candelæ, faces ceroſæ in caſtris, & bellis nocturnis vſurpatæ diutiſſimè perdurantes, ventis, & pluuijs reſiſtentes abſq; Sulphure non conficiuntur, quarum variæ deſcriptiones apud Vuecherũ, & apud Caneparium leguntur. Aliqui procurant ignem, cuius incendium nulla aquæ violentia reſideat: nam ex Sulphure, pice nauali, tartaro, ſarcocolla, halinitro, & naphtha, addito calcis viuæ duplo, cum luteis ouorum, paſtam componunt, & in fimo equino ſepeliunt. Alij vas æneum amplum, & rotundum vnico foramine implent æquis portionibus calcis viuæ, & Sulphuris, & ſtipato orificio, illud in fonte, vel puteo collocant, & aquam calidiuſculam multorum dierum ſpatio efficiunt.

Lib. 3. de ſecr.

In lib. de Atram.

Sulphur ad ſmegmata etiã attinere intelleximus. Nã Virgines, vt lectæ venuſtatis eſſe videãtur, decorã faciem Sulphure reddunt: hinc Sulphur virgineũ cognominatum fuiſſe multi perhibẽt. At viciſſim eiuſdẽ fumus faciem, per aliquod temporis ſpatium decolorat. Quocirca qui macerationem, & extenuationem ſimulare ſolent, Sulphure vtuntur.

Hypo-

A Hypocritæ non modò fumum Sulphuris, verùm quoq; paleæ combuſtę adhibent, vt vultum macilentum mẽtiantur. Vnde aliqui, ad ludicra, Sulphur in vaſe accẽſum in medio multorum circumſtantiũ collocant, vt eorũ facies inſigni palliore perfuſę eſſe videantur. *Sulphur decolorat faciem.*

Inſuper multa Inſectorum genera ſummopere à Sulphure abhorrent. Primum puluiſculo Sulphuris, & origani cauernis formicarum inſperſo, ſtatim antiquas ſedes relinquunt, & aliò demigrant. Auicennas, fumo Sulphuris, cum bdelio, ſtyrace, & aſſa fœtida, culices, & cimices perire pronunciauit. Quamuis alij, ad interficienda huiuſmodi inſecta, ſuffumigium foliorum myrthi cum Sulphure, & bdelio vſurpauerint. Nonnulli, cum oleo antiquo Sulphur viuum, & tritum ſoluunt, & lectos diligenter illinunt, vt cimices pereant. Licèt in Morauia, herba Holitha idem præſtare dicatur. *Holitha herba.*

Sulphur quoq; adhibetur, quando mutatum fuerit vinum, nam ope illius, necnon calcis, & aluminis factícium, & præſtans euadit, ſed ne ex harum rerum miſtura, ſtomachus aliquid detrimenti ſentiat, iuxta mentem Leuini Lemnij radix Ireos illi additur. Hodie quando elegans vini color in nigrum mutatur, ſolo Sulphuris fumo ita inficitur, ne impoſterum proprium colorem amittat. Item ſigillum mẽtiuntur, dum liquefacto Sulphuri Ceruſſam in puluerem redactã permiſcent. Hanc miſturam ſupra ſigillum, circummunito papyro cera, vel creta, comprimunt, nam materia frigefacta typũ ſigilli repræſẽtabit. Tandem, ex multorũ relatione, Sulphur apyron in lotio maris, vel fœminæ merſum, ſi inde prodeant vermes, fœcunditatem ſeminis, ſin ſecus ſterilitatem oſtendet.

DE BITVMINE.
Cap. XIV.
ÆQVIVOCA.

CVM Bitumen inter ſuccos admodum pingues ab Authoribus reponatur, ſciendum eſt hoc peculiari quadam affinitate non ſolum Sulphuri copulatum, ſed etiam igni alendo eſſe aptiſſimum. Quapropter poſt caput de Sulphure, neceſſariò de Bitumine agendum erat, cuius nomen cum ambiguum eſſe videatur, operæ pretium eſſe iudicauimus, nonnulla prius de ipſius ſignificatione præli bare, ne nominis æquiuocatio aliquã legentibus dubitationem pariat. Itaq; notandum eſt, voce Bituminis in genere, omnem ſignificari Bituminum congeriem tum ex Mari, tum ex Fluuijs, tum ex Lacubus, Lapidibus, montibus, aut ex terra ſpontè emanantem; ſiue ea mollis ſit, ſiue liquida, ſiue dura, aut ſolida; ita vt, ob hanc cauſam, mirandum non ſit, ſi variæ Bituminis ſpecies varijs etiam nominibus donatæ fuerint, propter diſcrepantes qualitates, & varietatem in illis diſtinctam, & ob maioris, vel minoris ſoliditatis, aut compoſitionis rationem. Quandoquidem, inter hæc genera Bituminum, quædam ſunt foſſilia, dum ex terræ viſceribus eruuntur, & quædam inſtar carbonum, & picis radiant, alia multa inter gemmas à Plinio recenſentur. Quocirca non erit admiratione dignum, quando ab aliquibus Authoribus Aſphalti, ideſt Bituminis nomine, Bitumen, Naphtha, Camphora, Maltha, Piſſaſphalthum, Gagates, Samothracia gemma, Thracius lapis, item Obſidianus, Carbo foſſilis, Terra Ampelitis, Succinum, & Ambra intelligantur. Tot enim vocabulis indicatur hic pinguis ſuccus, propter varietatem qualitatum, quibus diſtinguitur, & propter ſermonem gentium, in quarum regione naſcitur. Primitùs, quia hic ſuccus pinguis ex ſaxis fluit vocatur Petroleũ; idem ſuccus niger liquidus propter ſimilitudinẽ coloris, & ſubſtantiæ Picis, quibuſdam Pix, Babylonijs Naphtha, Samoſathæis Maltha, Mauris vtentibus vocabulo indico Camphora nominatur. Scriptores rei ruſticæ animaduertentes hunc ſuccũ terræ permixtũ, terrã Ampelitim nuncuparunt. Theophraſtus obſeruans hunc ſuccũ denſum, leuem, & in colore carboni ſimilem, Carbonem foſſilem cognominauit Quando autem Bitumen euadit ita durum, vt torno poliri poſſit, tunc vocatur Gagates, Plinius nominat gemmã Samothraciã, quia in inſula Samothrace naſci diceretur. Nicander vocat Thracium lapidem, quoniam paſtores in Thracio flumine inuenerint. *Bituminũ varietas.* *Petroleum quid.*

Item dicitur lapis Obſidianus, cum ab Obſidio in Aethiopia inuentus fuerit. Tandem quando Picis, & Aſphalti ſubſtantiam, vel colorem referat, Græcis Piſſaſphalthum, Mauris Mumia appellatur. Hæc autem omnia, licèt generali quadam ratione, Bituminis nomine, deſignentur: nos tamen in præſentia, his ommiſſis, primùm de Bitumine propriè, & vniuocè accepto verba faciemus, præuijs Synonimorum aliqua ſerie, & Etymo.

Mumia quid.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

HIC ſuccus pinguis à quibuſdam Latinis vocatur Pix aquatilis, propter lacum, in quo naſcitur, & ob ſimilitudinem, quam Picis refert. Paſſim tamen ferè ab omnibus appellatur Bitumen, fortaſſis quaſi Vitumen, à vitando, propter ingratum, quem ſpirat, odorem: cum Latini B. in V. & viciſſim has duas litteras vertere ſoleant. Cæterùm ſatiùs erit, ſi dicamus Vitumen, quaſi Vinctumen, & hanc noſtram ſententiam Gloſſa græca ſtabilire poteſt, quæ Vitumen pro Bitumine legit, & hoc vocabulum à verbo Viere fortè deductum exiſtimamus, eadem forſan origine, quam Vimen, Vitex, & Vitile potitur: ſiquidem Viere in obliquum flectere, & ligare ſignificat. Bitumen autem gluten eſt tenaciſſimum, quo ligna ſemel, & ſimul illita nulla poſtmodum violentia diſſolui poſſunt: Quinimò calcis loco, ſaxa, & lateres in parietibus, firmiſſima compagine, calcat, atq; nectit. Aliquando etiam Latinis, nomine à Græcis detorto, Bitumen vocatur Aſphaltum: quapropter Falloppius carpit quemdam medicum Patauinum, qui Bitumen ab Aſphalto diſtinguebat. Item Cardanus animaduertit, ne pro Aſphalto legamus Aſpalathum, cum, hac voce, arbor odorata ſignificetur.

Vitumen quid.

Apud Dioſcoridem vocatur ἀσφάλτος, & apud Alexandrum Aphrodiſeum ἄσφαλτον. Dictum autem volunt παρὰ τὸ σφάλλεσθαι, quoniam in collectione ſupplantetur, & excidatur. Niſi nominatum velimus à σφάλλω offendo; cum ſuo odore tetro nares mirum in modum feriat. Alij cognominatum volunt Aſphaltum ab Aſphaltite lacu Iudeæ, qui hodie mortuum mare appellatur, cũ in illo lacu copia Bituminis generetur. Nos autem totum oppoſitum eſſe opinamur, nimirum, ob Aſphalti copiam, locum, vel lacum illum Aſphaltitem nuncupàtum fuiſſe.

Lib. 1. cap. 100.

Lib. 2. Problem.

Apud Hebræos, vt nonnulli eruditi viri referunt, Bitumen nominatur Hemar. Quapropter Rabi Dauid Kimbi ſcripſit Hemar eſſe ſpeciem Picis, Græcis Aſphaltum dictã, qua, vt legitur in ſacro Codice, filij Adam vſi ſunt loco Malthæ, in fabricanda turri Babyloniæ. Verum ſatiùs erit, vt cum alijs Doctis dicamus, Bitumen Hebręis appellari Cophar, & Hafral ieudi, ſiue Chefer Aliheud. Arabes, iuxta mentem Rhaſis, & Auicennæ, Caffo vocant. Alij verò Arabes Cafaron Hodie Turcæ Conſtantinopolitani Cuffre indigitant. Idcircò, ab hac voce hebraica (Caffor) Græci recentiores nomen Camphorę, vel Caphuræ pro quadam ſpecie Bituminis vſurparunt, de qua paulò inferius agemus. Eadem voce (Caphor) Moſes in ſacris Paginis vſus eſt, vbi ſcribit arcam Noe intus, & extra Bitumine illitam fuiſſe. At vbi arca exlignis leuigatis facienda præcipitur, quidã legunt bituminatis, vt refert Eugubinus. Auen Eſdra exponit lignum Abietis. Chaldaica verſio legit Cadros, quæ vox Cedrum ſignificat, quam multi Abietis ſpeciem eſſe ſtatuunt. Et alij, ad mentem Plinij, Cedrelate interpretantur. Manifeſtum igitur eſt nomen Bituminis, & huius ligni ab inuicem diſcrepare; cum Bitumen voce Cophar, & lignum hoc vocabulo Clopher deſignetur: quocirca ex vocum ſimilitudine hunc errorem dimanaſſe credimus. Præterquamquòd obſeruarunt tam reſinã Cedri, nempè Cedriam, quàm Bitumen, in arcenda putredine, à cadaueribus, eadem facultate pollere: cum Aegyptij quandoq; Cedria, & quandoq; Bitumine cõdituram defunctorum præpararent. Vnde quidam Cedriam, & Bitumen mortuorum vitam cognominabant. Sanctes Pagninus eamdem vocem exponens, perperam aromatis ſpeciem eſſe conſtituit. Italis dicitur Bitume, & Aſpalto, Gallis Limon glueux, & Terre Limoneuſe, Hiſpanis el Betum. Germanis, & potiſſimùm Brabantis Iodenlym, & Iudenleim.

Genes. cap. 11.

Genes. cap. 6.

Cedrelate Plinij.

NA-

NATVRA, ET AFFECTIONES.

VT natura Bituminis propriè dicti cũctis innotescere possit, pronunciamus Bitumen esse succum concretum, pinguem, limosum, valdè lentum, & præpinguedine, aquis innatantem, ignis aptissimum pabulum aqua inestinguibilis. Hæc descriptio proculdubiò est potior illa, quam Strabo Historicus, potiùs, quàm Physicus assignauit. Is enim admodum insulsè illud descripsit his verbis. *Bitumen est terræ gleba, quæ à calore liquefacta difflatur, atq; diffunditur, rursusq; in glaciem firmissimam ab aqua frigida immutatur*. Quid autem velit hac descriptione insinuare, non clarè videmus, quoniam nullas genuini Bituminis notas manifestat, & nullas differentias proponit, quibus ab alijs speciebus distinguatur. Non enim est terræ gleba, sed potiùs quidam succus pinguis concretus, vt superiùs explicauimus. Quinimò, iuxta hanc Strabonis descriptionem, omne lutum congelatum esset Bitumen, quoniam est terræ gleba, & vrgente bruma in glaciem concrescit. Hæc autem omnia absurda esse magis apparebunt, dum propria Bituminis signa subnectemus.

Lib. 16. de situ Orbis.

Dioscorides igitur genuinum Bitumen his notis facilè discerni posse asseuerat. Primùm, si purpuræ modò splendeat, si ponderosum sit, & validum odorẽ habeat: nigrum autem, & sordidum tanquam vitiosum prædicat: Ideòq; simpliciter loquendo, hæc de Iudaico Bitumine intelligenda esse existimamus. Huius autem probatio est, vt odorem Trifolij Menyanthis referat, quod ab odore Asphalthi, nempè Bituminis, appellatur Asphaltites, aliter οξυτριφιλλον ab acuto foliorum apice dicitur; nam folia huius plantæ adulta Bitumen redolent, cum recenter nata odorem rutæ spargant. His notis, ex Veterum sententia, verum Bitumen insignitum esse dicebatur. Quid autem apud nos pro legitimo Bitumine vsurpandum sit, vix ex Authoribus nostræ ætatis intelligi potest, cum hac in re non mediocriter inter se dissentiant. Brasauolus in primis verum Bitumen Iudaicum, nostroq; vsui peraccõmodum Mumiam esse arbitratur, fortassis ex Auicennæ interpretis opinione, qui in compositione Theriacæ, pro Asphalto, Mumiam legit ex cadaueribus Mauritanis conflatam, de qua in Capitibus subsequentibus fusè agemus. Hic grauis Author valdè hallucinatur; cum id, non Bitumen, sed potiùs mistura talium cadauerum esse perhibeatur. Alij Authores legitimum Bitumen nostro ęuo desiderari asseuerant; illudq;, quod hodie in Italia venditur, potiùs imposturam quamdam ex pice, petroleo, & alijs rebus paratam esse prædicant. Hi & ipsi (vt nostra fert opinio) in errore versantur. Namq; illud Bitumen, quod quandoq; in Officinis sumus contemplati, tum Dioscoridis, tum Galeni descriptionibus minimè aduersatur. Galenus enim in libris de compositione medicamentorum sec. gen. vbi docet rationem conficiendi emplastri, quod ex argenti spuma, & oleo constat, inter cætera, Bitumen, nigrum, atq; splendens esse debere iudicat. Nostrum autem, si gaudeat his conditionibus, spurium nullo modo erit reputandum. Quandoquidem si illi aliquid permixtum esset, proculdubiò non splenderet, sed opacum prorsus conspiceretur. Neq; nos terrere debent verba Dioscoridis, quæ & nostro bitumini, & Galeno aduersari videntur, qui illud non nigrum, sed, purpuræ instar, splendidum, necnon ponderosum prædicat; cum nostrum Bitumen admodum leue esse videatur. Etenim si verba Græca πορφυρειδὸς γυλλεῦσα apud Dioscoridem consideremus, dicendum est, hunc Authorem non Bituminis colorem, sed splendorem tantùm respexisse, quo, Purpura, præ cæteris, exornatur. Niger enim color naturaliter non radiat; immò si interdum aliquem splendorem spargere videatur, illum à natura non est adeptus, sed id contingit propter admixtionem materiæ alicuius aereæ luminosæ, & opimæ: tunc enim nigrum primo aspectu non micat, sed soli expositum, purpuræ splendorem diffundit, vt in Coruis, & Columbis licet intueri, qui quamuis colore nigerrimo sint referti, nihilominus in sole apricantes, colore purpureo refulgere videntur. Hac fortassis ratione motus Horatius Cygnos aliquando purpureos appellauit, non quia re ipsa purpurei sint, cum tales in rerum natura non reperiantur, sed quia, instar Holoserici radient.

Notæ optimi Bituminis.

Brasauoli error.

Splendor purpuræ qualis.

Cygni purpurei.

Quando autem Dioscorides Bitumen ponderosum esse retulit; respondendum esse arbitramur, tale nuncupari à Dioscoride, si ad cætera, quibus Iudaicum anteponit, compara-

paratio fiat: ſiquidem nigrum, ſordidum, & vitioſum, quamquam magis ponderet, ei tamen nigrum, & ſplẽdidum prẽponit. Illud igitur, quod ſæpius obſeruauimus, & quod in Muſæo publico cuſtoditur, omnibus notis, deſcriptioni Dioſcoridis reſpondet; cum terſiſſimum ſit, colore nigro, & tanquam purpura niteat, digitiſq; contritum facilè teratur, & diſſoluatur, & odore ſit graui. Idcircò Lucretius huc reſpiciens ſic cecinit.

Lib. 6. de nat. rer.

Non ne vides etiam terra quoq; ſulphur in ipſa
Gignier? & tetro concreſcere odore bitumen?

Præterea eſt ponderoſum, & igni admotum facilè flammã concipit. Id non fuit ignotum Horatio, quando ſcripſit.

Cum non amore meo ſic flagres vti bitumen.

In Epod.

Hinc nonnulli Bitumen ſpeciem Naphthæ conſtituunt; cum hæc eminus etiam ignem ſemper attrahat. Verùm totum oppoſitum dicendum eſſe arbitramur, nẽpè Naphtham inter ſpecies Bituminis eſſe reponendam. Eſt autem omne Bitumen pingue, & ad eius temperationem, annotante Agricola, aer, & ignis concurrit: quapropter facilè accenditur, & tantam ad ignes propenſionem poſſidet. Immò Bitumen accenſum affuſa aqua magis ardere traditur. Hinc colligendum erit perpetuitatem incendiorum ſubterraneorum multis in locis à Bitumine pendere, cum huiuſmodi loca, cadentibus pluuijs, magis conflagrent. Ideò, qui artificiales fabricant ignes, vt in aquis mirabiliter ardeãt, his, teſte Agricola, aliquid Bituminis permiſcent; cum affectio hæc propria ſit huius ſucci cõcreti pinguis, vt aqua inflammetur, & terra, vel puluere extinguatur; quemadmodum Plinius de Maltha ſpecie Bituminis pronunciauit. Accenditur autem aqua, quia irritatur magis, quàm vincatur. Huius exemplum habemus in oleo, quando id in ſartagine adeò feruet, vt combuſtioni ſit proximum, cui ſi portio aquæ inſtilletur, illicò flammam concipit, cum aqua ſuperinfuſa calorem augeat, & antiperiſtaſim faciat, vt calci contingere obſeruamus. Cæterùm ſi addantur, quæ familiaria ſint, veluti terra, & puluis, quæ ſiccitate cum ignibus conueniunt, tunc ſucci pingues accenſi ſtatim extinguuntur. Non ſolùm igitur Bitumen, vt expoſuimus, eſt igneæ naturæ; verùm quoq; cæleſtem ignem nutrire perhibetur, dum in campo Sennaar frequentiſſima fulmina cadunt; cum ibi multi fontes, & putei Bituminis inueniantur, ex quibus copioſi vapores Bituminis eleuati fulmina, præſertim lapidea, in aere producere feruntur. Idq; ex odore collectorum in illis locis vnicuiq; arguere licet, quia odorem bituminoſum naribus communicant.

Lib. 4. de nat. foſſil.

Cæleſtis ignis alimẽtum quale.

Quamuis autem Bitumen ex aerea, & ignea materia integretur, & aquæ bituminoſæ, teſte Agricola, piſcibus careant: nihilominus cunctis viuentibus, veluti Sulphur non eſt adeò inimicum, quoniam (ſi Plinio fides eſt habenda) Fraxini, & aliæ plantæ iuxta fontem Bituminis virent. Oppoſitum tamen de locis Sulphureis eſt pronunciandum, in quibus halitus Sulphurei omnibus viuentibus perniciòſi, & deleterij eſſe feruntur.

Lib. 2. de cauſ. ſubter.

Eſt præterea Bitumen alia proprietate affectum, vt in aquis ſemper aſcendat, illiſq; ſupernatet, dum ſubſtantia pingui aerea, & ignea maximè conſtet. Cum igitur facilè partes ſuperiores petat, aquæ bituminoſæ, authore Agricola, ſunt vitandæ; propterea quòd poſſint homines in furorem pellere. Immò aliqua portio Bituminis potionibus aqueis permixta, inſtar vini inebriare ſolet.

Loco cit.

Eſt quoq; Bitumen lentum, & tenax, & mollitie adeò glutinoſa refertum, vt à ſe inuicem difficillimè ſeparari poſſit. Quocirca Ouidius in hoc ſenſu ita eſt locutus.

Lib 9. Metam.

Vtue tenax grauida manat tellure Bitumen.

Quamobrem aſſeres, aut ligna Bitumine illita nec vermibus exeduntur, nec ardore Solis, nec ventorum flatibus, nec aquarum violentia diſſoluuntur. Ideò, ob hanc inſignem tenacitatis prærogatiuam, rebus diuturnitatem præſtare poteſt. Tandem vim diſcutiendi, emolliendi, & glutinandi medici authores illi attribuunt.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

MVLTI meditantes Bituminum varietatem, primò illud in durum, & liquidum diuiſerunt. Hoc in aquis produci, illud verò, nempè durum, in terra generari aſſeuerarunt, & forſan erit illud, quod Theopompus picem foſſilem nuncupauit. Immò hodie Venetijs venditur Bitumen pici adeò ſimile, vt vix vllo modo abea diſtin-

A distingui possit. Bitumen autem liquidum esse colamen Bituminis, & Naphtham affirmant. Deinde Agricola densum Bitumen in candidũ, nigrum, & flauũ distribuit, quæ differentiæ, ex aliorum etiã sententia, in liquido Bitumine obseruãtur; cum modò candidum, modò nigrum, & modò citrinum aquis supernatare conspiciatur. Idem Agricola vnicuiq; differentiæ suum odorem assignat, quia Bitumen candidum odore iucundo, & nigrum odore graui refertum diuulgat; cum reliquæ differentiæ medio modo se se habeant, dum odorem myrrhæ spirare solent. Brasauolus autem, generaliter loquendo, odorem Picis similem, Bitumini attribuit. Item Agricola saporem etiam in Bitumine, sed potissimùm in Succino meditatur, vt suo loco exponemus. Tandem, ratione loci natalis, varietas in Bitumine obseruatur; dum alibi fluit frigidum, vt in nonnullis Germanis locis, alibi tepidum, vt ad Nymphæum, & denique alibi calidum, vt in lacu Iudeæ nuncupato Asphaltite. Præterea non erit absurdum Bitumen in natiuum, & factitium distinguere: quandoquidem Plinius scripsit, apud Gallos, violentia ignis, Bitumen ex Betula arbore elici solere.

Lib. 1. de caus. subter

Li. 16. cap. 18.

Cæterum, vt melius legentium mentibus differentiæ, & loci natales Bituminis inhęreant, ad loca rectiùs enumeranda, & differentias diligentiùs examinandas pergemus, quæ licèt variæ sint, nos tamen, breuitatis studio, triplices tantùm constituemus; quoniam illas partim à substantia, seu consistentia, partim à colore, & partim à loco desumemus. Differentiæ consistentiam respicientes partim ad liquidum, & partim ad crassum Bitumen reducuntur. Liquidum plerumq; in aquis, nempè in fontibus, vel lacubus reperitur, quale est illud à Dioscoride propositum, quo Agrigentini in lucernis, vice olei, vtebantur. Notandum tamen est, nos in præsentia liquidum Bitumen non tam duro, quàm crasso opponere; cum omnia Bituminum genera, primùm mollia sint, quæ dum ab aquis eximuntur, paulatim, exhalantibus tenuioribus partibus, durescunt. Quæ crassa sunt, maiorem limi copiam participant, atq; mirorem terrenæ substantiæ quantitatem habent admixtam, quale est illud omnium præstantissimum, quod Iudaicum nominatur: hac de causa apud Plinium limus nuncupatur, & in Palestina, nempè in Mari mortuo inuenitur. Quod extra aquam in duritiem concrescit, fossili nigro non est absimile, & carbonis lapidei colorem refert. Huic simile in Agro Neapolitano producitur, quod ita crassum aliquandò è fontibus fluit, vt limus esse videatur. Id dum aquis adhuc innatat, molle est, exemptum autem paulò post sicca pice durius euadit. In Alpibus etiam Heluetiorum Bitumen quoddam nigrum reperitur simile lignis arborum bituminatis, veluti & in tractu illo, qui est inter Egeram, & Kulmum, vbi interdum Bitumen nigrum, & durum colligitur. Sed præstantiùs est circa Sathelam Pagum, crustaceum enim est, & leue, necnon accensum flagrat, & copiosum vaporem emittit: deinde partim est pyritosum, & partim frusta pyritis ærosi repræsentat. Hodie quoq; generatur in Zelandia, vt author est Leuinus Lemnius, quædam concretio *Dauri* vocata, ex qua Indigenæ tanquam ex fodinis glebas nigras, & pinguedine imbutas eruunt, quæ accensæ tanquam cespites calorem ingentem excitant. Hoc propriè illius generis esse credimus, quod Plinius terram vocauit, quando Bitumen non liquidum in terram, & limum

Triplex Bitumen.

Bitumen durum, & nigrum instar Carbonis.

Lib. 35. ca. 24.

distinxit secunda differentia Bituminis est, quæ à colore desumitur. Etenim omne genus Bituminis colore nigro refertum esse videtur, quale est, inter cætera, quod ex Iudæa ad nos affertur, deinde illud, quod, ex relatione Nicolai Monardis, in Cuba insula, iuxta litus Maris, ex quibusdam fontibus dimanat, necnon aliud, quod Virgilius in Georgicis nominauit.

Scyllamq; Helleboroſq; graues, nigrumq; Bitumen.

L. 3. Georg.

Idem est, de quo Claudianus Poeta loquitur hoc versu.

Sulphure cæruleo, nigroq; Bitumine fumat.

At si aliquando contingat, vt Bitumen medio quodam colore refertum inueniatur, dicendum erit huiusmodi colorem, aut tractu temporis, aut ex permixtione alicuius materiæ acquisiuisse: quandoquidem, ætate color ille ater Bituminis euanescere potest. Hieronymus Benzonius, qui nouæ Indiæ historiam diligenter exarauit, reperiri retulit in Peru Bitumen rubicundi coloris, quo Incolæ illarum Regionum faciem suam tingunt fortassis vt pulchriores euadant: quemadmodum nostræ mulieres alumine plumeo, ad venustatem suum vultum tergunt, sicuti & Britannos olim feciſſe legimus, qui Glasto, nimirum Isatide totam faciem imbuebant, vt horribiliores in bello viderentur. Scribit etiam

Bitumen rubri coloris.

etiam idem Author colligi aliud quoddam Bitumen colore albo, in Inſula Molucca, quod Incolæ Regionis lingua vernacula *Galagala* cognominant, hoc naues ſuas linire, & picare ſolent. Verùm an hoc ad Bituminis ſpecies referendum ſit, non audemus affirmare; cum nec Dioſcorides, nec Galenus, in differentijs Bituminum recenſendis, huiuſmodi coloris meminerint. Plinius tamen Bitumen candidum memorauit, quod in Babylone naſci tradidit.

Tertia differentia, quam à loco deſumimus, in duplicem diſtribuitur. Prima eſt illa ſpecies, quæ ex aquis, & altera, quæ ex terra ebullire videtur. Bitumina igitur aquis innatantia, vel in Mari, vel in Lacubus, vel in fluuijs, vel in fontibus reperiuntur. Inter illa, quæ à Mari, ſeu Lacubus colliguntur, primas tenet, quod in Mari mortuo naſcitur. Alterum, quo latiſſimus ille Babyloniæ lacus, Limnaſphaltites cognominatus, abundat. Meminit quoque Gaſpar Balbus, in ſuo Itinerario, cuiuſdam lacus producentis Bitumen, quod ipſe perperam Picem appellat. Hìc lacus maximè feruens bullas emittit, & riuulos etiam de ſe ſpargit, qui egredientes alueum, tanta copia huius ſucci vicina loca replent, vt niſi Eufrates fluuius quandoq; inundans, huius quantitatem in agris diſperſam ſecum abriperet, magni Bituminis coaceruati montes ibidem remanerent. Item in Syria, & Arabia, teſte Vitruuio, aliqui immanis magnitudinis lacus obſeruantur, qui magnam Bituminis molem protrudunt. His alij quamplurimi lacus addi poſſent, qui in diuerſis mundi plagis, non modò prædictis ſimiles, ſed fortaſſis maiori copia huius ſucci fæcūdiores eſſe ferūtur, in quibus recenſendis, nimis in longum oratio protraheretur.

Limnaſphaltites lacus vbi.

Iam ad fontes Bituminis feraces accedemus. Recenſetur primò Bitumen illud, quod in Eubagua Inſula fons quidam eructat, quod ſtercus Dæmonis appellatur, eodem nomine Germanis cognitum. Pariter fons iuxta Coranibin Aegypti vrbem, teſte Plinio, Bitumen eijcit. In Phœnice quoq; propè Sydonem, & Zazinthum inſulam, fontes aliquot Vitruuius collocat, qui Bitumen copioſum effundunt. Similiter Plinius tradit, penès Carthaginem reperiri fontem quemdam bituminoſum authoritate maiorum inſignem, & præter hunc, alios etiam nonnullos, qui Bitumen vnà cum aquis vberrimè ſpargunt. Ioannes Laurentius de Anania ſcribit, in Hiſpania, iuxta portum Principis, fontem quemdam eſſe Bituminis, quo Nautæ illarum regionum, ad picandas naues, vtuntur. Ortelius montem igniuomum, inſtar Aethnæ, fontemq; ignitæ aquæ in Groenlandia eſſe pronunciat, quæ aqua, tractu temporis in Bitumen denſatur, quo ſolidiſſima opera, aduerſus omnem temporum iniuriam, Incolæ Regionis imbuere ſolēt. Inter Claramontem, & montem Fereandi, milliari tantùm ſpatio, à ſe inuicem diſtantes, ad extremam pratorum viam, collis quidam aridus, & lapidoſus conſpicitur, nigricante Solo, ex cuius radice fontem proſilire tradunt, cuius aquæ Bitumen inſtar adipis, vel olei ſupernatat, idq; veram eſſe Naphtham diuulgant. Hoc Bitumen, temporis progreſſu, inſtar glutinis, optimè denſatur, & euadit ita tenax, vt alicui adhærens rei, inde auelli minimè poſſit, & propterea hoc genuinum, & legitimum Bitumen eſſe confirmant. Huc accedunt alij fontes quamplurimi à Theophraſto memorati, quibus Bitumen etiam innatare perhibetur.

Stercus Dæmonis quid.

Eſt & alia quædam Bituminum differentia, quæ à nulla alia re pendet, niſi à diuerſitate fluuiorum, in quibus Bitumen producitur. Etenim ex horum diuerſitate ipſa quoq; Bitumina aliquam varietatem induere videntur. In horum numero primas tenet Bitumen, quod in Iordano (hic Paleſtinæ celebris eſt fluuius, & propè Hieroſolymam in lacum Aſphaltitem ſe ſe exonerans) generatur, cuius benefitio, Naaman Syrus, iuſſu Eliſæi Prophetæ, ſepties ibi lotus à lepra liberatus eſſe traditur. Quamuis id diuino potiùs nutui, quàm aquæ illi bituminoſæ ſit piè attribuendū. Lyparis quoq; fluuius in Cilicia recipiens quemdam fontem, iuxta Solos oppidum, adeò pinguis redditur vt in eo nantes, Bitumine peruncti ſemper emergant Callyroe amnis, authore Plinio, ſimili bituminoſa materia admodum calidus, iuxta Tyberiadem erumpit. In Media pariter Ecbatanis fluuius in Trogloditica Regione, item Diactis in Scytharum gente, & Eurotus in Theſſalia omnes ſunt amnes Bituminis copia redundantes.

Bitumen Iordanis fluuij.

Li. 5. c. 16.

Reſtant adhuc quædam aliæ Bituminis ſpecies, quæ neq; à Mari, neq; à lacubus, neq; à fontibus, & fluuijs proueniunt, ſed ex terra ipſa ebulliunt. Inter has ſpecies reponitur Bitumen natum in Apollonia, quæ iuxta regionem Atlanticam ſita eſt. Id, more Picis, è terra ebullit, & ratione coloris abſimile eſt illi, quod in Macedonia producitur; eo enim

Tertia differentia eſt bitumen foſſile.

enim nigrius, & dēsius obseruatur. Item illud, quod in sacris Paginis ex valle quadam, tanquam ex puteis Bitumine scatentibus, hauritur, quale & illud quod Poeta Virgilius, in monte Aethna ebullire testatur his verbis. *Genes. cap. 14.*

Commixtum vento flagrat Bitumine Sulphur.

Item illud, quod, teste Philostrato, Erythreorum regio producit, quod non solum est in causa, vt plantæ in illis locis rarò coalescere possint, sed etiam vt hominum vita breuior reddatur. His addere libet, quod Possidonius memoriæ prodidit, teste Strabone, nimirum in Seleucia Pieria terram vinetis consitam Bitumine scatere, quod vineis pediculosis remedio esse traditur, dum Indigenæ hoc cum oleo dissoluto vites inunxerint: hac enim ratione necant bestiolas, antequam à radice ad germina vitium ascendant. *Lib. 7.* Aelianus quoq; in varia historia, circa Apollonitarum vrbem Epidauro finitimam, hodie Dyrhachium nuncupatam, & in sinu Ionico sitam, Bituminis fodinam esse narrat, quæ, veluti aliæ fontium scatebræ aquas fundunt, Bitumen emittit. Non procul ab hac loco, authore eodem referente, collis quidam non admodum magnus Sulphur, & Bitumen olet, vbi ignis perpetuus alitur. Vnde colligendum est ibi multas Bituminis esse venas, quæ continuum fomitem flammis suppeditant, quæ nullis extinguuntur ventis, & imbribus magis, atq; magis ardent. Hanc autem proprietatem Bitumini inesse naturalem superius manifestauimus. *Bituminis proprietas.* Diodorus etiam Siculus, in libris de rebus in Babylonia admirandis, ibi copiam Bituminis à terra prouenire, & tanquam in fonte quodam ebullire recenset; ibidemq; hiatum esse scribit, qui odorem quemdam grauem, & Sulphureū vibrat, quo animalia transeuntia, anhelitu intercluso, concidunt, & necantur. In Hermunduris, quos hodie Misenos vocant, mons quidam est ardens Carbonum nuncupatus, refertus terreno bituminoso; cuius terræ glebas Incolæ carbones appellant; cum his fabri ferrarij, loco carbonum, vtantur.

Præter commemorata Bituminum genera, adhuc alia obseruauimus, veluti illud fossile, instar lapidis, cum fluore albo annexo in fodinis Salinarum Cracouiæ repertum. Item aliud ab Authoribus non descriptum, quod cum Carabe erat coniunctum: vnde Carabem Bituminis speciem esse colligimus. Item vidimus, quoddam natiuum durum ex Ritterbussia, immò fossile Bitumen Indum, necnon nigrum quoddam, & liquidum ex Arabia deserta allatum, quod euaporatione minuitur, & attollit vesicas, Arabibus Hainelchir dicitur. Alias quoq; multas Bituminis differentias, progressu temporis, conspicati sumus, quas, cum veræ species Bituminis non sint, consultò omittimus: cum de genuino, & propriè dicto Bitumine in hoc capite agere decreuerimus.

PRÆPARANDI, ET COLLIGENDI ratio.

EO penetrauit humani acies ingenij, vt, quando aliquid natiuum haberi non possit, factitium, & artificiale præparetur. Quapropter, deficiente natiuo Bitumine, solent in Germania Bitumen liquidum coquere, donec densetur, & spissum euadat, quo postmodum vice Bituminis Iudaici, vtuntur. Potest etiam Bitumen, ex sententia Agricolæ, non solum ex Bitumine liquido densato, sed etiam ex aquis, & alijs mixtis bituminosis præparari. *Lib. 12. de re metall.* Præterea crescunt plures plantæ Bitumen redolentes, & præsertim Betula arbor, ex qua, Plinio referente, Galli Bitumen exprimunt.

Circa Bituminis collectionem, Plinius, de liquido verba faciens, paniculis arundinum optimè, & citò colligi posse asseuerauit, quoniam illis facilè adhærescat. *Li. 35. cap. 15.* Addit quin etiam Agricola hoc opus peragi posse alis Anserum, quotiescumq; ob exiguam quantitatem, vasis hauriri nequeat. Hoc postea in vasis diutiùs seruatum densari solet. Alioquin in Cacabis æneis, & ferreis feruefiat, donec in solidum Bitumen concrescat: sic enim Germani habitantes Daciam, & Saxones operantur. Durum autem Bitumen, quod in Asphaltite lacu Iudeæ generatur, non ita facilè colligitur: quandoquidem est ita tenax, vt, apprehensa illius portione, vniuersitas sequatur. Quamobrem multi Authores referunt partes huius Bituminis à suo toto, nonnisi filo fœminarum labe imbuto separari posse: nam ob quamdam sympathiam, aut potiùs antipathiam, tactum sangui-

ne

Colligendi modus.

ne menſtruo, quaſi illum vitans, & fugiens illicò ſeparatur. Hinc nonnulli fabulãtur, teſte Braſauolo, illud Bitumen lacus Aſphaltitis ſemen fuiſſe virorum, cum lentoris ſit tã tenacis, vt nonniſi menſtruis fæminarum excrementis à ſe inuicem ſegregetur. Hoc merum eſſe nugamentum affirmamus, ſed philoſophicè loquendo, id in ſenſu cauſali, non autem formali à veritate alienum eſſe non videtur; dum Sodoma, aliæq; vrbes præpoſtera Venere infames, Cælo vindice, in bituminoſum hunc Aſphaltitem Lacum, ſeu mare mortuum conuerſæ ſint. Verùm, his omiſſis, de collectione huius Bituminis dicendũ eſt vnà cum gnaris locorum, glebas huius Bituminis ad litus pelli, & manu præhendi, quæ cum vapore terræ, & virtute Solis aruerint, ſecuribus, & cuneis, more lignorum, finduntur.

SYMPATHIA, ET ANTIPATHIA.

NONNVLLI proprietatem quamdam Bituminis occultam ponderantes, Sympathiã eſſe affirmarunt, quam hic ſuccus concretus cum menſtruo ſanguine habere Plinius perhibet. Is enim in Lacu Aſphaltite, certo anni tempore, Bitumen innatare tradit, quod alioquin eſt ſequax, necnon lentoris, & viſciditatis ita admirandæ eſt particeps, vt ſibi cohærens nulla alia re, quam filo menſtruo ſanguine infecto ſeparari, & auelli queat. Nos tamen hanc proprietatem pro Antipathia diuulgamus: propterea quòd hoc Bitumen menſtrua labe contactum ſtatim ab inuicem ſeparatur, quaſi ob antipathiam illum ſanguinem euitare conetur. Tertullianus quoque hanc proprietatem in Bitumine, vel potiùs antipathiam conſiderauit, quando in hæc verba prorupit.

Nam ſe ſponte leuans adnubit mercis ad oras
Nauigÿ, pretiumq; dabit pro munere largo,
Ni plaga contigerit, quam menſis fœmina veſtit.

Vrina pueri ad quid.

Ioſephus tamen, qui de Bello Iudaico hiſtoriam conſcripſit, hanc operationem non ſolum ſanguine menſtruo, ſed etiam vrina pueri peragendam eſſe diuulgat. Cornelius etiam Tacitus hunc lacum Aſphaltitem gaudere alia proprietate tradit, dũ ſingularem cum ventis Sympathiam gerit; quandoquidem nullo ventorum impulſu dimouetur, ſed illis ſumma quiete reluctatur. Cæterùm manifeſtas cum piſcibus, & alijs beſtijs aqua delectantibus gerit inimicitias; cum nullas prorſus animantes admittat. Aliud etiam ſumma admiratione dignum de hoc Lacu eſt pronunciandum, quòd omnes ſiue natationis periti, ſiue imperiti huiuſmodi aquæ ſupernatant; immò nec ſubmergi quidem poſſunt; cum cadauera iniecta ſubitò demergantur. Pariter lucernæ ardentes huic aquę innatare, extinctæ verò ſubmergi feruntur. Hos autem effectus non huic Lacui Aſphaltiti, ſed potiùs Bitumini ibidem genito attribuendos eſſe cenſemus. His addere libet antipathiam, quam Aelianus inter Bitumen, & Charadrium auem, ſeu Hiaticulam cadere monet; quandoquidem Bituminis qualitate quadam occulta interimitur.

Lib. 6. de Anim.

Charadrius, ſiue Hiaticula.

DENOMINATA.

BITVMINEVM, & bituminoſum appellatur, quod ex Bitumine conſtat: idcircò venæ, & glebæ bituminoſæ à Metallarijs nuncupãtur, è quibus Bitumen elicitur. Bituminatum autem vocatur, cui Bitumen eſt admixtum, vt naues bituminatæ, quæ huiuſmodi ſucco ſunt illitæ, & aquæ bituminatæ dicuntur, quæ per ſubterraneos ſpecus tranſeuntes, venam bituminatam lambunt. Quoniam autem apud Græcos ἄσφαλτος ſignificat Bitumen: hinc legitur apud Suidam ἀσφαλτῖτις λίμνη nempè lacus Bitumen fundens. Quin etiam lacus Iudeæ appellatur Aſphaltites, in quo ingens copia Bituminis generatur. Græci poſtea à voce ἄσφαλτος nonnulla formant verba, vt ἀσφαλτίζω apud Dioſcoridem, quod denotat, Bitumen refero, & ἀσφαλτόω in Geneſi, Bitumine illino: vnde oritur ἀσταλτωσις bituminatio. At πισσάσφαλτος nomen eſt compoſitum, quod latinè ſonat Picibitumen, eſt enim Bituminis genus, odorem picis, & Bituminis ſpargens, de quo ſuo loco verba fient.

In-

A Insuper sunt nonnullæ plantæ, quæ à Bitumine denominationem sortiuntur, inter quas recensetur Trifolium apud Dioscoridem Asphaltion nuncupatum, cuius icon primo loco apud Matthiolum proponitur, & Trifolium Asphaltite nominatur; cum eius folia adulta Bitumen redoleant; nam recenter nata odorem rutæ vibrant, & ob hanc eandem rationem Dodoneo Trifolium bituminosum, & Iobellio Trifolium asphalteum cognominatur. Inter arbores, Populus bituminosa esset nuncupanda, cum huiusmodi odore non careāt, sed rectiùs Betula arbor, quasi Bitula à Bitumine denominata est: hæc enim quadam bituminosa pinguedine redundat, ex cuius delibrato, & contorto cortice, ad nocturna lumina, faces concinnant, quæ instar tedæ flagrant, & resinosum quiddam nigrum simile pici sudant. Idcircò non est mirandum, si, ad mentem Plinij, ex Betula, in Gallijs Bitumen excoquatur.

Lib. 3. cap. 106. *Trifolium asphaltite.* *Betula ad quid.* *Lib. 16. cap. 40.*

MYSTICA, ET ALLEGORICA.

B SI desideramus cognoscere, quid Bitumen mystici habeat; oportet mentem conuertere ad arcam Noe, quæ, vt legitur in sacris monumentis, extrinsecus, & intrinsecus bituminata fuit. Vnde Origines in Genesim monuit, hoc Bitumine, virtutes intrinsecas, & extrinsecas hominem munientes significari, vel fidem in corde, & confessionem in ore denotari. Aut, secundùm sententiam venerabilis Bedæ, Continentia corporis, & animæ designatur. Alioquin Pierius in Genesim allegoricè loquens de Arca Noe, scripsit architectum Ecclesiæ Christū hac nobis insinuare, nos non debere esse tales, quales sunt multi, qui externo corporis habitu hominibus iusti apparent, intus autem sunt defunctorum sepulchra, sed velle nos tam interno, quam externo affectu, & effectu sanctitatem, & iustitiam redolere. Item, Bitumine cum Pice, viles Iudæorum traditiones adumbrari in Sacro Codice manifestum esse obseruamus. Nam Moyses intra fiscellam scirpeam bitumine, & pice imbutam aquæ expositus, indeq; extractus, & à matre sua altus, iussu filiæ Pharaonis, quæ postea ipsum adoptauit, Glossa interlineari exponente, filia Pharaonis est Ecclesia de gentibus congregata, quæ licèt nunc vero
C parente, ideſt Deo patre, gaudeat, nihilominus quando Idolis famulabatur, alium secuta est patrem: hæc ergo de domo patris egressa, ad sacri fontis aquas accedens legem suscepit: hæc autem lex condebatur in fiscella scirpea, pice, & bitumine illita, quoniam vilibus, & vanis Iudæorum traditionibus sordescebat.

Genes. cap. 6. *Lib. 10. Comment.* *Exod. cap. 2.*

Insuper Bitumen quatenus perpetuum flammis alimentum præbet, ignem sedium infernarum significat. Bituminis autem putei, vt in sacris legitur Paginis, ipsam infernam sedem denotare possunt. Epiphanius meditans Bitumen Arcæ, cuius suffitu serpentes fugantur, hoc nobis vim in Ecclesia, ad fugandos Dæmones, manifestauit. Lauretus quoq; ponderans Bitumen, quo, in turri Babel fabricanda, pro cæmento vsi sunt, vt sacræ chartæ docent, illud tumorem superbiæ interpretatus est Origines etiam in Mattheum contemplās naturalem quamdam attractionem, & propensionem in corporibus, veluti in ferro ad magnetem, & in Bitumine ad ignem, hanc eamdem propensionem in fide ad diuinam virtutem meditatur: hac de causa dictum fuisse in textu sacro refert. Si habueritis fidem, vt granum sinapis, de loco ad locum solo nutu, montes transferetis.

Genes. cap. 14. *Genes. cap. 11.*

D

MORALIA.

TENAX esse Bitumen, & in locis palustribus limo obsitum perhibetur. Huius conditionis est vitium inhonestæ, & perniciosæ libidinis, quia glutinosum est, dum hominem luxui deditum ita tenaciter inuoluit, vt inde difficillimè se extricare possit: cum instar Bituminis, talis homo est affectu voluptuoso limosus, dum in locis palustribus delitiarum versatur. Antequam à visciditate Bituminis recedamus, reuocare oportet ad mentem, quod Bitumen interdum ob tenacitatem, nec ferro cædi, nec aqua solui potest: similiter in sedibus infernis Bitumen redolentibus tāta tenacitas obseruatur, vt criminosus illic inuolutus, neq; ab illa liberari, neq; inde egredi vllo modo valet. Quando autem in morali doctrina Bitumen facilè conflagrans consideratur, optimo iure assimilatur charitati, quæ hominē ad diuinum amorē excitat, & inflammat, deinde, instar Bituminis, naturā tenacē possidet, cuius tenax vinculū cōcordia esse traditur. Item sacri Doctores quamdam analogiam inter Bitumen, & charitatem cognoscunt: si-

Charitas bitumini assimilatur.

quidem, quando in ſacris litteris, Arca Noe intrinſecus, & extrinſecus Bitumine inbuta dicitur, Gloſſa ordinaria exponit, ligna interna, & externa Bitumine fuiſſe conglutinata, vt ex compage vnitatis tollerantia charitatis denotetur.

Geneſ. cap. 6.

Si in conſideretur Bitumẽ, quatenus de limo terræ genitum, & ignis rapaciſſimum, cum facillimè incendatur; poterit proculdubiò ad humanam carnem comparari, quæ de limo terræ primariam originem traxit, & ignis concupiſcentiæ eſt admodum rapax: quandoquidem, præſente igne, nimirum minima occaſione oblata, flamma concupiſcentiæ accenditur. Quinimò, ratione huius proprietatis, Bitumen Amori prophano eſt aſſimilandum, qui ab oculis exire, & ignem venereum concipere traditur, vt optimè Ouidius in libris Amorum obſeruauit canens.

Perq; tuam faciem magni mihi Numinis inſtar,
Perq; tuos oculos, qui rapuere meos.

Quocirca ſicuti Bitumen accenſum non aquis, ſed ſola terra extinguitur, pariter amore venereo perculſi, oculos à decora, & venuſta facie, ad terram inclinare debent, vt ſuæ Originis recordati, hac terrena contemplatione, flammas impudici amoris extinguant. Præterea memoriæ mandandum eſt, quòd ſicuti fumus combuſti Bituminis Lethargicos excitat; ſimiliter memoria, ſeu fumus Peccantium flamma infernæ ſedis cruciatorum multos à lethargo vitiorum excitat. Tandem Cauſſinus, lacu bituminoſo, mundi, & vanitatis voraginem deſignari ſcripſit, & quoniam huiuſmodi lacus animantes non abſorbet: quapropter hinc colligit in lacu mundanæ voraginis homines inuolutos ſubmergi: cum tamen huiuſmodi lacus nihil iuris habeat in illos, qui animam, nempè prudentiam chriſtianam, vel charitatem poſſident, quibus omnes humanæ operationes animantur.

Lib. 1. Symb. 33.

VSVS IN MEDICINA.

MVLTVM adiumenti, ex Galeni authoritate, Bitumen Medicinæ affert. Quocirca idem Galenus ei vim calefaciendi, & ſiccandi in ſecundo ordine attribuit, & illud in cruentis vulneribus commendat, & ad illas omnes affectiones, quæ exſiccatione, & modica calefactione indigent. Vnde, in gratiam huius effectus, emplaſtrum barbarum recipiens Bitumen Galenus compoſuit; cum Bitumen ſit aptiſſima materia conficiendis ceratis, malagmatibus, & emplaſtris, quæ, tum barbara, tum ἕνυαια, ſiue cruenta appellantur. Auicennas autẽ ſcriptum reliquit, virtutem Bituminis eſſe propinquam viribus Picis; cum ſolutionem continui ſanet, & neruos conglutinet. Emplaſtrum quinctiam ex Bitumine confectum, Podagræ, & Coxendicum doloribus multùm conferre aſſeuerat. Deinde in morbis cutaneis, & præſertim in ſcabie, & lepra delenda, cæteris non cedit medicamentis. Aduerſus vteri ſtrangulatus, teſte Mizaldo, id tanquam remedium efficax extollitur: dummodò Bitumen lana inuolutum de collo fœminarum ſuſpendatur, quæ vteri affectioni ſunt obnoxiæ, vt continuò huius olfactu paroxiſmum ſuffocationis arceant. Ad hos eoſdem affectus Hippocrates Bitumine vtebatur, vt in libris de mulierum morbis legitur. His additur, quòd ſuffitus Bituminis procidentiam ſedis reprimere poteſt. Aetius quoq; in Teneſmi curatione hoc eodem ſuffimine vtebatur. Tandem Nicander in Theriacis, ad necandos animantes venenatos ſuffumigium Bituminis, prædicat his verſibus in latinum ſermonem redactis.

Lib. 11. de ſimp. med. fac.

Lib. 2. de comp. med. per gen. cap. 22.

Noxia Serpentum redolenti ſpicula thymbra,
Ceruiniq; graui cornu nidore fugabis.

Et paulò inferius laudat ad hoc opus Nigellam, Sulphur, & Bitumen.

Aut exſiccantem mares, cerebrumq; Nigellæ
Interdum Sulphur, fœdum quandoq; Bitumen.

Anatolius quoq; huiuſmodi ſuffumigium contra Erucas magnificabat, ne herbas, atque olera depaſcerent.

Maiori autem admiratione dignum eſt, quòd Bitumen in medicinis etiam internis locum habeat, dum Medici drachmam Bituminis, cum æqua portione Hedyoſmi, & obulo Myrrhæ Patientibus quartanam febrem in vino potandam præſcribunt; namq; huius præſidij violentia, & ſpiritus acrimonia, talem febrem expugnari perhibent. Alij catapotia ex Bitumine parata vtiliter in colico affectu exhibẽt. Item ad profluuium alui Boum Democritus folia Rhamni contuſa, & Bitumine intecta illis deuoranda præbet. Plinius monimentis mandauit eadem vi, qua Sulphur, Bitumen pollere: qua de re, iuxta

Bitumẽ in medicinis internis.

A iuxta illius mentem, non solum effectus Sulphuris producit, sed etiam ad ægritudines oculorum, & albugines valet, necnon doloribus dentium vnà cum Nitro medetur. Tussim antiquam, & anhelitus difficultatem cum vino hausta emẽdat. Dysentericis opitulatur, & muliebres purgationes prouocat. His addit Aetius, quod Bitumen magnitudine nucis ponticæ cũ vino sumptum prodest Cardiacis, sed potissimũ mulieribus, pueris, & hominibus effeminatis, quãdo animo linquuntur. Itẽ demorsis à cane rabido auxiliatur, quoniam prohibet, ne Hydrophobiã incurrant. Iodocius autem, in Enchiridio Simplicium, affectiones illas enumerare conatur, quibus Bitumen occurrit, hoc hexastico.

In cap. de Eit.

Hydrophobia quomodo arceatur.

Mollit, matricemq; potest releuare cadentem,
Et cum castoreo menstrua tarda trahit.
Soluit anhelosos, lentumq; in ventre cruorem,
Et conuulsiuus pellitur inde dolor.
Sic quoq; nodosam poteris curare podagram,
Illine, vesicæ sic mala cuncta tuæ.

B Ad finem aquæ bituminosæ internis quibusdam morbis conueniunt, & pro balneis adhibitæ, aliquo temporis tractu, neruos emolliunt, & excalfaciunt: nihilominus caput replent, & omnes sensus, sed prẽsertim oculos hebetant.

VSVS IN VARIIS.

NON ad venustandas, vel picturandas naues, Prisci Bitumine vtebantur, sed ad illas picandas, teste Strabone, vt constiparentur, & ingressus aquæ prohiberetur. Sic Noe in Genesi fecisse traditur, qui partes internas, & externas Arcæ liniuit Bitumine, vt illam, aduersus quemcumq; ventorum, & aquarum impetum, tutiorem redderet. Quamuis Pierius, & Cornelius à Lapide scripserint, id etiam, ad arcendum fætorem à fimo tot animalium in arca stabulantium prodeuntem, peractum fuisse. His addamus, quòd hac bituminatione, asseres & ligna à bestijs Xylophagis optimè defen-

Lib. 6. de situ Orb.

C duntur. Eadem quoq; ratione fiscellam, seu nauiculam, in qua Moyses vndis fuit expositus, pice, & bitumine illitam fuisse sacræ litteræ testantur. Hic autem picandi, vel bituminandi modus ad nostrum vsq; æuum penetrauit, cum in Regionibus copia Bituminis abundantibus obseruetur. Huius fidem facit Gaspar Balbus in suo Itinerario Indiæ Orientalis, vbi meminit cuiusdam lacus producentis Bitumen (hoc picem perperàm vocat) quo Indigenę non solùm in ædificijs construendis, sed etiam in nauibus picandis vtuntur. In Cuba etiam Insula, Hispani naues suas hoc vnguine liniunt. sebum admiscentes, vt melius induci possit. Nicolaus Monardes hoc in loco putat id, quod Hispani adhibent, non esse verum Bitumen Iudaicum, sed potiùs Naphtham. Verùm hac in re non possumus nisi ab illo dissentire, cum vsum hunc probati Authores Naphthæ nunquam assignauerint, sed tantùm Bitumini, quod, propter crassitiem, & tenacitatem huic operi accommodatissimum esse videtur. Naphtha autem tanquam succus liquidus reprobatur. Item Strabo narrat quibusdam in locis varia contexi ex arundinibus vasa, quorum quæ liquida capere debent, Bitumine illiniuntur. Hodie apud nos nonnulla

Exod. cap. 2.

Bitumen cum fœno mixtum.

D vasa cœnophora ex fiscis salicibus texuntur, deinde partes vasis internæ, loco Bituminis, cera lutea liquefacta imbuuntur.

Bitumen etiam in structura ædificiorum valere perhibetur: namq; in Sacro Codice ædificaturi turrim Babel lateres pro saxis, & Bitumen pro calce habuisse feruntur, idcircò Liranus in Genesim, & Strabo Bitumẽ genus cæmenti fortissimi esse existimarunt. Id autem multis alijs in locis vicem calcis suppleuisse, varijs authorum testimonijs, comprobari facilè potest. Author enim fossilium de Bitumine verba faciens, diuulgat non procul à fonte cuiusdam scaturiginis, quæ in Arueniorum Regione obseruatur, sacellum adhuc extare vetustissimum, cuius parietes ex materia bituminosa tam firmiter cohærent, vt nullo cæmento, vel arenato, vel intrito cedant. Item Quintus Curtius, de Babylone scribens, retulit huius amplissimæ Vrbis Muros toto terrarum Orbe celeberrimus ex lateribus, & Bitumine, iussu Semiramidis, inexpugnabiles redditos fuisse: etenim iuxta Memnium ciuitatem cauerna erat tam vasta Bitumen fundens, vt huic operi extruendo sufficiẽtem materiam suppeditauerit, cui Herodotus assentitur, quam-

Genes. cap. 10.

uis de loco cum Quinto Curtio non conueniat. Beroaldus quoq; Poeta huius meminit canens hunc in modum.

Alta ſemiramio fabricata Bitumine quondam
Mœnia, ſubuerſa iam Babylone, iacent.

Pariter Strabo mœnia Suſæ, ciuſq; templa ex lapide teſtaceo, & Bitumine, inſtar Babyloniorum, erecta fuiſſe pronunciat. Ortelius, inter nuperos Authores, celebris memorat cœnobium religioſi Ordinis Prædicatorum, nomine Diui Thomæ, Deo conſecratum, in Inſula Groenlandia Daniæ ſitum, & non procul hinc eſſe montem flammas, & lapides euomentem, inſtar Aethnæ, & ex reiectis lapidibus, & aqua bituminoſa ferruminatis ædificium Monaſterij conſtare prodit, factumq; eſſe gluten adeò tenax, vt omnibus temporum iniurijs reluctetur.

Monaſteriũ ex Bitumine, & lapidibus ædificatum.

Habuit Bitumen alium vſum, extra ſtructuram ædificiorum: nam Veteres ſuorum defunctorum cadauera eo illinibant in ijs potiſſimùm locis, vbi Balſami copia deſiderabatur, vel apud homines tenuioris fortunæ, ob Balſami caritatem. Leguntur autem apud Strabonem hæc verba. Vtuntur Aegyptij Bitumine ad condituram mortuorum: Bituminis enim eamdem eſſe facultatem in conſeruandis cadaueribus à putredine, longo vſu didicerunt, qua verum Balſamum pollere omnibus eſt in confeſſo. Quamobrem Boterus narrat, innumera ferè Ethnicorum cadauera in locis Chayri ſubterraneis conſpici incorrupta, cum Bitumine Iudaico imbuta fuerint.

In Gothia, & Saxonia, iuxta Borchdarſen oppidum, vt Cordus teſtificatur, Bitumine ad currus perungendos vtuntur. Amplius Incolæ Regionis, ad lucernarum lumina adhibent, & ex caulibus aridi Verbaſci Bitumine imbutis, faces nuptiales formant. In Valachia Bituminis quamdam ſpeciem eſſe odoris cerei, Laurentius de Anania ſcribit, ex quo optimæ candelæ pro vſu Regionis fabricantur.

Lib. 35. cap. 15.

Præter recitatos vſus, narrauit Plinius æramenta, & ſtatuas olim Bitumine aduerſus ignes liniri ſolere. Agricola tamen æreis, & ferreis operibus linimentum Bituminis conuenire tradit, vt ab ærugine, & ferrugine defendantur. Saxones poſtes ligneos Bitumine imbuunt, vt ab iniuria imbrium illos tueantur. Hodie noſtri Fabri ferrarij Bitumine (Aſpaltum vocant) non ſolum ferro colorem nigrum impertiuntur, ſed etiam ab illo ferruginem arcent. Demùm Antiquitas Bitumine aqua, & Sulphure in luſtrationibus, & expiationibus vti ſolebat; quemadmodum Alexander ab Alexandro annotauit.

Li. 27. gen. dier. cap. 7.

DE NAPHTHA. Cap. XV.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

Lib. 3. de re metal.

HOC nomen, apud Authores, plures ſortiri ſignificationes inuenimus: memorat enim Encellius quamdam Naphtham, quam pro veneno factitio apud Nicandrum in Alexipharmacis cognoſcit, nec non aliam, quæ herba quadam paratur. His igitur ommiſſis, Naphthæ vocabulo, vnà cum Strabone, Bitumen liquidum intelligimus, & propterea poſt hiſtoriam Bituminis, iure optimo, propter cognationem, Naphtha hoc caput ſibi vendicauit. Eſt autem hoc nomen peregrinæ originis, nempè à Babylonijs primò mutuatum, quo liquorem bituminis intelligebant. Præter alios Authores, Dioſcorides id expoſuit, qui Naphtham τὸ βαβυλώνιον ἄσφαλτος περίθημα facit, nimirum colamen Babylonici Bituminis, quod in hodiernũ vſq; diẽ, Arabes, & Turcæ Nephet indigitant. Suidas notat hoc nomen trifariã, ſcilicet in quocũq; genere inflecti, nẽpè ἡ νάφθα, ὁ νάφθος, & τὸ ναφθα. Aliter etiã Græci oleum Medeæ appellarunt, cũ hoc liquoris genere, Creontis filia conflagrauerit. Plutarchus tamen in Alexandro animaduertit, non oleum, ſed pharmacũ, ſcilicet venenum Medeæ à quibuſdã nuncupari, quoniam, hoc, coronam, ſeu peplum (de quibus in Tragœdijs fit mentio) inunxerit, vt Creõtis filia crematretur. Alij quinetiã fuerunt, qui non Naphtham, ſed quid compoſitum ex Sulphure, & Aſphaltho fuiſſe aſſeuerarunt; inter quos Scholiaſtes Nicãdri recenſetur. Diodorus Siculus, virtute cuiuſdam radicis, id peractum fuiſſe affirmat, quam Circe Medeã docuit.

Etymum.

At

A At idem Nicandri Scholiastes non radicem, sed herbam à nonnullis Ephemeron vocatam fuisse scribit, quæ manè circa Tanaim flumen oritur, meridie perficitur, & Vesperi arescit. Aut potiùs Ephemeron appellatur, quoniam illam degustantes, vnum tantummodò diem, superuiuant. Solinus inquit, in Melsinarum gente, herbam crescere, qua inficitur oleum, quod Medicum nuncupant, quoniam incensum, & aqua aspersum, magis ardescat, neq; alia materia, nisi iactu pulueris extinguatur. Hæ conditiones ad naturam Naphthæ, non autem ad memoratam herbam attinere videntur. *Epheneron plãta cuius qualitatis.*

Rufus Ephesius, apud Oribasium, monimentis mandauit, Stagnum reperiri apud Medos, cui niger liquor supernatat, qui admotus igni facilè accenditur: hac de causa hunc à Solino oleum Medicum cognominatum fuisse credimus; cum in Media sit, huius olei vberrima scaturigo; diciq; Medicum, non secus ac vocatur herba Medica ab eodem loco denominata, quam postea hoc nomine intelligant, incertum est Meminit quidem Plinius Aporexis herbæ ita à Pithagora appellatæ, cuius radix eminùs flammam concipere traditur. Ariadnã quoq; in Arianis generari idẽ Plinius ex Democrito diuulgat, B qua collecta, sole signũ Leonis illustrante, ligna oleo peruncta accẽduntur. Cæterùm his ommissis, nobis quidem manifestum est, Naphtham vocari oleum Siculum, quoniam in Sicilia copiosum colligatur, necnon oleum Bituminis, cuius odorem spargit. Dum verò à montibus saxosis in amnes fluit, Oleum saxi dicitur, & apud Nicolaum Myrepsicum ὀστρελάσον Mesue omnes Naphthæ species, Oleum Philosophorum, & Oleum Secretorum iuuamentorum cognominauit. Hodie in Officinis, nomine Olei Philosophorum, Oleum compositum monstratur chymicis organis ex lateribus sublimatum, quod (vt veritatem fateamur) in medicina parit omnes illos effectus, qui à Naphtha, vel Oleo Saxi prodeũt. Item Oleum viuum à Gratio Poeta nominatum videtur, quando cecinit. *Lib. 2.* *Herba Medica.* *Aporexis.* *Ariadna.* *Oleum Siculum.* *Oleũ Sax.* *Oleum Philosophorũ.* *Oleum viuum.*

Stagna sedent venis, Oleoq; madentia viuo.

Herodotus, in Erato, scriptum reliquit, Naphtham à Persis vocari Rhadinacen: quamuis Bahuinus, in annotationibus ad Matthiolum, scripserit, apud Persas, ex mente Herodoti, Naphtham Oleum rhodium vocari. Alij, ob fædum odorem, stercus Diaboli nuncuparunt, quo etiam nomine in nonnullis Germaniæ locis Asphaltum Iudai- C cum significatur. Italis dicitur Oglio petroleo, aliter Oglio di Sasso, Germanis Petrol, Brabantis Petrolie. *Lib. 6.*

NATVRA, ET AFFECTIONES.

NAPHTHA, veluti flos Asphalthi, est liquor fluidus instar Olei, Sulphur olens, acriq; saporis: quamuis plerumq; eius odor sit varius, cum minus oleat, quæ ex Sicilia defertur, Mutinensis verò non tam graui odore est referta, & in colore nigro quodãmodo rufescit. Deinde eius naturam rectè examinantes, plus ignis, quàm Sulphur, & Bitumen, participare comperiemus. Idcircò nonnulli in tertio gradu excalefacere, & remissiùs exsiccare affirmant; ideoque medicinis internis nonnisi vnà cum rebus refrigerantibus permiscerur. Item constat ex natura, & virtute, quæ facilè resoluitur, & euanescit; quocirca, referente Falloppio, Naphtha, & Olea stillaticia ad medi- D cũ vsum alijs medicamẽtis viscidis permisceri debẽt, ne tam citò eorũ vires euanescant. *In lib. de comp. med. cap. 13.*

Præterea Naphthæ hoc Natura congenuit, vt ignem facilè concipiat: immò priusquam flammam contangat, ab ipso splendore circa lumen fulgente incendium suscipit, & aerem medium inflãmat; vnde tanta est cognatio inter Naphtham, & ignem, vt, teste Plinio, in lumen, vel ignem longè conspectũ protinus trãsiliat. Ideò Falloppius animaduertit, necessarium esse illis, qui in Agro Mutinensi, Naphtham, seu Petroleũ colligunt, lucernam à loco Naphthã fundente remotissimã relinquere, cum talis liquor in subterraneis, & obscuris locis exsudet, vt colligẽtes lucernis aliquãdo indigeant. Ad rem narrauit quidam illustris Comes Matthiolo, se in quodã prædio habuisse puteũ Naphtham cum aqua fundentem, sed cũ in fundo quædã rimæ nimis patentes essent, Fabrũ cæmentarium conduxisse, qui illas obstrueret, sed cum artifex id sine lumine præstare nequiret, laternam diligenter occlusam expostulasse; & paulò post euenisse affirmabat, vt, accẽsis putei parietibus, & impetuoso admodũ excitato vapore, vis Naphthæ non solũ Cæmentariũ, perinde ac è bombarda extinctũ extra puteum eiaculauerit, sed etiam cũ omnium *In lib. de Aquis Ther.*

aſſiſtentium læſione totum putei tectum in aera eiecerit. Cognita igitur hac Naphthæ natura, Albertus narrat quædam miracula apparentia, à Priſcis fuiſſe patrata, dum ad tempora hominum hoc liquore inũcta ignis ſuppoſitus ſurſum ferebatur. Eſt enim tam æſtuantis naturæ, vt vetuſtus Nicandri Scholiaſtes ſcripſerit, ſi Naphtha peruncti, vel veſtem hoc liquore fædatam geſtantes aduerſus Solem ſteterint, ceù igne inflammati abſumuntur. Erit fortaſſis Naphtha illud Medeæ oleum à Græcis tantoperè celebratum, quo Creontis filia fuit concremata, dum ad aras ſacrificatura accedens, corona huiuſmodi vnguine linita, quam geſtabat ignem rapiente, illicò conflagrauit; quamuis alij voluerint hoc Medeæ pharmacum, quod flammis admotum citò igneſcebat, conſtare (referente Rhodigino) ex Sulphure, & liquido Aſphalto, quod Naphtha nuncupatur. Naphthæ quoq; vires exurentes Luculli exercitus Trigonocerta obſidentis expertus eſt: recitat enim Dion in Pompeio hæc verba, Barbari namq; eum grauibus incendijs affecerunt, non ſolum coniectis telis, ſed etiam Naphtha, quam tormentis quibuſdam emittebant; additq; Naphtham ex genere Bituminis eſſe vſq; adeò ardentem, vt omnia, quibus adhęreſcit protinus exurat. Huic infortunio obnoxij etiam fuerũt milites Seueri Imperatoris, in obſidione Atræ, ex eodem Dione in Seuero, dum Naphtham in eos proiectam fuiſſe ſcribit, qua milites omnes, quos attigit, conflagrarunt, quoniam à rebus humidis facilè non extinguatur. Id etiam exemplo Magni Macedonis conſtat, quem Plutarchus, & Strabo prodidcrunt, experimenti gratia, in balneis, puero Naphtham affundi & lucernam admoueri curaſſe, eaq; de cauſa puerum ita ignitum eſſe factum, vt planè interijſſet, niſi miniſtri multam affundentes aquam, incendium ſuperaſſent: etenim modica magis ardet. Quapropter Strabo alumine, cæno, & viſco, Solinus verò proiecto puluere Naphtham accenſam faciliùs extingui pronunciarunt. Quinimò animaduertit Falloppius guttam Naphtæ in aqua accenſam diutiſſimè ardere, quod nullo modo contingere poſſet, niſi pabulum illius flammæ augeretur ratione humiditatis aquæ, quam Naphtha attrahens in ſui naturam conuertat. Niſi velimus aſſerere Naphtham in contraria materia reſidentem non ita facilè in euaporationem abire, conſequenterq; illius ignem ibi diutiùs perdurare.

Oleum Medeæ.

Lib. 15. lect. antiq. cap. 18.

In lib. de Aquis ther. cap. 5.

Amplius in quacumq; Naphta Bellonius hanc proprietatem obſeruauit, vt cũ aqua ſalſa ſemper à ſcaturigine prodeat. Id autem plerumq; contingere huic Authori concedimus, non tamen perpetuò id verum eſſe conſpicati ſumus, dum montem Zibium Agri Mutinenſis hoc Bituminis genere celebrem inuiſeremus. Quandoquidem in fonte nouo ab Incolis ita vocato, huiuſmodi liquorem pinguem, nulla admixta aqua, obſeruauimus. Nam vnde Naphtha cum aqua ſalſa prodit, inde etiam Sal Naphthicus, vel ſpontè concreſcit, vel arte paratur. Huc ſpectat ſententia Herodoti ſcribentis circa Suſas bituminoſum inueniri puteum, ex quo triplex rerum genus, nempè Aſphaltum, Sal, & Oleum hauritur.

Inſuper animaduertendum eſt, omnes Naphthæ ſpecies non eſſe eiuſdem naturæ: ſiquidem Naphtha alba ex fonte nouo montis Zibij dimanans, non vt ceteræ ſpecies, vnà cum aqua ſalſa, ſed ſolą colore candido ex terra argillacea, & cinerea egreditur: deinde hac peculiari proprietate gaudet, vt, vrgente gelu, aliquo modo concreſcat; quæ affectio cæteris ſpeciebus minimè contingit. Quinimò ſi huic quarta pars Naphthæ rufæ admiſceatur, quæ vnà cum aqua ſalſa à ſcaturigine promanat, nullo modo congelabitur. Huius autem proprietatis cauſam diligenter rimari oportet: quandoquidẽ Naphtha potiùs prodiens à Fonte cum aqua, aduentu frigoris, ob humorem aqueum, aſtringi deberet. Quare, in ſoluenda hac difficultate, primò non eſt aſſerendum Naphtham cum aqua ſcaturientem citiùs gelaſcere poſſe; cum hæc duo tãquam etherogenea, nunquam re vera commiſceantur: aqua enim grauior imũ petit, Naphtha verò aeris, & ignis particeps, aquæ ſupernatat. Immò tantùm abeſt, vt ob aquæ præſentiam congelari debeat, vt potiùs contrarium contingat. Nam cum hæc aqua ſit ſalſa, propter calorem, nunquam gelu conſtringetur. Huius exemplum in aquis marinis habemus, quas propter ſalſedinem calidas, rerum naturalium periti, quocumque aduentante frigore, minimè denſari poſſe aſſeuerant. Naphtha verò alba, quæ ſine aqua à ſcaturigine emanat, frigore concreſcit, quoniam cæteris ſpeciebus temperatura eſt frigidior. Primitùs experientia id nobis manifeſtat, cum in frigidis affectibus ſuperandis Naphtha rufa longè ſit inefficacior. Namque ſi facultas à qualitate prodit, neceſſariò concedendum erit,

Naphtha alba montis Zibij.

Naphtha rufa calidior.

Naphthæ

A Naphthæ albæ calorem esse inferiorem, dum illius facultas, in expugnandis ægritudinibus contrarijs, est imbecillior. Præterquamquòd color albus huius Naphthæ id nobis insinuat: albedo enim à multo aqueo humido proficiscitur, & color rufus magni caloris, & exuperantis est indicium.

DIFFERENTIÆ

SVNT qui Naphtham in naturalem, & factitiã distribuant, quoniam hanc ex Bitumine, virtute ignis, exprimi posse opinantur: aut quia, secundum aliorum mentem, in Mesia, ex herba quadam paretur. Nos autem hanc non inquirimus, sed natiuam, quæ generatur ex Bitumine, in terra, & montibus naturaliter accenso, tenuissimis eius vaporibus sursum eleuatis, & ad frigidiora saxa in tenuem liquorem veluti oleum resolutis, qui deinde per meatus subterraneos, è montibus, more fontium, scaB turiunt. Quocirca ex crasso, & terrestri bitumine Naphtha crassa, & ex tenui, & puro, pura similiter, & tenuis generatur. Dioscorides igitur duas Naphthæ differẽtias, nempè candidam, & nigram agnouit. Sed Possidonius Naphtham candidam, Sulphur liquidum ignis rapacissimum, nigram verò bitumen instar olei esse existimauit. Pariter Strabo, authoritate Possidonij fultus, apud Babylonios collocauit quosdam fontes albam Naphtham fundentes, alios verò nigram producentes, qua postea Indigenæ in lucernis vtuntur. *Lib. 1. cap. 84.*

Nuperi verò Authores differentias multò plures cognouerunt. Idcircò vnà cum Bellonio tres species, nimirum nigram, albam, & rufam esse statuemus. Prima tamen est crassior, & fætidior, cum aliæ duæ species, instar aquæ, sint liquidæ, & inter has, alba est odoratior. Variant quoque ratione loci: quandoquidem Italica in suo fonte non flagrat, quod præstat Babylonica, si Plutarcho, in vita Alexandri, fides est adhibenda. *Naphtha est triplex.*

Iam memorare libet illas Naphthæ differentias, quas, progressu temporis, obseruauimus. Prima fuit Naphtha rufa (hoc nomine, flaua quoq; & citrina intelligenda est) C ex monte Zibio Agri Mutinensis, necnon Naphtha alba ex eodem monte allata. Item conspicati sumus Naphtham, quæ in Agro Parmensi scaturit decimo lapide ab vrbe distante. Pariter vidimus Naphtham nigram in deserto Arabum natam.

LOCVS.

AGYRTÆ, seu Circumforanei Naphtham, vel Petroleum in foris venale exponentes, cum perpetuas agitent nugas, circumstantes vanissimis commentis decipientes, locum natalem huius liquoris, sepulchrum alicuius Sãcti esse promulgant. Cum potiùs asserendum sit loca incendijs vexata, quantitate cuiuscumq; speciei Bituminis redundare. Nulla enim terra pinguis, iuxta sententiam Agricolæ, præter Sulphuream, & bituminosam, ardescit. Huius conditionis sunt Aethnas, Chimera, & Veseuius montes, necnon multa alia loca in Italia, ex quibus perpetuæ flammæ emerD gunt. Cæterùm à remotis partibus exemplum petere non debemus, cum anno proximè elapso quadragesimo sexto post millesimum, & sexcentesimum, mense Maij, conquassatio Pagi *Veste* nuncupati, in extremis finibus Apuliæ ad mare Adriaticum, Dalmatiam versus siti, id nobis manifestet; quandoquidem propter horrendos terræmotus, necnon incendia subterranea, domus ferè omnes, & templa euersa sunt; quibus incendijs continua cuiuscumq; speciei Bituminis, & Sulphuris generatio materiam suppeditant. Etenim huic infortunio tales regiones antiquitùs etiam fuerunt obnoxiæ. Cicero enim in libris de Diuinatione hæc habet. *Delata etiam ad Senatum labes Agri Priuernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuliaq; maximis terræmotibus conquassata esset.* Hoc autem nonnisi in locis Bitumine, Naphtha, & Sulphure scatentibus euenire solet. *Pagi Veste nuncupat. incendium. Lib. 1.*

Cognoscuntur etiam loca Bitumine, & Naphtha affluẽtia ab aquis, quæ vinum redolere solent: siquidem aquæ hac prærogatiua insignitæ, Bitumen participare feruntur. Tales sunt aquæ, ad mentem Theophrasti, iuxta Paphlagoniam, ad quas, potandi gratia, Indigenæ libenter accedunt. Huic similis fuit aqua fluminis in Naxo, quod Poetæ, propter

propter eamdem rationem, Baccho aſcribunt, de hoc Propertius ſic canit.

Et tibi per mediam benè olentia flumina Naxon,
Vnde tuum potant Naxia turba merum.

Propterea huiuſmodi aquæ non ſolùm potantes reddunt temulentos, verùm quoque furioſos, cum ſubſtãtia Naphthæ,& Bituminis admodum tenuis, penetrans,& ſpirituoſa ſit. Hinc bibentes aquam rubri fontis in Aethiopia, aut profundum ſomnum, aut furorem incurrebant, quoniam tenuiores aquæ partes caput feriebant. Idcircò Ouidius de huiuſmodi aquis ſic cecinit.

Aethiopoſq; lacus, quos ſi quis faucibus hauſit,
Aut furit, aut patitur mirum grauitate ſoporem.

Amplius amnis Lynceſtius potantes reddit temulentos, non ſecus ac ſi vinum copioſum bibiſſent. De hoc amne habentur hæc carmina.

Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Non aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.

Inſuper equi in Caſſinitio Thraciæ fluuio bibentes, efferantur. Vnde cognoſcimus huiuſmodi aquas eſſe naphthicas, & bituminoſas, cum caput petant,& mentem furore quodam inflamment. Aquæ etiam ſaporis acidi, qualis in aceto obſeruatur, indicium Bituminis eſſe ſolent. Huius cõditionis eſt fons ad radices collis Montioni, cuius aquam ruſtici alia communi aqua dilutam, pro vino, potant. Recitat etiam Ariſtoteles, in Sicania Siciliæ, reperiri aquam, ex qua acidam muriam pro condimentis parant. Hæ autem aquæ acidæ in alueo plerumq; lapides Bitumine obſitos habere ſolent.

Aquæ acidæ ſubſtantia.

His in genere de ſede natali Naphthæ intellectis, deſcendere oportet ad peculiaria loca, quæ alphabetica ſerie ſunt enumeranda, vt, quæ in capite antecedenti non fuerunt memorata, hic recenſeantur. Primitùs in Abrutiorũ Prouincia, quæ Latinis Samnium vocatur, fluit Bitumen, inſtar Picis, nigrum, cuius minera, anno ſeptuageſimo ſeptimo poſt ſeſquimilleſimum inuenta fuit. Ibidem quoq; ad radices cuiuſdam montis ſcaturit liquor, quem Petroleum nuncupant. Arabia deſerta habet quendam fontem Bituminis nigri,& liquidi, quod abiens in vaporem, attollit veſiculas, quæ apertę, & aqua effuſa, in Naphtham nigram, Arabibus Hainelehir nominatam degenerat. In G Armenia, vt referunt Hiſtorici, fons quidam magnus ad Aquilonem ſpectat, de quo liquor oleo ſimilis egreditur, ad condienda cibaria inutilis, lucernis verò fouendis vtiliſſimus: idcircò Naphtham eſſe credimus. Non procul ab Aruernijs, vt notat Dalechampius in Plinium, eſt quædam rupes Petroleum nigrum fundens. Quinimò totum illum agrum Bitumine ſcatere nonnulli affirmant, quoniam tempore præſertim æſtiuo, equi penès riuos fontis tranſeuntes, pedibus lentore Bituminis inuolutis, difficillimè illinc ſe extricare queunt.

Lib. 37. cap. 2.

Babylonia, inter cæteras Regiones, copioſa Naphtha abundat: hæc enim locis feruidis gaudere ſolet. Eſt igitur tam feruidus huiuſmodi locus, vt grana hordei in humum proiecta ſæpè ſubſultent,& Incolæ, æſtiuis diebus, ſupra vtribus aqua plenis dormiant. Herpalus quin etiam Gubernator illius Regionis, cum, elegantiæ gratia, ambulationes regias plantis græcis exornare conaretur, ſolam Hederam, teſte Plutarcho in Alexandro, ſerere nequiuit, cum, ob igneam terreni naturam, ſemper areſceret: Etenim Hedera loca frigida, & opaca amat. Apud Bachal, mons quidam exſudat oleum H nigrum inſignis fætoris, quod Naphtham nigram eſſe opinamur. Propè Bonam Inſulam, Naphtha fortaſſis erit illud oleum, quod in fonte naſcitur.

Hederæ quæ loca amet.

In Cantalupo fluit humor dictus Petronicum, Naphtha proculdubiò eſſe perhibetur. Cuba Inſula, verſus Floridam, Bitumine liquido ſcatet. In Cumana Regione eſt quædam Bituminis liquidi vena ignium valdè rapax; vnde Naphtham eſſe fateri cogimur. Naphtham quoq; eſſe in Cyſitrato aſſerimus, vbi fons tanquam oleo fluens obſeruatur, & huiuſmodi liquor, ex ſententia Ortelij, in lucernis ardeſcit.

Propè Edemburgum, Naphtha cuidam fonti innatat, cuius portio ſi auferatur, quantitas non minuitur, & niſi extrahatur, non tamen augetur. Hammodaræ, inter Aegyptum, & Aethiopiam, fontem Bituminis Calepinus aſſignat.

In Theatro Orbis.

India multis in locis Naphthæ diuitijs redundat: primùm ad Zecuruas populos Indiæ reperitur Bitumen liquidum, quo telorum cuſpides ex arundine paratorum liniũt, & accẽſa in hoſtes eiaculant. Lycos pariter in India habet fontem, cuius aqua lucernæ con-

A conflagrare dicuntur. Item Insula Sanctæ Helenæ vberrimam habet Bituminis scaturiginem, quod non est absimile illi in Sacris Paginis memorato, vt Iosephus Acosta, in Historijs, obseruauit. Tandem Italia habet multa loca, in quibus huiusmodi oleum colligitur. Primùm in tractu Parmensi, apud Meianam Pagum, tres obseruantur scaturigines, è quibus paulatim Naphtha stillat, vnà cum maiori aquæ quantitate. Incolæ igitur singulo die scopis aquam quatiunt, & oleum in angulos coactum, vase quodam, hauriunt ad libram semissem circiter, æstiuo præsertim sicco, & sereno tempore, estq; odore non ingrato præditum. Pariter in Italia, circa montem Zibium Agri Mutinensis, nascitur copia huius Olei, cum ibi duæ, aut tres scatebræ reperiantur. Hoc Oleum per rimas saxorum gradiẽs, in puteos ad id arte, paratos fluit. Naphtha rufa ibidem hyberno tempore ad vncias quindecim singulo die, Æstate, ad vncias quadraginta quinq; colligitur. Similiter Naphtha alba oritur ex fonte nouo montis Zibij, in valle, propè Municipium Castelaranum, cuius scatebra anno quinquagesimo nono post sesquimillesimum inuenta fuit. Hæc Naphtha, non vt aliæ species, cum aqua, sed sola, & syncera colore candido, ex terreno argillaceo, & cinereo erumpit. Naphtha tandem nigra, in Vico Alensi, non longè à Mediolano, habetur ex puteis, qui non causa Naphthæ, sed in gratiam salis, fabricati fuerunt. Aquis enim, quæ salis conficiendi gratia, hauriuntur, Oleum supernatat, quod postea, vel conchis hauritur, vel à linteis in eo insuccatis exprimitur, & hæc de natalibus locis insignioribus Naphthæ apud Italos dicta sint. *Lib. 3. hist. Ind. ca. 17.*

Lycia habet montes Ephæstios, teste Plinio, qui face accensa contacti illicò ignescũt: quinimò & lapides, & arenæ montium accensæ, in aquis etiam conflagrare feruntur: Quocirca hos montes quamcumq; Bituminis speciem generare asseuerandum est. *Montes Ephæstij vbi.*

Maiellæ mons multas Bituminis venas nutrit, vbi Pastores quoddam viscidum, & grauiter olens in aquis fontium inueniunt. Memnium, vel Mennium videtur esse illa ciuitas Assyriæ, in qua Quintus Curtius, referente Ortellio, fontes Bituminosos circa Babylonem collocauit. *Lib. 5.*

Apud Nabathæos Bitumen etiam inueniemus; cum scribat Diodorus, à stagno Nabathæorum Bitumen egesturo, insignem fætorem ad nares Accolarum penetrare, quoniam tunc aqua à vẽtis maximoperè agitatur. Galenus quoq; in libro de bonitate aquarum, memorat Nigram regionem, cuius aqua facilè accendatur: quamobrem aquam illam Naphtha perfusam esse arbitramur. In Pannonia Brasauolus Bitumen esse affirmauit, quo funalia mirandum in modum conflagrant. Ad Poloniæ quoddam oppidum Bretz cognominatum, Naphtha generatur. In Regione Quahutemilla fluit Bitumen liquidum instar olei, quod facilè ignescere dicitur; hoc igitur Naphtham esse affirmare possumus.

In Scotiæ historia, Hector Boetius recitauit, cuiusdam fontis aquæ guttas olei innatare, & hoc ortum esse tradunt ab Oleo Diuæ Catherinæ illi aquæ affuso, quod ad Diuam Margaritam ex monte Sinai afferebatur, huiusq; fidem facere asseuerant nomen fontis, quod à Diua Catherina inuenit. Huiusmodi Oleum aduersus varias cutis affectiones, & scabrities valere traditur. Cum autẽ Naphtha in huiusmodi affectibus commendetur, forsitan à veritate non recederet, qui hoc Oleum Naphthæ speciem esse asseueraret. Sicilia multa habet loca, ex quibus Oleum naphthicum elicitur. Sirbonis locum Bitumine plenum esse referunt, ex quo, certis temporibus, erumpit, idq; Accolæ cognoscunt, quando vasa in illis aquis mersa aliquem situm contrahunt: quandoquidem, hoc animaduerso, ad mentem Strabonis, eruptionem Bituminis imminere coniectant. Surassi montis quædam vallis Naphtham habet copiosam in fontibus, & Accolæ Oleum esse pronunciant. *Sicilia.* *Lib. 16. de situ Orb.*

Deniq; apud Tocchum regni Neapolitani oppidulum, Naphthæ copia inuenitur. Item apud Triballos Mysiæ populos (Bulgaros hodiernum vulgus appellat) Naphtha odoris fætidi obseruatur, & hæc passim Naphtha Bulgarica nominatur. *Bulgar. popul. vbi.*

MYSTICA, ET MORALIA:

Cap. 29. EX Naphtha, ſeu Petroleo aliquod pium, & Chriſtianæ religioni vtile oleum elici poteſt. Legimus enim apud Iob: *Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.* Diuus Thomas, ad litteram, bonitatem, & abundantiam fructuum exponit. Diuus autem Gregorius, ommiſſa litteræ expoſitione, in his verbis myſterium rimatur, dum in Eccleſia vigilantiam Præconum Euangelij meditatur, quando enim dicitur: petra fundebat mihi riuos olei, nomine petræ Chriſtus intelligitur, vt Diuus Paulus Apoſtolus aſſeuerantiùs dixit, *Petra autem erat Chriſtus*. quæ videlicet petra ad vſum Sanctæ Eccleſiæ riuos olei fundit, dum Apoſtolos tanquam Euangelij Præcones in diuerſas Orbis partes miſit: vnde poſtea hodierni Præcones Euãgelij riui Dei eſſe perhibentur. Item, nomine olei, ipſa Sancti Spiritus vnctio deſignari poteſt; de qua apud Iſaiam dicitur. *Computreſcet iugum à facie olei.* Iugum autem à facie olei computreſcit, dum gratia diuini Spiritus vngimur, à ſeruitute captiuitatis noſtræ liberamur, & dum ſuperbum maligni Spiritus dominium repellitur, iuxta expoſitionem Diui Hieronymi, iugum conteritur, quo libertatis noſtræ collum premebatur.

Li. 19. moral. ap. 11.

Ad Corinth. 1. ca. 10.

Cap. 10.

In Iob. cap. 19.

Ampliùs doctrinæ moralis præceptores Naphtham tanquam amoris ſymbolum pronuntiarunt. Vnde, in huius aſſerti confirmationem, Cauſſinus monimentis mandauit Chaldæos, ſub Conſtantino Magno, totum terrarum Orbem luſtraſſe, vt Deum, quem, ſub ſpecie ignis, colebant, omnibus Dijs præſtantiorem re ipſa conuincerent. His addamus, quod ignis tanquam hieroglyphicum diuinitatis à multis ponitur, quare Moyſes in Deuteronomio, & Diuus Paulus ſcribens ad Hebræos, Deum noſtrum eſſe ignem, & quidem conſumentem teſtificati ſunt. De hoc, apud Lucam, verba fiunt. *Ignem veni mittere in terram*. Etenim hunc ignem miſit, & accendit, quando apparuerunt Diſcipulis eius diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq; ſuper ſingulos eorum, & omnes Spiritu Sancto repleti ſunt, veluti in Actis Apoſtolorum legitur. Hinc colligendum eſt, quod, ſi Deus eſt ignis, nos Naphthæ naturam debemus æmulari, & ipſum, ignem nempè Deum, G ad nos allicere.

Lib. 1. Sym.

Cap. 4.
Cap. 12.
Cap. 12.

Cap. 2.

Ex altera parte Naphtha ad venuſtatem, & ignis ad amorem poteſt comparari: nam quemadmodum Naphtha natiua è longinquo ignem rapiens inflammatur; pariter venuſtas, & pulchritudo, quæ iuxta ſententiam Platonis, in Phœdo, eſt amoris Naphtha, eminus quoq; amoris incendium concipere traditur Quod autem amor igni aptè comparari poſſit, non eſt in dubium reuocandum. Primùm, quoniam meminimus in hoc genere hoc diſtichon legiſſe.

Neſcio, quid ſit amor, nec amor, nec amo, nec amaui,
Sed ſcio, ſi quis amat, vritur igne graui.

Deinde aliquando Ouidius vinum tanquam igneum, & Venerem pariter igneã meditatus, cecinit hunc in modum.

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

Immò quando Poetæ fabulantur, ad communicandam alicui amoris flammam, Cupidinem Veneris, & Mercurij filium, ſagittis illum figere, potiùs aſſerere debuiſſent illud ferrum volatile Naphhta fuiſſe perunctum: ſiquidem Sagittarij Perſarum, hac, olim ſua ſpicula linibant, vt accenſa, & in hoſtes eiaculata, non ſolùm illos, ſed etiam eorum ſarcinas ad incendium compellerent. Cæterùm non ſolum Cupido, vt aiunt, naturæ igneæ eſſe dicitur, verùm quoq; ſagittæ ex eius arcu in aliquem excuſſæ, etiamſi ex niue concreta fabricatæ, illicò in igneam naturam conuertuntur. Ad rem recitabimus diſtichon à quodam acris ingenij cõpoſitum, qui cum ſenſiſſet ſe niue perculſum à muliere dotibus formæ inſignita, per feneſtram, illicò amore illius flagraſſe retulit; eſt autem diſtichon huius tenoris. H

Cum niue cadenti petijt me Liuia, rebar
Igne carere niuem, nix tamen ignis erat.

Geneſ. Cap. 6. Cap. 12.

Innumeri poſſent amoris ignes venuſtate Naphthæ rapti recenſeri, ſed ommiſſis profanis, intueamur memoratos in Sacris Biblijs, quibus arſere filij Dei in filias hominum, vt legitur in Geneſi: deinde Pharao amorem in Sarram ſuſcepit, vxor Puriphanis in-

Io-

A Iosephum. Dauid in Bethsabeam Vriæ coniugem, Amnon in Thamar sororem, Holophernes in Iuditham, Assuerus in Esther, duo illi Seniores in Susanam, Herodes in filiam Herodiadis, cui, apud Marcum, dimidium Regni spopondit. Sed aduertendum est, quod Naphtha mystica, seu moralis toto cælo à Naphtha prophani amoris discrepat: quandoquidem hæc aqua calamitatum aspersa statim extinguitur; cum Naphtha moralis æmulans genuinam,& naturalem, ærumnarũ pelago obruta maius semper amoris incendium in Deum suscipiat.

Cap. 39. Lib. 2. Reg. cap. 11. Cap. 13. Iudit. cap. 10. Ester cap. 2. Daniel cap. 13. Marc. cap. 6.

VSVS IN MEDICINA, ET ALIIS.

CVM Naphtha maximam cum Bitumine habeat affinitatem, eosdem præstabit vsus in medicina, qui à facultate Bituminis prodire solent. Nihilominus Naphtha, ob substantiæ tenuitatem, longè efficaciores vires possidebit. Itaq; extenB nuat, penetrat, digerit, siccat,& omnem materiam frigidam in quacumq; corporis parte stabulantem absumit. Quapropter Paralysi, morbis articulorum, & affectibus vteri frigidioribus optimè mederi potest. Arabes, in discutiendis flatibus, Naphtham tanquam præstantissimum medicamen commendant: Quinimò genus candidum huius liquoris, in auferenda tussi antiqua, cum iusculo, vel aqua præscribunt; nigra verò Naphtha vermes in intestinis contentos interiere,prædicant, dummodo lana huiusmodi liquore insuccata regioni abdominis applicetur. Iodocius in Enchiridio simplicium, conatur, vnico hexasticho,omnes Naphthæ virtutes examinare hunc in modum.

Attrahit, absumit, quæuis nocumenta podagræ,
Ischiadem soluit, perline, nocte grauem.
Sumito, quo lapidem, veterem quo tollere tussim,
Asthmaq; thoracis frigora cuncta queat
Suffitu solita est lapsus, fulcire cadentis
Matricis, factus semper odore premit.

C Illas autem facultates,& vires, quas cuncti Authores Naphthæ assignant, nostro Petroleo competere credendum est. *Petrolei vires.*

Quoad reliquos vsus huius succi, author est Ammianus Marcellinus, apud Persas,tela Bitumine, vel Naphtha inungi, quibus in tecta hostium eiaculatis, mirum incendium suscitabant. Hodie ignes artificiales, qui in aquis conflagrare conspiciuntur, ex Naphtha, sulphure, & cera plerumq; parantur. Vernicem liquidam nonnulli Opifices ex oleo Sulphuris, iuniperino, oleo lini, Naphtha, & resina conficiunt: Nuperi pictores, ad illustrandas picturas, dissoluto mastiche in Petroleo vtuntur.

DE PISSASPHALTO. Cap. XVI.

D SYNONIMA, ET ETYMVM.

PISSASPHALTIM, seu Pissasphaltus, apud Græcos vocatur πισσάσφαλτος, siue πιττάσφαλτος, quod vocabulum apud Latinos sonat Picibitumen. Theopompus Picem fossilem appellauit, quã in Agro Apollonitarum generari asseruit. Quocirca hinc possumus coniectare hanc Picem fossilem coincidere cum Pissasphalto natiuo Dioscoridis, quod eodem loco nasci tradidit Dioscorides, & ita appellatum esse voluit, quoniam Picem simul, & Bitumen oleat. Hoc tamen falsum esse Dalechampius affirmauit, veramq; huius vocis etimologiam esse scripsit, quia cum natiuum sit Bitumen, sua crassitie Picem æmulatur. Serapio sententiæ Dioscoridis assentitur: quandoquidem, ob odorem, quem ex mistura Picis, & Bituminis cum aliquo fætore vibrat, non solum ità nuncupatum esse credit, verùm quoq; ob virtutem, quam ex eorumdem commixtione possidet. *Etymum Dalechampij.*

poſſidet. Piſſaſphaltum Arabibus dicitur Mumia, Mumie, vel Mumiay, Hiſpanis Cera di mineres, fortaſſis à voce Mum Arabum, quæ ceram, ſiue propolim ſignificat. Vnde Germani Bergirachſs vocant, quo vocabulo, Ceram montis deſignant. Pariter ijdem Germani aliquando Teuffels, nimirum ſtercus Dęmonis appellant, ob tetrum, & fædum odorem, quem vibrat. Andernacus agens de noua, & veteri medicina, Bitumen piceatũ cognominaſſe videtur. Herodotus quoq; in Melpomene Picis perſicæ meminit, quam nos Piſſaſphaltum eſſe credimus.

NATVRA, ET DIFFERENTIÆ.

CIRCA naturam, & generationem Piſſaſphalti, maxima inter Authores agitatur controuerſia. Alij, etymologia vocabuli decepti, id ex Pice, & Aſphalto aliqua arte parari exiſtimant. Alij Mumiam artificialem (quæ nil aliud eſt, quàm conditura cadauerum, de qua in ſequenti capite verba fient) cum Mumia Arabum confundunt, quæ à Piſſaſphalto re vera non diſcrepat, & hac ratione maximum errorem incurrunt. Licèt autem Meſue, initio capitis, Mumiam deſcribens, ad conditum funus deflectere videatur; nihilominus mox ad Piſſaſphaltum Dioſcoridis reuertitur. Quapropter interpretis potiùs, quam illius errorem eſſe ſtatuemus. Nam, ſi vel Serapionem, vel alios Authores legerimus, ex eorum ſententia, id eſſe conditum funus minimè comperiemus, quemadmodum eorum interpretes teſtificantur. Auicennas de illo agens, ſtatim vires eius examinandas aggreditur, neq; vllam deſcriptionem aſſignat: hinc colligendum eſt, nil aliud, quàm Piſſaſphaltum Dioſcoridis ab Auicenna intellectum fuiſſe. Alij fuerunt, qui Plinij authoritate decepti, ex Pice, & Bitumine id conpoſitum eſſe crediderunt. Plinius enim hoc ſcriptũ reliquit. *Eſt & Piſſaſphaltos mixta cum Bitumine Pix naturaliter, ex Apollonitarum agro.* Hæc Plinij verba tanti lapſus cauſam prębuerunt, vt Andernacus de veteri, & noua medicina dixerit, reperiri etiam Bitumen piceatum, quod Græci Piſſaſphaltum, & Arabes Mumiam appellant; idq; duplex, vnum, cui Pix naturaliter eſt inſita, vt Iudaicum, alterum, cui Pix artificio eſt commixta. Cæterum his Plinij verbis vnà cum doctiſſimo Dalechampio reſpondendum eſſe arbitramur, Picem facticiam cum Bitumine haudquaquam permiſceri poſſe: Piſſaſphaltum verò eſſe Bitumen Sole, & ventis exſiccatum, & denſatum ad craſſitiem Picis. Quamobrem iure optimo Bellonius nuperos reprehendit Authores, qui mentem conuertentes ad rem, quæ, ſub falſo nomine, habetur in magno pretio, minimè conſiderarunt eorum Authorum ſententiam, qui de condito funere diligenter ſcripſerunt. Etenim hi retulerunt ſeruatum hoc funus à Negotiatoribus ſummopere expeti, & frequentem eius vſum eſſe in medicina: deinde genuinam huius nomenclaturam ignorantes, vnà cum Vulgo Mercatorum in errorem lapſi, Mumię nomen condito funeri aſſignarunt; immò & huius vires Mumiæ attribuerunt: cum tamen Mumia Arabum verum ſit Grecorum Piſſaſphaltum. Matthiolus autem, qmi horum Authorum patrociniũ ſuſcepiſſe videtur, duplicem Mumiam inueniri aſſeruit, Belloniumq; erroris, & ignorantiæ mordicùs accuſat, dum ſcripſerit non aliam Mumiam apud Græcos, & Arabes, quàm Piſſaſphaltũ eſſe, & errorem Bellonij, ex authoritate Rhaſis, & Serapionis manifeſtare conatur. Rhaſis igitur, in libro de arabicis nominibus, ex authoritate Iſac, hæc verba protulit. *Mumia eſt nomen perſicum, & eſt res nigra confecta, & eſt etiam aliares repertain ſepulchris, quando effodiuntur, quæ ponitur cum mortuorum corporibus, vt vermes non approximentur eis.* Rhaſi autem adſtipulatur Serapio, primo ſtatim initio capitis, vbi ſic loquitur. *Mumia ſepulchrorum fit cum Aloe, Myrrha, & quod admiſcetur eis ex humiditate corporis humani cum ſimul coierint.* Veriſſimum eſſe pronunciamus Rhaſim, iuxta ſententiam Iſac, ita locutum fuiſſe, nihilominus in principio eiuſdem capitis hæc ſcripſit. *In montibus, qui dicuntur Fulgneri, eam naſci, & aquam gelatam in eis effici, ad modum Picis, & odorem eius eſſe ad modum Picis mixtæ cum Aſphalto.* In hoc autem Rhaſis optimè cum Piſſaſphalto Græcorum conuenire videtur. Quando autem paulò poſt aſſerit, eſſe rem inuentam in Sepulchris, tunc non de Piſſaſphalto, ſiue Mumia Arabum, ſed de illa, quæ vulgò ita nominatur, nimirum de condito funere verba facit.

Mumiæ differentia.

Lib. 24. cap. 7.

Funus conditũ quid.

Mumia Arabum eſt Piſſaſphaltũ Græcorum.

Cap. 239.

Quoad Serapionis citatam authoritatem, reſpondere poſſumus, Serapionem optimè de Mumia ſenſiſſe, cum eadem ferè habeat, quę Dioſcorides in textu retulit, exceptis illis,

A illis, quæ citat Matthiolus, in quorum citatione, non solùm linguæ Arabicæ, sed etiam rei ipsius ignorantiam prodit: cum illa verba non à Serapione, sed ab illius interprete proferantur; quæ cum exponere nesciuerit, in prædictum errorem lapsus est. Brasauolus quoq; in defectu Synceræ, Mumiam à Mauritanis vocatam surrogat, sed hac in re (vt nostra fert opinio) à veritate recedit: namq; cadauera ex Syria, & Ægypto delata, quamuis interdum Asphalto, vel Pissasphalto repleantur, & condiantur loco Myrrhæ, Balsami, & Aloes; nequaquam tamen id sine sale, vel nitro peragi potest: cum solùm Bitumen à cadaueribus putredinem arcere nequeat. Quapropter hæc conditura, pro vero Asphalto, vel Pissasphalto substitui minimè poterit: Etenim si cadauera prius sale, vel nitro inspersa arefiant, deinde Bitumine, vel Pissasphalto condiantur, fieri non potest, quin facultatem salis, vel nitri concipiant. Quamobrem dum hac ratione diuersam virtutem acquirunt, non videmus quomodo huiusmodi funus pro Asphalto, vel Pissasphalto vsurpari possit. In alio quoq; Brasauolus decipitur, dum Mumiam Arabum esse Mumiam vulgarem existimat, quæ Funus conditum appellatur.

Mumia Arabiu non est Mumia vulgi.

B Itaq; Pissasphaltum nil aliud est, quàm cõcretum Bitumen, quod instar Picis durescit, & prodit ex eodem liquore, vel massa, ex qua Bitumen generatur, & æstu in ripas fluminis reiectum, ibi in durissimam glebam cogitur. Pissasphaltum enim sicca admodum constat concretione, vt quandoq; lapidem Gagatem æmuletur, licèt aliquantulum pallidioris, & obscurioris sit coloris. Deinde veluti Pix liquefieri potest, dummodò ei res aliqua pinguis, & oleosa admisceatur: quandoquidem naturaliter ita siccum est, vt per se lentorem sequacem nunquam consequatur: idcircò aliqui cum ipso Cedriam miscere consueuerunt, quæ ex Asia in Europam deferri, & in vtribus liquida seruari solet. Pariter Pissasphaltum naturaliter ex nigritia ad colorem cinereum deflectit: nam quamuis nigritudine sit refertum, non tamen gaudet illo nigrore hilari, quo genuinum Bitumen refulgere conspicimus. Deinde confractum in grumos diffilit, & digitis contritum scabritie quadam horret, naribusq; admotum nõ vehementer illas ferit. Viciſsim Bitumen saturata nigritie est insignitum, splendidum, & tersissimum, quemadmodum superiùs explanauimus. Præterquamquòd digitis friatum, statim in puluerem vertitur, odore C est graui, & igni admotum facilè inflammatur. Hinc cognoscimus illos fuisse hallucinatos, qui, nomine Asphalti, vtrumq; intellexerunt, cum tamen inter se valdè discrepent. Similiter dissentit à Pice nauali, quoniam hæc violentia ignis, ex arborum resinis elicitur, illud verò in aquis, & montibus tantùm producitur.

Optimum igitur Pissasphaltum Plinius illud esse iudicauit, quod dum feruet, aquæ innatat. Propterea Dalechampius & ipse præstantissimum illud prędicat, quod non solùm more Bituminis supra aquas feratur, sed quod nec terram, nec lapides admixtos habeat. Huius conditionis est illud Pissasphaltum, cuius iconem hoc in loco damus.

Probatio Pissasphalt.

Pissasphaltum, ideſt Picibitumen.



Prædictis addimus, Piſſaſphaltum naturaliter, iuxta ſententiam Auicennæ, calidum eſſe in fine ſecundi gradus, & ſiccum in primo. Præterea facultate roborandi ſpiritus pollet, ipſumq; lentor adiuuat, quo ſpiritus ſolidare poteſt. Serapio, ex authoritate Atabazis, calidum, & tenuium partium eſſe ſcripſit, omniaq; præſtare voluit, quæ Bitumen cum Pice mixtum, ex mente Dioſcoridis, operatur.

Tandem, omniſſis differentijs, quæ à natiuo, & facticio Piſſaſphalto ſumi poſſunt, breuiter illas recenſebimus, quas diuturnitate temporis, obſeruauimus. Inter hæc Piſſaſphalti genera, vnum eſt ex Samnitibus (Abrutios vocant) tranſmiſſum, quod nonnihil Sulphuris admixtum habuit. Item aliud, quod albo ſucco permixtum, fuit impurum. Præter hæc, aliud quoddam conſpicati ſumus, quod copioſiſſimum effoditur propè oppidum Leſch, vel Oleſt, quo Incolæ, Picis loco, vtuntur cum oleo Cannabis ad axes curruum inungendos; ijdem etiam, loco lucernæ, in caminis adhibẽt. Qua de cauſa ſumma tenemur admiratione, cur, in Hiſtoria Poloniæ, Cromerius Piſſaſphalti huius non meminerit, ſicuti neq; Naphthæ, quæ ad Bety oppidum generari ſolet. Ad finẽ conſpicati ſumus quamdã Piſſaſphalti ſpeciem maculis quibuſdam refertam, & impuram.

LOCVS.

DIOSCORIDES, circa Epidaurum in Apollonitarum agro, Piſſaſphaltum naſci ſcribit, quod Ceraunijs montibus deuolutum violentia fluminis rapitur, & ad ripas reiectum, inſtar Picis, ibi dẽſatur. Bellonius quoq; Dioſcoridi ſubſcribit, aſſeritq; propè Epidaurum, duorum dierum nauigatione, locum Epiro finitimum eſſe, vnde naues Piſſaſphaltum petunt, quod poſtea per vniuerſum litus Anconitanum, & Venetum deferunt. Hoc paſſim Venetijs, in Pharmacopolarum Officinis reperitur, & vili pretio venditur. Pariter hoc, interdum verum, & genuinum eſt, quandoq; falſum, & adulterinum conſpicitur. Plinius id circa paludem Meotidem generari promulgauit In Albaniæ quoque deſcriptione, inquit, vltra Colchicha eſſe ſolitudines, in quarum latere verſus Ceraunios Armenochalybes habitant, montes argentei vulgò dicuntur, ex quorum radicibus Piſſaſphaltum eruitur. Cteſias de India ſcribens, narrauit apud Zazynthum in India fontes eſſe piſciũ fertiles, à quibus Pix (vt ipſe refert) educitur, hanc Piſſaſphaltum eſſe credimus, quoniam Bitumen cum Pice mixtum redolere perhibetur. Hodie verum Piſſaſphaltum ex Apollonia Epiri (hunc locum Vulgus Vallonam appellat) defertur; quandoq; etiam ex Dalmatia, vbi propè Leſinum prouenit. Item ex Pannonia aduehitur. Leonardus Fuchſius Piſſaſphaltum propè Iſpruch inueniri tradit, quod, voce germanica, Tniſchenblut vocitant. Matthiolus autem, in capite de Bitumine, cum taxat dicens ſe huiuſmodi loca diligenter luſtraſſe, & nunquam Piſſaſphaltum, ſed tantummodò Gagatem inueniſſe: hancq; ſuam opinionem roborat hac ratione, quoniam Gagates inſtar ligni, vel tædæ, ardeſcit, Piſſaſphaltum autem igni admotum liqueſcit. Cæterùm, vt veritatem fateamur, Fuchſius alibi, re accuratiùs conſiderata, de hoc errore ſe excuſauit. Quiedus tandem, in Hiſtoria, Indiæ Picem quamdam nigram foſſilem memorat, quam eamdem eſſe cum Piſſaſphalto ſuſpicamur.

Lib. 1. de com. med.

Gagates cũ Piſſaſphalto cõfunditur.

VSVS IN MEDICINA ET ALIIS.

MVLTI medici, authoritate Rhaſis, fulti doloribus capitis à pituita, vel frigore ortis, Hemicraniæ, Reſolutis, Cynicæ conuulſioni, Comitialibus, & Vertiginoſis Piſſaſphaltum, grani pondere, naribus cum aqua maioranę inditum ſummopere opitulari aſſerunt. In Scorpionis ictibus remedium efficaciſſimũ prædicant, dummodo, pondere obuli, ex vino meraciori ſumatur, & cum bubalo butyro, vulneri illiniatur. Serapio etiã ſibi relatum eſſe ſcribit, quemdã adeò copioſum ſanguinem reiecisſe, vt nulla medicina coerceri poſſet, ſed Piſſaſphalto cũ vino ad pondus triũ granorum exhibito, continuũ ſanguinis fluxum ſuppreſsum fuiſſe. Bellonius aliquando affirmauit nullos antiquos Græcos, ſed tantũmòdò Arabes Piſſaſphalto vires medicas aſſignaſſe.

Dioſco-

A Dioscorides tamen, licet in proprio capite de viribus Pissasphalti non egerit: nihilominus in capite de Naphtha, vbi in genere vires Bituminis recensет, Pissasphalti quoq; meminit. Item in fine eiusdem capitis, Bitumen cum Pice mixtum in locum Pissasphalti surrogare videtur. Quamobrem fortassis non esset præter rationē, deficiente Pissasphalto, Picem naualem Bitumini permixtam adhibere sic enim esset Pissasphaltum, seu Bitumen artificiale, quod interdum apud Seplasiarios inuenitur. *Pissasphaltum Officinarum.*

Deniq; Epidauri Incolæ, ad picandas naues, Pissasphaltum adhibent, & ex eo non contemnendum faciunt vectigal. Quinimò, cum magna vi polleat in compaginandis nauigijs, circa litora Maris mediterranei, loco Picis naualis, illo passim vtuntur.

DE MVMIA.
Cap. XVII.

B

ÆQVIVOCA.

QVAMVIS Mumia inter succos concretos locum habere non videatur, attamē propter nominis cum Pissasphalto, seu potiùs cùm Mumia Arabum similitudinem, nonnulla hoc in loco de ea pronunciare cogimur. Primò igitur, vt omnis huius vocabuli ambiguitas tollatur, notandum est, nomen Mumiæ varias sortiri significationes; quādo quidem Arabes, hac voce, Pissasphaltum intelligunt, quod nil aliud esse dicitur, quam Bitumen Pici permixtum, vt in Capite antecedenti explanauimus. Hoc eodem nomine insignitur quædam pulcherrima ciuitas ad Elchasch supra Nilum, tempore Mahometis, ædificata, cuius in Geographia Liuius Sanutus meminit. His igitur ommissis significationibus, tantummodo de Mumia propriè dicta verba fient; quam nil aliud esse cre- C dimus, quàm Funus, seu Cadauer sale, vel nitro conspersum, & multorum dierum spatio Cedria, vel Asphalto conditum, deinde aromatibus, vnguentis, myrrha, cinnamomo, & alijs huius generis munitum; non solum vt à putredine remotum seruaretur, sed etiam vt ei suauis odor conciliaretur. *Mumia ciuitas.*

SYNONIMA.

MVMIAM vulgarem ταριχεύσιν Græcis appellari, ex verbis Herodoti, Diodori, & Strabonis facilè colligere possumus: nam Ταριχεύσις salsuram, vel condituram sale paratam significat. Posset etiam φιλαγμα νεκρῶν σωμάτων nuncupari: cum Dioscorides, in capite de Cedro, vim inesse scripserit Cedriæ φιλακτικην τῶν νεκρων nempè conseruatricem mortuorum: idcircò conditura optimè nominari poterit. Pariter, ex Galeni Sententia, hoc idem nomen ei assignabimus: etenim ipse agens de Ce- *Lib. 7. de* D dria, virtutem illi tantam inesse scripsit, vt cadauera à putredine incorrupta seruare valeat. Latini, qui de hac re scripserunt, à Græcis nomen mutuati sunt: quandoquidem *simp. med. fac.* hanc Mumiam, cadauer conditum, seu funus medicatum, iuxta Antiquitatem, cognominarunt. Plinius, qui græcorum Authorum fuit acuratissimus indagator, de Ægyptiorum moribus sermonem habens, apud eos hanc consuetudinem inualuisse prodit, vt cadauera medicata asseruarent. Item Pomponius Mela hanc rem memorans, medicatum corpus, & medicatum mortuum nuncupauit. Nuperi autem scriptores hanc cōdituram, vocabulo vtētes externo, Mumiam indigitarunt. Hoc enim nomine hodie quoque apud Vulgus, non modo in Europa, sed etiam in tota Asia, & Africa circumfertur. Pandectario dicitur Cretal, Italis Mumia, Gallis Mumie.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

MVMIA nil aliud eſſe fertur, quàm funus ſale conſperſum, aut Nitro ſalitum, deinde Cedria, Aſphalto, & alijs rebus odoratis munitum, vt diutiſſimè conſeruetur,& iucundum odorem ſpargat. Idcircò hæc materia vnà cum ſanie cadaueris, tractu temporis exſiccata, pro medicinis, Mumia nominatur. Huius funeris ita conditi etiamſi varia genera in Officinis conſpiciãtur, quæ notas inter ſe diſcrepantes, colore nimirùm,& pondere habeant, nihilominus eligenda eſt Mumia ſubrubra leuis ſubpinguis, & ſubodora, quæ ab omnibus tanquam genuina probatur. Etenim grauis, nigra, friabilis, terrea, & quæ digitorum attritu facilè in puluerem abeat, tanquam adulterina reijcitur. Deinde omnia condita funera plerumq; alicuius odoris,& ſaporis eſſe deprehenduntur, non tamen in omnibus ingratus odor, & ſalſus ſapor percipitur, ſed quatenus maiori, vel minori ſalis, aut Nitri copia condiuntur.

Mumiæ Officinarũ cõditiones.

Præterea huius Mumiæ præſtantia ex bonitate rerum deprehenditur, quæ corporum condituram ingrediuntur. Nam quæ cadauera Balſamo,Myrrha,Cedria,Croco,& aljis ſimilibus odoratis præparantur, hæc meliora, & vſui medicinæ ſunt accommodatiora. Illa autem, quæ Bitumine Iudaico,vel Babylonico,& ſimilibus minus pretioſis imbuuntur, cæteris etiam minus præſtantia reputantur. Hinc cognoſcimus Mumiam vulgarem eſſe rem compoſitam carne humana mixta cum ſale, vel Bitumine, vel Cedria, vel alijs rebus huius generis corruptionem à cadauere arcentibus. Illa verò corpora exſiccata, & nigra à mercatoribus quibuſdã delata, quæ interdum in Officinis medicamentariorum monſtrantur, non eſſe veram Mumiam affirmamus; quandoquidem cum illa nihil prorſus commune habent:non enim Balſamo,vel Myrrha,vel Bitumine,vel alijs rebus huius generis fuerunt condita, ſed pura ſunt corpora Viatorum in arenis exſiccata, qui aut Ventorum violentia obruuntur, aut nimio æſtu necati in arena à Ventis ſepeliuntur. Huiuſmodi corpora nonnulli Authores in Arabia deſerta reperiri teſtificãtur. Odoardus enim Barboſa, in deſcriptione maris rubri,& Inſularum ei adiacentiũ, monimentis mandauit, Ventos per illam regionem vagari ita calidos, vt ſi hominem, vel aliud animal ibi mori contingat, ſtatim cadauer ita exſiccatur, vt nullam prorſus putredinem ſubeat: deinde addit huiuſmodi corpora, nomine Mumiæ, in Europam deferri, cum tamen à vera, & genuina Mumia valdè diſcrepent. Item Nicolaus de Nicolao Gallus, in deſcriptione Indiæ orientalis, ſcriptum reliquit deſertum quemdam,& incultum locum eſſe in Arabia, vt maris arenoſi nomen promeruerit; vbi Venti aliquando ita ſæuiunt,vt Viatoribus aduerſantes, illos facilè arenis obruant, & ſuffocent. Horum poſtmodum corpora ab Incolis ſumma diligentia ab arenis effodiuntur,& mercatoribus venduntur, qui, pro vera Mumia, hęc corpora in alias Mundi partes deferunt, & indoctis Sepulchrarijs imponunt, Plutarchus etiam, in Vita Alexandri, memorat hoc Deſertum, in quo quinquaginta millia hominum exercitus Cambyſis arena perierunt.

Mumia officinarum quæ non ſit vera.

Nonnulli Authores nuperi commendant cadauera mortuorum in Noſocomijs Aloe, Myrrha, & Croco condita, quæ ad tempus opportunum ſeruata, pro vera, & genuina Mumia vſurpari poſſe autumant, & eximiæ virtutis eſſe celebrant. Etenim opinantur, in defectum Mumiæ genuinæ (cum hæc admodum difficulter ad nos afferatur) huiuſmodi corpora ita pręparata, & condita eſſe ſubſtituenda. Ceterùm hos Authores prorſus hallucinari affirmamus;cum neq; Aloe,neq; Myrrha, neq; Crocus vim habeant conſumendi illam humiditatem, quæ in Cadaueribus putredinem generare poteſt. Immò cum huiuſmodi corpora dura ſint, & condimenta nominata tenues partes non poſſideant, quibus anguſtos meatus ſubire poſſint,munus,quod viri docti pollicentur haudquaquam præſtare valebunt. Etenim Myrrha,& Aloe ſunt aqueæ qualitatis; idcircò & ipſa,ob corporum humiditatem, facilè putredinem concipient.Præterea ſi Mumia vulgaris aliqua portione Aloes præparata eſſet, inſignem amarorem guſtanti impertiretur. Verùm qui plurima corpora condita,& viderunt,& guſtarunt,nullam prorſus amaritudinem perceperunt.

Cadauera Noſocomij cõdita qualia.

DIFFE-

DIFFERENTIÆ

VT omnes Mumiæ officinarum differentiæ innotescant: in primis exarandæ sunt variæ rationes, quibus corpora apud Antiquitatem, condita fuerunt. Notandum igitur est Authores passim testari (referente Bellonio) Ægyptios, ante Moysem, Defunctorum corpora ad æternitatem condimentis munire consueuisse. Quinimò tanta in condiendis cadaueribus vsi sunt solertia, teste Diodoro Siculo, vt singulis partibus etiam superciliorū, & palpebrarum pilis integrè seruatis, forma totius corporis ad instar Dormiētis seruaretur: cuius rationem Herodotus ex Zoroaste affert. Potissima autem ratio est, quæ ab eorum religione pendebat, quoniam Ægyptij, Arabes, Æthiopes, vicinæq; gentes Resurrectionem mortuorum, more Iudæorum, expectabant.

Triplex igitur apud Ægyptios, vt Herodotus testificatur, condiendorum corporum erat modus. Primus erat Nobilium, & maximi pretij, quod, teste Diodoro Siculo, argēti talentum quandoq; adæquabat. Alter eo inferior, & minoris pretij, quod minas viginti non superabat. Tertius viliſſimus, & infimæ sortis hominum, in quem modici sumptus erogabantur. Itaq; Nobilium corpora, educto per nares cerebro, ferro repando, & ad hoc solum opus fabrefacto, deinde intestinis per abdomen exemptis, & à fæcibus repurgatis (vt testes sunt Sextus Empyricus, & Lucianus de Ægyptijs) & rursus Myrrha, Cassia, & cæteris odoribus, excepto thure, refarctis, saliebant septuaginta dies, diutiùs enim salire corpora non licebat. His peractis, cadauer abluebant, syndoneq; byssina in lora oblonga, & tenias dissecta, totum corpus inuoluebant, gummi Cedrino illinientes, quo Ægyptij, loco glutinis, plerumq; vtebantur. *Modus condiendorum cadauerum apud Ægyptios.*

Alter condiendi cadaueris modus non ita regalis, & sumptuosus erat, quo corpora hominum tenuioris fortunæ à putredine arcebant. Erat autem talis: clysterem vnguine, quod manat ex Cedris, implebant, & absq; vlla abdominis scissione, per posteriorem hiatum, corpus infarciebant, & dies pariter septuaginta condiebant, quorum dierum vltimo, cedrinum vnguem, quod priùs ingererant, ex aluo egerunt, nam tanta vi pollet, vt secum omnia intestina tabefacta educat; deinde Nitrum ita carnes tabefacit, vt cutis, & ossa tantùm Defuncti remaneant. Verus autem modus scissionē admittens, à Diodoro elegantissimè explicatur. Inquit enim, qui funera mortuorum curant, eo exercitio à Maioribus tradito, primùm impensam funeris descriptam domesticis ostendunt, & diligenter scrutantur, quanti funus celebrari velint, &, pacta conuentione, corpus eis traditur, vt, iuxta pactionem, impensa funeris fiat. Primus Grammaticus (ita enim appellatur, qui posito humi corpore, circa ilia partis sinistræ describit locum incisionis) proprio fungitur munere: deinde accedit Scissor, qui lapide Æthiopico, iuxta præceptum legis, latus aperit, & illicò cursum arripit; Quandoquidem Astantes lapidibus, & execratione eum persequuntur: nam odium inhærendum esse illi existimabant, qui vulnere corpus amici violauerit. Curatores verò corporum, quos salitores nuncupant, honore, & existimatione digni habebantur: Horum vnus per scissuram interanea, præter cor, & renes, eximebat, vino phœniceo, & rebus odoratis lauabant; deinde totum corpus, primùm Cedria, cum alijs pretiosis vnguentis dies amplius triginta; deinceps myrrha, & cinnamomo, cæterisq; huiusmodi rebus linibant; quæ non solum (asserente Diodoro) ad diutinam Cadauerum conseruationem conferebant, verum quoq; illa fragrantia reddebant.

Tertia conditura erat, qua Defuncti homines plebei, & proletarij seruabantur. Corpus dilutum, sale spatio dierū septuaginta arefaciebant. Præter citatos Authores Strabo etiam testificatur, apud Ægyptios, condituras Cadauerum ex Bitumine fuisse præparatas, cui addebant aliqui Picem, Salem, & Nitrum; hancq; esse Mumiam refert, quæ hodie ad nos affertur. Hæbreos quoq; eodem modo, quo Ægyptij, corpora sua condire docet Moses, quando de morte Iacobi patris Iosephi agit, qui in Ægypto decessit. Narrat enim, Iosephi filij iussu, qui tunc in Ægypto, & gratia, & authoritate plurimum valebat, quadraginta diebus, more Ægyptiorum, Iacobi corpus conditum, & septuaginta defletum fuisse. Præterea in Sacro Codice leguntur apud Ioannem hæc verba. *Venit & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum ferens mistūram myrrhæ, & Aloes, quasi* Cap. 19. *libras* *Tertius cō diendi cadaueris modus.* *Mumia vulgi.*

libras centum, acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicuti mos erat Iudæis ſepelire. Alioquin Strabo Iudæos, in condiendis cadaueribus, Aſphalto, ſiue Bitumine vſos fuiſſe affirmat, quod è Sodomeorum mari colligebatur. E

Æthiopes adhuc eadem, qua Ægyptij, ratione, ſuorum funera condire ſolebant, & condiendi ratio diuerſa erat: quandoquidem horũ ſepulchra erant vitrea. Defunctum igitur, more Ægyptiorum conditum picturis exornabant, & eius effigiem, quoad fieri poterat, repræſentabant, deinde illum tumulo vitreo circumdabant, cuius copia apud illos facilè foditur (fortaſſis fuit Talcum flexibile, ex quo hodie parantur laternæ, hoc etiam apud Polonos eſt foſſile, & cum prædicto optimè conuenit) in huius medio Defunctus interlucens conſpiciebatur: nihilq; vel odoris ingrati, vel fœditatis redolebat, ſed omnia Viuo ſimilia gerebat. Hunc cippum, ſeu tumulum Conſanguinei intra ædes, per ſpatium annuum detinebant, eiq; omnium rerum primitias offerebant. Sed annuo ſpatio elapſo, efferebant, circaq; vrbem ſtatuebant. Præter Strabonem, Cicero quoq; tradit Perſas cera circumlitos mortuos condire, vt corpora maiorem diuturnitatem ſentirent. Gallorum Reges, eiuſdemq; Regni Proceres nonnulli eodem modo, quo Reges Scytharum olim, nimirum puluere (qualis à Bellonio deſcribitur) myrrhaceo mortui condiuntur. Ex hactenus enarratis coniectare licèt Mumiam Officinarum facticiam, nil aliud eſſe, quàm liquamen, quod ex huiuſmodi corporum conditorum ſepulchris effluit, vel compoſitionem quandam, qua ipſa corpora condiri ſolebant, vel, vt rectiùs loquamur, ipſum funus medicatum.

Perſarum mos in conditura cadauerum.

Mumia Officinarum qualis.

Supereſt, vt recenſeamus illas Mumiæ ſpecies, quas conſpicati ſumus. Prima fuit Mumia genuina fubrubra, ſeu funus conditum. Deinde vidimus Mumiam Viterbi paratam, in Cadauere ex Myrrha, Aloe, & Croco, in Sepulchro per quinquennium ſeruato. Item Mumiam Officinarum, ſiue funus conditum Plebis, in quo Aſphaltũ tantummodo, ſeu Bitumen craſſum, & nigrum obſeruatur. Rurſus quamdam Mumiæ vulgaris ſpeciem, ſeu funeris conditi ex Gagate, & ſuccino inuentam in Torrente iuxta vrbem Proſternam Morauiæ. In illis enim Torrentibus reperiuntur Fragmenta cum numiſmatibus aliquo charactere inſignitis, Mumiam Incolæ cognominant. G

LOCVS.

REFERT Bellonius Memphi magnam medicatorum funerum, ſeu Mumiæ eſſe copiam, & præſertim in Deſertis Africæ ſupra Buſyrim vltra Nilum. Immò valdè admiratur, cum tanta ſit horum corporum copia, ea non eſſe viliora, quoniam in dies magis, atq; magis cariori pretio venduntur. Cauſam autem huius rei eſſe arbitratur, quoniam, hac noſtra ætate, cadauera ampliùs non condiuntur. Quocirca nuperi Ægyptij huiuſmodi corpora medicata, inter ruinas veterum ædificiorum ſtudioſiſſimè inquirunt, vt ex illis magnum quæſtum conſequantur.

MORALIA. H

DOCTRINA morali magis ex Mumia, quam ex qualibet alia re, documenta ad chriſtianos & incontaminatos mores attinentia elicere poteſt. Etenim vt luti Mumia innumeris affectionibus opitulatur, ſic memoria mortis, cuius Mumia eſt ſymbolum, infinitis gaudet præſidijs, vt tot vitiorum morbi exterminentur. Prima laus huius medicamenti in lapſu Adam primi parentis noſtri refulſit, quem Medicus Eccleſiæ in ſacro Codice ſic eſt allocutus. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Item alibi hæc verba habentur. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.* Similiter Ægyptij, apud Plutarchum in conuiuio ſeptem ſapientum, ſolebant in conuiuia humanum ſceleton inferre, & hortari Conuiuas, vt meminerint ſe non multò poſt tales eſſe futuros. Hac igitur ratione, iuxta mentem tanti Philoſophi, Mumia Ægyptiorum illuſtratur. Neq; ob hanc cauſam magna admiratione teneri debemus, quoniam idem, in libro de educandis liberis, ſcripſit ſolam Philoſophiam eſſe illã, quæ animi ægritudinibus medetur.

Geneſ. cap. 3.

Eccleſiaſt. caſ. 4.

VSVS

VSVS IN MEDICINA.

FVCHSIVS monimentis mandauit, Mumiam Pisasphalti facultatem participare; dummodo rectè adhibeatur, nimirum si prius terra, & ossium fragmenta abijciantur, & Seplasiarij liquore tantùm inter carnes concreto vtantur: hic enim in cauis partibus humani corporis colligitur. Quandoquidem, cum ex Ægypto integra ad nos corpora condita aduehantur; necesse est nostram Mumiam cum Pissasphalto eamdem virtutem habere. Deinde manifestum esse debet, Pissasphalto naturali deficiente, proculdubiò artificiali, in alterius defectu adhiberi cæpisse. Cæterùm huic sententiæ Fuchsij Andernacus subscribere videtur, dum illos erroris accusat, qui Cadauerum carnem, citra liquorem ex ea manantem, assumunt. Item medicamentarij malè operari videntur, dum carnes, & ossa contusa medicamentis, loco Mumiæ, permiscent.

Iuuamenta autem, quæ in vsu medico Mumia prętare potest, infinita esse perhibentur. Itaque corpora ab alto deuoluta hoc medicamine plurimùm adiuuantur, cum horum sanguinem in grummos concretum facilè dissoluat, quæ causa est, vt Rhabarbarum perpetuò illi permisceatur. Pariter varijs alijs affectibus Andernacus Mumiam tanquam salutare præsidium prædicat. Primitùs, pondere drachmæ semissis, ex vino, Vertiginosis, Comitialibus, Obstructis, & Venenatis auxiliatur. *Venen. præsidium.* Item Mumia cum oleo Leucoi auribus infusa, frigidos illarum dolores discutit. Deinde Rupturis, Fracturis, & plagis optimè conuenit. Insuper cum Moscho, Castoreo, Camphora, & oleo Balanino, naribus indita diuturnos, & contumaces capitis dolores expugnat, & præsertim quando alia præsidia in huiusmodi affectionibus adhibita nihil profecerint. Tribus diebus ex decoctione pectorali pota Tussientes adiuuat. *Cephalagiæ contumacis remedium.* Quatuor granorū pondere, cum aqua mentæ sumpta, Cardialgiam tollit. Cum iure, in quo ebullierint semina Cimini, & Carui, flatus ventriculi, & intestinorum penitùs absumit. Pariter ad pondus granorum quatuor, cum decoctione Apij singultum dissipat. Aduersus Anginam, in gargarismis cum oximelle probatur. Lienis affectus cum decoctione Carui profligat. Tandem contra Scorpionum ictus est efficacissima. Rursus Mumia foras illita externa sanguinis profluuia astringit, & in aliquo liquore hausta, cruentas etiam excretiones supprimit. *Ad profluuium Sanguinis.* Iodocius quoq;, in Enchiridio Simplicium, quatuor versibus conatur vires medicas, Mumiæ hunc in modum exarare

Ructus, singultus, auris, capitisq; dolores,
Et mira flatus dexteritate leuat.
Pulmonum vitijs, intestinisq; cruentis
Vlceribus renum sit medicina tuis.

DE SVCCINO, SEV ELECTRO. Cap. XVIII.

ÆQVIVOCA.

DE Succino in præsentia acturis necessarium esse nobis videtur, huius nominis amphibologiam discutere, ne (vt in alijs quandoq; contingere solet) diuersæ vocabuli huius significationes difficultatem aliquam pariant. Itaq; Electrum, ex Plinio, quādoq; designant metallum quoddam, cui inter quatuor auri portiones, quinta argenti inest, quæ si excesserit, hoc metallum incudibus non resistet. *Lib. 33. cap. 4.* Electrum in hoc significatu acceptum Chymistæ Phaetontem nuncupant. Alioquin, ex mente Theophrasti Paracelsi, Electrum est compositum ex omnibus metallis, iuxta obseruatas Planetarum coniunctiones. Electrum quoq;, secùndum Strabonem, est auri purgamentum in prima coctura à tenaci quadam creta separatum. Item, iuxta Atlanticum mare, est lacus Cephisida nuncu-

Lacus Electrum dictus.

nuncupatus, quem Mauri Electrum cognominât, fortassis, quoniam in illo Electrum colligeretur. Similiter hoc vocabulum, in numero multitudinis, ambiguitatem vitare non potest: quandoquidem Electra, apud Hesiodum, est nomen cuiusdam Nymphæ, quæ Iouí Dardanum peperit. Hoc etiam eodem nomine, Agamemnonis Regis filia, & Piladis vxor appellatæ fuerunt. Electra deniq; apud Pausaniam, nomen est amnis, in Mesonica, necnon aliqui fontes (vt in Itinerario Antonini Pij legitur) non longè à Volturno Fano eodem nomine insigniuntur. Brasauolus quoq; Succinum, Electrum Mauris, & iunioribus Græcis Ambram vocari prodidit: cum tamen Ambra, propriè loquendo, rem odoratissimam significet, de qua paulò inferius verba fient. Rursus cum Electrum passim Carabe etiam nuncupetur, aduertendum est, hac voce nonnullos Laccam intelligere: quapropter Auicennas reprehendebat illos, qui Carabem esse laccam tradiderunt: licet Carabe nonnullas facultates Laccæ similes habeat.

Electra nomen proprium.

Lib. 2. cap. 432.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

SI nomen Electri Latinum esset, proculdubiò existimaremus dictum fuisse, quasi Alectrum ab alliciendis ad se paleis, & quisquilijs; cum hac de causa quibusdam Græcis ἁρπαξ, nempè raptor nominetur. Sed cum hoc nomen sit græcum, necesse est aliam etymologiam excogitare. Dicitur enim Græcis ἠλεκτρος, & ἠλεκτρον; siquidem tam in masculino, quã in neutro genere effertur: immò sunt alij Authores græci, vt Dyonisius, & Alexander Aphrodiseus, qui hoc vocabulum in fæminino etiam genere proferunt. Itaq; Electrum vocari videtur, quia ἠλεκτωρ apud Homerum sit nomen Solis, ita nuncupati; quoniam homines faciat ἀλέκτρυες, dum oriens cogat illos è lecto discedere, & ob eamdem causam gallus etiam gallinaceus apud Græcos Alector nuncupatur. Ad rem nostram reuertẽtes Electrum nuncupatum fuisse asserimus, quia succum Solis radijs concretum esse crediderunt, aut quia, iuxta Poetarum fabulas, Electrum lacryma Populorum arborum esse feratur, quæ sorores Solis esse fingebantur. Itaq; Græci veteres Bitumen, quod in lapidem cuiuscumq; coloris, nigro excepto, conuersum videbant, ἤλεκτρον vocabant. Iuniores autem Græci, sicuti & Mauri Succinum Indicum, & Ambrum Arabicũ nuncupant, cum alienis vocibus non indigeant: nam vocabulis cum ipsis rebus natis abundant. Alioquin apud Syros, dictum fuit Harpaga, ab attrahendis ad se rebus, vt paulò ante manifestauimus. Apud Troglodytas vocatur Charitoblepharon, quasi dicant gratiosa cilia: etenim ex fumo Electri nigra cilia redduntur. Verùm, apud Dioscoridem, nominatur Pterygophoron: nam πτερυδορος, vel πτερυγοδορος penniger exponitur, sic cognominatur Electrum, quoniam pennas, paleas, & leuia quæq; attrahat. Fuit etiam dictum Græcis χρυσοφορον ab aureo fortassis colore, quem possidet: alioquin aurum non trahit, vt illa vox græca sonat, nisi fortè πτερυγοδορον intelligere voluerint. Callistrates, referente Plinio, quasi nouam assignans Electri differentiam, Chryselectrum, nempè Electrum aurei coloris nuncupauit.

Elector nomen solis.

Charitoblepharon.

Pterygophoron.

Homil. 5.

Latini Succinum, quasi arboris succum nuncuparunt: nam Diuus Basilius, & ipse Succinum statuit esse succum plantarum in naturam lapidis concretum. Aut potiùs Latini Succinum indigitarũt, quoniam ex Bitumine pingui paulatim durescat in lapidem. Germani veteres, vt Cornelius Tacitus, & Plinius referunt, Glessum vocabant, quæ vox hodie vitrum significare videtur, cum aliqua Succini species, instar vitri pelluceat, vnde postea ortum est prouerbium in aliquod micans, & nitidum. *Electro lucidius.* Nisi dictum velimus à Glessaria insula, vbi copiosum Succinum colligeretur. Nuperis Germanis insignitur alijs nominibus: dicitur enim Agstein, vel Vernistein, quasi lapis Vernicis: item Gelbr. Aidstein, quasi sit crocei coloris, rursus Berastein, qua voce indicatur, quod accensum instar tedæ flagrat. Horum alterum idem est, quod lapis Gagates, qui ex Bitumine etiam constat; alterum, quia ardeat, nomen inuenit, vt Plinius, & Cornelius Tacitus testificantur. Prussis iunioribus vocatur Gentarus. Scythæ Sacriũ, sed Succinum fuluum Sualternium indigitant. Ruellius prodidit Succinum apud Vulgum Medicorum, Ambram citrinam, vel luteam nuncupari. Aliquibus vocatur Lyngurium, testibus Hesychio, & Varino, fortassis, quia Theophrastus Succinum in Liguria effoditradiderit: deinde ex aliquo fortè emporio Liguriæ in Græciam aduectum, primò ibi vulgò are-

Glessum quid.

Sacrium quid.

Sualternũ quid.

A gò à regione Ligurium nuncupatum, sed postea, propter imperitiam, Lyngurium, inuitante vocabuli affinitate, quasi Lyncis vrinam nominare voluerint. Id autem à veritate prorsus alienum est: quemadmodum neq; veritati est consonum, Succinum concrescere ex vrina bestiarum circa Padum versantium, quas Langias appellant, vt Plinius recitauit. Ægyptij vocant Sacal, Arabes Aluptan, & Arsopodon,& interdum Ambram. Mauri Persico vtentes vocabulo, Carabe, siue Karabe, aut Kakabre nominant; quod idem est, quod ἅρπαγα, nimirùm rapiens. Pandectarius Cacabre, Carba,& Elidarium cognominat: eidem quoq lapis Succinos, & varijs alijs nominibus barbaris, & confusis appellatur. Xenocrates, testificante Plinio, Succinum in Italia Thienum dici voluit. Hodie tamen in Italia dicitur Ambra gialla. Gallis Ambre, Hispanis el Ambar.

Lib. 37. cap. 2.

Carabe quid sit.

GENERATIO, ET ORTVS.

B MAGNA semper fuit disceptatio inter viros doctos, & Authores eruditos, circa ortum, & naturam Succini. Primitùs Poetæ, sorores Phaetontis in Populos arbores olim transmutatas fuisse fingunt, quę singulis annis, iuxta Eridanum flumen (Padum alio nomine vocant) lacrymis Electrum fundere dicuntur, vt Ouidius luculenter testificatur his versibus.

Lib. 2. metam.

Inde fluunt lacrymæ, stillataq; Sole rigescunt
De ramis Electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda latinis.
Tunc mater truncis auellere corpora tentat,
Et teneros manibus ramos abrumpit, & inde
Sanguineo manant, tanquam de vulnere guttæ.

Ouidio adstipulantur quamplurimi alij Poetæ, vt Æschylus, Philoxenes, Nicander, Satyrus, Euripides, & Dionysius, quorum sententiam Plinius longo sermone refellit. Apollonius verò non ex Heliadum lacrymis, sed ex lacrymis Apollinis Succinum na- C tum finxit, quando, propter necem Æsculapij, afflictabatur. At Sophocles ex lacrymis Meleagridum auium Meleagrum deflentium originē duxisse promulgauit: Non defuerunt quoq;, qui lacrymas Lyncis animalis densatas in Electrum esse scripserint. Hinc postea multi Authores hac fabula imbuti opinati sunt, Succinum etiam in India esse lacrymam arborum, quæ in aquas fluuiorum cadens paulatim in Electrum conuertatur. Fuerunt alij Authores, qui nō lacrymam, sed gummi arborum esse censuerunt: namq; in extremis Adriatici sinus rupidus, quasdam arbores crescere pronunciarunt, quæ, circa ortum Caniculæ, talem materiam fundunt. Huius sententiæ Lucianus, Paulus Ægineta, & ipse etiam Aristoteles esse videntur. Propterea Alij sunt arbitrati Resinam esse ab Alnis dimanantem: idcircò Dionysius Afer in Cosmographia sic loquitur.

Lib. 33. Hist. nat.

Lib. 4. Argonaut.

In lib. de Admir. cap 70.

Illic finitimæ Celtarum Electra puellæ
Aurea perquirunt mœstis stillantia ab Alnis.

Hęc autē opinio prorsus explodenda esse non videtur. Narrat enim Seuerinus in suo volumine de Succino, se aliquando speciem resinæ in aquam Vitrioli, cum rebus alijs D astringentibus, proiecisse, quæ paulò post duritiam Succini adepta est.

Lib. 2.

Fuerunt alij, qui Succinum glaciatam Lyncis vrinam (non autem eiusdem animalis lacrymam, vt superius fuit notatum) esse voluerint, inter quos numeratur Demonstratus, qui hac ratione motus Electrum appellauit Lyncurium: immò ex maribus huius generis bestijs fuluum, & igneum, ex fœminis verò languidius, atq; cādidum prodire tradidit. Ctesias Cnidius Succinum nil aliud esse, nisi semen Elephanti putauit, sed satiùs esset, cum alijs, asserere, esse potiùs semen alicuius piscis induratum; cum Succinum in locis maritimis expiscentur; hanc sententiam esse falsam colligimus, quoniam nullum semen adeò terreum est, vt in duritiem lapideam densari valeat.

Lyncurium quid sit.

Alij Succinum esse Succum arborum pronunciarunt, quorum posteà nonnulli, nec qualis esset huiusmodi succus, nec quibus in arboribus nasceretur, memoriæ prodiderunt, ad quorum seriem (loquendo de Græcis) Sudines, Metrodorus, Sotacus, Theomenes, & alij sunt referendi. Alij nomina arborum manifestarunt, vt Cornelius Tacitus, inter Latinos, qui Succinum lacrymam arboris ex genere Pinorum esse scripsit, immò

hoc

hoc genus arboris, penès Germanos Oceani accolas creſcere aſſeruit. Huic rei fidem, & teſtimonium olim Romanis præbuit quidam eques illuc miſſus à Iulſano munus gladiatorium Neronis curante, qui Oceani litora diligenter perluſtrans, veram Succini originem didiciſſe, & magnam eiuſdem copiam Romam aduexiſſe traditur. Eamdem hiſtoriam Plinius recitat, & addit tantam huius quantitatem inde delatã fuiſſe, vt retia, ad arcendas à prædijs feras, Succino nodarentur. Similiter Plinius ſententiæ Cornelij Taciti ſubſcribit, dum ſuccum pineæ arboris eſſe ſtatuit, qui ex huiuſmodi arborum medulla, veluti gummi in Ceraſis, & reſina in Pinis; defluere videtur: etenim ex illis erumpit (vt inquit ipſe) propter humoris abundantiam, qui poſtea rigore, aut tepore autumnali denſatur. Solinus etiam, qui id à Plinio accepiſſe videtur, ſuccum arboris eſſe cenſet, quando inquit. Gleſſaria præbet cryſtallum, & Succinum; quod Germani Cleſſum appellant, Germanico Cæſare omnes res Germaniæ perſcrutante, arborem pinei generis compertam eſſe ſcribit, cuius medulla, tempore autumnali, lacrymatum Succinum effundit. Alij deniq;. teſte Plinio, ſuccum ex prædictis tribus vnum definiebant, vt Ariſtoteles, cui lacryma eſſe videtur Mithridates cedrinæ arboris reſinam eſſe credebat. Dioſcorides autem, qui fabulis fidem non præſtabat, hanc hiſtoriam nobis ſuſpectam reliquit; cum ſcripſerit lacrymam Populi arboris eſſe, quæ inde in Padum manè defluens, poſtea in Succinum, vel Electrum cogitur.

Succus arborum ſecũdùm aliquos.

In Balyſi.

Succinum terræ ſudor.

Præter enumeratas opiniones, alij fuerunt viri eruditi, qui Succinum terræ ſuccum eſſe voluerunt, temerè credẽtes Solis radios circa occaſum validiores in terram ita operari, vt pinguem quemdã ſudorem ab ea eliciant, qui poſtea paulatim dureſcens in Electrum conuertatur. Hæc ſententia Niciæ videtur fuiſſe, qui volunt hunc terræ ſudorem æſtiuo tempore ſiccari, & a fluctibus maris in Germanorum litora eijci. Sunt & aliæ aliorum Authorum de Succino opiniones, quas omnes recenſere, inſtituti noſtri rationem excederet. Itaq; ſententias tum Veterum, tum Nuperorum, quas paulò ante in medium adduximus, cum hæ, vt plurimùm inter ſe pugnare videãtur, falſas maiori ex parte eſſe manifeſtauimus.

Quocirca quoad Poetarum opinionem attinet, longiori ſermone, in illa refutanda non erit opus, cum prorſus ſit fabuloſa, & a Plinio, Italiæ teſtimonio, planè reijciatur. Neq; etiam erit gummi arborum, vt multi exiſtimarunt, quandoquidem in Succino fluuo, ſeu falerno, quod inter cætera maximè perſpicuum eſt, interdum, & animalia, vt Volucres, & Inſecta, vt Culices, Muſcæ, Apes, Formicæ, Vermiculi rubri, Lacertæ, Aranei, & Viperæ conſpiciuntur, quæ omnia in liquidum adhuc Bitumen, vel inuolarunt, vel irrepſerunt, vel inciderunt, dum ſcilicet à terra effluebat, ideoq;, ob viſciditatem detenta, vnà cum eodem in lapidem tranſmutata fuerunt. Ex his igitur patet multos Authores nuperos, & præſertim Matthiolum, fuiſſe hallucinatos, qui eodem argumento Succinum pineæ arboris gummi eſſe probarunt; cum tamẽ, vt explicatum fuit ſuperius, huiuſmodi animalia ei permiſceantur, quando, vel ex terra fluit, vel mari innatat. Obijciet tamen aliquis, Dioſcoridem etiam in eadem opinione verſatum fuiſſe, quando in capite de Populis, eius mentionem fecit. Huic obiectioni occurrere poſſumus aſſerẽtes: quando Dioſcorides Priſcorum opiniones non ſatis firmas, & probabiles videret, vt aliquid certi de Succino ſcribere poſſet, ſatiùs eſſe iudicauit, capite de Populis, illud memorare, quippe qui apud Poetas legerat, prædictas arbores huiuſmodi Succum fundere. Hinc affirmari, & colligi non poteſt Dioſcoridem latuiſſe, Succinum nullo pacto gummi eſſe poſſe; cum pro comperto haberet huic fabulæ anſam, & locum dediſſe globulos illos Succino paratos, quos Eridani fluminis Accolæ filo traijciebant, & collo ſuſpendebant.

Quæ animantes in Succino ſint

Pariter qui Succinum vrinam Lyncis in lapidem concretã eſſe tradiderunt, ipſi quoque à ſcopo veritatis receſſiſſe videntur. Nam quando ſcribunt illius animalis vrinam egeſtam terra, vel arena obrui, donec in lapideam duritiem denſetur. Hoc Dioſcoridi vanum, & fabuloſum videtur, quippè qui Lyncurium nihil aliud eſſe voluit, quàm quoddam Succini genus, quod neq; paleas, neq; feſtucas, ſed pennas tantùm ad ſe trahat, vnde, & Pterygophoron nominari tradit. Eamdem ſententiam quamuis Dioſcorides, & Theophraſtus tutati ſint; Plinius tamen hanc omnino abſurdam, & falſam pronunciat: quapropter aduertendum eſt, id, quod hodie lapidis Lyncis nomine, monſtratur, non eſſe Lyncurium à Theophraſto deſcriptum, cum nullo modo ei aſſimiletur,

Non eſt vrina lyncis.

Lib. 37. cap. 3.

nec

A nec eamdem facultatem possideat, immò nec paleas, nec alia huius generis leuia ad se alliciat. Quocirca Fuchsius, & Agricola lapidem Lyncis vulgò nuncupatum à lapide Phrygio Dioscoridis non discrepare arbitrantur. Qui verò existimant Succinum nihil aliud esse, quàm succum quemdam ex arboribus manantem, deinde frigoris violẽtia, ad instar lapidis, concrescentem, bifariam coargui possunt. Primùm probando Succinum etiam in illis reperiri locis, in quibus nullæ arbores crescunt Deinde probando Succinum, vel Electrum, nec gummi, nec resinam, neq; lacrymam esse: namq; fieri non posset vt Succinum tanta colorum varietate insignitum conspiciatur, si ab arboribus dimanaret; neq; tantam Succini copiã exsudare possent arbores, quanta hodie passim habetur. Præterquamquòd si variæ species Succini ex differentibus inter se arboribus fluerent, proculdubiò Succini etiam virtutes variæ obseruarentur, cum varias esse arborum resinas, iuxta naturam arborum, illas producentium experientia monstret.

Succinum non est gummi arborũ.

Illi autem, quo terræ Succum esse crediderunt, inter quos recensetur Nicias; quamuis aliqua ex parte non errauerint, dicentes esse terræ succum; nihilominus tunc à veritate receserunt, quando, virtute radiorum Solis, huiusmodi succum à terra exprimi voluerunt, cum tamen subterraneus calor, vel Succinum adhuc liquidum exprimat ex terris pinguibus, vel liquefaciens iam concretum refundat: aut aquæ, quæ concretum humefaciunt, & lambunt, illud liquidum ex venis terræ secum afferant. Non igitur radii Solis id præstare possunt, neq; in locis frigidis, & Septentrioni subiectis, quia solaris calor in tali regione nullius est valoris; neq; in locis calidis; quandoquidem succus concretus aeri expositus tantùm liquefieret, sed rarissimè Succinum in superficie terræ inuenitur; cum plerumq; in terrenis visceribus latibuletur, vnde cum aquis liquefactus effluit.

B

His itaq; variorum Authorum opinionibus propositis, & refutatis, necessarium est nostram aperire sententiam. Arbitramur ergo Succinum potiùs Bituminis genus quoddam esse, aut terræ pinguedinem, maris æstu, ex quibusdam scopulorum crepidinibus erumpentem, & in mare defluentem, vbi aquarum salsugine concrescit: cum enim pinguitudinem quamdam contineat, facilè flammam concipit, & ardet: hinc naturam Sul-

Succinum est de genere bituminis.

C phuris, aut Bituminis participare videtur. Quòd autem potiùs ad Bitumen, quàm ad Sulphur referendum sit, indicat primùm illa coquendi artificiosa ratio, qua partim vertitur in oleum sui coloris, partim in Bitumen nigrum (quod attritu purpureum, & Bitumini Iudaico ita simile redditur, vt vix ab eo distingui possit) partim in cinerem nigrum, partim deniq; in quoddam candidum, & tenue, quod speciem quandam salis repræsentat, quod veluti aliud Succinum tenue accensum ex flamma euolat. Id totum confirmãt, & verũ esse demonstrant Fontes Bitumen varij coloris effundentes. Id manifestat etiam odor Bitumen, & Naphtham referens. Demùm Succini vires Bituminis virtutibus valdè similes totum probant, & patefaciunt.

Quod autem Succinum magis ad naturam Bituminis, quàm resinæ propiùs accedat, sicuti Plinius credidit, facilè conprobatur. Primò, quia ijsdem locis, vbi densum, & liquidum Bitumen generatur, etiam quasi semper Succinum reperitur. Deinde quia Succinum nigrum quandoq; inuenitur, cuius coloris resina nullibi fuit obseruata. Præterea si Succinum esset arborum resina, non in glebas, sed in stirias, more aliarum resinarum concresceret. Quinimò aliqua folia, vel frustula ligni in se contineret, quemadmodum in alijs gummatibus, & resinis conspicati sumus. Quamobrem, in assertorum confirmationem, Georgius quidem Agricola citari potest, sed inter alios authores nobis magis arridet Erasmus Stella, in libro de Borussiæ antiquitatibus, qui diuulgauit è limo quorumdam montium, Sole operante, fluitare, & in herbido, atq; algido solo his montibus subiecto densari, & Oceano illic efferuescente inde rapi, & in proxima litora propelli. Indicium autem huius rei esse tradit, quoniam ex solo interdum eruitur, quod cum molle, & lentum adhuc sit, loci Incolæ mari immergunt, cuius ope postmodum lapidescit.

D

Lib. 4. de nat. fossil.

NATV-

NATVRA, ET AFFECTIONES.

SVCCINVM à natura id habet inſitum, vt conſiſtentia plerumq; ſit dura, non parum tamen infra lapidis duritiem conſiſtente, cum non ſit admodum graue. Odorem habet Bituminis, & colorem non vnum, ſed modò candidum, modò fuluum, modò falernum, modò ſubalbidum, & modò croceum, nec non cinereum. Et quamuis apud Veteres, & præſertim Romanos magis probarentur illæ ſuccini ſpecies, quæ fului, falerni, & mellei coloris eſſent, quàm quæ candido colore forent inſignitæ. Nihilominus apud nos Succinum candidum maiori inpretio habetur; tum quia odoris, & coloris ſit præſtantiſſimi, tum quia valentiores in medicina vires poſſideat.

Succinum quod præſtantius.

Alij ſcripſerunt Succinum ſibi à natura cõparaſſe aliquam cum Luna affinitatem: propterea Dionyſius Afer id verum nobis perſuadet, quoniam lunari morbo, nempè comitiali aduerſetur: aut quoniam, Luna creſcente, Succinum augeatur, & ipſa decreſcente diminuatur. Hanc proprietatem multi Authores non Succino, ſed lapidi Seleniti, nimirum Lunari aſſignarunt. Quamobrem vnà cum Geſnero, in libro de Lapidibus, poterimus affirmare Succinum nõ aliam vim Lunæ ſentire, niſi illam, quàm totus ſentit Oceanus, & pro maiori, vel minori mari incremento, maiorem, vel minorẽ Succini copiam ad litora protrudi. Inſuper, cum Succinum adhuc liquidum, naturaliter ita ſit tenax, vt non modò viſcatum, ſed ipſum etiam viſcum eſſe videatur. Vnde non eſt mirandum, ſi animalcula quandoq; illi incidenter adhærentia, ita implicentur, vt neceſſariò in duritiem lapideam cum illo paulatim concreſcant. Martialis meminit formicæ Succino inuolutæ hunc in modum.

Succinum anſentiat vim lunæ.

Lib. 6. Epigr.

Dum Phaetontea formica vagatur in vmbra,
Implicuit tenuem Succina gutta feram.

Idem Martialis memorat etiam apem, quæ adhæſit lentori Succini, antequam in lapidem denſaretur.

Et latet, & lucet Phaetontide condita gutta,
Vt videatur apis nectare clauſa ſuo.

Lib. 1. epigr. 95.

Eſtenim adeò tenax Electrum, antequam dureſcat, vt non modò formicas, & apes, ſed etiam animantes grandiores, veluti Lacertas, & Viperas comprehendat: Martialis de Vipera Electro incluſa ſic cecinit.

Lib. 1. epigr. 118.

Flentibus Heliadum ramis, dum vipera ſerpit,
Fluxit in obſtantem Succina gemma feram.
Quæ dum miratur pingui ſe rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.

Hæc autem animalia nonniſi in Succino diaphano conſpici poſſunt, quam prærogatiuam Succinum falernum, fuluum, & aureum poſſidet. Et quamuis in alijs Succini ſpeciebus huiuſmodi animantes quandoq; implicentur: nihilominus, propter Succini opacitatem, animalia non apparent. Amplius natura in varietate Succini ludere videtur, dum eius concretione, nunc Chryſolithum, nunc Carbunculum, nunc Hyacinthum, nunc Topatium, & alias gemmarum ſpecies quandoq; repræſentat. Item ramenta Succini, quæ tornum effugiunt, hac proprietate gaudere dicuntur, vt accenſa, non aliter, atq; puluis pyrius exiliat, ob maris ſalſedinem, quam, referente Agricola, contraxerunt.

Lib. 4. Foſſil.

Reliquum eſt, vt poſtremam, ſed potiorem Electri proprietatem examinemus, quæ in palearum, & quiſquiliarum attractione conſiſtit. Vnde Theophraſtus retulit, quòd à virtute Succini omnia leuia, præter folia Ocymi, attrahuntur. Cardanus tamen Theophraſtum taxat, quia dixerit folia Ocymi Succino eſſe inimica; cum tamen experientia doceat, folia etiam Ocymi vim Succini attractiuam non vitare. Circa attractionis cauſam, varij Authores varias attulerunt ſententias Epicurus atomos, ſeu indiuidua corpuſcula aut à ferro, vel magnete, aut à Succino vel palea defluere exiſtimabat, quos atomos inter ſe conuenire credebat, itaut facilè ſe ſe complecterentur. Hanc Epicuri ſententiam Galenus acriter cxplodit, & tres tantùm attrahendi modos recenſet, quorum primum ab elementari qualitate, nimirum à calore, ſecundum à ſucceſſione vacui, tertium à proprietate totius ſubſtantiæ prodire aſſeuerat. Horum poſtremus, attrahendi modus ea

Varij modi attrahendi.

ratione

ratione reliquis est contractior, quia ea tantummodò attrahat, quæ naturæ conueniunt. In hoc autem attrahendi genere Galenus & ipse hallucinatus esse videtur: quandoquidem neq; Magnes Ferrum, neq; Succinum paleas, quia animam habeat, vt Thales Milesius credidit, neq; propter atomorum commixtionem, vt Epicurus, nec à proprietate totius substantiæ, vt voluit Galenus, sed à forma ipsius substantiali potiùs prouenire credendum est, tanquam à primo, & per se mouente, & quasi ipsius natura potissima, vt Aristoteles testatur, atq; ab eius temperamento natiuo veluti instrumento, quo eius substantiæ forma efficiens, suis operationibus vtitur, veluti causa secunda, medioq; priuata.

At si cõuertatur sermo ad solam electri attractionem; Cardanus humorem pinguem, & glutinosum Succino attribuit, quem emissum (vt ipse inquit) res sicca combibere cupiens, versus succinum mouetur; nam omne siccum, postquam humidum absorbere cæperit, ad ipsum, tanquam ignis ad pabulum, fertur: ideòq; dum fricatur, valentiùs etiam propter calorem trahit. Gilbertus putauit hanc attractionem fieri, dum spiritus ab electrico corpore egreditur, quod iam ab humore, vel succo aqueo concreuerat, & corpus attrahendum attingit, tuncq; copulantur, quoniam omnia corpora, quasi humore glutinantur, & ferruminantur. Cæterùm, inter tot opiniones, tanquam melior, & præstantior nobis semper arrisit illa Kircherij, quam in libro de facultate magnetica assignauit. Inquit enim, quòd effluuium electri est calidum, subtile, & tenue, quod quouis leuissimo attritu magis concitatur, & aptum redditur, raritate sua, ad aerem comprimendum, cum autem admodum sit tenue, facilè ab aere fortiori aliquantulum compresso fugatur, quo fugiente, aer suum locum repetens, corpora quæq; leuia ad corpus electricum secum defert, vbi pingui effluuio, veluti agglutinatur. Hinc colligendum est ab omni corpore eiusdem temperamẽti cum Electro, nempè ex pingui, & aquea materia concreto, quæuis corpuscula leuia suis effluuijs trahi posse. Quapropter non modò Succinum, & Gagates corpuscula allicient sed Sulphur quoq; Mastiche, Cera dura sigillaris, Selenites, Sapphirus, Isis gemma, & multi fluores ex fodinis petiti idem præstare valebunt. Sed aduertendum est, quòd Electrum, igni admoto, non attrahit, quoniam à corpore Succini inflammato vapidum, & tenue illud effluuium consumitur: idcircò in hac operatione, Succinum leui tantùm calore per simplicem frictionem concepto indiget: vnde asseuerandum erit Succinum, & Gagatem fricatum non solùm paleas, sed cuncta quoq; corpuscula leuia ad se trahere. Id experimento comprobatum fuit à Kirchero, in quodam Viridario, versanti: ibi enim nigro Gagate, Tulipas, Anemones, Narcissos, similesq; flores, magna circumstantium admiratione trahebat, qui nouum magnetis genus inuentum esse clamabant, quo herbæ, & flores trahi possunt.

Lib. 5. de Subtil.

Verus attractionis modus.

DIFFERENTIÆ.

SVCCINVM, more aliorum succorũ, vel fossilium, in natiuum, & factitium distribui potest. Factitium à multis fingitur, attestante Porta, Mastiche, Chrysocolla, & oui albumine. Quinimò Succinũ mellei coloris simulatur oui candido, croco, & lacryma Tragacanthi, miscenturq; cum illo Formicæ, Culices, Muscæ, Scobs ferri, ramenta, & paleæ, necnon puluis genuini Electri, vt massa benè oleat, & quisquilias attrahat. At in præsentia de natiuo tantùm verba fiunt, cuius differentiæ partim à loco natali, partim à substantia, & partim à colore, & alijs qualitatibus petuntur. Ratione primi, aliud Succinum Europeum, aliud Africanum, aliud Asiaticum, aliud Indum, & Arabicum constituemus. Ratione substantiæ, Succinum in legitimum, & adulterinum, ex Plinij sententia, distinguetur. Etenim adulterinum vocatur illud, quod vitiosum, & impurum est, quando alienam à Succino materiam naturaliter admixtam habet. Purum, sed aliquo cortice tectum quondam Bellonius obseruauit, propterea aliquod gummi arboris esse existimauit. Alij Succinum in liquidum, & concretum distribuunt; verùm hæc non est legitima Succini differentia, quoniam hac ratione non in diuersas species, sed potius in varios status diuiditur; cum non sit in dubium reuocandum Succinum ante suam concretionem liquidum fuisse. Succinum Prussium est duræ admodum substantiæ, & gustatum singulari dulcedine linguam afficit, quæ condi-

Li. 5. Mag. nat.

Succinum adulterinũ quale.

tio in alijs Succini ſpeciebus non obſeruatur. Eſt aliud Succinum durũ, nigrum, ingrati odoris, leue tamen, & ligno ferè ſimile, hoc Samothracia gemma Plinij eſſe perhibetur ex inſula eiuſdem nominis delata, Ambra nigra vulgò nuncupatur. Gagates fortè, & in Compoſtella Hiſpaniarum regione generatur, ex hac Imagines D. Iacobũ repręſentantes formantur, cuius ſacrum corpus illo in loco diligenter cuſtoditur; quas poſtmodum imagines, & globulos etiã precarios ex eadem materia fabricatos Peregrini ex illis regionibus ad nos deferũt. Apud Authores memoratur alia Succini ſpecies coloribus varijs ignobilioribus fædata, cuius ſubſtantia eſt pinguis quędam exhalatio, & bituminoſa, quæ vna cum terreſtri, & nitroſa materia concreſcit. Quoad alias qualitates, & potiſſimũ quoad colorem, Succinum inuenitur candidum, cereũ, falernum, igneum, & fuluũ, quod aliquando eſt pellucidum, & quaſi vitreum: quapropter Veteres hoc poſtremum à perſpicuitate vitri, Gleſſum cognominarunt: nam Germani vitra illa perſpicua Gleſſer nuncupant Succinum candidum, quia leuius, & adoratius eſt optimum cenſetur: quinimò ad Camphoram magis accedit, & hodie in maiori eſt exiſtimatione. Aureus etiam color in Succino obſeruatur, & fortaſſis erit illa ſpecies, quam Plinius Chryſelectrum appellauit, hoc amiciſſimum ignis, & matutino aſpectu gratiſſimum prædicauit. Hoc poſtea à fuluo Succino non multum recedere credimus. Apud Indos quoq; multiplex color in Succino obſeruatur, nimirum flauus, flammeus, dilutior, & obſcurus, quo poſtremò colore refertum Succinum potius ad Gagatem, quàm ad aliam ſpeciem Succini referendum eſt. Ratione odoris, Succinum myrham ferè redolet, ſed Agricola aliquam differentiam in odoribus Succini animaduertit: nam cum omnes ſpecies odorem myrrhæ ſpirare ferantur, candidum verò præſtantiſſimi odoris prædicat. Demum ratione ſaporis, Succinum etiam à Succino diſcrepat; quoniam candidum in pingui eſt dulce, & minus dulce eſt, quod reliquis coloribus eſt inſignitum. At gemmam Pentauram, quam dicunt ad ſe trahere alios lapides pretioſos, à ſpeciebus Succini remouendam eſſe cenſemus; cum tamẽ vetus Græcia Succinum, vel Succini ſpeciem appellauerit: caret enim illis dotibus, quæ in genuino Succino obſeruantur.

Ambra nigra vbi.

Succini colores varij.

Odor, & ſapor Succini quales.

Succini variæ differentiæ.

1 Succinum colore vini falerni in formã annuli redactum.



2 Succinũ aureũ pellucidũ, in quo culex cõſpicitur.

3 Succinũ fuluũ figura cordis,

lam

Iam nostra interest recensere illas Succini species, quas pertractauimus. Inter has numeratur Succinum aurei coloris in formam annuli redactum, ex sinu Codano, Chryselectrum dictum, alijs Lyncurium, & Argurium perperàm in Epiphanio legitur, Leschen Hebreis, seu Lesten nuncupatum. Hoc in tabella primo loco apparet. Secundo loco delineatur Succinum fabricatum ad formam globuli precarij, in quo Culex conspicitur. Tertio loco figuratur Succinum coloris aurei figuram cordis repræsentans.

Insuper conspicati sumus Succinum Orientale, prorsus album, necnon Falernum, paleas non attrahens, & aliud mellei coloris non pellucidum à Ioachimo Camerario communicatum. Item obseruauimus Succinum fuluum, dilutum, & pellucidum, & aliud maculis variegatum, nimirùm flauis, subluteis, atq; castanei coloris, diaphanum, & paleas attrahens. Vidimus quoq; portionem Succini in monte Floris inuenti, vbi erant ossa Asdrubalis, quod pro genuina myrrha à quibusdam venditum fuit. Hinc credendum est, huiusmodi cadauer, loco Mumiæ, Succino conditum, & præparatum fuisse. *Succinum loco mumiæ adhibitũ.*

LOCVS.

DE locis, & regionibus, in quibus Succinum oriatur, variæ Authorum opiniones circumferuntur. Nam multi Græcorum, in Italia, generari tradiderunt, & præsertim Poetæ, quorum alij, iuxta Padum flumen, alij in insulis, quas vocãt Electridos, alij in extremis sinus Adriatici rupibus, prouenire pronunciarunt. Theomenes, iuxta Syrthim, amænum, & amplum Hesperidum hortum esse scribit, in quo Bitumen genitum, in stagnum vicinum, cadit, quod postea in Electrum concrescens à Virginibus Hesperidum colligitur. Plinius tamen rectiùs de Succini loco scribere videtur: cum illud, in Insulis septentrionalibus, Oceano proximis nasci referat, earumq; vnam (quia Glessum germanico idiomate Succinum significat) Glessariam, militia Germanici Cæsaris ibi rem gerente, appellatam fuisse. Inuenitur quoq; in alijs germanici Oceani litoribus, & potissimùm in illis, quæ inter Sueui amnis, & Vistulæ ostia sita sunt. Hoc in loco parua quantitas inuenitur, si comparetur ad illud, quod in clara illa peninsula colligitur. Pariter Succinũ, quod est fossile, passim in Germania eruitur, vt in Saxonia, propè quemdam Pagum, qui Oberbirca nominatur. Item in Misenæ celebri carbonum monte, & propè Dresdam eiusdem Prouinciæ ciuitatem, perspicuum Succinum effoditur. Similiter in tribus Elbogani locis, circa Satelum pagum non longè ab oppido, quod nomen ex illo accipitrum genere, quos vocant Falcones, inuenit; in loco tamen altiori, qui collis ardens appellatur; cum olim arserit. In Liguria etiam Theophrastus Succinum prouenire scripsit. Præterea multa alia Succini loca natalia ab Authoribus referuntur, quæ leuiter tantùm attingere, alphabetico ordine non erit absurdum. *Glessana Insula vbi, & cur sic dicta.*

Abalum insulam in mari germanico Plinius memorat, quò Succinum concretum maris purgamentum protruditur; & Incolæ non solùm pro lignis ad ignem ferunt, verum quoq; proximis Territorijs vendunt. Alij ex antiquis Authoribus in Aethiopia, alij in Ægypto nasci tradunt, cum veros Succini natales locos ignorauerint. In Africa Cratim fluuium Calepinus collocat, iuxta quem, Electrum prouenire perhibet.

D In Baltico mari Succinum album colligitur. Diodorus autem Siculus memorat insulã nomine Basiliam Scythię oppositam supra Galatiam in Oceano, in quam tempestas plurimum Electrum trudit, nulla in alia Orbis parte repertum, sed id fabulosum esse opinatur. Est quidem veritati consonum, quòd Borussici Maris Accolæ nobilem Succini speciem expiscantur, cum aliæ species opacæ, & varijs coloribus fedatæ, in agris, passim inueniantur. Sotacus credidit Succinum in Britannia ab arboribus fluere, quas Electridas nuncupant. Id (loquendo de arboribus) à veritate recedit: cum tamen fieri possit, vt ibi Succinum, more aliorum locorum, & gignatur, & colligatur. *Li. 6. ca. 8.*

Cedros insula in Germaniæ litoribus conspicua, arborumq; Cedri genere syluosa est, vnde Electrum in petras fluere dicitur, vt Calepinus in dictione Cedros astruit. Hoc autem esse falsum credimus; cum Succinum neq; gummi, neq; resinam esse narratum fuerit. Cephisum esse lacum, iuxta mare Atlanticum, iam manifestauimus, quem Mauri Electrum indigitãt, quoniam aqua Sole excalfacta è limo fluitans Electrum prębeat. Pariter ex Cina, Succini magna quantitas extrahitur: cum referat Aluarus Iesuita, lo- *Par. 1. relat. Cin. ca. 2.*

quens de Prouincia Yunam, aliam mercem inde non extrahi, niſi materiam illam, ex qua globuli precarij torno parantur, quam materiam, lingua Luſitanica, Alambras,& lingua Caſtiliana, Ambares nuncupant. Hanc materiam, ſeu Succinum noſtrate rubicūdius eſſe affirmat. Iuxta Crathim amnem in Oceanum ſe ſe exonerantem, naſci electrū, referente Calepino, multi pronunciant.

Omiſſo lacu Electride, in quo Succinum oritur, Germania laudanda eſt, cui copiam Succini Cornelius Tacitus attribuit. Quandoquidem, pro ſua ætate, locum natalem huius Succi concreti ſatis exactè deſcribit. Ideò quando apud Authores legimus Haeſtas eſſe populos circa litora Oceani, vnde Succinum affertur; hunc locum Æſtyos eſſe apud Cornelium Tacitum credimus. Nicias apud Indos Succinum prouenire, & illis populis thure gratiùs eſſe voluit. Quamobrem flumen Indiam præterlabens, quod illis
Li.37.c.2. populis cuncta bona ferens appellatur, ſpatio triginta dierum cuiuslibet anni, Electrum fundere traditur. Verùm Cteſias, referente Plinio. Hypobarum flumen Indorum eſſe ſcribit à Septentrione in Oceanum exortiuum ſe ſe exonerans, vbi iuxta montem arbores Electrum ferentes collocat, quod falſum eſſe ſuperiùs manifeſtauimus. Item Sophocles poeta tragicus, eodem atteſtante Plinio, vltra Indiam, ex lacrymis auum Meleagridum gigni Succinum ſcripſit. Id pariter inter nugamenta fuit repoſitum. Verum quidem eſſe multi affirmát in Continenti Islebiæ, maſſam Succini, capitis humani magnitudine, quondam in Fodina fuiſſe inuentam. Item Xenocrates, ſcribente Plinio, Succinum in Italia oriri prodidit. Ex monte Floris Succinum defertur, quod à multis vera myrrha eſſe creditur. Numidiam quoq; Succino abundare, ex ſententia Xenocra-
In Annot. in Plin.lib. 37.c.2. tis, tradit Plinius. Alioquin, vt annotauit Dalechampius, ex Oceani fluctibus magna Succini quantitas ſemper eijcitur. Demùm in inſulis Orcadibus ad ſcopulos, Succinum, & præcipuè flauum, naſcitur.

Iuxta Padum, eſſe proprium natalem Succini locum, multi Poetæ, vt Æſchylus, Philoxenes, Nicander, & Euripides, referente Plinio, fabulati ſunt. Propterea Solinus, teſtificante Ortelio, nominat Padanas ſyluas ad Padum flumen, quas Succinum fleuiſſe
Lib.3. Antiquitas fruſtra credidit. In Pannonia, vt Munſterus teſtatur, plurimum Succinum legitur: eum tamen, circa illa Maria, nullæ creſcant arbores, ex quibus talis reſina ſtillare poſſit Item à Proſtenburga, tribus milliaribus, lacus quidam diſtat profundiſſimus, per cuius aquas, ſi Piſcatores retia extendant, copioſum Succinum extrahere ſolent. Quinimò, penès Ruſſiæ Regiomontem, Succinum ex terreno eruitur; ſed maior copia circa litus Sudinorum colligitur, vnà cum herba ſimili Pulegio, quæ illi adhærens creſcit. Quocirca multi Authores non immeritò ſcripſerunt Succinum in Mari Sarmatico
Gleſſaria vbi ſit. Pruſſiam alluente, retibus extrahi, quod cum molle ſit, conſpecto aere, paulatim dureſcit. Pariter Gleſſaria eſt peninſula Pruſſiæ, vbi Succinum, inſtar vitri, pellucidum inuenitur.

Li.37.c.3. Hector Boetius recitat (referente Dalechampio in Plinium) apud Scherlandiæ Bucquaman, aliquando maſſam Electri equo maiorem ventis fuiſſe appulſam, qua Incolæ,
Lib.7.c.2. loco thuris, vtebantur; cum, quid hoc eſſet, prorſus ignorarent. Scripſit etiam Plinius Xenocratem retuliſſe Succinum à Scythis Sacrium nūcupari, quoniam copioſum apud illos generetur. Item in Sueuiæ fonte, iuxta Cœnobium lacus *Degere*, Succinum melleū, vinoſum, & aureū inuentum eſſe perhibetur. Tandem, eodem Plinio authore, Xenocrates tradidit, iuxta Syrtim, eſſe hortum Heſperidum, vbi copioſum Electrum colligitur.

SVCCINI COLLIGENDI, & præparandi ratio.

COLLIGITVR Succinum, vt ſcribit Georgius Agricola, à gente Sudinorum, quæ illam Peninſulæ partem (quæ Bruſſa dicitur) incolunt reticulis quibuſdam ex lino contextis, quæ longis perticis, furcarum inſtar, diductis affigunt, & annectunt, iiſq; flante Fauonio, aut Coro, aut Thraſcia, nudi cum fluctu à litoribus recedente in mare ingrediuntur, & ex fundo Maris Succino collecto, vnà cum ſecundo fluctu ad litus accedente reuertuntur, vbi ab eorum vxoribus in litore expectantibus Succinum reti-

A reticulis eximitur, & ab herbis, in quibus est inuolutum, separatur. Etenim statimatq; est collectum ad Præfectos deferri debet, à quibus tantum Salis, quantum Succini attulerunt, eadem mensura recipiunt. Et huiusmodi præmium pro tanta opera, veteri consuetudine, & Maiorum instituto, illis destinatur. Quinimò tanti faciunt Succinum, vt cuiuis adeũdi Sudinos facultas non concedatur, ne furtum Succini committatur: namq; in hoc deprehensus, illicò, lata sententia, vltimum supplicium incurrit. In alijs autem locis, in quibus Succinum non expiscantur, quoniam à fluctibus ad litora reijcitur, in siccis arenis derelictum, & exsiccatum colligunt. Aut quando Mare tranquillum, & placidum est, fuscinis apprehensum è fundo Maris extrahunt. Idcircò Seuerinus, in suo Tractatu de Succino, prodidit, in litore sinus Prussici, non longè à Cœnobio, quod appellant Oliuam, in arena cuniculos parari, vt Succinum eruant: quamuis interdum ex locis etiam à litore remotioribus effodiatur. Ibidem nonnulli Operarij fossata tetragona non valdè profunda aperiunt, quorum fundum acutis palis, magno conatu, perfodiunt, vt detractis palis, aqua inde scaturiat, & fossatum aqua repleatur, in qua postea Succinum expiscantur.

Succini æstimatio.

Lib. 2.

B

Quoad præparationem, scripsit Plinius Succinum rude primùm nasci, & aliquo cortice tectum, sed decoctum in adipe lactentis suis, facilè poliri, & nitorem etiam adipisci. Mizaldus se à quodam Lapidario intellexisse refert Succinum molle, instar luti euadere, si in ceram efferuescẽtem, & despumatam proijciatur, nam illinc adeò tractabile educitur, vt etiam ad sigilla commodè adhiberi possit. Temporibus Plinij, Succinum radice Anchusæ tingebatur, sed hoc tingendi artificium, nostra ætate, perijt. Quare si veritatem Mizaldus esset assecutus, nimirum si posset Succinum molle fieri, tunc facilè omnes colores reciperet. De Succino facticio varijs modis parato, legenda est Rubrica differentiarum, vbi variæ rationes huius artificij, ad mentem Portæ, & Cardani, assignantur. Sed rectiùs, & meliùs ille Succinum natiuum, & genuinum arte imitabitur, qui illud primò dissoluere, & rursus illud in massam cogere nouerit.

Li. 37. c. 3.

C

DENOMINATA.

SVccinum, penultima Syllaba correpta, nomen est adiectiuum, quo Martialis ad designandum id, quod ex Succino constat. Item Domitius Nero, in cęteris vitę suæ portentis, capillos coniugis suę Popeæ, fortassis propter colorem, quodam carmine Succina appellauit. Chryselectris, apud Isidorum gemma est auro similis, ad colorem tamen Succini vergit, & ignem facilè concipiens. Electrides, iuxta mentem nonnullorum, sunt insulæ ad ostia Padi, ita à Græcis nuncupatæ ab Electro, quod ab arboribus ibi nascentibus defluere credebatur. Id postea falsissimum esse compertum est. Electrides quidem insulæ Glessariæ dicuntur, quæ in Mari Germanico ex aduerso Scotiæ sitæ sunt. Electris apud aliquos arbor Electrum fundens esse traditur; cum Plinius scriptum reliquerit, ad mentem Sotaci, Electrum in Britannia prodire ex arboribus, quas Electridas nuncupant. Electris quidem est parua insula, ex sententia Seruij, quæ non longè à Calabria distat, in conspectu Tarentinæ ciuitatis, & addit hoc in loco aues Diomedeas habitare, sed fides sit penès Authorem. Ortelius quoq; huius insulæ, Virgilium citans, meminit, apud quem non legitur Electris, sed Electra filia Atlantis, ex qua Iupiter Dardanum suscepit.

L. 16. Orig.

In lib. 2. Aencid.

D

——— Electram maximus Atlas
Edidit æthereos humeris, qui sustinet Orbes.

Deniq, Chryselectrum, apud Plinium, vocatur quædam Electri species ad aureum colorem inclinans, quæ gratissimi aspectus esse perhibetur. At Chryselephantelectros, auro, ebure, & Electro ornatus exponitur.

Li. 17. c. 4.

SVCCINO AFFINIA.

MAGNAM cum Succino cognationem habere dicuntur illæ gemmæ, quæ ſuauẽ ſpirant odorem; vt Myrrhites gemma colore Myrrhæ referta, odorem vnguenti fundens, immò attrita odorem nardinum vibrat. Myrſinites eſt coloris mellei, & odorem habet Myrthi. Liparis eſt gemma, cuius ſuffitu omnes beſtiæ fugantur, ita fortaſſis appellata ob egregias dotes, cũ λιπαρος, apud Græcos, inſignis exponatur. Antachates conflagrans myrrhaceum odorem refert. Aromatites prædictâ gemmã colore, & odore æmulatur. Zanthenes Electri colore referta eſt, inſtar ceræ lenteſcit, & miram odoris ſuauitatem fundit, fortaſſis ita nũcupata, quia ζοθεος valdè diuinum ſignificet. Baptes gemma inſigni excellere odore traditur, fortè nominata, quoniam βαπτὸς tinctus aliquo colore dicatur, vnde Baptes, quaſi gẽma colorata. Libanochros thuris colorem referens exponi poteſt, & fortaſſis etiam odorem; cũ in græcis litteris λιβανος thus deſignet. Antizois ſplendere inſtar argenti, & odoris eſſe ſuauis creditur, forſan ab ανὶ, quod verbum in compoſitione æqualitatẽ ſignificat, & ζωὴ eſt vita, quaſi hæc gemma vitæ ſit æquiparãda. Cum autem omnes huiuſmodi gemmæ in rerum natura eſſe liquidò non conſtet; propterea Anſelmus Boetius in vltimum caput libri poſtremi de lapidibus eas reiecit, vbi multas alias gemmas ab Authoribus nominatas, ſed ignoras recenſuit.

Gemmæ odoratæ Succino familiares.

MYSTICA, ET MORALIA.

Cap. 1. ELECTRVM, in ſacro Codice, & præſertim apud Ezechielem nominatur, quando legitur. *De medio eius quaſi ſpecies Electri.* Rupertus Abbas, per Electrum, Chriſtum Dominum intelligit, in quo duæ naturæ, nimirum aurea Diuinitatis, & argẽtea Humanitatis coruſcant, Electrum enim ex auro, & argento (loquendo de metallo) integratur, & pariter Electrum fuluum (loquendo de ſucco concreto) auri, & argenti colorem præ ſe ferre videtur. Similiter Electrum, apud Diuum Dionyſium, quatenus aurum refert, inuiolabilem in Angelis ſplendorem deſignat, qui neq; conſumi, neq; imminui, neq; vlla ratione inquinari poteſt.

C. 15. cæleſt Hierarch.

At viri doctrina morali inſignes primò Electrum, quoad primum ſui ortum, molle, deinde æſtu, vel frigore dureſcens in pellucidum lapidem contemplantur. Namq; huius conditionis homines iuſtos eſſe diuulgant, qui, ad Deum dum conuertuntur, pietate tenelli, & timore molles eſſe videntur; ſed deinceps ardore charitatis, pellucidam cordis munditiem adepti, in dies magis, atq; magis in operibus rectis ſolidantur. Iuxta illud, quod recitatur apud Ezechielem. *Ab aſpectu lumborum eius, & deorſum ignis, & à lumbis eius, & ſurſum, quaſi aſpectus ſplendoris, & viſio Electri.* Vnde intelligimus Sanctos inferius, ſcilicet dilectione proximi ardeſcere, & ſuperius, nempè Dei contemplatione, tanquam Electrum refulgere. Præterea humana caro mollem Succini ortum, deinde eius etiam duritiam, & ſplendorem æmulabitur: quandoquidem in ſuo ortu, nimirum dum in his mundi vanitatibus verſatur, mollitie delitiarum non caret, ſed tempore reſurrectionis, diuino durata calore rutilans, inſtar Electri, apparebit. Aut dicendum erit, quòd, licèt homines à primordio ſint molles, & ad quælibet crimina perpetranda proni, nihilominus frigore diuini timoris, vel calore humanarum calamitatum perculſi, conſtantia, & perſeuerantia dureſcunt. Niſi velimus aſſerere hanc ſimilitudinem inter Succinum, & hominem cadere propter varias Succini mutationes; cum interdum ſit molle, aliquando durum, & attritu digitorum quælibet leuia ad ſe trahat: aſſimiliter homo eſt varius, cum in ſacris paginis legatur, quod homo ſtultus mutatur vt Luna. Namq; homo rerum mundanarum calore fotus, omnia bona temporalia, quæ nullius ſunt valoris, ad ſe trahit, & amplectitur.

Cap. 8.

Eccleſiaſt. c. 27.

Amplius Succinum adhuc molle, & tenax multas animantes implicat, quæ inde ſe explicare minimè poſſunt: huius naturæ ſunt Hærerici, qui incautas multorum animas criminum lentore implicatas facilè opprimunt. Item Succinum nonniſi excalfactum leuia quæq; corpora ad ſe trahit: pariter Chriſtus Dominus charitatis ęſtu ardeſcens

va-

vanos peccantes ad se allicit. Iuxta illud Oseæ. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Siquidem Electrum, quatenus folia, & paleas allicit, Symbolum diuinitatis, & eloquentiæ esse perhibetur. Ideò Diuus Hieronymus in Mattheum, ad illa verba Sacri textus. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio Mattheum nomine, & ait illi, sequere me.* Inquit, si facultas inest Succino alliciendi, & trahendi ad se paleas, & festucas. Quantò magis Dominus creaturarum opifex ad se poterit trahere, quos vocabit? Tandem Succinum nonnisi maceratione, contusione, vel vstione, odorem, & virtutem prodere, & manifestare potest: pari ratione viri pij, & iusti quantò maioribus ærumnis subijcientur, & maiori calamitatum cumulo opprimentur, tantò magis diuinam opem percipient, & suas virtutes exercere poterunt. *Cap.* 11. *Cap.* 9.

VSVS IN MEDICINA.

GEORGIVS Agricola Succinum tanquam remedium calefaciens, siccans, & glutinans prædicat, & propterea id opportunum, in reprimendo sanguine vndequaq; fluente iudicat. Et quamuis Galenus, in libris de simplicium medicamentorum facultatibus, nullam huius præsidij mentionem fecisse videatur: nihilominus alibi agens de sanguinis reiectione, ad mentem Asclepiadis, pastillum ex Succino paratum commendat, vt Hæmaptoici, Phthisici, & longo tempore tussientes liberẽtur: quinimò, & Cæliacis, & Dysentericis conuenire tradidit. Primitùs si partes superiores malè affectas cõsideremus Succinum tanquam prestantissimum remedium illis competere videbimus. Quandoquidem cum leuiter calefaciat, & siccet, humidas capitis affectiones sanare valebit. Etenim cerebrum nimio humore grauatum leue reddet, vertiginem amouebit, Epilepsiam, Apoplexiam, Lethargum, & Paralysim curabit, non solum quando internis miscebitur medicamentis, sed etiam suffumigio Succini Epileptici, Vertiginosi, & syncope laborantes excitabuntur. Item probatur tanquam medicamentum præmuniens, ne aliquis prædictos affectus incurrat. Narrat Matthiolus Germanos, in fluxionibus oculorum, felici euentu, globulos Succini occipitio annectere. Sed hoc non debemus mirari, quoniam Succinum coercendæ fluxionis virtutem possidet. Item hoc mistum cum melle aurium vitijs occurrit, dentium dolores sedat, & collo gestatum tonsillis, & faucium, gulæq; vitijs resistit. Quinimò thoracis affectus exterminare conatur: nam ex vino cum modico Croci, & Schænanthi illis auxiliatur, & aduersus venena cor mirandum in modum tutatur, dum, instar balsami, spiritus vitales recreat, & puros reddit. Vnde in morbis contagiosis insignem prærogatiuam habere traditur: quapropter eius fumus in conclauibus, vagante pestilentia, excitatur, eiusq; odor ad tertium vsq; diem perdurãs vapores corruptos absumit, & aerem ab omni inquinamento liberat. Has autem omnes virtutes Succino albo principaliter competere Authores diuulgant; cum tamen Succinum fuluum, in prędictis operationibus obeundis, inferiorem facultatem non habeat. *Lib.* 4. *de nat. foss.* *Lib.* 7. *de comp. med. sec. loc. c.* 4. *Fluxionũ remedium.*

Præterea Succinum stomacho, & ventri inferiori præcipuam affert vtilitatem, dum vitia ventriculi corrigit, & humores tunicas eiusdem imbuentes siccat, & detergit, si pulueris Succini præcipuè albi cochlear ex vino, vel iure sumatur; nam appetitum quoq; excitari tradidit Vuecherius, dummodò, eiusdem Succini oleo, stomachi regio liniatur. Tritum pariter, & potum alui fluores reprimit, & Dysentericos magnopere iuuare traditur: quamobrẽ, in Officinis, ad hanc vsum trochisci Carabe, nimirũ de Succino parantur. Rursus multũ adiumenti affert Hydropicis, prouocãdo vrinam, dum, per illas vias, aqua citrina inter intestina, & peritoneũ detẽta educitur. Hinc, & difficultati vrinæ non solùm potum, sed etiam alligatũ prodesse creditur. Quinimò cũ semine Paliuri sumptum lithiasi auxiliatur. Idem fecisse in alijs affectibus partium inferiorum, magnopere iuuabit: siquidem ex vino haustum gestationem fætus leuiorem reddit, & in vteri suffocatione, nullum remedium inuenitur præstantiùs, quàm hoc accensum, & naribus subiectum, quia matricem in pristinum locum restituit. Idem in puluerem redactum, & cum vino propinatum fluori vterino non parum vtilitatis est allaturum, pariter & Gonorrheæ auxiliabitur. Deinde variæ pulueres compositi, & etiam pilulæ ex Succino parantur, quæ in prædictis affectibus ab Anselmo Boetio summopere approbantur. Tandem *Lib.* 5. *de Secr.* *Lib.* 2. *de Gemm.*

dem collo puerorum ſuſpenſum, aduerſus lymphationes non mediocriter conducit, & alijs alligatum, febribus medetur.

L.10.c.14. Chymiſtæ ex Succino, vel Carabe varia medicamenta eliciunt. Primitùs Ioannes Baptiſta Porta, in Magia naturali, parat Succini magiſterium hoc modo. Succino minutim tuſo ænoſtagma inſpergit ad illud diſſoluendum, ſolutum transfundit, & nouum adijcit, idq; toties repetit, donec totum ſolutum fuerit, deinde aquis omnibus in vnum vas colatis, igneq; in auras paulatim euaneſcentibus, in fundo Succini magiſterium remanet, quod ab eodem Authore, ad delendas cicatrices, & ad fugandas vertigines commendatur. Apud Libauium, præter magiſterium Succini deſcriptum, leguntur varij modi, quibus ab Electro extrahitur tinctura, quinta eſſentia, liquor, flos, & deniq; oleum, cui poſtea Chymici multum fidunt, in varijs affectionibus exterminandis. Anſelmus Boetius, huiuſmodi oleo, nares ſæpè inungit, ad aeris contagium diſſipandum, & ad arcendam peſtem. Quinimò huius duas guttas cum ſale Abſynthij, & aqua Scabioſæ, vel Tormentillæ tanquam medicamentum in peſtilentia præmuniens, magnificat. Præterea eiuſdem ſeptem guttas cum aqua Cardui benedicti commendat, vt vrina prouocetur, & peſtiferum virus expellatur. In Vertigine, Apoplexia, & Paralyſi, cum aqua Betonicæ, Tiliæ, vel Saluiæ, Patientibus plurimum commoditatis afferre aſtruit. Duæ guttæ cum aqua Pimpinellæ, Saxifagiæ, Naſturtij, vel Petroſelini nō ſolùm obſtructiones reſerant, ſed etiam calculos, & arenulas pellunt. Amplius duæ guttæ ex aqua Plantaginis potę, ſanguinis ſputum reprimunt, antequam putreſcat, ad melancholiam cum aqua Roſmarini valent, & ad viſus obſcuritatem cum aqua Eufragiæ propinantur. In omni deliquio animi, ceruix, nares, & pulſus temporum hoc oleo inunguntur, & cum aqua Tanaceti exhibitum verminationi occurrit. In Icteritia tres guttæ huius olei cum aqua Chelidonij præbentur. Ad vomitum regio ſtomachi inungitur. Ad colicum affectum cum aqua cinnamomi, & ad febres cum aqua Gentianæ præſcribitur. Item tres guttæ cum aqua Menthę, facta prius eiuſdem circa vmbelicum inunctione, laudantur, & ſuffocatio vteri tollatur. Deniq; tres guttę cum aqua Aniſi ſumptę profluuium vteri coercent, & ſeptem guttæ cum aqua Pulegij ſpatio octidui, bis hauſtę menſes retentos prouocant.

Succini magiſteriū.

VSVS IN VARIIS.

Lib.4.de nat.foſſ. GEORGIVS Agricola monimentis mandauit gentes Africanas, quæ cadauera ſuorum defunctorum comburunt, particula Succini in rogos ardentes proijcere, additq; Rutenos ſumere Succinum cum oleo ex Betula, & liquorem componere, quo animalium coria inficiunt. Valet quinetiam Succinum ad parandam vernicem, qua Pictores, & Typographi vtuntur. Ruricolæ, in aliquibus Regionibus, Succinum, in vitibus ablinendis, adhibent, quia vermes earum oculos erodentes interficere credunt. Nonnulli etiam, decoris gratia, eodem palpebras, & capillos inungunt. Albertus Magnus puluerem ſubtiliſſimum Succini verſus lampadem inſuflat, vt inflammatus ignem magnum procreet, & nihil comburat.

Suidas in verbo Ξεστοι ſcribit annulos ex Succino, atq; eburneos mulieribus conducere: vnde colligimus ex materia Succini annulos etiam fabricari ſolere. Item Plinius *L.37.ca.7.* retulit, quòd mulieres, in Syria, ex Electro verticillos ſibi comparant. Hodie monilia collum exornãtia parantur, quibus mulieres Tranſpadanæ non ſolum in gratiam decoris, ſed etiam in gratiam medicinæ, vtuntur, quoniam Succinum reſiſtere morbis faucium, & gutturis creditur, quibus tales mulieres ob aquarum vitium, obnoxiæ eſſe feruntur. Cæterùm legimus etiam apud Martialem hoc monili Electrico manus etiam Virginum exornari, quando canit.

L.11.Epigr. *Succina virginea, quod religata manu.*

Lib.2.Obſer.c.72. Turcæ autem, referente Bellonio, ad ornatum equorum, mulorum, & camelorum multifariam Succinum concinnant. Prętera ex Succino cuiuſcumq; coloris non ſolùm annuli, monilia, verticilli, ſed etiam calices, cochlearia, & globuli precarij torno parãtur, ex quibus apud Chriſticolas coronæ Electrinæ fiunt. Sed Bellonius animaduertit, quod etiam Turcæ huiuſmodi ſphęrulas ex Succino ſibi comparant, quoniam ſuas preces,

A ces, ex conſuetudine, ad eas demurmurant. Placuit hoc in loco exhibere tabellam, in qua Succinum rude,& Sphærulæ ex eadem materia torno concinnatæ conſpiciuntur.

Carabe cum globulis precarijs ex eodem.

Inſuper ex albo Succino olim fiebant taxilli, quibus ludebant, quemadmodum, & ex ebure (hodie apud nos ex cruribus boum fabricantur) in quibus numeri vſq; ad ſenarium ſignabantur. Huiuſmodi taxillos in hac tabella repræſentamus, vbi conſpiciuntur etiam ſphærulæ ex Succino nobis dono datæ, quæ duo cotyledones, rotunda baſi, ſimul copulati eſſe videntur: quinimò ſimul iuncti corpus ſphæricũ conſtituunt, at ſeparati cotyledones ſunt hemiſphęrici: habent cum baſi nouem foramina, quatuor in primo, & quatuor in ſecundo ordine, & nonum in baſi conſpicitur; totidemq; ſunt in alia parte: quare ad numerum decimum octauum aſcendunt. Item exhibemus figuram cordis ſculptam in Succino luteo ad aureum colorem tendente, lucido, cum quibuſdam maculis, & lineamentis coloris fuſci, necnon foramine per medium ducto, vt de collo ſuſpendi, vel coronis precarijs facilius inſeri poſſet.

Sphærula ex Succino cum taxillis.

Succinum figuræ cordis.





Fuc-

Fuerunt nonnulli, qui tantam molem Succini quandoq; inuentam fuiſſe putant, vt ex illa ſtatuæ cælari poſſent. Cum tradiderit Pauſanias, in Eliacis, ſtatuam Auguſti ex Electro fuiſſe fabricatam. Præterquamquòd in templo Iouis, cuius ianua ſemel tantùm ſingulis annis reſerabatur, tres ſtatuæ, nimirùm Iouis, Mineruæ, & Iunonis ex Electro factæ conſpiciebantur. Id colligitur ex Actis Sancti Iuliani Martyris, vbi hæc verba leguntur. *Alia die conuocans Martianus ad ſe ſacerdotes templi, dixit ad eos: ornate venerandum Iouis templum, quod pro conſuetudine ſemel in anno ſolet patefieri, vbi habentur veneranda Numina, id eſt Iouis, Mineruæ, & Iunonis, ex Electro puro confectæ imagines.* Verùm, vt veritatem fateamur, per Electrum, hoc in loco, credimus metallum potiùs, quàm Succinum eſſe intelligendum; cum huius tanta moles non inueniatur, vt inde ſcalpello magnæ ſtatuæ elici poſſint.

Lib. 5.

DE GAGATE.
Cap. XIX.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

TANTAM cum Succino Gagates habet affinitatem, & conuenientiam, vt nonnulli non immeritò Gagatẽ Succinum nigrum indigitauerint. Huius autem etymologiam intelligere poſſumus ex Galeno, qui ſcriptis mandauit, alium eſſe lapidem colore atro refertum, qui igni admotus perſimilem bitumini odorem ſpargit; quem poſtea Dioſcorides, & alij multi in Lycia inueniri tradiderunt, ad fluuium nomine Gagatem, qui huic lapidi nomenclaturam indidit. Plinius quoq; hunc lapidem inueniſſe nomen à fluuio prodidit, & Gagatis amnis Lyciæ meminit. Alij, Nicandrum citantes, Engangin, & Gangitin appellarunt, aut à Gange Lyciæ ciuitate, aut à Gagate fluuio lapidem hunc, ſeu potiùs concretum durum nominantes ſuccum. Agricola Gagatem putauit eſſe obſidianum lapidem, alij Samothraciam gemmam, quæ ob ſolam polituram, à Gagate diſcrepat. Sunt, qui inter Gagatem, & Thracium lapidem nullum diſcrimen cognoſcunt. Apud Syluaticum, Lithodæmon, quaſi lapis Dæmonis nuncupatur, vel quia ſit nigerrimus, vel quia eius ſuffumigio, Dæmones fugari perhibeantur. Apud Græcos dicitur γαγάτης, & apud Vulgum, cum præſtet omnes Succini operationes, Ambra nigra nominatur. Etenim ardeſcit, inſtar Succini, paleas trahit, ex hoc etiam globuli precarij pulcherrimi parantur. Dicitur præterea Gangetis apud Solinum, & Gangitis apud Strabonem, Ætites perperàm apud Plinium, cui & Samothracia gemma appellatur, Ambra vulgò apud Cardanum, Obſidianus lapis apud Agricolam, & deniq; lapis thracius apud Nicandrum; cum ei attribuant omnes illas dotes, quas alij Authores Ambræ nigræ, ſeu Gagati aſſignarunt.

Lib. 9 de ſimp. med. fac.

L. 36. c. 29.

Lithodæmon quid ſit.

NATVRA, ET AFFECTIONES.

QVAMVIS durities natiui Gagatis ſit lapidea, nihilominus ad ſuccos concretos reducendus eſt; quoniam conſtat ex Bitumine, quod paulatim duritiã lapidis adipiſcitur. Quapropter non eſt mirandum, ſi Agricola Gagatem inter lapides recenſens, ſuccum appellauerit: quandoquidem hic exuſtus bitumen redolet: quemadmodum Dioſcorides, Galenus, Matthiolus, & alij Authores non proletarij tradiderunt. Nam quæ bituminoſam naturam participant, facta leui attritione, bituminoſum odorem referunt, vt Gagates, qui celeriter accenditur, & odorem bituminis vibrat; deinde leuis eſt, & ſecundùm Plinium, ab aliquo ligno denſo non multum diſcrepat. Item Gagates nigerrimus, planus, leuis, & politus, teſte Agricola, inſtar ſpeculi imagines reddit, & leuia quæq; ei applicata, inſtar Succini, detinet. Dioſcorides addit, quòd ardeſcens, oleo affuſo, faciliùs quàm aqua extinguitur. Siquidem oleum

velu-

A veluti explicatum fuit de bitumine, propter pinguedinem, ei permiscetur, vt ignitum corpus suffocet; aqua enim cum misceri nō possit pinguedini, ignito corpori cedit, nisi omninò totum corpus illud ignitum tegat, atq; obruat. Quamobrem lapis Thracius Nicandri cum Gagate conuenire videtur, dum Nicander de illo canit hunc in modum.

Si lapis vratur candenti thracius igne, &
Post madefiat aqua, flagrabit totus, at idem
Mox oleo fuso penitus restinguitur, affert
Thracius hunc ad nos pastor de flumine, nomen
Cui Pontus.

Hinc colligere debemus affectiones Gagatis esse admodum similes proprietatibus Succini, Bituminis, & Pissasphalti, tum quia Gagatem diligenter examinantibus, Succinum exustum, nigrum, & induratum esse videtur, tum quia politum refulget, quamuis eius odor magis ad Sulphureum tendat, deinde aliquantisper calefactus, paleas, & leuia quæq; more Succini, trahit. Pissasphalto non est dissimilis, sed multò durior, & odoB rator. Discrepat quidem à carbone fossili, quia Gagates est solidior, & densior, propter exhalationem, quæ sensim humorem oleosum aslauit, & excoxit. Ideòq; materia Gagatis valdè assimilatur fæcibus, quæ in organo chymico, post destillationem Succini remanent: etenim hæ, omni oleo sublimato, si assentur, instar picis, radiant, & tandem refrigeratæ in Gagatem permutari posse videntur. *Dotes Gagatis.*

DIFFERENTIÆ.

AD lapides bituminosos, seu potiùs ad succos concretos, instar lapidis concrescentes reducendum esse Gagatem, omnes Authores vno ore confirmāt: dummodò, per lapides bituminosos, non intelligamus illos, per quos Naphtha siue Petroleum transit: etenim hi veri sunt lapides, & nullam naturam succi concreti possident. Huius conditionis fuit quoddam saxi frustum leucocastanei coloris nobis ostenC sum, quod fragmentum sepulchri referebat, & mirum bituminis odorem spirabat, & fortassis, ob hanc causam, ad vsum tumuli fuit tractum, cum vi bituminis cadauera conseruentur. Lapis autem bituminosus, seu Gagates, de quo in præsentia fit sermo, non est verus lapis, sed succus concretus bituminosus duritiem lapideam adeptus. Hic autem duplex constituitur, nimirum natiuus, & factitius. Hunc destillando, Naphtham parant, nam fæces in fundo vasis remanentes, aqua salsa coquunt, quæ vbi iustum frigiditatis gradum attigerint, in Gagatem conuertuntur. Sed nos in præsentia de Gagate natiuo tantùm differentes, possumus duplicem assignare, scilicet nigrum, & rufum. Deinde aliquando inuenitur sciffilis, aliquando bene compactus, interdum alter altero est durior, quandoq; accensus, thuris odorem refert. Idcircò apertè asserendum erit, Naturam in Gagate veluti, & in Succino, colore, & consistentia ludere.

Ad genus Gagatum nonnulli reducunt quandam materiam nigram, quæ Germanis Stein col, Græcis Lithānthrax, & Latinis Carbo lapideus nominatur, eritq; fortassis Nymphæus lapis, de quo flammas erumpere Maiolus recitauit. Rursus non discrepabit à *Colloq.* 12. bitumine nigro in Bohemia reperto, & in terra consumpto, quod vllo modo poliri nequit (Carbonem fossilem nuncupant) nam si polituram admitteret, proculdubiò Gagates nominaretur. Hic Carbo, vt cætera bitumina, in terræ sinu, ex succo pingui cum Sulphure mixto oritur, sed illic cōclusus, violentia ignis ita aduritur, vt, deperdita omni ferè pingui aerea, & ignea substantia, quam contraxerat in natalibus, degeneret in bitumen ignobile, quod non immeritò Carbonis nomen adeptum, Gagates imperfectus appellatur; cum ex eodem bituminoso succo cōstet, ex quo Gagates integratur, sed, præ nimia combustione, duritiam Gagati similem acquirere nō potuit: propterea imperfectus Gagates, & Bitumen etiam Bohemicum nuncupatur: quandoquidem in fodinis Bohemiæ bituminosis frequēs inuenitur. Horum carbonum fossilium duplex differentia assignatur. Alij sunt ita leues, vt aquæ aliquando supernatent, hos Theophrastus ξυλώδεις dicit. Alij sunt graues, & in agro Leodiensi effodiuntur, qui dicuntur λιθώδεις. Aliter Græci ἀνθρακας vocant. Hos carbones in Scythia Galenus se vidisse testatur non procul à Mare mortuo, vbi bitumen colligitur, qui erant nigri, crustosi, & in ignē proiecti, flam- *Bitumē Bohemicum.*

mam

mam concipientes, odorem bituminis ſpirabant.

Exhibemus ergo iconē Gagatis nigerrimi, & dēſiſſimi primo loco in tabella delineati. Erat enim lucidus admodum, & eius ſuperficies, inſtar botrytis Cadmię, verrucis erat perornata. Interna autem pars inter vtramq; ſuperficiem non tam intenſa nigritie erat affecta.

Secundo loco pingitur Gagates planæ figuræ, refertus lineis quibuſdam ab vtraque parte per longitudinem ductis, niger, & lucidus, Thracium lapidem verè æmulans.

Tertio loco habetur icon Carbonis foſſilis, in quo, caſu, concreti ſunt cum eo tubuli valdè exigui, figura, & longitudine ſetæ equinæ, in quorum cauitate forta ſſis animalculum delituit.

Gagatis, & Carbonis foſsilis variæ differentiæ.

1



2.

3



Lignum instar Gagatis.

Præterea aliquando inuenitur in montibus flammas euomentibus lignum, quod accēſum odorem habet bituminis: quapropter aſſerendum erit, eſſe lignum de genere Gagatis; cum in huiuſmodi montibus conflagrantibus ſemper aliquæ ſpecies bituminis latibulentur. Plinius quoq; memorat lignum lapideum, nempè dryitem, non ex ligno in lapideam naturam mutato, ſed lignum ita à natura procreatum, cum inſtar ligni ardeat, & nonnihil odoris bituminoſi fundat. Hoc Gagati cognatum eſſe aſſeremus. Etenim reperitur etiam Dryites truncis arborum ſimilis, ligni inſtar, ardens, ſed nullum bituminis odorem ſpargens. Anno ſexcenteſimo poſt milleſimum communicatum fuit fruſtum ligni doctiſſimo Vlyſſi Aldrouando, quod colorem habebat ferrugineum, maculis nigricantibus, & ad genera Gagatum erat referendum, quia medię eſſet naturæ inter lignum, & lapidē, & quia flagrans odorem bituminis ſpirabat, vocatum fuit lignum, inſtar Gagatis, & viciſſim Gagates inſtar ligni, vt in ſuperiori figura apparet.

Dryites Plinij quid.

Itaq; qui inter differentias Gagatis Thracium lapidem recenſent, non errant, cum illis gaudeat conditionibus, quibus Gagates. Immò, & lapis ſpinus huc referri debet, quoniam Agricola hunc ad Thracium lapidem comparat, ſed illum ſimplicem, hunc mixtum iudicat, quia aliquem alium ſuccum, præter Bitumen, copulatum habeat. Præterea Obſidianum lapidem ab Obſidio in Aethiopia inuentum, & bituminoſum, & eumdem eſſe cum Gagate Agricola opinatur. Quinimò Samothracia gemma à differentijs Gagatum non eſt excludenda, quam Plinius ab inſula eiuſdem nominis cognominatam voluit. Hanc Agricola eſſe bitumen durum, & ratione polituræ, à Gagate polito haudquaquam diſcrepare aſſeruit. Præterquamquòd Plinius ei attribuit illas dotes, quæ ab omnibus Authoribus in Gagate obſeruantur. Tandem ab hoc genere Gagatum Carbo foſſilis non eſt arcendus, propterea quòd, illorum inſtar, comburatur, & bituminoſum odorem ſpargat.

Lib. 37. cap. 10.

LOCVS.

PLINIVS monimentis mandauit Gagatem habere nomen loci natalis, nimirum Gagis Lyciæ fluminis: vnde Dioſcorides aliquando ſcripſit, locum natalem Gagatis eſſe in Lycia. Galenus autem hanc doctrinam reddere dubiam videtur, dum in libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus, recitat, ſe verſantem in illis regionibus, huiuſmodi flumen non vidiſſe, dum parua nauicula totius Lyciæ litora nauigauerit, vt omnia diligenter conſpicaretur. Sed Agricola tutans partes Dioſcoridis ſcripſit facilè potuiſſe fieri, vt à Galeno prætereunte huiuſmodi fluuius nō fuerit obſeruatus. Strabo natale ſolum Gagati in Meſopotamia aſſignat. Solinus in Britannia eſſe aſſeuerat. Alij Authores ſcribunt Gagatem primum in Sicilia fuiſſe inuentum. Matthiolus obſeruat Flandriam, & Cimbriam Gagate ſcatere, additq; fodi etiam apud Italos in Agro Brixiano; item in Comitatu Tirolenſi Germaniæ non procul ab Oeniponte, vulgò Iſpruch, in alueo cuiuſdam Torrentis. In agro quinetiam Vrbinate, quędam Gagatis ſpecies lucida inter ſaxa obſeruatur. Ouidius etiam Montalbanus Philoſophicæ, & Medicæ ſapientiæ Doctor, in Archigymnaſio Bonon. Syderalis ſcientiæ profeſſor, & rerum naturalium diligentiſſimus inueſtigator multa fruſta Gagatis, necnon Succini in varijs locis Agri Bononienſis inuenta, officij cauſa, nobis compluries impertitus eſt.

Lib. 9. cap. de Gagate.

Lib. 4. nat. foſſil.

Lib. 5. in Deoſc.

Cum autem ſint plures Gagatum differentiæ: nimirum quædam ligni, & quædam carbonum effigie. Vidit Galenus non procul à mare mortuo lapides nigros, & cruſtoſos, qui in ignem proiecti fumum bituminis odoratum fundebant. In Olanda Belgij Peninſula, luto nigro in lapides dureſcente ad parandos, & fouendos ignes vtuntur. Hector Boetius de Scotia, inquit, ibi lapidem nigrum effodi copioſum igni fouendo valdè accommodatum tanti caloris, vt Fabri ferrarij, ad molliendum ferrum, illo vtantur. In aliquibus locis Prouinciæ Catai, ex Coſmographia vniuerſali, ob inopiam lignorum, cædunt è montibus lapides nigros, qui, inſtar carbonum, conflagrant, & diù ignem conſeruant. Item propè oppidum Sancti Ioannis vallis Arni, in Agro Florentino, carbones eruuntur, qui accenſi neque imbribus, neque amne propinquo intromiſſo, extingui poſſunt, cum magis exardeſcant, & flammas altiùs attollant. Huiuſmodi carbonibus in aliquibus Germaniæ locis inuentis, ad fundenda metalla, vtuntur. Inſuper varia carbonum foſſilium genera varijs in locis effodiuntur: nam propè Dreſdam Miſniæ, Carbo bituminoſus mollis, & fiſcilis eruitur.

H

Aliud

Aliud genus durum nõ procul à Dresda reperitur, necnon aliud Pyriti aluminoso copulatum. Ibidem etiam carbones bituminosi, quasi glebæ Pissalphalthi inueniuntur. Bohemia producit aliud genus nigrum, & sub terra à calore est consumptum, quod poliri nequaquam potest. Tandem maxima horum carbonum copia in Agro, & Ciuitate Leodiensi, foditur, cuius basis tot antris excauata est, referente Anselmo Boetio, vt magnum impendat periculum, ne aliquando à terræ hiatibus absorbeatur: alteram enim partem ciuitatis huiusmodi cauernas pro fundamento habere tradit: immò & sub ipso flumine ampliſſimo ita excauarunt, vt infiniti fossores extincti, & submersi fuerint. Namq; huiusmodi fossores catenis ferreis inhærentes, ob rem viliſſimam, in abyssum a superiori orificio, duobus passuum millibus, distantem demittuntur.

Carbo fossilis pyriti aluminoso copulatus. Lib. 2. de Gemm. cap. 167.

MORALIA.

QVI vitæ, & morum elegantiam curant, meditantes Gagatem aqua accendi, & oleo extingui, & ex altera parte considerantes virtutem in aduersis feruere, & in prosperis, scilicet affuso voluptatum oleo paulatim languescere, & deniq; obrui, tandem hunc Gagatem in aqua feruescentem, & in oleo morientem symbolum virtutis esse statuerunt, quæ in ærumnis florere, in prosperitatibus languere, in calamitatibus feruere, & in voluptatibus frigere perhibetur.

Præterea cum Gagates aduersus nocturna Phãtasmatum, seu Dæmonum spectra valere dicatur, & in puluerem redactus fubsultantes, roboret dentes, poterit iure optimo, in doctrina morali, tanquam symbolum sacræ scripturæ prædicari. Etenim hæc tanquam præstantissimum amuletum diabolicis vexationibus, & Hæreticorum sophismatibus reluctatur. Præterquamquòd dentes, nimirum homines in fide vacillantes roborat, & confirmat.

VSVS IN MEDICINA.

MVLTVM adiumenti Gagates rebus medicis afferre perhibetur, quia non solum extrinsecus, verumetiã intrinsecus adhibetur. Imprimis gestatus contra Ephialtem, & aduersus nocturna terricula menta confert. Galenus ad genuum tumores flatuosos, diuturnos, & ægrè curabiles, Gagate vtebatur: deinde eumdem Gagatem emplastro barbaro permiscebat, vt maiorem exsiccandi facultatem possideret. Plinius Gagatem ceræ addebat, vt strumis mederetur. Præterquamquòd in frigida Podagra, & in omnibus affectibus frigidis, tanquam præsidium excellens commendatur. Gagates suo nidore strangulatui matricis, & comitialibus opitulatur, deinde fugat Serpentes, & omnes alias virtutes cum Bitumine communes participat.

Lib. 36. cap. 19.

Rursum puluis Gagatũ in vino decoctus odontalgiæ occurrit. Matthiolus verò Gagatem accẽsum vino extinguit, & huiusmodi vinum Cardiacis potãdum exhibet, vt sudor cohibeatur, & pulsus arteriarum excitetur. Item huiusmodi puluis, ad põdus drachmæ ex vino hausti, septem dierum spatio, colicam affectionem integrè sanat. Insuper idem puluis in aliquo liquore potatus partum valdè iuuat, atq; accelerat. Est etiã diureticæ facultatis, quocirca Hydropicis magno futurus est emolumento, dum humorem per vrinam pellere possit. Immò virtute roborãdi hepatis, & ventriculi pollet, dum superfluos humores digerit, & per halitum consumit.

Amplius ex Gagate, quemadmodum ex Succino, violentia ignis, oleum præstantissimum extrahitur, cum horum omnium bituminosa sit substantia: quinimò in viribus Petroleo valdè assimilatur. Mesue autem hoc præsidium in Epilepticis, Paralyticis, Tetanicis, & Vteri suffocationibus approbat. Tandem, multorum testimonio, quidam Authores tradunt, non solùm suffitu Gagatis, sed etiam eius hausto virginitatem prodi: nam si puluerem bibat Virgo non mingere fertur, at si corrupta fuerit, vrinam retinere non poterit. Hinc Marbodeus Gallus aliquibus carminibus non modò prædictas Gagatis virtutes, sed eius quoq; locum natalem, & proprietates exarare sic conatus est.

Oleum ex Gagate.

Naſcitur in Lycia Lapis, & propè gemma Gagates,
Sed genus eximium fœcunda Britannia mittit,
Lucidus & niger eſt, leuis, & leuiſsimus idem
Vicinas paleas trahit attritu calefactus,
Ardet aqua lotus, reſtinguitur vnctus oliuo.
Prodeſt geſtatus tumidis intercute lympha,
Et dilutus aqua, dentes firmat labefactos,
Per ſuffumigium mulieri menſtrua reddit
Accenſus prodit fumi nidore caducos.
Effugat immites ſimili ratione Chelydros
Euerſos ventres iuuat, & præcordia tenſa
Inde Dæmonibus contrarius eſſe putatur
Vincit præſtigias, & carmina dira reſoluit
Et ſolet, vt perhibent, deprehendere virginitatem
Prægnans potet aquam triduo, qua merſus habetur,
Quo verſabatur, partum citò liberè fundit.

VSVS IN VARIIS.

GAGATEM olim in vſum fictilium veniſſe Plinius,& Solinus teſtificantur;quandoquidem fictilia eo inſcripta non delebantur. Deinde virtutem Gagatis, in detegendis Epilepticis, Antiquitati manifeſtam fuiſſe monet Apuleius: ſiquidem emptores ſeruorum, vt illos haberent ſanos, ſuffitu Gagatis explorabant, num ſerui venales in foro expoſiti paroxiſmũ epilepſię incurrerent, antequam de illis mercarẽtur. Plinius etiam author eſt, Magos antiquitùs vſos eſſe Gagate, in ea, quam vocant Axinomantiã, & aduri negabant, ſi euenturum eſſet, quod aliquis optabat. Inſuper Gagates veluti, & Succinum ad luxum quoq; pertinere videtur, dum colla fœminarum exornans, ſua nigredine, albiora repræſentat. Fiunt enim ex hoc monilia, quæ vices catenæ aureæ gerunt, dum de collo fœminarum ſuſpenduntur. Pariter ex hoc globuli, ad numerandas preces, formantur, necnon varię imagines, quas Peregrini ex Hiſpania ad nos deferunt. At ſi verum eſt, quod ſcripſit Agricola, ſcilicet Obſidianum lapidem à Gagate polito nõ diſcrepare, dicemus cum Plinio multas ex Obſidiano lapide gemmas. Immò ſolidas imagines D. Auguſti vidit: & dicauit ipſe pro miraculo, in templo Concordiæ Obſidianos quatuor Elephantos. Remiſit Tiberius Cęſar ceremonijs Heliopolitarum Obſidianam imaginem Menelai repertam in hæreditate illius, qui Aegypto præfuerat.

Monilia ex gagate.

Lib. 36. cap. 26.

Cæterùm carbonem foſſilem, qui Gagatis ſpecies eſſe perhibetur, vt Matthiolus recitat, Incolæ Flandriæ, & Cimbrię, ob inopiam lignorum, igni alendo ſuppeditant. Hoc enim aduſto ſucco bituminoſo montes, & ſyluę illarum regionum pręgnantes obſeruantur. Deinde Fabri ferrarij multis in locis Germanię, & Brabantiæ hunc, loco carbonum, adhibent, ſed qui nobiliora opera fabrefaciunt, illo non vtuntur, cum ſua pinguedine ferrũ fragile efficiat, & inficiat. Leodienſes, ad coquenda cibaria, & ad pellendas Hyemis iniurias, hoc carbonis genere vtuntur, ſed aerem ita inficit, vt ſi quis non aſſuetus, huic igni interfuerit, ſęuiſſimos capitis dolores incurrat. Tandem hic carbo foſſilis cum oleo tritus, & permixtus, ad interimendos vitium vermes, apud Mizaldum extollitur. Etenim Agricola hoc tanquam vnguento, ſeu tanquam terra ampelite oculos vitium linire docet, ne ab Inſectis erodantur.

DE CAPHVRA.
Cap. XX.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

EXPLICATA in præcedentibus capitibus succorum bituminosorum historia, nunc, præter rationem, non esse arbitramur, si prædictis caput de Caphura addiderimus; quoniam succum potiùs concretum, quàm gummi, vel lacrymam (vt nonnulli sentiunt) esse opinamur, de quo in præsenti agendum esse decreuimus: dummodò omnis huius vocis æquiuocatio de medio tollatur cum varias sortiatur significationes. Primò apud Nicolaum, in descriptione vnguenti Martiati, Camphura est herba (quamus alij Camphuratam legant) quæ nil aliud est, quàm Abrotanum mas, Barbari Ambrosiam syluestrem vocant. Dioscoridi quoq; Camphorata dicitur herba Achillea, sicuti quæ Ageraton appellatur. Alioquin Caphura, ad mentẽ Aetij,& Actuarij, est arbor Indica tantæ magnitudinis, vt sub illius vmbra hominum centuria à radijs solaribus tuta quiescere possit, deinde in montibus Mari proximis crescere, & gummi eiusdem nominis exsudare perhibet. Demum Caphura, Caphert, vel Caphara, apud Iosephum, fuit olim oppidum Iudeæ Hierosolymis proximum.

Quoad nomenclaturam, tradit Agricola, Caphuram videri vocem indicam factam Mauris familiarem, ad significandum succum concretum, de quo in prẹsentia sermo habetur. Omnes Arabes Capur, seu Cafur nominant, cum apud ipsos hæ duæ literæ P. & F. maximam affinitatem inter se habeant. Hebreis vocatur Caphur, nam apud ipsos Chophar bitumen denotat, a verbo Caphari quo bitumina designantur, cum Bituminis potiùs, quam alterius rei naturam Camphora nostra participet. Grẹcis recentioribus, vt Actuario, Psello, Sethio, non autem Aetio, Caphura dicitur. Ioannes Manardus author est, Simeonem Sethi Caphuram appellare Ampar, sed valdè errat, cum Simeon Sethi duo capita diuersa nempè de Caphura, & de Ampar habeat. Pandectarius, qui sæpè nominibus barbaris vtitur, Alcanfur, Anagit,& Alfeir nominat. Seplasiarij in Officinis Camphuram dicunt. Itali Canfora, Galli Camphre, Hispani Kafor, Kamfora, & Alcamphor, Germani Canphar.

Camphura oppidum.

In annot. in cõp. Mes.

GENERATIO, ET NATVRA.

INTER Antiquos, & nostri æui Authores, de ortu Caphuræ, maxima vertitur disceptatio. Quandoquidem maior pars Veterum, & Neutericorum Camphoram gummi arborum esse opinantur, inter quos recensetur Serapio, qui lacrymam, siue gummi esse asseruit. Auicennas quoque eiusdem fuit sententiæ cum Serapione, qui arboris cuiusdam gummi (ex aliorum tamen sententia) esse existimauit, & arborem, in qua gignitur, magnam vmbram reddere pronunciauit, sub qua Alnemur, seu Alnemer velut alij dicunt, Leopardi habitare solent, vel vt Simeon Sethi, prodit in libro de Cibariorum facultatibus, arbor hæc tantæ est amplitudinis, vt centuriam hominũ adumbrare possit. Matthiolus, inter neutericos authores, sententiæ Veterum adstipulari videtur: namq; gummi arborum esse credens, Fuchsium reprehendit, cum potiùs ipse reprehendendus esse videatur. Iulius etiam Scaliger in Cardanum, lacrymam arboris esse, & ab arboribus gummosis fluentem ad litora deferri voluit. Nuperi quoq; Indianarum nauigationum Authores, vt Odoardus Barbosa, Nicolaus de Comitibus,& Antonius Pigafetta, Camphoram arboris gummosi lacrymam esse scripserunt. Ludouicus tamen Romanus asserit Incolas Burnei insulę affirmare ibi nasci Camphoram, quam gummi arborum esse dicunt; cum tamen ipse id affirmare non audeat, nam proprijs oculis id obseruare non potuit. Horum Authorum, de ortu Camphoræ, recitatæ opiniones

Alnemer.

Exercit. 104.

nobis non ſatis firmæ, & conſtantes videntur: quandoquidem, ſi exactè, quæ ab illis E
ſcripta ſunt, examinentur, comperiemus ipſos etiam Arabes hac in re vacillare parumper. Nam quamuis Serapio Camphoram gummi arboris eſſe tradat; paulò poſt quaſi aſſertorum immemor, hæc verba protulit: vbi Cælum frequẽtibus coruſcat fulminibus, aut crebro tonitru conſtrepit, vel Solum terræmotu concutitur, largioris Camphoræ proventus indicium eſſe; id autem ſuperius de Naphtha, & de omni Bituminum genere explicatum fuit, quæ in prædictis locis, & temporibus, copioſiora effluunt. Vnde Georgius Agricola Camphoram Bituminis quamdam ſpeciem eſſe opinatur; idq; quorumdam mercatorum teſtimonio comprobat, qui aſſerebant ſe Camphoram ex terra ſcaturientem, non aliter, quàm multa Bituminum genera obſeruaſſe. Huc accedit ex Veteribus non contemnenda Auerrois authoritas, qui eam Ambræ congenerem eſſe affirmat; cum odor, & color hanc eſſe ſobolem candidi Bituminis teſtificentur. Bitumen enim aliquando, pro ratione loci natalis, odoratius eſſe ſolet; itaut parùm (ſi partium tenuitas demat) à candida Arabiæ Ambra, & alba Babyloniorum Naphtha diſcrepare videatur. His addamus, quòd Auicennas in Succino odoratam vim Camphoræ obſeruauit. Inter nuperos Scriptores Ioannes Baptiſta Porta apertè ſcribit, Camphoram ad F
genus Bituminis, vel Naphthæ eſſe referendam. Pariter Cardanus hanc de genere Succini eſſe retulit; quoniam animaduertit fumum Succini conflagrantis linteo madido exceptũ redolere Camphoram. Quinimò idem Cardanus, vt varias Authorum opiniones, de hoc Succo concreto, inter ſe conciliaret; duplex genus Camphoræ eſſe poſſe tradidit; vnum foſſile, quod in terræ viſceribus, more Bituminis, generatur, aliud verò, quod, inſtar lacrymæ, ab arboribus exudat. Hancq; opinionem Cardani, non eſſe ſpernendam cenſemus; cum Gargias ab Orto Proregis Indiæ medicus tabulas arboris Camphoram producentis ſe vidiſſe teſtetur. Deinde Odoardus Barbola, in Borneo Indiarum orientalium inſula, ſe Camphoram naturæ metallicæ conſpicatum fuiſſe tradit. Nos pariter à quibuſdam Mercatoribus fide dignis ſimile quid intelleximus, qui Camphoram veram ſe vidiſſe aſſeuerabant.

L. 4. de nat. foſſil.

Lib. 5. de ſubtil.

Nos igitur prædictis rationibus moti, Camphoram Bituminis potiùs genus, quàm gummi aliquam eſſe ſpeciem liberè pronunciamus: cum Arabes, & qui oppoſitam huic ſententiæ opinionem proponunt, ex relatione potiùs aliorum, quàm quòd ipſi viderint G
proprium iudicium proferant. Quapropter audemus affirmare, aut Arabes aberraſſe, aut arte, quod, apud illos, Camphoræ nomine, circumferebatur, longè aliud quidpiam fuiſſe; quandoquidem Camphora, quæ hodie apud nos eſt in vſu, neq; lacryma eſt, neq; cum gummi aliquid commune habere videtur. Etenim quotidiana monſtrat experientia, Camphoram eminus facilè ignem concipere, & in medio aquarum, inſtar Naphthę, & Bituminis, ardere. At gummi, tantum abeſt, vt in aquis ardeſcat, vt potiùs in illis diſſoluatur, quæ proprietas Camphoræ non competit, cum hęc nonniſi aliqua re oleoſa diſſolui poſſit. Hinc Pharmacopolæ longo vſu edocti, quando diſſoluendæ Camphoræ ſe ſe offert occaſio, mortarium oleo amygdalino liniunt, aut nucleos nucis iuglandis ei affricant.

Ardeſcit in aqua.

Præterea ſi odorem, colorem, & facultatem Camphoræ meditemur, Bitumen potiùs, quàm aliquod gummi redolere comperiemus; præterquamquòd magis illius, quàm huius colorem repræſentat, & deniq; Bituminis, & non gummi facultates poſſidet. Quocirca ex dictis Camphoram bituminis eſſe ſobolem iam Lippis, atq; Tonſoribus notum H
eſſe credimus. Rurſus ſi colores perpendamus, ijdem, qui in Bitumine etiam in Camphora apparebunt. Quare antequam præparata ad nos afferatur, in ſuis locis natalibus rudis, atq; ſubnigra eſſe perhibetur. Tandem, quoad facultates, has cum Bitumine cõmunes participat. Aetius enim, vbi admirandam virtutem Gagati attribuit, id genus remedij in Camphora etiam experimento cognouit. Sed, in maiorem aſſertorum confirmationem, accedit vocis etymologia; cum Hębrei, hoc nomine, Bitumen etiam intelligant; quemadmodum, in Rubrica antecedenti, enucleauimus.

Lib. 2. cap. 24.

Deinde Camphoræ hanc Natura ingenuit proprietatem, vt facilè in euaporationem abeat, niſi diligenter in capſulis cuſtodiatur. Idcircò Medicamentarij illam in vaſe marmoreo, vel alabaſtrino claudunt. Apud nos tamen in lignea pyxide vnà cum ſeminibus Milij, vel Pſyllij, vel Lini, vel Piperis conſeruatur. Bonitas autem, & præſtantia Camphoræ ex quatuor potiſſimùm notis elucet, nimirum albedine, claritate, puritate, & odo-

Bonitas, & præſtantia Camphoræ.

A & odore: nã quantò has notas habuerit euidentiores, tantò minus vitiata conſpicietur. Etenim adulteratur quandoq; à Mercatoribus, quãdo ei Bitumen permiſcent; ſed fraus facilè ex colore deprehenditur, quoniam non ita alba conſpicitur. Ruellius, in cognoſcendo Camphoræ adulterio, illam in pane calido premit, namq; ſi humore madeat, illam legitimam iudicat, ſin perareſcat tanquam ſpuriam, & facticiam reprobat. Omnis autem Camphora rudis Venetias importatur, vbi igne, & vitreis organis elaboratur, vt candeſcat, & pelluceat.

TEMPERAMENTVM.

QVEMADMODVM de ortu, & natura Camphoræ, variæ fuerunt Authorum opiniones recitatæ: pariter, circa eiuſdem temperaturam, & primas qualitates, diuerſæ apud illos ſententiæ leguntur. Alij frigidam, & ſiccam in tertio exceſſu conſtituunt. Viciſſim Alij calidam, & ſiccam in ſecundo ordine
B diuulgant. Alij inquiunt eſſe mixtæ qualitatis, & propterea illam tam in affectibus calidis, quàm frigidis magnificant. Omnes autem non contemnendas rationes, ad ſuam ſtabiliendam ſententiam, in medium afferunt. Qui frigidam eſſe volunt (inter quos Arabes recenſentur) huic rationi nituntur, quia illam congelari videmus. Auicennas quoque agens de viribus cordis, & de medicinis cordialibus, frigidam, & ſiccam in tertio gradu exiſtimat; cui Serapio, ex authoritate Iſaci, ſubſcribit. Rhaſis frigidam quidem, ſed tenuium partium, & alio in loco ſcribens ad Almanſorem, humidam, & frigidam diuulgat. Platearius adhuc magis frigidam, & ſiccam, nempè in quarto gradu eſſe arbitratur. Pariter Nicolaus, in omnibus ſuis compoſitionibus, in quas Camphora ingreditur, pro medicamento frigido vſus eſt, vnde multi prædictæ inhærentes opinioni dixerunt, virtute Camphoræ, immò ſolo odore, ob frigiditatem, ſtimulos Veneris arceri, & ſomnum olfacientibus conciliari: iuxta hunc verſiculum.

Lib. de vir. cord. cap. 133.
Lib. 3.

Camphora per nares caſtrat odore mares.

Sed Scaliger vir eruditus periculum huius rei in cane feciſſe, & totum falſum deprehendiſſe tradit. Ex altera parte, qui Camphoram calidam eſſe pronunciant, rectiùs naturam illius (vt noſtra fert opinio) agnouiſſe videntur, & ſuas rationes à rei natura deſumunt. Namq; ſi illius odorem, ſaporem, & partium tenuitatem conſideremus, profectò non frigidam, ſed calidam potiùs iudicabimus; ſapor enim eius amarus eſt, odor ſua acrimonia caput tentat, deinde ſubſtantia aerea, ponderis leuitate, raritate, & partium tenuitate prædita eſt. Quinimò partes ita tenues, & raras poſſidet, vt niſi ſeminibus Lini, aut Pſyllij (vt expoſitum fuit ſuperius) obruta ſeruetur, breui temporis ſpatio in auras euaneſcat. Galenus etiam agens de temperamentis, necnon de vſu partium, ea calida eſſe iudicat, quæ ignem facilè concipiunt, & ardent. Idcircò Camphora tanquam calida erit vſurpanda, cum eius natura adeò igni ſit amica, vt cum ſemel flammam conceperit, ſemper conflagret, donec aliqua eius ſubſtantiæ portio ſuperfuerit.

Exercit. 104.
Lib. 1. de Temper.
Li. 4. de vſ. par.

Quàm verò circa temperaturam Camphoræ, Auicennas malè ſibi conſtet, ex eo facilè coniectamus, quando illam electuarijs, ad iuuandã coctionem, ad ventriculum roborandum, & ad pituitam incidendam permiſcet: immò, pro flatibus diſcutiendis pariter illa vtitur. Hinc patet Camphoram ab Auicenna non pro frigido, ſed pro calido medicamento adhibitam fuiſſe. Etenim frigida medicamina pituitam craſſam non extenuant, coctioni non opitulantur, neq; flatus diſcutiunt. Deinde idem Author, Canone ſecũdo, vbi ex profeſſo de viribus Camphoræ verba facit, vigilias, ea adhibita, generari ſcripſit, quæ ſi virtute Camphoræ excitentur, quomodo frigida ſit, imaginari non poſſumus. Quamobrem optimè de Camphora ſentire videtur Mauritanus ille, qui contra omnium memoratorum Authorum ſententiã, calidam, & ſiccam in ſecundo ordine eſſe promulgat, cui poſtea Pãdectarum author adſtipulatur. Ioannes quin etiam Manardus calidam, & rem facticiam eſſe arbitratur. At ſi quis obijciet hanc vtiliter in Ambuſtis adhiberi, propterea quòd frigiditatis ſit particeps, notandum eſt, id ex accidenti præſtare, nimirum ad ſe attrahendo calidos, & igneos atomos: nam eumdem affectum ſuccus Cæpæ, & olea calida, veluti & Petroleum, in Ambuſtis, parere ſolent.

Cap. 119.

DIF-

DIFFERENTIÆ.

RATIONE loci natalis, multi Authores duplicem Camphorã conſtituunt, primam vocant de Burneo Indiæ loco, quæ minutis eſt granis drachmã non excedentibus, ſecundam vocant Chinenſem, quam viliorem iudicant; quapropter, deficiente Camphora de Burneo, huius modicam quantitatem multæ Chinenſi permiſcent,& hac impoſtura totam de Burneo vocitantes,mercatoribus vendunt. Cæterum ſatiùs erit, vt doctrinæ Serapionis, hac in re, adhæreamus, qui tria Camphoræ genera memoriæ prodidit, quorum primum Rachinum vocat, à Rachino rege,qui primus eo in loco dealbandæ Camphorę præcepta aſſignauit. Locus, in quo naſcitur, ad illius mentem, vocatur Panzor, quo etiam nomine Camphora aliquando dotatur. Hoc primum genus cæteris,tum bonitate coloris,tum tenuitate,& cãdore præſtat, longioriq; tempore durat. Alterum genus Camphoræ Fauzen dicitur, conſiſtentia craſſum, colore atro, necnon, vt Rachinum, pellucens, ſed tamen eo vilius habetur. Tertium genus Ballonichi appellatur, antiquitus in ſacrificijs adhibebatur, cum cæteris, & pretio, & facultatibus vilius eſſet. Fuchſius duplicem Camphoræ ſpeciem recenſet, vnam natiuam, quæ ab alijs dicitur rudis, cum nullam ignis vim experta fuerit, alteram facticiam,quæ virtute ignis, præparata colorẽ album acquirit,& in laminas ſplendentes digeritur. Hinc eſt, quod Simeoni Sethi ἐργαζομένη, ideſt vi ignis elaborata,& Serapioni ſublimata dicatur: ideòq; quando rudis affertur Venetias ibidem virtute ignis, & vitreis organis, elaboratur, vt candorem, & nitorem acquirat.

Lib. 1. de comp. med.

LOCVS.

PAVLVS Venetus, in Hiſtoria ſuæ nauigationis, ſcriptum reliquit optimam oriri Camphoram in Inſula Fanfur (hic fortè locus idem erit, qui à Serapione Fabela dicitur) quæ adeò pretioſa eſt, vt auri pretio adæquetur. Aliqui, iuxta mentem Serapionis, nominant Camphoram de terra Panzor, nempè de inſulis propinquis regioni Saradin, in quibus quando multa contingunt tonitrua, fulgura, & terræmotus, tunc etiam multa ibi copia Camphoræ progignitur. Sed aduertendum eſt, quòd laca à Serapione memotata maiori ex parte, corrupta ſunt. Verum quidem eſt Bornei inſulam quotannis Camphoræ ad nos quantitatem mittere, vt in hiſtoria noui Orbis legitur. Ioannes etiam Laurentius de Anania promulgauit in Iaua maiori Camphoram naſci, & elici ex arbore Copei, quam Incolæ Caphur indigitant. Item Odoardus Barboſa monimentis mandauit, in pluribus Indiæ locis, Camphoram reperiri, veluti in Zamatra, quæ atiquitus Taprobana dicebatur, & in ciuitate Ormuz nominata, necnon in Calecutana regione, immò & in China maximam eius abundãtiam eſſe ſcripſit. Ideò non eſt mirum ſi Ioannes Boterus referat multas ex China merces, veluti Hydrargyrum, vaſa porcellanica, & Camphoram ad nouam Hiſpaniam importari. Idq; à Patre Aluaro Ieſuita, in Hiſtoria nouæ relationis Chinæ, confirmatur.

Lib 3.

Lib. 2. Ind. orien.

Parte 1. cap. 2.

DENOMINATA.

MVLTÆ plantæ ratione odoris, à Camphora denominari videntur. In primis Chamæpeuce Plinij à quibuſdam eſſe creditur illa planta, quam Botanici Camphoratam minorem appellant, ob grauem Camphoræ odorem, quem ſpirat. Eſt etiam alia planta à Hieronymo Trago deſcripta, nomine Muſci terreſtris, vel nomine Sabinæ ſylueſtris, quam poſtea Monſpellienſes Camphoratam indigitant, cum digitis contrita odorem Camphoræ ſimilem vibrare ſoleat. Hanc nonnulli Herbarij Selaginem Plinij eſſe volunt. Tandem, in Hiſtoria generali plantarum, depingitur herba nomine Cneori nigri Myconi: vnde quidã probabili quadam cõiectura hanc eſſe illam herbam ſuſpicantur, quam Herbarij Monſpelienſes Camphoratam maiorem nuncupant.

MORA-

MORALIA.

AD mores vndequaq, integros, & incontaminatos conseruandos ex Camphora etiam doctrina moralis documenta elicit. Nam si Camphoræ gestatio, vt rerum naturalium scrutatores obseruarunt, homines ad Venerem inhabiles, & ineptos reddit: pariter, in hac doctrina, sunt multa, quæ vires, & vices Camphoræ obire possunt. Primitùs ieiunium, & abstinentia commendantur: hæc enim, cum subtrahant cibos ratione regulata, humanum corpus castigare possunt, cum sine Cerere, & Baccho Venus frigescat. Soli enim viri castimonia, & puritate insignes Deo placere possunt. Hocq; veritati esse consonum norunt etiam Ethnici; quandoquidem Tibullus ad rem sic cecinit.

Casta placent Superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam. *L. 2. eleg. 1.*

Deinde timor Dei munus Camphoræ præstare potest, iuxta sententiam Psalmographi scribentis. *Confige timore tuo carnes meas.* His additur oculorum custodia, quæ Camphoræ virtutem æmulans, castimoniam in corpore humano seruare potest, iuxta assertum Iobi. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.* Tandem si Camphora de collo suspensa Venerem naturaliter arcere potest, quanto magis sacrarum reliquiarum gestatio mentem castificam in homine conseruare poterit? Nam diuulgauit Cęsarius, Bernardum quemdam ordinis Cistercienſis Monachum, cum carnis illecebræ eum ad delectationem excitarent, reliquijs Beatorum Martyrũ Ioannis, & Pauli, quas, ex consuetudine, de collo suspensas ferebat, pectore libidinis face inflammato, semel, atq; iterum percusso, ab incendijs venereis liberatum fuisse.

Psal. 118.

Cap. 31.

Lib. 8. c. 67.

VSVS IN MEDICINA, ET ALIIS.

CAMPHORA, ex Auicennæ sententia, ventriculi, iecorisq; concoctionem iuuat, pituitam incidit, flatus discutit, & vigilias parit. Sed ab alijs Authoribus oppositas facultates possidere traditur: quandoquidem Cardanus ei tantam frigiditatem assignat, vt sterilitatem inducat, & iuuenes ipsam gestantes ad cõgressum inhabiles reddat. Id postea Iulius Scaliger experimento edoctus esse falsissimum diuulgauit. Verum quidem est, quòd dolores capitis à calore prouenientes mulcet, inflammationibus medetur, erisipelati opitulatur, & ambusta sanat, non quia frigida sit, vt paulò ante fuit narratum, sed quoniam atomos calidos, tenuitate partium penetrans facile euocat. Quocirca Fuchsius pro Camphora, quam, ex sententia Arabum, frigidam censuit, aut flores Nymphææ, aut semen plantaginis, aut succum Semperuiui substituit. Præterea Camphora cum Succino in aqua Nymphęæ hausta non solùm Gonorrhæam, sed etiam vteri profluuium supprimit. Item cum succo plantaginis fronti illita fluxum sanguinis statim coercet. Collyrijs, ad calidas oculorum lippitudines, permiscetur. Deniq; somnum conciliat, referente Gargia, si intrinsecus, & extrinsecus vsurpetur. Quinimò candorem faciei conciliat: quapropter ex Camphora paratur arte chymica oleum, quod, in dealbandis cicatricibus, æquale non habet medicamentum. Verùm Andreas Libauius non solum oleum ex Camphora, sed etiam butyrum, & complura alia magisteria elicit, quæ apud ipsum legenda sunt: Tandem Iodocius, in Enchiridio Simplicium, recitat hexastichon, quo omnes Camphoræ vires medicas comprehendit hunc in modum.

Oleum Cãphoræ ad quid.

Li. 2. Halchem.

Vrentes Iecoris mulcet capitiq; dolores
Effluxusq; tui seminis esa premit.
Vindicat à nocua viuens putredine corpus,
Atq; venenatis, pestiferisq; malis.
Illita testiculis Venerem cohibere furentem
Dicitur, & facies inde nitere magis.

Præter vsus medicos, scribit Author nauigationis in Burneum insulam, incolas illius regio-

regionis Camphora non modò in cibarijs,ſed etiam in alijs compoſitionibus vti, eſſeq; apud illos in tanta ſtimatione, vt argenti pretio adæquetur. Gaudentius Merula ex Sulphuris puluere puriſſimi,& ceræ pari põdere candelam componi poſſe tradit, quam accenſam nulla aura etiam violentiſſima extinguet, quibus ſi addatur tantumdem Camphoræ eamdem cadentibus etiam imbribus ſemper lucere affirmat. Pariter, ad mentem Ioannis Baptiſtæ Portæ, ellychnium, quod arcta manu conflagret, & aperta extinguatur, ex Camphora parandum eſſe prodit.

Lib 4. de Mir.

DE AMBRA.
Cap. XXI.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

EXARATA Camphoræ hiſtoria, ſuccedit Ambra ponderanda, cum Auerroes aliquando ſcripſerit, Ambari nomine, Camphoram quoq; intelligendam eſſe. Ideò hoc nomen æquiuocationem vitare non potuit, & potiſſimùm, quia Ambra fuit oppidum Vindeleciæ, cum flumine eiuſdẽ nominis, nunc eſt Pagus Amper cognominatus, ad lacum eiuſdem nominis,ex quo Ambra fluuius,iuxta Monachium,primariam Bauariæ ciuitatem,egreditur. Alioquin Ambra eſt nomen commune ad omne Succini genus, nam illud lutei coloris, Ambra lutea nuncupatur. Priuatim verò apud Arabes Ambra eſt medicamentum odoratiſſimum, de quo in præſenti capite ſermo eſt habendus. Aliter, nomine Ambræ, Salis, ſeu Maris florem, & ſperma Cæti in officinis intelligunt.

Lib. 5. collect. ca. 56.

Si meditemur Ambræ nomen,hoc neq; eſt latinum,neq; græcum,neq; arabicum:nam Caninius illud reponit inter illa vocabula,quæ linguę Syriacę accepta refert,cum,apud G illos populos, Ambar dicatur. Cæterum, hac voce ſimpliciter prolata, intelligendum eſt illud odoramẽti genus,quod Vulgò Ambracane appellatur. Præterea à multis Ambar, vel Ampar caninum dicitur. Iulius Scaliger recitat ſe inueniſſe in libris Mauritanorum Ambarum nominari Balenam ab Incolis Marochi, & Fez. Hoc ſi verum eſt, non erit abſurdum, ſi incolæ illarum regionum exiſtimauerint Ambram ex aliqua parte Balenæ originem trahere. Ceſalpinus agens de Metallicis,tradit aliquem non errare, ſi diceret Ambram vocari Aromatitem Plinij, quam inter gemmas repoſuit. Latinis Ambra,ſiue Ambarum odoriferum appellatur, Græcis incognitum, Italis Ambra Griſia,& Ambracane, Gallis Amber gris.

Ampar quid ſit.

ORTVS, NATVRA, ET AFFECTIONES.

CIRCA generationem Ambræ, Authores ſententijs inter ſe variant: quandoquidem nonnulli ſtercus illarum auium eſſe autumant, quæ herbis odoriferis in Maldiua inſula nutriuntur: hoc enim alluuionibus vndarum maris à ſcopulis abradi, vel ablui,& ad litora deferri affirmant. Quinimò propriam ſententiam magis ſtabiliunt, cum Ambram roſtris Auium quandoq; refertam obſeruauerint: etenim his in locis tales aues aſſiduè nidulantur. Carolus Cluſius, in Annotationibus ad hanc hiſtoriam, à quodam mercatore fide digno intellexit,hæc non Auium, ſed Sepiarum (quod magis credendum eſt) roſtella eſſe. Alij ſcriptis mandarunt Ambram eſſe ſemen horrendi, & monſtroſi piſcis ex cetaceo genere, cuius caput lapideam duritiem repræſentat: Alij retulerunt Ambram inueniri in quodam piſcis genere, qui illam deuorans ſubitò interit. Quapropter Piſcatores huiuſmodi piſcem mortuum, & ſupernatantem obſeruantes apprehendunt, & aperto ventre, Ambram eximunt. Nicolaus Monardes narrat,ſuis temporibus, circa Canarias inſulas, quas Fortunatas putant,Balenam fuiſſe interfectam,ex cuius aperta aluo magna Ambræ copia exempta fuit;ſed poſtea addit innu-

Lib. 7. Exot.

In hiſt. Aromat.

innumeras ferè Balenas cum suis catulis fuisse peremptas, in quibus nihil prorsus Ambræ fuit inuentum. Inde colligendum est in huiusmodi piscibus, seu cætis Ambram minimè generari. Quandoquidem si hoc veritati esset consonum, loca circa litus Biscaiæ, Ambra redundarent, vbi Balenarum plurima fit captura, cum tamen ibi nullus Ambræ fiat quæstus. Verum si aliquando, vt notauit Monardes, Balena similem materiam in ventre habuerit, dicendum est ex accidenti forsan deuoratam fuisse. Auicennas, & Serapio huiusmodi materiam in fundo maris, fungorum more nasci voluerunt, quæ postmodum vnà cum lapillis, quibus adhæret, ad litus expellitur. Ioannes Hugo, in suo Itinerario, tradit esse multos, qui Ambram partem rupium, vel insularum esse pronunciarunt, quæ tempestatum impetu auulsa ad litus propellatur, cum ingentia huius materiæ frusta interdum inueniantur. Quinimò integras ex Ambro insulas inueniri opinantur, quas cum repetere vellent mercatores, qui naues anteà ibi onerauerant, nullas inuenerunt. Hæ autem opiniones facilè explodi possunt, tùm quia Ambra fungorum neq; formam, neq; substantiam habeat, tùm etiam, quia si huiusmodi insulæ repetitæ, à mercatoribus non fuerunt repertæ, proculdubiò submersę, non autem in Ambram conuersæ esse tradentur.

Lib. 2. cap. 63.

In lib. simp. cap. 196.

Si confugiamus ad veteres Authores, vt exactam huius Ambræ ortus cognitionem habeamus, inueniemus, neq; Dioscoridem, neq; Galenum huius meminisse. Simeon tamen Sethi, & Aetius inter Græcos hanc memorarunt, & horum primus Ambarum instar Bituminis, à fontibus manare retulit, & quod à piscibus deuoratur pessimum esse iudicauit. Fuchsius aliquod factícium ex Ladano, Xyloaloe, Styrace, & Zibeto esse credidit. Id autem esse falsum inde colligimus, quoniam in litoribus Maris, instar Succini, inueniatur. Hanc autem sententiam Ioānes Hugo magis confirmat, dum in Ambaro Conchiliorum testas, & marinarum auium stercora interdum obseruet. Paludanus in suis annotationibus ad Itinerarium Hugonis, Ambram è certis fontibus in profundo mari existentibus exire tradit, quæ postea in litoribus Soli exposita durescit, more aliarum Bituminis specierum, quas mare eructat. Præterquamquòd Carolus Clusius, Iulius Scaliger, Nicolaus Monardes, Libauius, & alij viri eruditi, natura Ambræ grisęæ diligenter examinata, tandē quoddā Bituminis genus esse statuerunt. Et quamuis Gargias ab Horto Ambram terrę odoratæ speciem quādam esse constituat: attamen à nostra opinione non recedit; namq; si fontes bituminosi conceduntur, terræ etiam bituminosæ inueniuntur. Siue igitur ex fontibus hæc materia effluxerit, siue ex terris quibusdam bituminosis eruatur, Ambarum Bituminis genus esse constituimus. Quocirca Ioannes Crato, in Volumine Consiliorum, agens de vera curandæ febris pestilentis ratione, narrat se dono accepisse Ambram à Maria Augusta coniuge Maximiliani Secundi Imperatoris, quam purum & natiuū Sulphuris cōcretum succum esse putauit, cum arderet incensa, & maculis Sulphureis esset prædita: idcircò hanc, more Sulphuris, & Bituminis generari credendum est.

Verus Ambræ ortus.

Lib. 7. exot. Exercit. 104.

In Hist. Arom. c. 7.

Quoad proprietates, notandum est Ambram esse à Natura dotatam suauissimo odore, & propterea Myropæi hoc odoramenti genere chirothecas Nobilium imbuere solent. Probatur ergo Ambarum odoratissimum, ab immunditijs purgatum, quod acu perforatum, nonnihil succi pinguis exsudet, aut candenti ferro contactum pinguedinem, vel oleum odoratum fundat, cinereiq; non autem nigri sit coloris: nam Ambarum nigrum, & valdè candidum improbantur: quemadmodum viceuersa cinereum, vel grisęum (vt vocant Arabes) summoperè commendatur. Quando autem fuerit adulteratum, cognoscitur si in ore teneatur, & teratur, vel potiùs si supra prunas ponatur, namq; eo liquefacto, si nullum excrementum relinquatur, non erit vitiatum. Demum id natura Ambræ ingenuit, vt calefaciat, resoluat, & roboret, cum calido, & sicco temperamento sit prædita, id autem præstat cum quadam pinguedine, qua emollire potest.

Probatio Ambræ.

DIF-

DIFFERENTIÆ.

PRIMA facie à nonnullis hęc Ambra odorifera in natiuam, & facticiam diſtinguitur, quarum poſtremam ex Moſcho, Algallia, Ligno Aloes, Styrace, & Ladano conſtare perhibent. Braſauolus, in ſuo ſimplicium examine, tria Ambræ genera ad mentem Nuperorum aſſignat. Vnum rufum, & pingue, quod cæteris præfertur, & Selachiticum appellatur, à loco Indiæ vbi naſcitur. Alterum dicit eſſe ſubalbidum Sechra nuncupatum, & ex Arabia fęlici delatum. Tertium vocat nigrum, quod tanquam vitiatum improbauit. Primum genus ſe vidiſſe Genuæ fatetur, vbi manicæ odoratiores præparantur. Secundum, & tertium genus Venetijs paſſim obſeruari poſſe refert. Auicēnas quoq; in capite de Ambra tria & ipſe genera enumerat. Primum genus, quod ſuis vocabulis griſeū appellat, & ſummoperè extollit, & viciſſim nigrum genus valdè improbat. Quare breuiter poſſumus concludere tria eſſe Ambari genera, colore, odore, & pondere ſibi inuicem reſpondentia. Album eſt leuiſsimum, odoratum, & optimum, nigrum grauiſſimum, inodorum, & ignauum. Cinereum inter vtrumq; eſt medium. Hoc tamen genus hodiè non reprobatur, cum ſit cinerei coloris, venis candicantibus diſtinctum. Iulius Scaliger idem videtur diuerſimodè tamen atteſtari. Nam album genus ſcribit vocari Porambar, maximiq; eſſe pretij, ſecundum quod eſt fuſcum nominari Puambar, & talem colorem, diuturna mora, à mari traxiſſe perhibet. Tertium genus, quod nigrum eſt, vile reputat, quia ſecundùm nonnullos deuoratum, & excretum à Balenis creditur, & à colore Pinambar indigitat. Sunt præterea aliqui, qui nigrum Ambræ genus à Piſcibus, vel Cętis (vt dicunt) deuoratum duplex eſſe diuulgant, alterum in ventre animalis, alterum iuxta ſpinam dorſi repertum, quod magis probant. Sed has diſtinctiones nullius eſſe valoris iudicamus, quandoquidem non piſcium, vel Cætorum excrementum, ſed Bituminis genus eſſe aſſeruimus.

Exercit. 104.

LOCVS.

SI natalem Ambari locum ſerie alphabetica inueſtigemus; primò ab Aethiopia inchoabimus; cum Luſitani referant, in toto tractu maritimo Aethiopiæ, ingentia Ambræ fruſta fluitare, quæ tandem certis menſibus ad litora truduntur, ſed imperiti Picem, & Bitumen eſſe credunt. Id confirmatur a Gargia ab Orto, qui totum Aethiopiæ tractum à Sophala ad Braua vſq;, Ambra abundantem prædicat. Quinimò & iuxtà Arabiæ fælicis oppidum Sichrim nuncupatum inuenitur.

Lib. 1. *Arom. c.* 1.

In Bengalæ Oceano ſunt quædam inſulæ, vt recitat Ioannes Boterus, quarum Incolæ magnam Ambræ quantitatem expiſcantur. Addit Gargias ab Orto, in Braſil, & Timor, Ambram interdum inueniri. Britannicum Oceanum copia Ambrę abundantem Iulius Scaliger extollit, dum ſcribit reponendum eſſe inter nugamenta, quòd Balena, quam Indi Azel vocant, Ambra deuorata, pereat, & quòd ex cadauere ad litus delato, & aperto Ambra eximatur Cum in Oceano Britannico multum Ambræ colligatur, H ibiq; quot annis multæ Balenæ viuæ à Cantabris expugnētur, nullaq; per ſe mortua vnquam inueniatur. Addit quidem Scaliger pro comperto receptum eſſe Ambram à Vulpe marina mirandum in modum expeti, & deuorari, deinde parum confectam, & alteratam egeri, quæ poſtmodum collecta, tanquam fuſca, & vitiata reijcitur.

Exercit. 104.

Apud Comarini caput, anno poſt ſeſquimilleſimum quinquageſimo quinto, fruſtum ingens Ambari repertum eſt, qui inuenerat, referente Ioanne Hugone, picem eſſe putabat.

Florida noui Orbis prouincia mittit ad nos Ambram griſeam nominatam, quæ, teſte Nicolao Monarde, in litore à Canaueral ad promontorium vſq; Diuæ Helenæ paſſim inuenitur.

In Luſitaniæ portu Serubal cognominato, anno poſt ſeſquimilleſimum trigeſimo, authore Gargia ab Orto, magnum Ambræ fruſtum obſeruatum fuit. Pariter ſcriptum reliquit idem Gargias, quòd, flantibus Euris, in Moſambicam, totumq; illum tractum magna

Lib. 1. *Hiſt. Arom.*

A magna Ambræ copia eijcitur è Maldiuis insulis Orientem spectantibus, At Fauonijs spirantibus copiosa inuenitur in insulis, quæ vulgò de Maldiua nuncupantur, corrupto vocabulo, cum de Nalediua pronunciandum sit. Nam, lingua Malabarica, Nale significat quatuor, & Diua insula: vnde emergit vocabulum Nalediua, quasi quatuor insulas dixerimus. Quapropter Christophorus Acosta Ambram cineream insulæ Nalediuę summoperè commendat, quam ad Regem suum statim collectam deferunt. Liuius in sua Geographia, regnum Marochi Ambram perfectissimam assignat, quam sperma Cęti esse pronunciat, quoniam in huiusmodi litoribus Marocchi, & Fez, Balenæ sæpius tempestatibus afflictatæ appelluntur ad Mesam illorum vrbem litoralem, vbi quoq; Ambræ maxima quantitas inuenitur.

Ex Seienich Indiæ regione, optima Ambra sublutei coloris habetur. Ambra verò albicans ex Senchri Arabiæ fælicis loco, vt Iulius Scaliger monimentis mandauit. Item Liuius Sanutus scriptum reliquit in Geographia magnam quãtitatem optimi Ambracanis reperiri in Insula Vuique, quam Ambram Mauri colligentes alienis populis vendB dunt. Deniq; Zin esse locum, inquit Ortelius, cuius incolæ Miheræ vocantur, vbi Ambra in mari nascitur.

DENOMINATA.

APVD Nicolaum Monardem memoratur resina quædam nomine Liquidambar, & ex hac recenter collecta, & reposita tenuior pars stillat, quam posteà oleum de Liquidambar appellant, ex Hispania noua affertur vtrumq; odoratissimum, & præsertim oleum, cum iucundioris, & gratioris sit odoris. Fortassis hęc resina ita vocatur, quoniam, ob odorem, & facultatem, cum Ambra conueniat: propterea, quod idem Monardes refert, Incolas, vt maiorem huius olei odoratissimi quantitatem habeant, expressione etiam illud elicere, cum, in chirothecis imbuendis, huius plurimum absumatur. Ambra quoq; ad vsum similem vsurpatur. Deinde tanquam Ambræ C medicamentum simile in plerisq; morbis frigidis commendatur, cum calefaciat, resoluat, & omnem tumorem emolliat. Vnde in veteri tumoribus, in obstructionibus, & in prouocandis mensibus, instar Ambræ, adhibetur. *In hist. Arom. cap. 8.*

Item apud Mesuem describitur compositio cuiusdam electuarij, quòd appellatur Diambra, quoniam optimæ, & genuinæ Ambræ portionem recipiat. Hoc autem Mesue in corporis imbecillitate commendat, quia cerebrum, & cor roborat, ventriculum calefacit, coctionem iuuat, & deniq; omnibus affectionibus frigidis prodest, quemadmodum inferius de Ambra promulgabimus. *Diambra quid.*

VSVS IN MEDICINA
& in varijs.

NON parum vtilitatis Ambra humano corpori est allatura, si in medicinis interdum adhibeatur. Quandoquidem mixta cum oleo florum Aurantiorum, & capiti illisa cæphalalgiam curat: eius frequenti olfactu cerebrum roboratur, & memoria augetur. Hanc autem caput respicere inde colligendum est, quoniam vinum in quo fuerit infusa, potantes ebrios reddit. Hinc Epilepticis conuenire dicitur, nam illius fumo naribus excepto, à paroxismo excitantur: quinimò frequens huius odoramen euadit præmuniens medicamentum, ne Patientes frequens Epilepsiæ paroxismũ incurrant. Præterea vires cordis conseruat, & spiritus vitales instaurat. Hinc nonnulli Ambram ceræ flauæ permiscẽt, & regioni cordis imponunt. Nicolaus Monardes, ad arcendum pestis contagium, Ambrę odoramentum cõmendat. Crato quinetiam in affectibus, non solum pulmonũ eam magnificat, verùm quoq; in febribus pestilentibus, præstantissimũ remediũ esse scribit. Propter eandem rationem magno est adminiculo melãcholicis. Deinde obstructiones aperit, & præsertim veteri, quare, in mensibus prouocãdis, plurimum prodest: Item Ambra calorem natiuũ, & viscera omnia roborat, coctionem

nem ventriculi adiuuat, & affectus colicos ſanat, cum in ægritudinibus ventris inferioris, peridoneum ſit medicamentum. Itaq; Crato ſemilibræ Sacchari addit drachmam ſemiſſem Ambræ, idq; in prædictis morbis, fælici euentu, adhibet. Ad rem, narrat Zacutus Luſitanus uouiſse quemdam Luſitanum mercatorem continuò, & moleſtiſſimo ructu afflictatum, in quo profligando, cum varia medicamẽta incaſſùm fuiſſent adhibita, tandem, annuo ſpatio, ſumptis Ambræ quatuor granis, cum vino falerno, quotidiè ieiuno ſtomacho, optimè conualuit. Ampliùs Ambra ingreditur electuarium de gemmis, & aliud electuarium, quod vocatur Diambra, quæ compoſitiones in morbis ſenum, & mulierum fæliciter adhibentur: nam vires ſenum labefactatas emendat, necnon Venerem excitat. Quandoq; ex portione Ambræ, & Galbano paratur emplaſtrum, quod poſitum vmbilico, vterum in ſuo loco retinet. Eſt enim Ambra odorifera calida, & ſicca idcircò extenuat craſſos, & lentos humores, quibus ſenes potiſſimùm redundant, ſiue cibis indatur, ſiue in ſuffumigio adhibeatur, ſiue miſceatur vino, quo facies, & manus abluuntur. Pariter in ſterilitate à frigidis humoribus orta, Monardes componit pilulas ex Ambra, Ebore, Ligno Aloes, & Algallia, quæ prædictæ affectioni non mediocriter conducunt. Iodocius ergo, in Enchiridio Simplicium, miras Ambræ prærogatiuas carminibus extollit hunc in modum.

Conſil. 121

Li. 2. *Prax. med. admir. obſ.* 7.

Si vitio praui proſterneris ipſe cerebri,
Et ſtupet à lenta ſi tibi ſenſus aqua,
Siue ſuis pendet matrix delapſa locellis,
Sub læuo trepidant ſeu tibi corda ſinu.
Naribus excipias aut ſuffimenta piloſis,
Aut ex fragranti munera ſume mero.
Ad tua compoſita ſic ſurges munia mente,
Sic dempto fies viuidior q̃. malo.

Quoad reliquos vſus, notauit Ioannes Hugo, Ambram à Satrapis, & Regibus Indiarum, ad condimenta ciborum ſummoperè expeti. Sultanus Aegypti Tyrānus Cereis Ambram permiſceri iubebat, vt accenſi ſuauiſſimum ſpirantes odorem, & voluptati, & valetudini conſulerent. Ex Ambra quoq; veluti ex Succino globuli precarij ad coronas integrandas parantur. Aliquando ſoli globuli ex Ambra argento includuntur, quos odoramenti gratia Itinerantes ſecum deferunt. Hodie Myropæi Ambra vtuntur, qua Nobilium chirothecas imbuere ſolẽt, quas Vnlgus *Guanti d'Ambra* vocitat, & hæc de Succis concretis dicta ſint. Deinceps ad Hiſtoriam Lapidum accedemus.

Finis Libri Tertij.

VLYSSIS ALDROVANDI
PATRITII BONONIENSIS
MVSÆI METALLICI
Liber IV.

DE LAPIDIBVS IN GENERE.
Cap. I.

ÆQVIVOCA.

CVM Lapis apud Authores varijs nominibus indicetur, operę pretium eſſe duximus, horum nominum ambiguitatem primò patefacere, antequam Synonimia, & Etymum exponantur. Primitùs apud Halchemiæ profeſſores, teſte Alberto, Lapis vocatur omne illud, quod in igne in vaporem non abit. Deinde, voce Lapidis, multa alia deſignantur: nam Lapis non Lapis indicat rem, quæ materiā Lapidis chimici tantopere, celebrati ingreditur. Deinde ſignificat primam aquam, quæ in conſtituendo Lapide adhibetur, hæc aliter aqua mercurij, & ſulphuris nuncupatur. Quinimò, ex mente Authoris anonymi, denotat Elixirem: veluti Elixir oſtendit Lapidem: licèt propriè non ſint idem, cum præcedat Elixir, & poſteà Lapis conſtituatur. Inſuper Lapis, apud eoſdem Chymicos, non ſolum elixirem, ſed etiam Halchemiam, & Medicinam deſignat. Aliter, apud Ioannem Garlandum, Lapide calcis, batitura aeris, & Lapide de montanis, teſtudo intelliguntur. Credimus autem Chymiſtas ita loqui, vt fatuos vanis verborum illecebris decipiant. Tandem, in Scholis Chymicorum, nomine Lapidis, ſignificatur celeberrimus ille Lapis philoſophicus, cuius patrem, & matrem duo ſpermata elixiris conſtituunt, Solem, & Lunam appellantes, quæ poſtmodum ſpermata, in ſecunda operatione, nimirùm in operatione Lapidis, terram, & nutricem nuncupant. De hoc Lapide Mercolinus ſequentibus metris ita eſt locutus.

In lib. de Halchem. cap. 5.

Lapis philoſophicus.

Eſt Lapis occultus, & in imo fonte ſepultus
Vilis, & eiectus, fimo, vel ſtercore tectus.

Et paulò inferius hæc habet.

Et Lapis hic auis, & non Lapis, aut auis hæc eſt.
Hic Lapis eſt moles, ſtirps, & Saturnia proles,
Iupiter hic Lapis eſt, Mars, Sol, Venus, & Lapis hic eſt
Aliger, & Luna luciãior omnibus vna.

Quocirca nominando Lapidem antonomaſticè ſemper philoſophicum, & chymicum Lapidem intelligunt, quem, ob dignitatem, & excellentiam, Bulingerius æthereum his verſibus appellauit.

Lapis æthereus.

Experti multa, & non paruis ſumptibus illam
Inuenere artem, qua non ars dignior vlla eſt
Fingendi Lapidem æthereum, quem ſcire prophanis
Haudquaquam licet, & fruſtra plebs improba quærit.

De hoc Lapide multi inter nuperos Authores egerunt, vt Mylius, Fabius Gliſſentus, & plures alij ab eodem Fabio citati, vt Geber, Pythagoras, Hermes, Boſinus, Gilgilides, Auicẽnas, Ioannes Aurelius Augurellus, qui Chryſopæiam carminibus conſcripſit, Albertus Magnus, Arnoldus, Raymundus, Silenus, Alchinus, Ioannes de rupe ſciſſa, Braceſcus, Parmenides, Toludanus, Lucas Rhodianus, Richardus Anglicus, Fernelius, Liber trium verborum de ſecreto Lapidis, Tuba Philoſophorum, ſemita ſemitę, Correctio Fatuorum, Clangor buccinæ, Aurora conſurgens, ſummaria Lapidis conſideratio, Liber inſcriptus, Mirabilis Philoſophus, Theſaurus Philoſophiæ, Epilogus de Formatione Lapidis Arcanum Philoſophorum, & alij multi, quos Fabius in Tractatu de Lapide philoſophico memorat.

Cap. 1.

Iſaias cap. 30.

Inſuper apud Chaldæos, & Hębreos, Lapis horarum exponitur horologium Solare: nam quando in ſacro Codice hæc verba leguntur. *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum.* Chaldæus vertit. *Vmbram Lapidis horarum.*

Pariter apud Græcos λίθος eſt vox Lapidem ſignificans, & æquiuocationem non effugiens: quandoquidem non ſolum Lapidem ſimpliciter indicat; ſed etiam apud Ariſtotelem calculum veſicæ, & rhenum denotat, Immò, apud Euſtathium, pro Anchora accipitur: cum olim Lapides vſum anchoræ Veteribus præſtiterint. Eadem vox, apud Pollucem, non modò Lapidem ſimpliciter, ſed Diſcum quoq;, ſeu locum demonſtrat, in quo mancipia venalia exponebantur. Alter apud Ariſtophanem λίθοι nominantur homines ſtupidi, de quibus in Adagijs verba fient. Similiter apud Græcos λάας, λάος, & λάαος vocatur Lapis, ſed λαὸς appellatur populus: hinc fortaſſis Poetæ fabulati ſunt ex lapidibus populum fuiſſe procreatum, quia fortè exiſtimarunt Lapides in populos tam facilè eſſe tranſmutandos, quàm paruo momento, vocabulum λάος paroxytonum in λαὸν oxytonum tranſire poteſt.

Anchora Veterum qualis.

Rurſum Petra non ſolum Lapidis, ſed multorum locorum nomen eſſe perhibetur. Etenim Petra deſerti, in ſacris paginis, eſt Regia Maobitarum, quæ etiam Mons regalis nuncupatur. Petra inciſa eſt oppidum Paleſtinæ, quod apud Vulgum *Caſtel Pelegrino* dicitur. Apud Strabonem, Petra eſt vrbs Arabiæ, Metropolis Nabatheorum; vnde illa Arabiæ pars Petrea appellatur. Item Petra eſt oppidum multiplex in Macedonia, circa Oras maris Ionij, apud Dyrachium, veluti Lucanus meminit. Petræ autem magnæ, & Petræ paruę ſunt portus in Marmarica. At Petra Syrenum eſt Promontorium Lucanię olim inſidijs Syrenum infame, quod Virgilius memorauit, vt in Lexico Geographico legitur. Amplius Petra eſt Siciliæ oppidum propè Hyblam, cuius Incolę Petrini cognominãtur, de quibus Plinius verba fecit. Petra Maricorum, teſte Merula, eſt oppidulum Liguriæ apud Tanarum flumen. Tandem Petra Honorij eſt vrbs Epiſcopalis Aemiliæ, quæ vulgò *Bertinoro* nominatur.

Lib. 16. de ſitu orbis.

Lib. 3. cap. 8.

Scrupus paruum Lapidem indicat, ſed apud Gellium, Aenigma denotat; quemadmodum nomen diminutiuum, ſcrupulus, paruum Lapillum aſperum in calceis latentem, & pedes lædentem ſignificat: aliquando tamen pro ſollicitudine, dubitatione, & difficultate ſumitur. Eſt quinetiam menſuræ genus, quo terrarum menſores vtuntur, necnon genus ponderis, quod Medicamentarij adhibent; nam tres ſcrupuli drachmam conſtituunt. Demùm calculus eſt Lapis paruus, terræ permiſtus; qui interdum, ob paruitatem, ſine moleſtia premitur, & calcatur, ſed quandòque Lapillum in animalibus etiam genitum indicat. Ad finem calculi pro rationibus ſumuntur; cum olim Priſci calculis, ſiue lapillis rationes ſuas ſubducere ſolerent. Quinimò calculi apud Antiquitatem erant, quibus ſuffragia ferebantur.

Scrupi, & Scrupuli æquiuoca.

SY-

SYNONIMA, ET ETYMVM.

APVD Latinos, Lapis vocatur quasi lædens pedem,& lapillus est nomen diminutiuum à lapide: hic quando in calceis repositus molestiam excitat, calculus, & scrupus nuncupatur: quare, iuxta mentem Festi,scrupi vocantur lapides asperi, & qui difficulter,ob asperitatem, pertractantur. Hinc postea emergit scrupulus,qui pariter lapillum asperum significat.

Petra autem appellatur quasi pedem terens; quæ cum sit lapis, propriè tamen rupem designat. Cautes verò est saxum asperum, & abruptum. Saxum enim lapide maius asperius, & durius est: licèt aliquando saxum pro lapide vsurpetur. Cæterùm, annotante Scaligero, Saxum est vetustissima vox Tusca, quia nonnisi sacrificijs adhiberetur. Hinc nonnulli affirmant saxum fuisse appellatum, quasi sanxum, vel sanctum, quoniam Veteres magnum lapidem, nempè saxum, pro ara, eligebant, & victimam supra ipsum sanciabant, & sanciebant, nempe fœdus stabilibant: vnde originem duxit hoc verbum, *Sancio, Sancis, Sanxi, Sanctum*, quasi sanguine tactum,inde postea saxum nuncupatum est. Alij fuerunt, qui specificum discrimen inter saxum, & lapidem perperàm obseruarunt:siquidem apud Plinium, & alios Authores probatos, saxum cum lapide confunditur: idcirco asserendum erit vnam amborum sub polyonimia esse naturam; idq; longa Priscorum cõsuetudine seruatum fuisse credimus: quandoquidem Cicero, in Oratione de responsis Aruspicum, scriptum reliquit, saxis factam esse lapidationem. Quamobrem his animaduersis, saxum esse lapidem magnum, & lapidem esse saxum paruum asserere possumus, si tamen aliqua differentia assignanda sit: cum hæc nomina, Lapis, Petra, & Saxum ab Authoribus indiscriminatim vsurpentur.

Exercit. 108.

Saxi etymum.

Apud Græcos λίας, & per contractionem λᾶς lapis & saxum exponitur. Alioquin dicitur; λίθος quam vocem Eustathius deducit παρὰ τὸ λίαν, καὶ θεῖνω, nimirũm valdè percutio, cum lapides iacti mirandum in modum feriant, & percutiant. Verùm ψῆφος Græcis est lapillus, vel calculus à verbo ψάω, in partes tenues comminuo: namq; calculi sunt veluti lapides in partes tenues comminuti. Item σία est lapillus vel calculus, apud Hippocratem verò σίον etiam legitur. At ἔρμα non solum fulcrum, & stabilimentum, sed etiam scopulus, & saxum in mari exponitur. Insuper πέτρος, & πέτρη, necnon Ionicè πέτρα apud Græcos saxum indicat, fortassis à πίπτομαι rapido cursu feror: cum lapides, & saxà à montibus per Torrentes rapido cursu, huc, atq; illuc deferantur. Hebreis dicitur Sech, Gallis Pietre, Italis, Pietra, Sasso, Germanis Ein Stein, Hispanis Piedra.

Nomina græca Lapidis.

GENERATIO, ET ORTVS.

OMNIVM ferè Philosophantium opinio est cuncta mixta ex quatuor elementis tanquam ex materialibus causis integrari: quamobrem si huiusmodi causas tanquam remotas contemplantur, illis proculdubiò,assentiri poterimus. Professores Halchemiæ, materiales Lapidum causas, Salem, Sulphur, & Mercurium constituunt, quoniam, ope ignis, in separandis mixtorum partibus, Salem, Mercurium instar aquei humoris, & quid simile Sulphuri obseruant. Hæc opinio licet in analysi omnium ferè mixtorum veritati proxima esse videatur: nihilominus, in auro, & Adamante, hæc principia deficiunt. Sunt tamen aliqui Chymici qui iactant se à prædictis huiusmodi principia separasse, sed eorum imposturis, & vanis commentis minimè credendum esse asseueramus.

Chymicorum opinio.

Aristoteles nullam aliam materialem Lapidum causam, nisi exhalationem siccam ignescentem esse credidit. Hæc tanti Philosophi opinio, quamuis prima facie friuola, & à veritate remota esse videatur; cum probabile sit (vt viri eruditi opinantur) ex

Sententia Arist.

ex huiuſmodi exhalatione, abſq; terra, Lapides generari minimè poſſe, nam hi ex materia duriori reſultant: attamen, ſi Ariſtotelis ſententia ſaniori modo exponatur, facilè ſubſiſtere poterit. Dicamus igitur, Ariſtotelem illo in loco non habuiſſe ſermonem de exhalatione ſicca ſimplici, ſed de illa, quæ tantæ portioni humiditatis copulata eſt, coniunctioni partium Lapidis ſufficiat. Nemo enim Ariſtotelem, virum alioquin ſapientiſſimum, ingenio tam obtuto, & hebeti fuiſſe credet, vt exalationem ſimplicem, abſq; vllius humoris copulati portione, materiam Lapidum eſſe voluerit. Et licet Ariſtoteles ſolius tantùm exhalationis meminerit, hoc nulla alia de cauſa ab eo factum fuiſſe exiſtimamus, quàm propter prædominium exhalationis, quę pro maiori parte Lapidibus ineſt.

Opinio Agricolæ.

Itaque non reprobata tanti Philoſophi ſententia, nobis ſummoperè arridet opinio Georgij Agricolę, qui arbitratus eſt non vnam, & eamdem omnium Lapidum eſt materiam, ſed pro varietate, & diuerſitate Lapidum, varias quoq; cauſas materiales conſtituit. Quapropter aſſerit Lapidum opacorum communiter dictorum quodam lutum tenax, & lentum cauſam materialem eſſe. Hoc enim lutum calore ſiccatum primò denſatur, deinde paulatim in Lapidem vertitur. Amplius addit cauſam materialem perſpicuorum Lapidum, & gemmarum eſſe ſuccum quemdam purum, & liquidum, qui frigore gelaſcit. Tandem diuulgat cauſam materialem corallorum, & aliorum in aquis petrificatorum eſſe ſuccum quemdam Lapideſcentem, necnon ramenta ſaxorum, violentia torrentium, & fluuiorum abraſa, quibus in meatus plantarum, & lignorum receptis, hæc in naturam Lapideam facilè tranſmutantur. Pariter in corporibus animantium calculi geniti ab humore viſcido, & lento tanquam à cauſa materiali prodeunt. Neq; à ſententia Agricolæ multum recedit opinio Kircherij, & aliorum Nuperorum, qui Lutum, ſiue Argillam lentam, & craſſam cauſam materialem Lapidum gemmarum verò tenuem, & ſubtilem eſſe voluerunt; ne aquæ immixta perſpicuitatem illarum impediat. Quinimò generationem amborum ſine aliquo Sale viſceribus terræ incluſo tanquam vnico coagulationis inſtrumento fieri non poſſe extimauerunt: dummodo materiæ proximæ aqua tanquam cauſa adiuuans famuletur, quæ dum terram humectat, lutum conſtituit, dum verò maiori copia diluitur lutum aqueum ſalſuginoſum

Cauſa materialis lapidum.

proxima Lapidum cauſa euadit: immò propter copiam aquæ non amplius lutum, ſed, ſuccus Lapideſcens appellandus eſt, dummodo facultate Lapidifica ſit refertus. Cæterum ſi illa careat, accedente cauſa efficiente, nempè ſpiritu Lapidifico, ſiue exhalatione eumdem ſpiritum deferente, tunc, materiam, excluſa omni ſuperflua humiditate, in Lapidem conuerti aſſeuerant.

Circa cauſam efficientem Lapidum, varię pariter Philoſophãtium opiniones circũferuntur, quarum nonnullæ præmittuntur, vt diſcutiantur. Democritus in primis exiſtimauit nullam eſſe poſſe efficientem cauſam, quàm propriam Lapidum animam vegetatiuam: etenim hanc in Lapidibus, veluti in animantium, & plantarum ſemine perperam collocauit. Huic Democriti ſententiæ Cardanus vir alioquin doctiſſimus adſtipulatur, & quod magis mirandum eſt, talem opinionem multis argumentis ſtabilire conatur. Primitùs aſſerit, quicquid nutritur, & augetur, animam habere, deinde Lapidibus has conditiones attribuit, propterea concludit animam Lapidibus eſſe aſſignãdam. Debebat autem animaduertere Cardanus aſſumptum allati argumenti eſſe falſum, cum Lapides impropriè nutriantur, & augeantur. Siquidem hoc non à principio interno, ſeu ab anima procedit, quemadmodum in animantibus, & plantis obſeruatur, ſed id fit tantùm ab extrinſeco per additionem, ſicuti contingit calculis, qui in rhenibus, & veſica animalium generantur, qui, ex ſententia omnium Medicorum, nulla alia prorſus ratione nutriuntur, & augentur, quàm per oppoſitionem partis poſt partem. Præterea roborans Cardanus ſuam opinionem addit: quæ generuntur habere animam, & propterea Lapidibus, animam attribuit. Hoc etiam argumentum nullius eſt valoris cum magnum diſcrimen inter generationem Lapidum, & animalium obſeruetur: Prætermiſſis alijs Cardani friuolis rationibus, ne, in illis refellendis, tempus teramus, accedemus ad mentem Auicennæ.

Cardani opinio.

Auicennæ ſententia.

Hic author immediatam cauſam efficientem Lapidum eſſe facultatem quamdam Lapidificam pronunciauit. Quæ opinio aliquo modo improbanda videtur: ſiquidem comparatio illa, quæ de ſemine tum animantium, tum plantarum diuulgatur, nempè facultas

cultas quædam generandi sibi simile, luto minime accommodari potest, cum non valeat consequentia, nimirum si dicamus, in spermate est facultas generandi animal, ergo in luto pariter producendi Lapidem, quoniam genitura animalis ex eadem constat materia, ex qua totum animal, quapropter eamdem facultatem specificam acquirit. Id similiter in seminibus plantarum veritatem habere diuulgamus, quod in luto verum esse nequit. Amplius Empedocles prodidit calorem vel magis, vel minus intensum esse Lapidum causam efficientem, quæ quidem sententia prorsus non est explodenda; cum in quibusdam Lapidibus veritatem assequatur, non autem in omnibus, nam aliqui Lapides sunt, qui frigore concrescunt. *Empedoclis opinio.*

Alij inter Nuperos Spiritum quemdam lapidificum in gemmis, & alijs lapidibus cõtentum proximiorem causam effectricem motioris, & alterationis ad formam, constituerunt; calorem verò cæleſtem, qui calorem huius spiritus in actum redigit causam efficientem remotiorem, & Deum Optimum Maximum rerum omnium parentem tanquâ causam remotissimam prædicarunt. Albertus Magnus causam efficientem lapidum esse virtutem mineralem statuit, & quoniam virtus mineralis est communis metallis lapidibus, & nonnullis mixtis mediæ naturæ, propterea causam efficientem lapidum proprio nomine carere asseruit, cum tamen sit propria species virtutis mineralis in communi: quamuis alij addant hanc virtutem posse vim mineralem lapidificam nuncupari. At nos in præsentia, ex sententia Aristotelis, & ex mente Platonis, duplicem causam efficientem lapidum, nempe calorem & frigus esse arbitramur, & harum duarum causarum modò vnam, modò alteram, pro dispositione, & diuersitate materierum, operari pronunciamus. Has tantorum virorum sententias Georgius Agricola libenter amplectitur, dũ in suo Volumine de causis subterraneorum, calorem, & frigus causas lapidum effectrices assignat. Namq; illos lapides, quos aqua humectando dissoluit, à nulla alia causa efficiente, quam beneficio caloris, compactos, fuisse scribit, illos autem, qui violentia caloris liquefiunt, frigore concreuisse refert. Etenim manifestissimum est concretionem, atq; illi oppositas effectiones, veluti resolutionem, & liquefactionem à causis inter se se maximè oppositis prodire. Vt autem veritas, & doctrina Aristotelis magis innotescat, animaduertendum est, lapidum fieri generationem, agente caliditate, quæ mixtionem perficit, & frigiditate quæ, mixtum condensat. Quandoquidem caliditas ad mixtionem est necessaria, quia V.G. terra, & aqua non coirent in vnum, nisi vtraq; in materiam aeris, & ignis, ope caloris, extenuarentur: sic enim humiditas siccitati copulata vnam naturam sortiuntur; neq; ab inuicem nisi maxima violentia separari possunt. Alioquin ex humido, & sicco tantùm compositio, & non mixtio resultaret; quemadmodum lutum ex terra, & aqua emergit, quæ ab inuicem facilè segregantur, dum aqua in vaporem euanescit, & terra in glebam friabilem transit. Cæterùm frigiditas non mixtionem constituit, sed tantùm condensat, non modò illa, quæ per mixtionem in vnũ, vt lateres, conuenerunt, sed quoq; etherogenea vt lutum. Pro varia autem proportione humidi, & sicci fit, vt in coagulatione, & liquefactione diuersimodè se se habeant. Quandoquidem aquea nonnisi excessu frigoris coagulantur, & modico tepore, vt glacies liquantur. Sed terrea, veluti lateres, frigore non densantur, nisi prius igne mollescant. Igne verò non omnia mollescunt, sed quæ humiditatem aliquam habeant insitam, cuius beneficio, interdum, violentia ignis, liquefiunt, vt lapis molaris, Pyrimachus, & testæ quemadmodum Aristoteles in Meteorologicis annotauit. Itaq; later crudus est tanquam gleba terræ, cuius partes pertinaciter hærent, sed facilè in puluerem soluuntur: in igne autem valido partes mollitæ copulantur, & igne recedente, eædem densatæ relinquũtur: cum hæc coagulatio ab vtroq; proueniat, dum, calore, & frigore operante, resultat. Quę igitur hoc modo densata sunt, meritò ab Aristotele insolubilia appellantur. Hinc nuperi Authores colligunt, calore valde agente in fuliginem, seu exhalationem, & consumpta omni humiditate, solo lentore relicto, ne substantia in puluerem redigatur, Lapidem opacum generari, qui, propter consumptionem tutius humidi redundantis, liquefieri nequit, Lapides autem pellucidos concrescere affirmant, dum calor agens in succum absumit humidum superfluum, & succus ille concrescit, frigiditate loci concurrente. *Aristotelis mens.* *Lib. 4. c. 6.* *Nuperorũ opinio.*

Aliqui non defuerunt, qui existimarunt Lapides non habere formam propriam substantialem à formis elementorum distinctam, & propterea illos inter se discrepare sola com-

complexione qualitatum accidentalium tradiderunt. Sed hæc ſentẽtia non poteſt probari, quoniam omnes lapides eſſent eiuſdem ſpeciei, & ſolum accidentaliter differrent: cum tamen proprietates planè diuerſas habeant, & ex diuerſis proprietatibus variæ etiam rerum naturæ reſultant. Præterquamquod quædam affectiones competunt lapidibus, vt expugnare venenum, & attrahere ferrum, quæ elementis ſecundum ſe conſideratis non conueniunt. Quinimò ſi lapides carerent propria ſubſtantiali forma minimè diſtincta à formis elementorum, diù tales permanere non poſſent, ſed breui temporis ſpatio in elementa ſoluerentur. Idcircò ex dictis colligit Albertus Magnus lapides proprijs formis ſubſtantialibus gaudere.

Lib. 1 .miner. cap. 4. & 6.

Cauſa igitur formalis, vel forma ſubſtantialis lapidum, aut gemmarum eſt illa, quæ ipſis tribuit eſſe proprium, & propter quid talis lapis eſt id, quod eſt. Nam quilibet lapis ſiue opacus ſit, ſiue pellucidus propriam habet formam, quæ talis dicitur, & ab alijs diſtinguitur. Forma hæc ſecundùm Ariſtotelem, & alios priſcos Authores ex quatuor elementorum combinationibus, & ex eorum temperatura, cooperantibus primis, & ſecundis qualitatibus, proficiſcitur. Verùm, iuxta mentem Nuperorum, hæc forma pendet à ſeminario, & ſpiritu, qui eſt in materia, vt illam formet: quemadmodum ſeminarium expoſtulat: cum omnium rerum formas prodire tradant à ſeminarijs, & ab architectonico ſpiritu elaborari. Etenim ſeminaria à ſummo rerum omnium opifice tanquã rerum principia creata eſſe prædicant, ex quibus ſingulæ rerum ſpecies ſuas eſſentiales formas ſibi comparant.

Cauſæ varietatis Lapidum.

Antequam huic Rubricæ finem imponamus, nonnulla etiam de cauſis varietatis lapidum aſſignanda ſunt. Nuperi Authores in centro cuiuſcumq; rei naturalis quamdam virtutem latentem illi à natura ſagaci inſitam conſtituunt ad hunc finem, vt ſe conſeruare, & propagare poſſit, quantum ei à natura conceſſum eſt. Hæc autem virtus radijs quibuſdam in circumferentiam propagatur, non in cunctis ſphæricè, ſed interdum in vnam partem magis quàm in aliam longioribus radijs operatur, eadem ferè ratione, qua virtus plaſtica exiſtens in centro ſeminis, ſingulas corporis partes deſignat, non radijs in modum circuli diffuſis, ſed qui, pro cõditione partium formandarum, aut propè, aut remotè, à centro corporis diſtant; quemadmodum in Vegetabilibus virtus ſeminis exiſtens talem figuram in fructu format, aliquando ſphæricam, interdum conicam, & quandoq; tuberoſam. Similiter in floribus virtus ſeminalis fæturam in ſphæricas conicas, tetragonas, hexagonas, & ſimiles figuras angulares fundat. Pari ratione in Foſſilibus, iuxta quamdam analogiam, præſertim in lapidibus, qui ex ſalſuginoſa materia originem ſuã ducunt, vt in alumine, Chalcantho, cryſtallo, & ſimilibus contingit; in quorum materiæ centro quædam vis reſidet, quæ non ſemper omnibus radijs æqualibus operatur. Itaq; animaduertendum eſt, quòd corpora figuram vt plurimum angularem, optimo naturæ conſilio, ſibi vindicant, nempè trigonam, & hexagonam: quandoquidem hæ inter omnes alias figuras optimè ſpatium implent. Etenim natura, in formandis rebus, operatur ea ferè ratione, qua nos ope formæ ligneæ, vel alterius materiei, in pyris, pomis, & alijs fructibus omnis generis varias figuras producere nitimur. Fructus enim adhuc paruus, & tenellus in forma lignea, ſeu ex alia materia incluſus, paulatim creſcens omnes interiores formæ cauitates implet; ſicq; ille fructus diſpoſitam, & deſideratam figuram acquirit. Affimiliter figuras naturales foſſilium, Vegetabilium, & Animalium perfici pronunciant. Nam quemadmodum vnumquodque naturale corpus particularem poſſidet virtutem, qua ſe in ſua natura conſeruat, ita ab eadem vi hoc habet, vt creſcendo ſe ad certum, & determinatum limitem propaget, quo à reliquis ſpeciebus diſtinguatur, ne in actionibus naturæ confuſio generetur.

Figuræ varię Lapidũ.

Cæterum Ariſtoteles, in meteorologicis pereolatione humoris multifariã Lapidum figuras fieri aſſeruit. Primò, quando aqua guttatim cadens congelatur; deinde quando ab aqua fluente deſcendit quidpiã, & in ſuperficie ipſius fundi fit Lapis. Tertiò ſcripſit eſſe quædam loca, ſuper quæ affuſæ aquę in lapides diuerſorum colorum conuertuntur, & tandem eſſe aquas, quæ ſeorſum acceptæ non congelantur, ſed propè alueum fuſæ durantur in Lapides: qua de cauſa ad mentem Ariſtotelis, huiuſmodi Lapides, percolatione humoris ita fiunt, vt diuerſarum rerum formas exprimant.

NATVRA, ET AFFECTIONES.

CVIVSCVNQVE rei natura ex illius definitione innotescere solet; quapropter multi definitionem lapidis assignare conati sunt, sed posteà illam vel non satis explicarunt, vel aliqua ex parte mutilam tradiderunt. Inter hos prima facie nobis occurrit Galenus, qui lapidem sic definiuit. Lapis est corpus durissimum, quod irrigatum ab humido, non mollescit: vnde manifestarium euadit, naturam rei hac definitione non satis sufficienter explicatam fuisse; cum ferro, argento, & alijs metallis huius generis competere possit, quoniam nemo est, qui nesciat hæc corpora esse durissima, quæ rigata humiditate haudquaquam mollescunt, etiam si multorum annorum spatio in aquis, morentur: hac de causa, pace tanti viri, hæc definitio probanda non videtur Georgius Agricola sermonem habens de natura fossilium, definitionem lapidis affert, quæ & ipsa omni ex parte perfecta non videtur. Est autem talis: lapis est corpus fossile, siccum, & durum, quod aqua longo tempore vix emollit, ignis vehemens, redigit in puluerem, vel non emollitur ab aqua, sed à calido liquatur. Hæc Agricolæ definitio implicitè naturam lapidum explicare, & ex duobus membris cõstare videtur: in vno enim aperit nobis naturam lapidum, qui ab aqua emolliuntur in altero, naturam eorum, qui calore liquantur. Hæc igitur definitio, quoniam rei materiam explicitè non declarat, non erit approbanda. Verùm id alicui admirationem afferre non debet, si Agricola vir in cognitione Fossilium alioquin perfectissimus huiusmodi definitionem tradiderit: quandoquidem hæc res adeò est difficilis, vt, inter Veteres, & nuperos Authores, non reperiatur, qui perfectam descriptionem lapidis ne dicamus definitionem, scriptis mandauerit. Falloppius & ipse definitionem Agricolæ improbauit, & rectiùs lapidem se definire posse existimauit, si pronunciauerit, lapidem esse corpus terreum, durum, fossile, quod, nec virtute humidi, nec etiam ignis potest liquari, vel (vt comprehendãtur etiam vniones, corallia, & alij lapilli non ex terra, sed aliunde effossi) quodcumque corpus terreum, durum, friabile, quod neq; humido, neq; calido liquatur: dixit autem friabile, vt ferrum, & ossa excluderet ab hac definitione, quæ nobis probanda magis videtur.

Lib. 9. de simp. med. fac.

Lib. 1.

Opinio Falloppij.

Anselmus Boetius vir in cognitione lapidum peritissimus, lapidem in opacum, & pellucidum primò distribuit, deinde definit, seu describit opacum hunc in modum: lapis est corpus mixtum, inanime, durum, inductile, in aqua non liquabile, & solidum, quod è terra simplici tanquam præcipua, & magis congrua materia, citra multas alterationes, à natura concretum est. Posteà lapidem pellucidum, seu pulchrum, nimirum gemmam definit, seu describit hac ratione. Gemma est lapis paruus, rarus, durus, & pulcher à natura procreatus: sicq; ab hac definitione onyx, Crapundina, & similes lapilli excluduntur, quos in definitione si quis comprehendere vellet, necessarium esset, ex mente Boetij, nomen pulchritudinis ab hac definitione auferre.

Lib. 1. de lapid.

Circa peculiares lapidum affectiones scriptũ reliquit Cardanus lapides excisos crescere, quia viuant. Scaliger autem acriter reprehendit Cardanum, inquiens lapides crescere, non quia viuant, sed quoniam appositio rursus humore, matrices lapicidinarum augentur, à quibus priores lapides excisi fuerunt. Addunt alij lapides gaudere hac proprietate, vt sub terra obruti molliores euadant; quandoquidem sub dio semper duriores fiunt: quocircà lapicidæ huius non ignari illos terra obruere solent, quando paulò post illos cęlare desiderant. Quantum verò attinet ad particulares lapides, Plinius monimentis mandauit saxa quædam esse in Lycia, & in quodam orientali tractu, quæ viuentibus alligata erodunt corpora. Demùm saxa, & lapides, ratione duritiei, inter se discrepare solent: cum nonnulla sint, quæ facilè, alia autẽ, quæ difficulter scindantur, & frangantur: quapropter Olaus Magnus, in Historia Gothorum, diuulgauit saxa quædam magna ibi esse, quæ non alia ratione faciliùs, quam larido accẽso franguntur. In Vmbria, teste Gaudentio Merula, lapis albus eruitur, adeò mollis, vt serra dentata facilè secari possit.

Lib. 5. de Subtil. Exercit. 111.

Lapides erodentes.

DIF-

DIFFERENTIÆ.

NONNVLLI fuerunt, qui Lapides in triplex diſcrimen diſtribuerunt, primum dixerunt eſſe maioris terreſtreitatis,veluti ſunt Lapides, qui paſſim inueniuntur. Secundum ſtatuerunt eſſe medium inter communes Lapides, & gemmas,& hoc diſcrimine gemmas etiam opacas comprehẽdunt.In tertia differentia gemmas tãtummodò pellucidas reponunt. Georgius Agricola quatuor Lapidum eſſe genera decreuit,quorum primum,communi nomine Lapidis, inſigniuit,& ad hoc genus Magnetem, Hæmatitem, Aetitem, & alias ſpecies complures reduxit. Secundum genus nuncupauit gemmam, & hoc genere Adamantem, Carbunculum, & ſimiles Lapillos amplectitur. Tertium vocauit genus magnum Lapidum, quod inſtar gemmæ polituram recipit, vt marmor; idq; colore, & natali loco diſcriminauit: cum aliud Porphyrites,vel Ophites, aliud Parium, Laconicum, & ſimile cognominetur. Quartum genus, ſaxum, F veluti arenarium, & calcarium nominauit. Fuerunt inſuper alij Authores, qui gemmas ad Lapidem tanquam ad genus referendas non eſſe aſſeuerarunt:nihilominus quia genus proximum commune habent, & horum neutrum, neque metallum, neque ſuccus concretus, neq; terra ſunt;reliquum eſt, vt genus proximum ſit terra durata, quæ nullo alio nomine quam Lapidis, indigitatur. Quocirca Lapis meritò tanquam genus dicetur, & de gemma etiam prędicabitur: hinc quæuis gemma erit dicenda Lapis, ſed quilibet Lapis gemma minimè vocabitur. Præterea Anſelmus Boetius id ſtabilire videtur, dum Lapidum differentias diſtribuit, donec in claſſem gemmarum incidat. Etenim aſſerit alium Lapidem a natura magnum produci, alium paruum, ex paruis alium eſſe inuentu rarum, alium frequentem, ex raris, alium durum, alium mollem, ex duris alium pulchrum, & aſpectu gratum, alium, turpem, & tandem pulchrum, nomine gemmę, decorat: vnde colligendum eſt gemmam ad Lapidem tanquam ad genus eſſe reducendam.

Lib. 5. foſſil.

Lib. 1. de lapid.

Saxa verò nonnulli partim diſcriminant à conſiſtentia, nam tophus eſt mollis, & ſi- G lex prædurus; partim ab vſu, veluti ſaxum quadratum, quod ad ædificia trahitur,& ſaxum cruſtoſum, quia in cruſtas ad tecta findatur, & ſaxum calcarium, quoniam excoctum pro cæmento adhibeatur. Arenarium etiam in ædificijs eſt vtile, quia calcem bibit. Cotes ſunt, quæ ad acuendos gladios attinent, & ſic deinceps de alijs diſſerendum eſt. Verum, ratione vſus, Leo Baptiſta in ſuo Volumine de Architectura tradit, Lapidum alios eſſe viuos, & fortes, veluti ſunt ſilices, marmora,& ſimilia, nã hi Lapides naturaliter graues,& ſonori ſunt; alios eſſe craſſos,leues,& ſurdos, quemadmodum ſunt illi, qui naturam tophi, & ſabuli referunt. Rurſus Lapidum alios planæ ſuperficiei, & angulorum æqualium conſtituit, quos vocat quadratos, alios linearum inæqualium, variorum angulorum, quos rudes nominat. Denuò Lapidum alios eſſe magnos aſſerit, qui ad libitum pertractari nequeunt, alios minutos, qui medium locum inter prædictos occupant. Quinimò ſaxa interdum tam grandia generantur, vt integros montes, & vaſtos in mari ſcopulos conſtituant. Propterea legimus in Coſmographia vniuerſali, ſaxa eſſe tam vaſta in regione Valeſiana, vt in illis excauatis numeroſæ familiæ ha- H bitent. In Valle etiam Sedunenſi Templum, & amplum Monaſterium in ſaxo ſine calce, & lignis eſſe fabricatum. Sed quid vagamur per remotas regiones, dum in Agro Bononienſi, decimo ab vrbe Lapide, habemus montem ſaxeum, in quo conſpicitur ſcalptum Templum, nomine Beatæ Mariæ ſemper Virginis, Deo dicatum, vulgò dictum *la Madonna del Saſſo*, vbi quoq; ſcalpta eſt domus Sacerdotis, quę quotidie in prædicto Templo cæleſtem Hoſtiam Deo immolat. Differunt autem hæc ingentia ſaxa à marmoribus, quia ex terreſtriori,& impuriori materia cõſtant,& licet ipſa coloribus, inſtar marmorum, varient: nihilominus à ſe inuicem ſemper diſcriminantur, quoniam colores ſaxorum obſcuriores, & fædiores obſeruantur.

Lib. 3. c. 4.

Differentia ſaxorum, & marmorum.

Cęterùm ſatiùs erit tam Lapidum,quam ſaxorum non ſolum ſubſtantiam,ſed etiam omnes qualitates, & accidentia diligentiùs examinare: ſic enim exactiorem differentiarum cognitionem manifeſtabimus. Quoad ſubſtantiam, ſaxum dicitur glareoſum, & Lapis arenoſus, deinde alij Lapides partes habent diſtinctas, alij indiſtinctas,

qui

qui diſtinguuntur,vel punctis,vt nõnulli Iaſpides,& Ophites,vel corporibus vt ſaxa vulgaria, in quibus manifeſtæ arenulæ conſpiciuntur. Rurſus in ſubſtantia Lapidum duricies, & mollities conſideratur. Hinc aliqui Lapides molles, aliqui duri obſeruantur. Vidimus annis elapſis lapidem tam durum, vt profectò Baſaltem æmularetur. Item Gaudentius Merula in agro Vuolſienſi apud Italos memorat Lapidem tam durum, vt in ædificijs locatum omnibus ignis, ventorum, imbris, & tempeſtatum iniurijs reluctetur, & fortaſſis non diſcrepabit ab illo, quem Nero, poſt Vrbem exuſtam, in illa renouanda adhibuit: hunc enim Baptiſta in Vitruuium ignibus minimè cedere retulit. At in Orbe nouo Lapides quidam, retenta duritiè, inueniuntur (vt Ioſephus Ieſuita anno ſexageſimo poſt ſeſquimilleſimum ex Braſilia ſcripſit) qui in quaslibet partes flectunrur,& gladiorum acuendorum, inſtar cotis, vim poſſident.

Lapides duriſsimi vbi.

Præterea, ratione colorum, genus Lapidum multiplici varietate teperitur. Primitùs illud ſaxum cruſtoſum ſtratis,& tectis vtile innumeris ferè coloribus refulgere ſolet: quandoquidem inuenitur cinereum, candidum in cinereo viride, cæruleum, rubrum, ſubluteum, & nigrum. Pariter in eodem arborum rami cum folijs quaſi arte depicti conſpiciuntur. Eſt etiam aliud huius Lapidis genus cinereum, in quo Syluulæ ita elegantes apparent, vt nullus pictor meliùs, & elegantiùs eas penicillo exprimere poſſet. Quinimò ſi talis Lapis in varia ſegmenta ſcindatur, magnam intuentibus admirationem pariet,quoniam huiuſmodi arbuſculæ in partibus internis,& lateralibus conſpiciuntur: quocirca talis lapis Dendrites appellari poſſet.

Differentiæ à colore.

Brathites, ſeu Sabinites.

Fru-

Fruſtum huius Lapidis ad noſtras peruenit manus, cuius icon exhibetur, in qua, apparet arbuſcula Sabinam referens: idcircò Brathites, ſeu Sabinites inſcribitur, cum Βράθυ Græcis Sabina dicatur.

Lapides nigri coloris lati inſtar tabularum, longitudinis circiter decem pedum, eruuntur in Genuenſi ripa loco *Lauagna* nuncupato. In hoc Pictores penicillo icones exprimunt, & Piſcatores, ad comprimendos in vaſis ſalitos piſces, vtuntur, & *Lauagni* à loco natali nuncupant. Inſuper reperiuntur lapides pallidi, virides, & alijs coloribus inſigniti. Annis elapſis, conſpicati ſumus Lapidem durum, inſtar gemmæ, coloris circa latera ferè cærulei, in medio viridis, hic in aqua frigida locatus viriditatem ſmaragdi acquirebat, & calefactus virorem deponens priſtinum colorem induebat. Hunc Lapidem Paulus Brunus Norimbergenſis diligens rerum naturalium inquiſitor ex Vualachia nigra aduectum referebat; vnde alius lapis eiuſdem magnitudinis albus habetur; qui in aqua poſitus luteſcit, & exemptus priſtino colori reſtituitur. Ad cæruleum colorem vergit Lapis ille Petra ſerena appellatus, cuius varię fodinæ in Cortona, in Agro Volaterrano, & in omnibus ferè montibus Apenninis reperiuntur: etenim hic Lapis in multis ædificijs Florentiæ viſitur, & niſi imbribus madefiat diutiſſimè perdurat. Lapides ad ruborem inclinãtes in cuniculis Agri Prænestini reperiuntur (Prænesте oppidum eſt Latij, vt multi volunt, ἀπὸ τῶν πρίνων, nimirum ab Ilicibus nuncupatum) vulgus ab occiſione C. Marij iunioris Lapides rubefactos opinatur. Quare de hoc Poeta quidam Germanus Georgius Fabritius ſic cecinit in ſuo Itenerario.

Lauagna quid.

Venetys. Abaino

Petra ſerena.

tua cæcule regna
Nomen ab Ilicibuſq; tenens Prænesте venimus
Quo primùm Diuæ quæ mitto, tempore nullo
Certa loco perſtat, mittamus nobile templum,
Pluribus in templo lithoſtrotaq; picta figuris
Deinde tot effoſſos tecta tellure meatus
Qui finguntur adhuc Mariana cæderubore.

Quandoque conſpicati ſumus lapides colorem ſplenis æmulantes, & talem colorem cum luteo colore permixtum habebant: hi fortaſſis ad morbos ſplenis fugandos apti erunt iudicandi. Obſeruatur alius lapis, qui colore pennas, vel oculos Accipitris, ſiue Hieracis imitans, appellatur Hieracites, & vt plurimùm ad colorem cinereum tendit, & quamuis plures ſquamæ ſuperiores ſint lucidæ, & coloris plumbei, inferiores tamen ſunt coloris cinerei, & in medio partis ſuperioris quædam concauitas, ſeu rima obſeruatur, imitans illud Conchilij genus, quod ab Authoribus Pecten nuncupatur: quemadmodum in icone licèt intueri, vbi tres huius lapidis differentię delineantur.

Hieracite lapis.

Alij ſunt lapides lineis colore vario inter ſe diſtinctis ornati, vt Sardonyx, Achates, Marmor, & aliqui Iaſpides. Item alij lapides, ratione colorum, ab Authoribus, metallici cognominantur, cum variorum, & ſingulorum metallorum colores repræſentent. In extremo nouæ Zamblæ ſeptentrionali angulo, qui angulus glaciei nominatur, Hollandi nonnullos lapides, inſtar auri, fulgentes inuenerunt, & hac de cauſa aureos indigitarunt, præterea ab auri colore lapides quidam denominantur Chryſitis, Chryſolampis, Chryſolithos, Chryſophris, Chryſopraſſus, Chryſoberillus, Chryſammos, & Chryſolecaos; A colore quoque aliorum metallorum aliqui lapides nomen deſumunt, vt Argyrites, & Argyrodamos ab Argenti colore, Siderites, a Ferro, Molybdites à Plũbo, & Chalcitis ab Ære.

Lapides ab auro dicti.

Alij recenſeri poſſunt lapides, qui à colore aliarum rerum inanimatarum nuncupantur, vt Hoplites à colore armorum, Crocian à colore croci, Melichlorus à melle, Capnites à fumo, Polia à canitie, Cerites à cera, Myrthites à Myrtho, Tephrites à cinere, Lychnites à colore lucernarum, accenſarum, Myrrhites à myrrha, Enhydros à colore aqueo, vel quia talis lapis aqua prægnans ſit, Catoprites à colore ſpeculi, vel quia, inſtar ſpeculorum, imaginem reddat, deniq; Cepites, vel Cepoides ab hortorum coloribus, propter colorum varietatem, quæ in ſimili lapide radiat.

Inſuper non pauci ſunt lapides, qui ab animalium, & partium eorumdem coloribus nomenclaturam ſortiuntur. Leontias, & Pardalios ſunt lapides, qui colorem pellis Pardi, & Leonis habent. Taos dicitur à colore Pauonis, Coracites à colore Corui, Perdicites à colore Perdicis, Echites à colore Viperæ, Scarites à colore piſcis Scari, Triglites

Lapides ab animalibus dicti.

Hieracitis tres differentiæ.



2

3

tes à colore piscis Mulli, Carcinas à colore Cancri marini.

Quoad colorem partium, vel excrementorum animalium, Hepatites nominatur à colore hepatis, Galactites, vel Galaxias à colore lactis, & Hæmatites à colore sanguinis. Hoc in loco repræsentamus tabellam, in qua icones lapidum conspiciuntur. Primò delineatur lapis niger ad scribendum Lydio congener, de quo in fine huius capitis verba fient, quando de vsu variorum lapidum agemus. Deinde ibidem habetur figura lapidis magnitudine non excedentis nucem auellanam, extrinsecus modicè radiantis, & quodammodo referentis naturam Achatis, in quo imago fluuij conspicitur, & in alueo cuiusdam fluuij inuentus est. Sub figura huius calculi, est lapis radians instar marmoris, cum multis maculis albis, & nigris ita inuicem dispositis, vt perelegantem auis figuram reddant. In tabellæ altera parte conspicitur lucerna parua antiqua, cuius in secundo libro huius Tomi, agentes de vsu Argillæ meminimus. Huic succedit calculus cinereus cum annulo albo alabastrino eumdem cingente: vnde constat huiusmodi lapidem ex duplici substantia, scilicet cinerea, & candida, fuisse à natura constructum. Sub hoc est

lapis non ſolum colore, ſed etiàm figura, nucis vomicæ æmulus, & ſub illo apparet fragmentum vaſis ex terra cinnabarini coloris.

Variæ Lapidum Icones.



Lucerna parua antiqua.

Lapis niger ad ſcribēdum lydio congener.

Calculus cinereus cũ annulo alabaſtrino.

Lapis nucivomicæſimilis.

Calculus imaginem fluuij referēs.

Lapis cum figura auis.

Fragmẽtum vaſis ex terra cinnabarina.

Præter repræſentatos in antecedenti tabella lapides, libuit aliam exhibere, in qua viginti calculorum differentiæ, non modo ratione coloris, ſed etiam figuræ conſpiciũtur. Prima facie apparet lapis figura, & colore Mali, vel potius colore, & forma Lithoſper-

Calculorum viginti differentiæ.



ſpermatis Indici, cum apprimè illud referat. Ibi quoq; licet meditari calculum forma E
fabæ: eſt enim ſimilis fabæ maiori colore albo, & nigro variegatus, tanquam punctis albis inſignitus. Sed inter alios admirabilis eſt ille lapis niger maculis albis refertus, qui Leucomelanos appellari poteſt: nam cum ſubſtantia ſua ſit niger, & lucidus, Lydij lapidis eſt æmulus, & præſertim dum annulo aureo contactus, colorem auri recipit. Ibidem figurantur lapilli albi, figura nuclei Pini, præcipue quando à cortice exteriori, & interiori ſunt nudati. Cæteri calculi ex Tago fluuio omnes lutei & ferè compreſſi inter ſe tantùm ratione magnitudinis, & paruitatis diſcrepant.

Cæterum Natura in ſuis operibus nobis valde admirabilis videtur. Quandoquidem ſicuti induſtria humana lapillos variorum colorum ſimul iungens, lithoſtrota aſpectu pulcherrima, & admiranda conſtruit: pariter Natura quaſi ludens lapillos varij coloris interdum copulat, & lithoſtrota naturalia componit:

Saxa odorata vbi.

Quoad alias qualitates, & primum quoad odorem, quædam ſaxa ingratum, & quædam ſuauem odorem ſpirant. Saxa Aldenbergica rubei, vel cinerei coloris odorem violæ ſpargunt. Alia Myrrh odorẽ emittunt, vt lapides apud Parthos naſcentes, & F
potiſſimum in Carmania, qui creduntur eſſe humores calore ſolis, in vtero terræ denſati, & amplitudine nunquam paruos abacos excedunt, & tanta craſſitie, vt pocula ex illis formari poſſint. Saxa Thuringica odorem ſerpilli naribus impertiuntur; & lapides Hildeshemij malleo percuſſi odorem cornu vſti diffundunt. Sed a lapidibus Mariebergicis malleo percuſſis odor moſchi egreditur. Anſelmus etiam Boetius fatetur ſe habuiſſe lapides violam olentes, verùm, re accurratiùs conſiderata, huiuſmodi odorem non à lapide prouenire deprehendit, ſed à muſco quodam ex luteo viridi, qui tanquam corium lapidi adhærebat: quandoquidem pars lapidis tali muſco nudata nullum prorſus odorem ſpargebat. Hinc Boetius meritò ſuſpicabatur, his ſaxis radicem odoriferæ Iridis adhæſiſſe: niſi fortè huiuſmodi genus muſci naturaliter talem odorem referret. An verò idem in cæteris lapidibus benè olentibus contingeret, hactenus non ſe expertum id eſſe pronunciauit. Circa guſtum, quidam lapides adſtrictione, & mordacitate non carent. Nonnulli, vt Dioſcorides, tradunt Othonam eſſe lapidem Aegyptium in Thebaide naſcentem, aureo colore, & exigua magnitudine præditum, qui in guſtu habet feruorem cum adſtrictione mordaci. G

Li. 2. de lapid. c. 202.

Lib. 2. cap. 217.

Præterea ab effectu aliquæ differentiæ in lapidibus obſeruantur. Nam lapis dicitur Nephriticus, quia Nephritidi medeatur, Asbeſtus, quia ignibus non deſtruatur, & Heliotropium, quia radios ſolares in ſe geſtare videatur. Myrſinites, & Aromatites dicuntur, quia odorem, & Chalcophonos, quia tinnitum æris habeant. Item alij ſunt lapides, qui à natali loco tum particulari, tum vniuerſali nomen deſumunt. Quamobrem, ratione loci, & modi generationis, aliqui lapides à radicibus, ſeu ab aliquo radicis vicem gerente excreſcunt, vt Baſaltes, Cryſtallus, & ſimiles, qui confuſam quamdam materiam, loco radicis, habere videntur. Aut hac radice, carent, vt Geodes, Bezaar, & alij ab animalibus eruti, qui integri nulli materiæ adhærentes oriuntur. Rurſus alij in matrice, vel theca proueniunt, vt Calimus in Aetite. Alij cum veſte, vel tegumento naſcuntur, vt Hoplites, alij nudi, vt Silices. Deniq; aliqui in terra, alij in aquis, alij in aere, alij in animalibus, & aliqui in plantis producuntur. Quoad locum vniuerſalem, lapis vocatur Iſter, quoniam ab Iſtria deferatur, Marinus à Mari, & Tiburtinus vulgò H
Treuertino, quoniam ex Tibure ciuitate Vulgò *Tiuoli* eruatur. Ad finem, ratione vſus, lapis ille dicitur elaboratus, cum ad opus dirigitur, alius rediuiuus, quando ex diruto ædificio erutus, denuò ad nouum ædificium trahitur, & in ædibus Deo dicatis, Petra ſacrata vulgò dicitur, quæ Latinis Ara mobilis appellatur.

Tiburtinus lapis qualis.

Tandem quoad figurã lapidum, Natura maximam nobis admirationem parit: ſiquidem non modò in animalibus, ſed potiſſimùm in lapidibus inſignem varietatem producit: etenim in ipſis quaſi ludens icones animalium, plantarum, & aliarum rerum inanimatarum procreat. Propterea Plinium admirari non debemus, qui aliquando monimentis mandauit, Naturam in Mari non ſolum animalium ſimulacra procreaſſe, ſed etiam ſtellarum, & rerum artificialium, nihilque ferè in terris conſpici, quod in marinis vndis non reperiatur. Hoc idem lapidibus applicare poterimus; cũ Natura in illis prædicta omnia repræſentare nitatur.

Pri-

A Primum si de Animalibus verba fiant. In rerum natura est Myrmicites lapis à forma Formicæ nuncupatus, Cantharias Scarabęum refert, Batrachites habet formam Ranæ, Chelonites dicitur à Testudine, Draconites à Drachone, Chelidonia ab Hirundine, Alectorios à gallo, Myites à Mure, Scolopendrites à Scolopendra verme, Echinites ab Echino marino, Strombites à Cochleis aquaticis, Conchites à Concha, Tellinites à Tellinis, Ostreites ab Ostreis, & Ctenites à Pectine. Horum lapidum à prædictis animalibus partim nomen desumunt, quia prædictorum figuram repræsentent, partim, quia in eorumdem visceribus inueniantur. Quinimò non solum lapides ab Animalibus, sed etiam ab eorum partibus cognominantur. Inchoantes igitur à capite, meminimus in superioribus libris cornu Ammonis; cum hic lapis arietini cornu figuram reddat. Polytrix est lapis ad similitudinem capillorum formatus; veluti Bostrichites formam criniũ muliebrium habet. Leucophthalmos, seu Bellioculus est lapis humanum oculum exprimens, Lycophthalmos oculum Lupi, Aegophthalmos oculum Capræ, Triophthalmos figuram trium oculorum. Geranites refert oculum Gruis, Hieracites oculum Accipi- B tris, & Hyenia oculum Hyenæ animalis. Glossopetra ostendit figuram linguæ, Bucardium, Telicardium, & Cardisce formam cordis. Lapis sarcites habet similitudinem carnis, Steatites adipis, & Enosteos formam ossium. Hysterapetra exprimit figurã uteri, & Enorchis testium. Dactylus Idæus digitus pollex esse videtur, & Onyx ostendit vnguem. Tandem Lepidotes à squammis piscium cognominatur.

Lapides cur ab animalibus denominẽtur.

Reliquum est, vt aliquid præcipuum de prædictis Lapidibus differamus. Inuentum fuit saxum arenarium in fluuio Sapenæ, quod perbellè figuram humanam exprimebat, vel potius Idolum, quod Indi Idolatræ colere solent. Illa autem Idola magno artificio in saxis sunt cælata, vt in fine huius capitis exponemus: hoc autem à natura fuit expressum. In eodem flumine, Lapis quondam inuentum fuit cinerei coloris, in cuius superficie plana multæ figurę apparebant, inter quas vna rudi quodam modo hominem æmulabatur, in altera autem parte, caput quasi hominis armati casside conspiciebatur. Credendum est has figuras fuisse in hoc saxo genitas ab aliquo succo permixto, & nigre-

C

1

1 Strombites flaueſcens.





2

2 Spirites, siue Ophites.

ſcente,cum ſucco illo cinerco totum Lapidem conſtituente,qui ſuccus niger iuxta mixtionem, & exhalationem in planitie factam talia lineamenta procreauit, quæ ita diſpoſita prædictas figuras repræſentarunt. Neq; mirandum eſt, quoniam Ioannes Euſebius Ieſuita narrat,quòd Auilæ,apud Auguſtinianas Moniales, imago Deiparę colitur, quæ à Natura in ſaxo figurata fuit. Memorat quinetiam idem Author non procul à Madrito eſſe Chriſti Crucifixi iconem, quam Natura Lapidi impreſſit. Pariter eodem teſte, in Clauigij campo,non ſolùm lapilli formam ſaxei bacilli,& Concharum habent, ſed etiam ibi rupes exciſæ effigiem ſancti Iacobi, natura artifice, monſtrant.

Lib. 1. *de Mir. nat. Europ. c.* 7.

Pręter humana lineamenta in ſaxis obſeruata, infinitas aliorum animalium figuras in ſaxis conſpicati ſumus. Primitùs ad litora Albis, inuenitur Lapis oblongus æmulans ſerpentem Lapideum, qui intrinſecas partes habet coloris nigri ad cæruleum tendentis, extrinſecas verò coloris albicantis.

Hic damus iconem lapidis ſub numero 2. ad formam Serpentis, qui Spirites appellari poteſt, cum inſtar ſpiræ ſit conuolutus: quamuis Ophites etiam nuncupari poſſit: quadruplici inflexu conſtat, duriſſimæ eſt ſubſtantiæ, & coloris ſublutei. In eadem tabella ſub numero 1. figuratus eſt Strombites flaueſcens, ita nominatus, quia ſit lapis figuram Strombi marini omni ex parte referẽs. Geſnerus inuenit in monte quodam Heluetiæ lapidem effigie Serpentis in ſpiram reuoluti ita, vt caput in circumferentia promineret, extrema autem cauda pro centro erat. Alia quoq; pars lapidis, foris aliqua ex parte ambiens tamquam alterius maiuſculi Serpentis minorem circumplectentis. Pariter in Montibus Eugubinis, qui ſunt partes Apennini in Vmbria, inuentus eſt lapis pluribus refertus ſpiris,quaſi ope ſcalpelli cælatis: ſpiræ centro vicinæ figuram Volutæ Epiſtylij Ionici repræſentant, omneſque radijs ſunt inſignitæ, & lapis in aduerſo latere Serpentem imperfectum ſpiris inuolutum exprimit, vt in icone manifeſtatur. Quapropter libuit hunc lapidem indigitare Ophiomorphitem.

Ophiomorphites.



Sepites pronè, & supinè.





Lapis quidam Fribergi repertus eſt, qui lineamenta Simiæ exhibebat, & Gotonicæ, vt recitat Ioannes Euſebius Ieſuita, reperiuntur lapides, qui Coturnices exprimunt. Myites eſt lapis ſpeciem muſculi referens, & duplicis differentiæ obſeruatur, alter eſt oblongus, alter verò, inſtar Pectinis, rotundus, colore cinereus, & in lapidicinis Saxoniæ, propè Heldesheimum, frequens eſt.

Cæterùm multò plures ſunt Lapides, qui aquaticas animantes repræſentant, vt nos in progreſſu oſtendemus. In mari Ormuz varij Lapides figurati conſpiciuntur, & præſertim illi, qui plerumq; Scolopendras referunt. At Lapis Islebianus inter cæteros eſt valdè admirabilis, dum multis animantium ſpeciebus imprimitur: Etenim marinos Paſſeres, Percas, Lucios, gallos gallinaceos, quandoq; Salamandras, & ſimilia animantia oſtẽdit: quemadmodum Lector in Primo libro huius Tomi, & potiſſimùm in Capite de Ære poteſt intueri. Lapides Ichthiomorphites bini ex genere arenariorum habentes exactam piſcium inſculptam effigiem à nobis, annis præteritis, viſi ſunt, qui profectò Iſlebianos lapides imitabantur. Decreuimus in præſenti, prima facie præbere iconem lapidis Sepiæ æmuli, quem libuit Sepitem appellare. Hic Lapis imitatur os Sepiæ animalis maritimi mollis, cum ſignis particulæ ſpectantis ad partem ſupernam animantis. Hic lapis totus albus eſt, inſignitus nonnullis lineis formatis à quibuſdam punctis eminentibus, pulcherrimo ordine diſpoſitis: idcircò huiuſmodi puncta videntur referre illa animalia, quæ Scolopendræ appellantur: differunt tamen à ſe inuicem, quoniam lineę in animali punctis ornatæ ferrugineum colorẽ habent, in lapide autem, ſeu ſepite lineæ albæ conſpiciuntur. Aduertendum eſt, quòd inter ſupinam, & pronam partem materia quædam fabuloſa, & arenoſa coloris cinerei concreta apparet.

Islebianus lapis qualis

Poſtea quam incidimus in Sepiam; operæ pretium eſſe duximus; verum Sepiæ os petrificatum hoc in loco delineare, vt Lector meditari poſſit diſcrimen, & conuenientiam inter Sepitem, & os Sepiæ in lapidem conuerſum, de quo noſtra intererat verba facere in Capite, in quo res lapideſcentes ponderandæ ſunt.

Sepiæ oſsis pars ſuperior lapidea.



Inſuper damus iconem lapidis, in quo Paſſeris piſcis ſpecies, vel ei ſimillima, à ludente Natura expreſſa cernitur. Nuncupatur autem Pſetites; cum Ariſtoteles huiuſmodi piſces ψήτας appellauerit.

Pſe-

Pſetites.



Amplius contemplabitur Lector figuram alterius lapidis, qui propter impreſſam in illo à ludente Natura Rhombi iconem, Rhombites à nobis cognominatur. Neque multa admiratione teneri debemus; cum Islebiani lapides paulò ante memorati multò plures & pulchriores piſcium effigies exprimant.

Rhom-

Rhombites.

Item in rerum natura frequens eſt lapis oſtendens figurã Echini marini, & propterea huiuſmodi lapis Echinites dicitur, non autem Echites; hic enim eſt lapis, vel, ſecundum alios, gemma viperini coloris, cum vipera ſecundum Græcos, Echis nuncupetur. Echinites igitur lapis eſt rotundus, & faſtigiatus radijs quinis latis ad modum ſtellę inſignitus, veluti à Pictoribus delineari ſolet, punctis exiguis veſtigia ſpinarum referentibus: iuxta infimam partem quinos habet radios ſuperioribus è diametro oppoſitos. Tandem Echinites, vt rectius figura illius exprimatur, teſtam Echini ſuis ſpinis ſpoliatam perbenè imitatur. Vnde poſſimus etiam cogitare aliquando huiuſmodi lapides rudimenta ſpinarum habentes alicubi eſſe effodiendos. Aliquando nobis allatus fuit Echinites matrici Lapideæ inſertus, quæ in colore, & ſubſtantia aſſimilabatur noſtro arenario lapidi, quẽ Vulgus Bononienſis macigno indigitat, eratq; lapis ſubalbidi coloris, in quatuor partes trigonas diuiſus, quæ in verticem, tanquam in centrum concurrebant, ſed cum in matrice latibularetur, pars poſterior conſpici non potuit, an quinq; tantùm, vel ſex, vel plures rimas haberet. Vt autem lectoribus inſeruiremus, placuit tabellam variarum Echinitis differentiarũ exhibere conſiderãdam.

Variæ

Variæ Echinitis differentiæ.



Nobis

Nobis etiam communicatus fuit lapis Echini ſpeciem æmulans ex materia alba denſatus, multis ſignis inſignitus, quæ aſtra imitabantur, vel ſummitatem quorundam Iuncorum, qui in mari lapideſcunt: baſis huius lapidis erat plana, colore albo, ſubuiridi, & luteo referta; habebatq; particulam Selenitidi lapidi valdè ſimilem, immò duo, vel tria aſtra eiuſdem naturę cum ſuperioribus. Hic damus delineatum Echinum forma ſtellari lapideum, quem magnum Echinitem indigitare poſſumus.

Echinites magnus.



Cum diuerſas ſpecies huius lapidis pertractauerimus, varias etiam differentias delineare, & deſcribere poſſumus. In primis deſcribitur, atq; etiam delineatur Echinites H leuis, valdè durus, & lucidus, figuram meſpili æmulans: in parte globoſa habet quinq; tenias æqualiter diſtantes, ad formam ſtellæ, quæ poſtmodum in centro coiunguntur. Sed illi radij, qui concluduntur duabus lineis punctis quibuſdam inſigniti, pariter deſinunt in ſtellam, iuxta partem infimam lapidis, & in illa parte media os cum quinq; dentibus eſſe videtur. Spatia illa, quæ ſunt inter radios ſtellæ referunt acetabula Polyporum, & ſtella illa formam ſtellæ marinæ cum quinq; radijs exprimit. Acetabula ſunt quadrangula, non autem rotunda, vt in ouo anguino conſpiciuntur; hæc in ſingulis interſticijs triginta numerantur: quare, ſi multiplicentur, cum quinq; ſit interſtitia, omnia acetabula quinquaginta ſupra centum reſultabunt. Quoad colorem, Echinites eſt albi, & flaui coloris: ſingula verò interſtitia duplici acetabulorum ordine exornata apparent, vt in icone licet conſpicari; vbi Echinites etiam leuis iuxta partem pronam, & ſupinam figuratur, vt Lectores diligentiùs huiuſmodi differentias meditari poſſint.

Ouum anguinum quale.

Echi-

Echinitis leuis differentiæ.





Echinites alter nobis viſus eſt coloris cinerei, cum ſtella in parte ſupina, inter cuius radios verrucæ quædam eminebant; in altera parte habebat etiam quaſdam verrucas, & ſtellam quamdam rudem, & imperfectam cum foramine tam cauo, vt Spatangũ quodammodo imitaretur. Eſt autem σπαλάγγος apud Ariſtotelem quædam Echinorum ſpecies magno foramine. Deniq; cum Echinites forma ſtellari pulcherrimus, & inſignis ad noſtras manus peruenerit, hunc etiam delineatum ante oculos Legentium repreſentamus.

Lib. 4. de hiſt. Anim.

Echinites forma ſtellari.

Cum

A Primò igitur loco meminimus lapidis, qui, ratione ſubſtantiæ, ad pyritum ſterilium genus eſt reducendus, & ratione figuræ, Carcinites eſt appellandus; cum rudem Cancri figuram reddat, quem Græci Carcinum nominant.

Carcinites.



Verùm habemus alios lapides, qui prorſus Cancros æmulantur, & propterea non imme- E
ritò Cancriformes cognominantur. Hi non, vt multi credunt, olim fuerunt animalia, ſed à Natura hoc modo producta. Non tamen eſt reuocandum in dubium, quòd Natura, Aſtacos, Cancros, & Oſtreacea, tractu temporis, non poſſit in ſubſtantiam lapideam conuertere. Sed lapis hoc in loco deſignatus à Natura talis eſt genitus, & rudi modo Cācrum pagurum exprimit, eſt cinerei coloris ex materia arenaria formatus, ſcintillis quibuſdam ſplendore plumbi albi inſignitus, & in Agro Bononienſi effoſſus.

Lapis Cancriformis.



In

A In ſubſequenti autem icone Lector meditari poterit, quemadmodum Natura elegantiùs Pagurum expreſſerit. Eſt autem Pagurus ex genere Cancrorum, apud Ariſtotelem, & Aelianum, ità nuncupatur, quoniam οἰκεῖν, καὶ φολεάττεσθαι ἐν παγοις, ideſt χρημνώδεσι τόποις: fabricatam enim in locis præruptis, & aſperis ſibi domum cuſtodit. Huius igitur icon in lapide expreſſus habetur.

Pagurus Lapideus.



Si proſequamur in ponderandis animantibus aquaticis, incidemus in Oſtrea, quæ teſtam B
inſtar lapidis duram habent. Pariter in noſtris montibus interdum inueniuntur lapides referentes figuram conſimilium oſtreorum: quapropter talis lapis iure optimo Oſtracites nuncupabitur. Eſt enim lapis æmulans teſtam oſtrei: quamuis alij Oſtracitem vocent veram Oſtreorum teſtam, quæ tractu temporis in lapideam ſubſtantiam vertitur.

Oſtracites.

Eſt

A Est quidem verum, quòd aliquando, temporis progressu, ostreorum testæ in duritiem lapideam transmutantur: quemadmodum est illa, quæ ad nostras peruenit manus, rudimentis corallorum exornata, quamobrem Ostracites coralloides nuncupatur, cum non solùm testa, sed etiam omne ei adhærens in lapidem transmutatum videatur, vt Lector in icone diligenter meditari poterit.

Ostracites Coralloides.



Alij Oſtracitem indigitant illum lapidem, qui varias figuras Oſtrearum,& Chamarum E repræſentat. Nobis autem talis lapis Oſtracomorphos nominatur,& in ſequenti tabella delineatur.

Oſtracomorphos Lapis.



Sci-

Scribunt Historici, Lapides in montibus Calabriæ inueniri, qui fracti Conchas marinas retinent, sed de his inferiùs verba fient. Scimus quidem in montibus nostris Bononiensibus repertum fuisse lapidem Conchæ fasciatæ similem; quapropter Conchites fasciatus cognominatus fuit, & Chamiti valdè assimilatur. Placuit autem iuxta partem pronam, & supinam figuram delineare, vt hic apparet.

Conchites fasciatus concauus, & conuexus.

Quan-

Quandoq; repertus eſt lapis admodum ſimilis Conchæ craſſæ teſtæ, & Conchites margaritifer eſſet appellandus: quandoquidem marinam Concham margaritiferam exprimit, & diuiditur in multas laminas inſtar Selenitidis. In parte ſuperiori Conchæ, cui animal adhærere ſolet, magna latitudo obſeruatur, multis virgata lineis; pars autem inferior figuram dentium imitatur. Huius etiam iconem proponimus, vt maiorem ſpeculandi anſam Legentibus præbeamus.

Conchites margaritifer concauus, & conuexus.

Con-

A Concham illam hirſutam craſſæ teſtæ, cuius paulò ante meminimus, Natura in lapidibus etiam figurauit. Quocirca iconẽ illius exhibemus,& vocamus lapidem foſſilem Conchę craſſæ teſtæ, & hirſutæ æmulum. In tabella pars dimidia pingitur,oſtendens partem concauam, ibique eadem integra, & clauſa conſpicitur.

Lapis foſsilis Conchæ craſſæ teſtæ, & hirſutæ æmulus.





Tan-

Tandem vt Conchitis differentias omittamus;his tanquam coronidem addemus Conchi- E
tem rhomboidem, huiuſq; multas differentias figuramus.Prima facie in tabella ſub numero
1.& 2.deſignatur Concha rhomboides, non illa ſimplex, de qua in Tomo Teſtaceorũ actum
fuit; ſed in præſentia deſcribitur, & figuratur Concha rhomboides habens tubercula lapidea
Parætonij figura vbi. adnata, Parætonium æmulantia,cuius Parætonij figura in ſecundo libro huius Tomi conſpi-
ci poteſt. Itaq; credendum eſt huiuſmodi verrucas, ſeu tubercula ab aliquo ſucco Maris ſalſo
fuiſſe producta, qui facilè ſolet lapideſcere; hęcq;tubercula additione noui ſucci continua
adhærentis teſtæ creuiſſe ad illam magnitudinem, quæ in hac icone pingitur. Quamobrem
huius erit inſcriptio. Concha rhomboides tuberoſa. De hac autem hic non habetur ſermo,
tanquam de re lapidea, cum, pręter tubercula, ſit genuinæ rhomboidi Conchæ ſimilis, ſed
vt deinceps Conchites rhomboides conſideretur.Concha igitur rhomboides lapidea, Con-
chites rhomboidi ſimilis erit appellanda: quandoquidem effodiuntur interdum in monti-
bus noſtris Bononiẽſibus lapides habentes figuram Teſtaceo rhomboidi ſimilem,cuius pars
exterior, tanquam in Oſtreis, valdè inæqualis apparet, intus verò concaua, nam vtraq; pars
tam interior, quàm exterior, ſub numero 3.& 4.delineatur. Demum Conchites alter rhom- F
boidi ſimilis ſub numero 5.& 6.figuratur, & propè os Conchitis,alium habet Conchitem,&
à ſuperiori diſcrepat, ob concauitatem, quæ ita ampla, vt in ſuperiori, non apparet.

CONCHITIS DIFFERENTIÆ
in ſequenti tabella apparent.

1. & 2. Concha rhomboides tuberoſa.

3. & 4. Conchites rhomboidi ſimilis.

5. & 6. Conchites alter rhomboidi ſimilis.

1

2



4

5

6

Inter teſtaceos animantes, cochleæ etiam numeratur, & harum aliquæ à natura lapideę generantur. Lapis autem cochleam repræſentans, dicitur Cochlites, & inuenitur in noſtris mõtibus, exterius albi, & interius fuſci coloris, cum lineis in gyrum ductis, cortex exterior eſt quidem totus albus, cum lineis ſpiralibus in centrum deſinentibus, more Cochlearum: corpus interuum eſt lapideum, colore cinereo refertum. Huius iconem damus numero 1. & numero 2. delineatur Buccinites: quandoquidem huiuſmodi Lapis buccinam exprimit, & demum numero 3. figuratur Myites, vel Muſculites, cum talis lapis figuram muſculi marini referat.

1 Cochlites. 2 Buccinites. 3 Muſculites, vel Myites.

1



2



3



A Quinimò in montibus nostris, quandoq; erutus est lapis alter nostram terrestrem cochleam æmulans, & quoniam in comparatione ad superiorem multò minor est, Cochlites paruus fuit à nobis cognominatus: ex arenaria autem materia totus est compositus, necnon colore subluteo refertus, & in sequenti tabella sub numero 3. ostenditur. Vbi quoq; Muricites lapides designantur. Olim ex nostris montibus effossus fuit lapis figuram Muricis marini prorsus repræsentans, extrinsecùs coloris candidi, intrinsecùs autem subcinerei & pars infima in turbinem desinit, aculeis tamẽ, tam acutis, quam obtusis caret: quemadmodum sub numero 1. conspicitur. Verùm sub numero 2. figuratur Muricites alter superiori longè minor leucophæi coloris, neque tot volutas habet; immò circa vmbilicum quasdam videtur habere eminentias, quales in Murice obseruari solent.

1 Muricites.
2 Muricites alter.
3 Cochlites minor.

1



2



3



Habuimus alium lapidem Muricitem, quem Spiroidem nuncupauimus, & Spiroidem diximus, quoniam maximè in Spiras vſque ad centrum, iuxta partem externam, deſinebat, & quodammodo ſuis Spiris cæpam ſcillam ſimulabat: partes exteriores coloris erant cinerei,& nigri; interiores verò ſubnigri coloris. Pariter ex noſtris montibus erutus fuit Murex albus, qui prima facie lapis eſſe videbatur, ſed, re accuratiùs conſiderata, in ſubſtantiam lapideam minimè tranſmutatus erat, & quoniam erat viſu pulcherrimus, iconem illius exhibere decreuimus, in ea tabella, in qua delineatus habetur Turbinites, qui verè lapis eſt. Hic ex amplo in tenue deſinit, inſtar Turbinis, intus eſt coloris candidi, partes externę habent colorem terræ, in qua talis lapis oritur.

1. Turbinites.
2. Murex albus è monte effoſſus.



Pariter

A Pariter in loco arenoſo inuentus fuit lapis ad modum Turbinis formatus, qui Turbinites alter à nobis nuncupatur: Oſtreaceũ enim Turbinem æmulatur. Fieri quidem potuit, vt talis lapis Turbini marino ſimilis, in loco arenoſo,& argillaceo,huiuſmodi ſubſtantiam, et naturam frigidam, & ſiccam acquiſiuerit : quandoquidem Oſtreacea, cum frigido,& ſicco temperamento ſint prędita, facillimè in naturam lapidis conuerti poſſunt. Vtcumq; ſit, libuit iconem illius repræſentare.

Turbinites alter.

Reliquum eſt, vt, inter Teſtacea, Pectines conſiderentur, quorum multi lapidei, ita à Natura formati inueniuntur nam veluti Conchites,& Myites à Natura producuntur, & nomen à ſimilitudine Concharum, & μυων, ideſt muſculorum ſortiuntur ; eadem ratione dantur lapilli, qui formam Ctenis,ſeu Ctenij,nempè Pectinis,ſeu Pectunculi marini à Natura accipiunt, et talis lapis Ctenites nuncupandus eſt. Ideò vidimus à ludente Natura genitum Ctenitem album, leuem, ſtrijs, atq; exochis, & coſtis priuatum, figuram tamen Pectinis auriti habebat, lineis quibuſdam tranſuerſalibus inſignitus erat, quæ in parte ſuperiori caua magis quàm in altera conſpiciebãtur. In vtraq; tamen parte lineæ per tranſuerſum erant albicantes. Amplius olim fuimus conſpicati elegans Naturæ ludentis opificium, nempè Pectinitem vtrimq; auritum, cuius teſta ſuperior intus caua erat, abſq; lineis per longitudinem ductis, ſed ſolùm aliquæ lineæ tranſuerſæ, & deformes ibi apparebant; propè aures, nullæ erant ſtriæ, neque coſtæ, ſed poſtmodum ab ea parte vſque ad inferiorem, coſtæ eminentes per longitudinem ductæ videbantur.

Ctenites lapis qualis.

Hic repræſentamus iconem Pectinitis vtrimq; auriti, necnon figuram lapidis, qui formam Pectinis, atq; Chamæ ſapit: Hic Pecten lapideus, ſeu Chama pectinata, ſeu Concha pectinata albo colore referta, fuit effoſſa ex montibus noſtris Bononienſibus, vtrinq; aurita, extrinſecus ſtrias habet, & lineis multis eſt inſignita: Quinimò illi ſunt coſtę & inter has, quædam obſeruantur quaternis, & quinis lineis decoratæ, & à ſummo vſq; ad imum exornatæ. In parte autem, in qua ſtabulari ſolet animal, materia terrea, lapidea, & concreta erat: idcircò talis lapis Chamapectinites appellari poteſt.

1. & 2. Pectinites vtrinq; auritus.
3. & 4. Chamapectinites.



His

A His addere possumus alium lapidem visu pulcherrimum, nempè Scolopendritem. Sed, vt melius figura huius lapidis innotescat, animaduertendum est, quòd præter Scolopendram cetaceam, cuius meminit Rondeletius, asserimus Scolopendram, à qua Scolopendria herba fuit denominata, esse animantem terrestrem, & aquatilem ex genere Insectorum; hac de causa de vtroq; animali, in opere de Insectis, actum fuit. Hunc verò lusum Naturæ ostendimus, dum lapidem Scolopendræ marinæ, non tamen Cetaceæ, similem produxit, huius iconem iuxta vtramq; partem figurauimus, & Scolopendritem appellauimus.

Scolopēdra vox equiuoca.

Scolopendrites pronus, & supinus.





Hacte-

Hactenus examinauimus lapides figuram integri animalis referentes. Nunc accede- E
mus ad illos, quos Natura procreauit, vt aliquam animalis partem demonſtrarent. In-
choantes igitur à capite, aſſerimus in fluuio quodam agri Ariminenſis, nonnullos in-
ueniri lapides capillitium quodammodo exprimentes. Immò lapidem arenarium ali-
quãdo vidimus, qui cranium carne nudatum æmulabatur: ideòq; huiuſmodi lapis Cra-
nites appellari poterat. Item magis admirãdum eſt, inueniri lapillos referentes formam
medullæ cranij, nimirum Cerebri. Hi lapides ſimul ſunt coniuncti ſolidi, & duri, & ho-
rum quidam maiores, et quidam minores cõſpiciuntur, inter hos autem aliqui figuram
ferè tintinnabulorum oſtendunt, coloriſq; ſunt fuſci: nihilominus, inſtar cerebri geniti
eſſe videntur, vt in hac figura apparet.

Lapilli plures ſimul iuncti inſtar Cerebri.



Huic

Huic aliam addimus tabellam, in qua melius figura cerebri in lapide exprimitur, & quoniam apud Græcos, cerebrum vocatur ἐγκέφαλος, placuit hunc lapidem Encephalitem nuncupare.

Encephalites.



Præ-

L. 37. c. 11. Præterea legimus apud Plinium, in Sycionia, naſci lapillum, qui Triophthalmos E nuncupatur, quoniam figuram trium oculorum præ ſe ferat. Hodie ex Melitenſi Inſula nonnulli deferuntur lapides oculum perbellè repreſentantes,&, inter hos, aliqui pupillam valdè nigram, alij eamdem cum aliquo rubore, & ſplendore oſtendunt. Lapis perfectè ſimulans figuram, & magnitudinem oculi à capite vitulino extracti deſcribitur à Geſnero, qui refert ſe illum accepiſſe à Ioanne Pontano celeberrimo Principum Saxoniæ medico. Hic lapis eſt nigricans duritie ſilicea: nam ictu ferri, ignis ab eo elicitur, & idem Geſnerus hunc lapidem à figura λιθοφθαλμου nempè Lithophthalmum, ideſt oculum lapideum indigitat. Nonnulli tradunt, referente Plinio, bouino capiti lapillum ineſſe, qui ab animali expuitur, ſi necem timeat: hic autem, præciſo præter expectationem capite, extractus, & alligatus dentitioni mirum in modum prodeſſe perhibetur. Hic damus iconem lapidis, iuxta mentem Geſneri, & vocamus Lithophthalmitem.

In Lib. de lapid.

Lithophthalmites.

Si meditemur alias partes animalis præcipuas, & præſertim cor. In multis locis inuenitur Lapis figuram cordis habens, ideoq; καρδια, nempè cor ab Authoribus nominatur; nobis λιθοκαρδια potiùs, quaſi cor lapideum dicetur, aut rectiùs Lithocardites, vt ordinem i m incæptum proſequamur. Ad rem igitur narrat Ioannes Euſebius Ieſuita reperiri apud Sanctam Catherinam de Vadaia, in monaſterio Sancti Auguſtini, lapides ſuaptè natura ad effigiem cordis formatos, cum figura roſæ: quapropter Inſignia Sancti Auguſtini, & Sanctæ Catherinæ ab huiuſmodi lapidibus repræſentari pronunciauit. Prædictorum lapidum nonnulli tam magni reperiuntur, vt cordis bubuli ſimilitudinem gerant, quocirca Bucardia cognominātur. Habetur, & Conchæ genus eiuſdem figuræ, & Plinius inter gemmas, ob eamdem ſimilitudinem bucardia memorat. Lapides huius generis, ſecundùm aliquos Authores, in Babylone tantùm naſcuntur.

Lib. 1. de mir. nat. Europ. c. 7.

Sed,

A Sed, vt veritatem fateamur, in montibus Veronæ, hoc genus lapideum frequẽs inuenitur, & etiam in noſtris Bononienſibus, quos Ruricolæ Tortellos vocitant, quoniam hi lapides torti, & flexuoſi ſint, vt in hac tabella apparet, in qua tres differentiæ Bucarditis delineantur.

Bucardites triplex.



Aliud

Aliud duplex huius lapidis genus obſeruauimus, quorum alterum erat leue, & æqua-
le, alterum inæquale, & reticulatum. Ambobus color, figura, & magnitudo eadem. La-
pis, qui leuis apparet, in parte antica, tegmen ferreum exactè refert, vt in tabella con-
ſpicitur.

Bucardites duplex reticulatus vnus, leuis alter.



Natura tam admirabilis, & potens eſt in producendis Foſſilibus, vt non ſolùm inte-
gra animalia, ſed etiam ſeorſim illorum partes ex materia lapidea educat. Etenim
in Agro Bononienſi inuentus eſt lapis manum humanam cum ſex digitis, vnà cum vn-
guibus æmulans, colore carneo, in parte tamen interiori propè volam quædam materia
Lapidea conſpiciebatur, quaſdam rugas formans, vt in icone licet intueri.

Neq;

Neque Natura contenta eſt genuiſſe figurã prædictæ manus coloris carnei, ſed producere etiam voluit ei conſimilem ex materia prorſus diuerſa, nimirum alba, & gypſea: hęc quinos in ſuperiori parte habebat digitos cum rudimentis congruum ſimulãs prorſus manum humanam. Vola huius manus erat ſtrigibus quibuſdam per longitudinem ductis decorata, vt in tabella conſpicitur: propterea talis lapis ob figuram Chirites nuncupari poteſt.

Chirites.



Sin properemus ad cõtemplationem aliarum animalis partium, incidemus in teſtes, qui perbellè à Natura in nonnullis ſaxis exprimuntur. Quaproprer Enorchites appellatur ille lapis, qui cum ſit rotundus, & maior, alium lapidem ſimilem in ſe continet, veluti in ſcroto teſtes clauduntur. Aut potiùs Enorchites vocatur ille lapis, qui Orchidij, nempè teſticuli figuram refert. Quandoquidem in genere ſaxorum arenariorum plura obſeruantur, quæ ſimul copulata teſtium formam exhibent, vt in ſequenti figura conſpicitur: quinimò, ob ſaxi magnitudinem, Orchites maior erit appellandus, ad differentiam alterius lapidis, qui paruorum teſtium formam oſtendit, & Orchites minor dicendus erit: quemadmodum licet conſpicari in hac tabella, in qua delineatur etiam ſaxum ſimulans figuram patellæ, ſeu molæ genu.

Enorchites quid.

Orchites maior.



Neque ſolum Natura voluit binos copulare lapides, vt ſpeciem duorum teſtium exprimeret, ſed interdum tres etiam coniungit, vt figura trium teſtiũ appareat, vt contingit in animalibus, quando huiuſmodi partes monſtroſæ generantur, ob copiam materiæ. Eſt etiam quoddam genus animalis, & potiſſimùm Accipitris, cum triplici teſte naſcentis, & hac de cauſa, apud Græcos, Triorchis cognominatur. Pariter lapis de quo ſermo habetur, Triorchites nominabitur: quamuis, ob figuram, qua panem repræſentat, poſſet Artolithos nuncupari, vt in icone manifeſtatur. *Triorchis auis quaedam.*

Orchites minor cum lapide ſimulante patellam, ſeu molam genu.



Triorchites.



Inſu-

Inſuper cum Natura nunquam ceſſet, in generatione ſubterraneorum, imitari animalia, & eorum partes, nuper vidimus duos Lapides à Natura ita diligenter iunctos, vt vnà cum parte ſuperiori annexa, binos teſtes equinos ſimularent, coloris rubicundi, qualis in lateribus coctis inſpicitur. Icon id totum exprimit, & inſcribitur Diorchites equinus.

Diorchites equinus.



Rurſus Lapis alter obſeruatus fuit non multum à priori abſimilis, qui pariter deli- E
neatus fuit, & vocatus Diorchites equinus alter, vt iu tabella apparet.

Diorchites equinus alter.



A Si deſcendamus ad alias partes, & potiſſimùm ad illam in humano corpore, quæ à ceruice coxendicis incipit, & ad extremos pedis digitos pertingit: hanc ferè integram conſpicati ſumus in lapide coloris albicantis, ex genere arenariorum, eruto in Agro Bononienſi. Cum autem huiuſmodi lapis ſpeciem humani cruris, quaſi arte elaborati præ ſe ferat, & crus apud Græcos nominetur σκέλος, libuit hunc lapidem indigitare Scelitem.

Scelites.



Item

Item ſolius humani pedis figuram calceo induti à Natura in lapide arenario fabri-
cati coloris candicantis vidimus. Verùm hoc in loco damus iconem congeriei ex-
primentis formam humani pedis. Hæc congeries coloris rubentis à Natura eſt fabri-
cata, in qua nonnulla granorum lentis, & hordei ſimulacra viſuntur.

Congeries pedis humani figura.

Præ-

A Præterea obseruantur lapides, qui pennas nonnullarum auium simulant. Gesnerus duorum præcipuè meminit, & illum vocauit Perdicitem, qui pennas Perdicis æmulatur, alium verò Hieracitem, quoniam imitatur pennas Accipitris, quem Græci ἱεράκα nuncupant. Nos quinetiam conspicati sumus lapidem lineis per longitudinem ductis exornatum, itaut referret pinnam alicuius piscis præsertim in superiori parte existentem, quibus pinnis potissimùm quatuor, pisces natare solent, & huiusmodi lapidem, propter figuram, Pinnitem appellauimus. *In lib. de Lapid.*

1 Perdicites.
2 Hieracites.

Posteaquam in pisces incidimus, nolumus prætermittere saxum, in quo spina Pastinacæ marinæ à Natura sculpta est, colore albo, vt sequens tabella exprimit.

Ex animalibus transeundum est ad plantas, quarum aliæ perfectæ, aliæ verò imperfectæ nominantur. Has omnes Natura, generando lapides, æmulari nititur; & quoniam inter plantas imperfectas, prima facie occurrunt fungi, de lapidibus fungos simulantibus verba faciemus. Carolus Clusius de his sermonem habiturus primò tradidit, quòd sicuti in terra, ita etiam in mari fungi nascuntur, qui non sunt molles, sed lapidea duritie præditi, quorum tria genera partim in mari Indico, partim in Nilo oriri perhibet. Eorum, qui ex Mari fuerunt eruti, iconem imprimendam non curauit, cum pediculis, seu pediculorum vestigijs carerent, quibus fungi inuiti solent. Illorum autem, qui in Nilo nati esse ferebantur, figuram delineauit, quorum alterum maiorem, alterum verò minorem, & magis contractum appellauit. Maior habebat circumferentiam decem vnciarum, totus erat saxeus, & candicans superna parte, ab vmbilico ad circumferentiam multis profundis strijs obliquè quodammodo excurrentibus ornatus: inferna autem parte minus elatis strijs, ijsq; asperis, & quodammodo echinatis erat refertus, cum pediculo breui, & crassiusculo. Minor compressi floris formam exprimebat, cum ambitu sex vnciarum, & quoniam ad modum floris exurgebat, altitudo penè erat duarum vnciarum, ab extremo orbe sensim gracilescens: pediculum habebat breuem, & crassiusculum: striæ, quæ in extrema parte à pediculo ad circumferentiam excurrebant, non erant valdè conspicuæ, at in parte interiori profundiores videbantur, & simul etiam in medio congrediebantur. *Li. 6. Exot. cap. 9.* *Fungites minor.*

Quo-

Saxum, in quo ſpina Paſtinacæ marinæ conſpicitur.



A Quocirca non eſt in dubium reuocandum, quòd ſicuti Natura producit ex terra multos fungos edules, & inedules, qui inter plantas imperfectas reponuntur, eadem ratione ab eadem natura quaſi ludente fungi lapidei omnis ferè generis procreantur, varijs figuris inſigniti: quemadmodum in ſequenti tabella conſpicari licet, vbi delineatur ſaxeus fungus habens partem ſuperiorem, inſtar pilei, & pediculum latum, & compreſſum, colore flaueſcente: ibi quoque figuratur lapideus fungi pediculus. Alij autem duo ſunt fungi lapidei, ad inſtar floris, à Natura geniti, qui quodammodo æmulantur illos fungos ſaxeos, quos Carolus Cluſius deſcripſit.

Fungites quadruplex.





Naſci-

Naſcitur in Agro Bononienſi quædam fungi ſpecies parua, & ſpongioſa, quam noſtri Ruricolæ ſpongiolam, quaſi paruam ſpongiam vocant; cum paruis foraminibus, inſtar ſpongiæ, ſit referta. Nos autem inuenimus lapidem imitantem formam huius fungi, præſertim in parte ſuperiori, nam in parte inferiori pediculus ille craſſus ineſt, ſubſtantia tota lapidea, & albicante: quapropter ſpongiolitem nuncupauimus. Spongiolites tamen apud Plinium gemma eſſe perhibetur; idque monuiſſe ſat eſt, vt æquiuocatio euitetur. Hunc igitur lapideum fungum in tabella delineatum tradimus conſiderandum, in qua deſignantur etiam lapilli amygdalinam formam referentes; quamobrem Amygdalites nuncupantur.

Lib.37.ca. 10.

Spongiolites cum Amygdalite.



Alium lapidem ex agro Bononiẽnsi effosum,& casu repertum placuit indigitare Diospongiolitem fungum,quasi dicamus duplicem spongiolitem petrã ex aduerso copulatam, cum superius, & inferius in eodem lapideo caule pilei, seu petasi iungantur, tanquam claui insidentes ad instar fungorum,quinimò huiusmodi pilei sunt foraminibus peruij,more spongiarum,quocirca non immeritò hic lapis prædictum nomen promeruit. Accidit autem huius lapidis generationi, quod contingit fœturæ humani corporis monstrosæ, inqua gemellos infantes Natura ita coniunxit,vt horum alterum caput sursum,alterũ deorsum tenderet; & de hoc monstro in propria Historia egimus, & iconem etiam dedimus.Itaq; fungus lapideus,de quo in præsentia loquimur in sequenti tabella sic delineatur.

Diospongiolites.



Cum autẽ Natura maximè luxuriet, in procreandis rebus lapideis,ad similitudinem fungorum, cunctis manifestum est Boletum esse fungum inter omnes optimum, de quo Iuuenalis aliquando cecinit hunc in modum.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus Domino, sed qualem Claudius edit.

De hoc fungo Plinius longum ſermonem habuit. Generauit igitur Natura lapidem ſimulantem Boletum cum luteo, & inuolucro, exterius coloris cinerei, ſcintillis plumbi albi præditi. Eſt tamen ex genere lapidis arenarij. Placuit huiuſmodi lapidem fungiformem appellare Boletitem, huiuſq; duæ icones in ſequenti tabella apparent.

Boletites duplex.





Pa

Pariter in alia tabella monſtramus fungum alterius ſpeciei, ex materia lapidea ſimiliter à Natura productum, ſub numero 3. qui lapis poteſt cognominari fungites. In eadem tabella ſub numero 1. delineatur Orchites minor alter, cuius differentias paulò ante memorauimus, & ſub numero 2. figuratur lapis referens amygdalum, quapropter nominatur amygdalites alter; cum ſuperius alterius amygdalitis meminerimus.

1. Diorchites minor alter.
2. Amygdalites alter.
3. Fungites.



1. Fungites maior virgatus.
2. Fungiformis ſilex.

1



2



Lapis

A Lapis quoque fungum simulans, siue fungites nobis communicatus fuit, colore albo, figura quasi ouali, longitudine sex digitorum, & latitudine quinque; Superior eius pars quasdam lineas, seu virgas eminentes, asperas, & acutas habebat, quę tamen ad centrum vsque non pertingebant. In centro vestigium pediculi visebatur, & color in hac parte non erat adeò albicans, sed potius flauescens. Pars illa, quæ in fungis naturalibus solet esse interna, in hoc fungite exteriùs conspiciebatur, & virgas habebat magis euidentes acutas, & subtiles, more teniarum, quarum maior pars integra vsque ad centrum perueniebat, & hoc centrum valdè concauum, & profundum erat. Item conspicati sumus lapidem aspectu mirabilem, qui partim repræsentabat fungum, & partim nucem pineam referebat, longitudine duorum palmorum, circumferentia verò, iuxta partem latiorem, trium palmorum cum dimidio: ponderosus erat, propter substantiam terrestrem; immò illa pars, quæ pediculo fungi respondebat, perbellè æmulabatur fructum cardui altilis in suas veluti squamas distinctum. Pars altera latior, quæ in vertice fungi solet esse, ad nodum inæqualis erat cum appendice
B squamas partis inferioris tegente. Hic duæ icones delineantur, quarum altera fungites maior virgatus, altera fungiformis silex inscribitur.

Hactenus de lapidibus fungos repræsentātibus actum sit. Iam accedere oportet ad examinandos lapides, qui arbores, & plantas perfectas simulant: quandoquidem ab illis multi lapides denominantur. Primitùs Dendrites habet figuram arboris, Stelechites Trunci, Dryites Quercus, Elatites Abietis, Cletrites Alni, & Daphnites, vel Daphnia figuram Lauri. Præterquamquòd alij sunt lapides, qui impressas habent figuras arborum, & plantarum, & huius generis est lapis nascens in monte Sinai, vbi corpus Diuæ Catherinæ custoditur: quapropter lapis etiam ille Diuæ Catherinæ nomen est adeptus. Deinde ab herbis, floribus, seminibus, & fructibus multi lapides nomen sortiuntur, cum eorum figuram referant. Cissites habet formam Hederę, Phycites Algæ, Spongites Spongiæ, Syringites internodiorum stipulæ, Corallina Coralli, & Iuncites figuram Iunci. Ideò narrat Theophrastus, apud mare, lapides nasci iunceos, quos nemo, solo aspectu, à veris iuncis discernere posset. *Lib. 4. hist. plant. ca. 8.*

C Quinimo lapides quoque flores exprimunt; vt Narcissites florem Narcissi, Encrinites florem Lilij: Encrinos enim quina Lilij folia ostendit, & Rhodites habet formam rosę. Semina etiam plantarum ab aliquibus lapillis simulantur. Hinc Meconites habet figuram seminum Papaueris, & Cenchrites Milij. Phacites est calculus ad instar Lentis, & Pisolithos instar Pisi. Cicerites ità exactè refert formam Ciceris arietini, vt à vero vix discerni possit. Denique Cyamites similitudinem Fabæ repræsentat.

Maiorum fructuum figuram demonstrant alij lapides, vt Melitites formam mali simpliciter, Cydonites effigiem mali cydonij, Botrytes incipientis vuæ similitudinem, Sycites figuram fici, Phænicites Balani, Amygdalites Amygdali, Mespilites, seu Pentexochæ effigiem Mespili. Pyrene, seu Tecolithos formam nuclei oliuæ repræsentat; & huius conditionis est lapis, Iudaicus, de quo suo loco sermo habebitur. Quocircà narrat Ioannes Eusebius Iesuita, in quodam Agro regni Aragonensis, lapides effigiem olearum perfectè ostendentes inueniri. *Lib. 1. d mir. nat. europ. cap. 7.*

Sin exordium ſumamus à plantis; ſcribit Gudentius Merula in Agro Veronenſi ſa- E
xa coll'gi frequentia, ſimulacro Pentaphilli, ſeu Quinquefolij ornata, certis, & compa-
ribus lineis, ità exactè deſignata à Natura, vt nemo poſſet ſubtilitatem operis imitari:
quemadmodum videtur in hac figura.

Pentaphillites.



Verùm in Agro etiam Bononienſi inuenitur lapis ex genere Calcarij, imaginem
Li. 1. c. 21 Pentaphilli in ſuperficie gerens, figura oblonga. Sunt aliqui Authores, qui huiuſmodi effigiem, Crinitem nuncupant, quia formam foliorum floris lilij propriè imitari videatur, colore eſt luteo extrinſecus, intus cinereo; ſed in parte poſteriori nullam apparentem habet figuram, ſed tantùm quædam obſeruantur lineamenta, vt numero 3. intueri poſſumus: etenim ſupinè, & pronè in tabella delineatur. Alij hunc lapidem non ſolum cognominant Pentaphillitem, ſed etiam Rhoditem quandoquidem hac imagine, quinque Sylueſtris roſæ folia repręſentari perhibent: quamobrem inſcriptio erit Rhodites Pentaphillites.

Rho-

Rhodites Pentaphillites.

1



2



3



Sed

Sed quid vagamur per herbas; cum trunci arborum, & etiam exoticarum à Natura lapides generante producantur? Primitùs Agallochum Dioſcoridi lignum eſt, quod ex India, atq; Arabia deportatur. Hoc lignum, inter recentiores Græcos, primus Aetius, deinde Actuarius, & Simeon Sethi Xiloaloem, fortaſſis ab aliqua ſimilitudine coloris Aloes, appellarunt: vnde poſtea officinæ lignum Aloes dixerunt. Tabernemontanus, Ceſalpinus, Lonicerus, & alij nuperi Authores lignum Paradiſi, lignum Aquilæ, & lignum Sanctæ Crucis indigitarunt. Modò effigiem huius ligni in lapide expreſſam obſeruauimus, & Agallochitem nuncupauimus, vt præſenti icone oſtenditur. E

Agallochites.



Neq; Natura contenta produxisse huiusmodi lignum saxeum, vt ostensum fuit; aliud etiam lignum peregrinum ex materia lapidea eduxit, quale à nobis fuit obseruatum, quod Sandali, vel Santali effigiem referre videtur: quandoquidem tale lignum Arabes Sandal nuncupant, Veteribus Græcis incognitum; nam, inter Nuperos, solus Actuarius Arabes imitatus, huiusmodi arborem nominauit, quæ, Garzia authore, in magnitudinem nucis Iuglandis attollitur. Itaque nos inuenimus lapidem, frustum huius arboris æmulantem, & Sandalitem cognominauimus. Delineatur autem in hac tabella, in qua figurantur quoque lapis turbineus tuberosus, & aliud saxum admirandæ figuræ, qui lapides, vno, & eodem tempore, ad nostras manus peruenerunt.

Sandalites, cum alijs lapidibus.



Stele

Stelechitem, in hac Hiſtoria, cognominamus ſtipitem illum ſaxeum, quem Natura B
format ex materia lapidea, ad imitationem trunci arborum; quoniam, apud Græcos, στέλεχος vocatur truncus, ſiue caudex, nempè arboris illa pars, quę ex radice ſurgit, & poſtea in ramos finditur; & quamuis apud eoſdem Græcos στελεχώδης exponatur caudicoſus, & trunci ſpeciem gerens: nihilominus ſtelecodes nuncupari minimè poſſunt trunci, & caudices à nobis hoc in loco propoſiti, quoniam non ex lignea, ſed ex lapidea materia conſtant, ſicq; nomen Stelechitis ſibi comparant. Huius varias icones in hac tabella exhibemus, in qua primo loco Stelechites rugoſus figuratur.

Variæ Stelechitis differentiæ.



Aliæ quoq; Stelechitis ſpecies effodiuntur in Agro Bononienſi, quarum nonnullæ ferream quaſi naturam fortiuntur, atq; illarum locus vt plurimum indicare ſolet aliquã ferri mineram ibidem latibulari; cum ex venis ferreis ſtillet humor, qui frigore concreſcit in hos ſtipites,& paruos caudices: quemadmodum in cauernis montiũ quidam ſucci concreſcunt, imitantes illas glaciei ſtirias, quæ ex tectis,brumali tempore,depẽdent. Huius generis eſt Stelechites,cuius icon hic datur, & ob figuram,Stelechites pyramidalis inſcribitur.

Stelechites Pyramidalis.



Iam

Iam ad fructus olerum, & arborum perpendendos accedemus. Quandoquidem ſimiles Natura procreauit in lapidibus. Nos hoc in loco Cucurbitem præcipuè oſtendemus. Hic lapis fuit ex genere arenario nobis communicatus, æmulans figuram Cucurbitæ, ſed præſertim illius ſpeciei, in qua farina apud Ruricolas, & vinum apud Peregrinãtes ſeruatur. Valdè grauis eſt huiuſmodi lapis, & vocari poteſt Cucurbites, vel Colocynthites, & in præſenti tabella diligenter exprimitur. B

Cucurbites.



Præ-

Præterea creſcit in Hortis, vel in aruis quoddam Peponis genus, quod, ob rotunditatem Melopepo nominatur, cum figuram Mali rotunditate ſua imitetur. Non pendet hic, ſed humi rotundatur, & ad maturitatem properans, iucundiſſimum odorem ſpargit. Habuimus igitur lapidem affabrè hunc fructum æmulantem, præterquàm in colore: nam hic lapis colore plumbeo fuit refertus, & delineatur in hac tabella, & vocatur Melopeponites.

Melopeponites.



Melopeponites alter à ſuperiori non valdè diſcrepans hoc in loco pariter delinea- E
tur, habens in vna parte perfectam Melopeponis effigiem, in altera verò Chamarum,
& Conchularum imagines repræſentat, vt tabella demonſtrat.

Melopeponites alter.



Pariter

Pariter quemadmodū in virente planta Melopepones aliquando monſtrifici generantur, non figura ouali, aut ſphærica, ſed ordinibus quibuſdam compreſſis: aſſimiliter Natura, in procreandis lapidibus, monſtra huius generis lapidea quodammodo effundit. Sicuti licet intueri in hoc lapide ex materia arenaria integrato, qui Melopeponem monſtrificum imitatur. Huiuſmodi lapis eſt coloris Leucophæi, quibuſdam in locis refertus eſt cauitatibus cum tuberculo quodam in ſumitate lapidis, vbi flos Melopeponis eſſe ſolet: quapropter Melopeponitem monſtrificum indigitare decreuimus. Figuratur autem in hac tabella, in qua lapis etiam alter delineatur, figura, referens cranium Simiæ.

Melopeponites monſtroſus.





Creſcit quædam arbor conifera, nomine Larix, quàm Hieronymus Tragus tertiam E
Abietis ſpeciem conſtituit; & apud Ceſalpinum, eſt Pini ſylueſtris genus, cui brumali tempore folia decidunt: huius fructum æmulata eſt Natura in procreando hoc lapide, cuius iconem in præſentia damus. Niſi velimus aſſerere hunc lapidem imitari formam fructus Cedri maioris, cuius coni ſurſum ſpectant, quæ proprietas huic arbori, necnon Abieti peculiaris eſt. Hæc eſt Cedrus arbor conifera apud Geſnerum in Horto. Item apud Dodoneum, & Cedrelate apud Plinium: cum Cedri, & Abietis (quæ ἐλάτη Græcis dicitur) naturam referat. In tabella huiuſmodi lapis aſſignatur conſiderandus, colore erat niger, & figura coni Laricis, aut Cedri maioris: quinimò in eadem tabella delineatur alius lapis, effigie, aliquam fungi ſpeciem referens.

Lapis figura coni Laricis.





Fru-

Fungum quoq; in lapide à Natura simulatum memorauit Cardanus, dum narrat se habuisse lapidem in Scotia inuentum, nomine Pentacrinum diuersum tamen ab illo in libris de Subtilitate descripto. Erat enim hic figura cryptæ, qualis in sacris ædibus fabricari solet, dum sensim in fastigium ascendẽs coarctatur. Erat magnitudine oui gallinacei, & in imo planus: deinde in medio pediculus quasi ab scissus cernebatur, & ab eo tanquam nodi prodibant quinq; limbi æquis spatijs distincti, qui planam superficiem diuidebant. Singuli limbi duabus lineis circumdabantur; quarum vnaquæq; mirabilibus punctis erat insignita, & absq; illis limbis, grande mespilum æmulabatur: namq; hic lapis grauis, & coloris buxei effigiem, & magnitudinem mespili exprimebat. *Lib. 5. de Var.*

Mespilaceus etiam lapis constans ex materia arenaria erutus fuit ex montibus nostris Bononiensibus, figura Echini, sed non ita rotundus, immò oualis formæ, & iuxta partem superiorem, in acutum desinebat, quina habens interualla, propter qui nos radios à centro ad circumferentiam productos. Sed cum huius iconem non habeamus in promptu; decreuimus exhibere iconem alterius lapidis, qui fructum Persici simulat, ex materia arenaria integratus, & in monte quodam Bononiensi inuentus, & ab effigie, quam ostendit nobis appellatur Persilithos, aut potius Persicites.

Persicites.



Item lapis ex genere arenariorum coloris cinerei, micis quibuſdam argenteo colore refertis, quoad effigiem, æmulatur pyrum muſcatellum maiorem, & effoſſus fuit in noſtris montibus. Similiter alius cum appendicibus, inter quas aliæ ſunt maiores, & eminentiores, aliæ verò minus eminentes, formam pyralem exprimebat. Vidimus etiam Cyamitem calculum, à quo, faba minor, & potiſſimùm nigra repræſentatur, necnon alium figura ſeminis Caſſiæ, loquendo de Caſſia nigra ſolutiua, cuius ſemina ſunt caſtanei coloris; immò & lapillum in colore, figura, & magnitudine ſemen Cucurbitæ, referentem. In tabella delineatum exhibemus lapidem Caſtaneiformem: imitatur enim fructum Caſtaneæ tum à primo, tum à ſecundo cortice nudatum. In eadem quoque tabella figurantur lapilli Dactyliformes; cum nucleum Dactyli optimè referant.

Dactylites, & Caſtanites.

Antequam historiæ fructuum finem imponamus: reperiri prodimus lapides in ripa Fluuij Idicis agrum Bononiensem alluentis, substantia dura, & ferè marmorea ex albo nonnihil rufescente, effigie amygdali vtroque cortice, nimirùm herbido, & ligneo tecti, stirijs quibusdam in longitudine dissecti: Est autem huiusmodi lapillus tanquam verum amygdalum duabus æquis partibus integratum: immò secatur in has partes, quarum diuisionis vestigium à Natura fuit impressum. Huiusmodi partes intus planæ, non autem concauæ obseruantur, colore partim fuluo, partim albo. Interdum etiam conspicati sumus Amygdalas communes lapideas adeò naturales, vt in secundo putamine foramina tanquam in naturali fructu apparerent; quandoq; etiam nucleos amygdalæ lapideos sine putamine. Vidimus aliquando non solùm lapides simulantes fructum amygdali nostratis, cum vtroq; cortice, verùm quoq, lapides imitantes amygdalas exoticas, quæ apud Florentinos amygdalæ Sanctæ Catherinæ appellantur. Hæ inter omnia amygdalarum genera, tum quoad magnitudinem, tum quoad bonitatem, & præstantiam, primas occupant. Quoniam autem huiusmodi fructus Hippoamygdalæ, quasi Amygdalæ magnæ vocantur: idcircò lapidem huius formæ, Hippoamygdalitem indigitare voluimus. Icones similium lapidum superiùs delineatas repræsentauimus.

Huic fructui valdè assimilatur Anacardium veteribus Græcis incognitum: Sunt autem Anacardia, teste Serapione, fructus arboris Indicæ eiusdem nominis auium corculis, tum forma, tum colore non dissimiles: vnde nomen sortiri perhibentur; illisq; recentibus liquor inesse traditur, instar sanguinis, rubicundus, sub quo nucleus formam paruæ amygdalæ conspicitur. Hunc fructum omnes fere Authores Anacardium nuncupant. Anacardum tamen vocatur Acoste, & Anacardus Cesalpino, Persea fortassis apud Plinium. Itaq; Natura ludens similes fructus in lapidibus figurauit; vt in hac tabella apparet, in qua plures differentiæ delineantur, & Anacardites nominantur.

Anacardites varius.



In-

Inſuper inuentus eſt etiam lapis ſimilis Spondylo, vel folliculo à Dioſcoride ita nuncupato, ſiue verticillo fructui Rhamni tertij, vel Paliuri Theophraſti; cui fructui Dioſcorides verticilli figuram non temerè aſſignauit; cum repræſentet verticillum, quod mulieres fuſo aptant, vt meliùs,& faciliùs nere poſſint. Quocirca huiuſmodi lapis Verticillites iure optimo nuncupandus erit. Deinde in alueis fluminum ſæpiſſimè inueniuntur calculi imitantes fructum Piſi generis illius leguminis, cuius cauliculi ſparguntur in terram, niſi adminiculum habeant. Tales lapides Piſolithi cognominari poſſunt, & coloris ſunt cinerei. Cæterùm ſimiles lapides, vt intelleximus à viris fide dignis, eleganter à Natura formati reperiuntur in agro propè oppidum Bernenſium in Heluetia. Nos in gratiam ſtudioſorum duas differentias in hac tabella exhibemus delineatas. E

Piſolithi differentiæ.



Piper eſt fructus arboris exoticæ omnibus notus, cum in quotidianis condimentis adhibeatur. Ex India ad nos in faccis affertur, & inter hæc grana Piperis ſunt quidam lapilli Piper adeò æmulantes, vt vix ab ipſo diſcerni poſſint, niſi diligenter inſpiciantur. Quidam etiam calculi tam exigui obſeruantur, vt ſeminibus raporum ſint ſimiles: immò ſimilitudine ouorum Piſcium etiam inueniuntur, in Ditione Bryonis vici Norimbergēſis, & oua Salmonis exprimunt.

Pha-

Phacites semen lentis refert (φακὸς enim Lens Græcis dicitur) Huius generis lapilli, necnon alij instar granorum Hordei, authore Strabone, circa Pyramides Memphis reperiuntur. Idcircò aliqui Authores scribunt, vel potiùs fabulantur huiusmodi fuisse reliquias cibarij operariorum, qui Pyramides Aegypti ædificarunt, quæ reliquiæ tractu temporis, in lapideam duritiem transierunt. Ad nostras peruenerunt manus lapilli perbenè Triticum simulantes, & nobis appellantur Triticites, & delineantur in hac tabella, in qua alij calculi referentes Lentem, Amomum, & fructum Stiracis designantur.

Triticites cum alijs lapillis.

Re-

Reliquum eſt modò, vt enumerare incipiamus illos lapides, quibus figuræ rerum inanimatarum repræſentantur. Primitùs Trochites eſt lapis habens formam rotæ, & Trochiſcites figuram Trochiſci theriacalis colore cinereo nonnullis lineis referto. Belemnites refert effigiem Sagittæ, Ceramites, & Oſtracites teſtæ. Aracnites exprimit filamenta Aranearum, qualia conſpicati ſumus in lapide coloris partim viridis, partim albi, & partim ſublutei. Calamites à figura, & colore calami non recedit. Anthracites à ſimilitudine ignearum ſcintillarum denominatur, & Polyzonas à multitudine Zonarum in corpore nigro radiantium. Chalazias habet formam grandinis, veluti Cryſtallus glaciei, quæ à Græcis tali nomine donatur.

Panis ſimilagites.



Ratione figuræ mathematicæ, saxum vocatur quadratum, vel quia talem formam habeat, vel quia facilè, formam quadratam ad ædificia recipiat. Lapis pentagonus quinque, & hexagonus sex angulis constat. Pangonius quasi omniangulus dicitur. Lapides igitur quadratarum, & oblongarum formarum, vt vix illis pro ædificio, præter politiam, aliquod addi possit, obseruantur in monte Ambergio dicto; vbi quoq; alij coloris varij, & præsertim atri, pro ædificijs, reperiuntur.

Verùm maiori admiratione dignum esse videtur, quando Natura aliquid edule, & arte paratum, generando lapides æmulatur. Interdum duo saxa simul iungit, vt figuram panis repræsentet; & talis lapideus panis à nonnullis panis Dæmonum cognominatur; cum potiùs Artolithos nimirùm panis lapideus nuncupandus sit. Cuius generis multi lapides, vt intelleximus, propè Rotuilam Sueuiæ reperiuntur. Quinimò in nostris Bononiæ montibus, similes lapides panem referentes interdum inuenimus. Hic damus iconem duorum panum lapideorum, qui perbenè simulant illum panem cauernosum, pumicosum, seu spongiosum ex subtilissima farina, nempè simila paratum, qui posteà Siligineus, vel Similagineus Latinis, vulgò *Pan buffetto* nuncupatur. Ideò figura expressa in hac tabella, Similagites inscribi potest.

Panis Dæmonum.

Quoniam autem panis obsonium expostulat, Natura, in generatione lapidum caseum quoque formauit, nam similis nobis occurrit in nostris montibus, qui affabrè caseum recentem ostendebat, vt in hac videtur figura, sed quia caseus apud Græcos τυρὸς vocatur; hic lapis caseoformis libenter nominatur Tyromorphites.

Tyromorphites.



Alium pariter caseum veterem, & aridum Natura ex lapide figurauit, in eodem loco repertum; qualis in hac tabella effigiatus fuit, & dictus Tyromorphites alter.

Ty-

Tyromorphites alter.



Inſuper Caſeus aridus Tyrocneſte friatus condimento multorum cibariorum famulatur, ſed potiſſimùm laganis inſpergitur, vt maiorem gratiam palato concilient. Quapropter Natura huius obſonij minimè immemor, lagana quoque in lapidibus expreſſit, quemadmodum Lector iu hac tabella intueri poterit. Itaq; talis lapis inſcribendus eſt Laganites.

Laganites.



In conuiuio, & à cibis, bellaria menſis inferri ſolent. Vnde Natura lapillos formauit, qui ſaccharo conditi eſſe videntur. In agro igitur Viterbienſi, tales lapilli albi, & criſpi conſpiciuntur. Pariter in illa ampla Tiburtini agri planitie generantur ſimiles calculi variarum figurarum, itaut alij Coriandros, alij Amygdalas, alij Aniſos ſaccharo conditos referant, & adeò illis aſſimilantur (inquit Leander in ſua Hiſtoria) vt homines etiam oculati, & cauti decipiantur.

Sed magis admirandum eſt, quòd Natura ludens, in producendis lapidibus, imitari videtur voluiſſe effigies rerum ferè omnium, quæ ſunt in eleganti, & ornata totius Vniuerſi machina, quæ Cæli ambitu continetur. Quamobrem à Cælo inchoantes, Solem, Lunam, & Stellas in lapidibus obſeruauimus. In præſentia igitur omittentes lapillos pellucidos Solem referentes, & Achatem, vbi Lunæ Eclipſis conſpicitur, de quibus in fine huius libri verba fient, in hoc loco tantùm meminimus lapidis in Haſdo Pago inuenti, qui armatura aurei coloris veſtitus, adoleſcentis Lunæ ſpeciem repræſentat. Item generatur in mari Ormuz quidam lapis figuram habens plurium concauitatum, in quibus ſtellæ radijs ſuis colore albicante apparent, vt miſſam faciamus Aſteriam, ſiue Aſtroitem lapidem, de quo paulò inferiùs agetur. At non ſolum, quæ à Natura fiunt, in lapidibus obſeruantur, ſed etiam, quæ artificio comparantur, ipſa Natura, verſans circa lapideam materiam, imitari conatur. Ad rem narrat Bellonius lapidem, inſtar nummi argentei, orbicularem paſſim conſpici in litore maris rubri, coloris ferrei, cui quidam characteres hebraici naturaliter impreſsi ſunt. In Eurota etiam, ſiue Hymero flumine oritur lapis referens formam galeæ, vt Nicanor Samius in Hiſtoria fluminum, recitauit. Item in quodam Agri Bononienſis amne, penès caſtrum Sancti Petri, repertus eſt lapis durus coloris ferruginei, formam ſoleæ equinæ repræſentans.

Lib 2. obſſ. c. 69.

In montibus quinetiam Bononienſibus, inter lapides arenarios repertus eſt vnus, qui ſimulabat ephippium tribus ſtrijs elegantibus exornatum, nimirùm ſellam, qua Equi induti, ephippiarij dicuntur; cum illis, propter molliorem vecturam ſellæ imponantur. Huius lapidis cum ſit valdè elegans, iconem damus ſub numero 1. in tabella, in qua ſub numero 2. & 3. alij lapides delineantur formæ pyralis: vnde fingi poteſt nomen Pyralites, ſiue Pyrites, ad ſignificandos hos lapides. Nifi velimus indigitare Phialitem: quandoquidem formam Ampullæ, vel Phialæ oſtendunt.

1. Ephippites.
2. Pyrites.
3. Phialites.



1

2



3



In Valle quadam Cubæ inſulæ lapides ſunt adeò rotundi, vt pilas Bombardarum imitentur; quarum aliæ magnæ, aliæ mediocres, aliæ paruæ à Natura ita eleganter formantur, vt facilè quis ſuſpicari poſſet aliquo artificio fuiſſe fabricatas. Quinimò interdum pilæ adeò ingentes ibi obſeruantur, vt quatuor homines vix illas amplecti poſſint, & aliæ minores, quæ magnitudinem mali Perſici non ſuperant. Item lapis figuratus eſt à Natura ad formam teſſeræ, qua luditur, cum aliqua concauitate in medio, quę præ ſe ferre videtur quamdam ſimilitudinem folij Cotyledonis, vel Vmbilici Veneris.

Cotyledonites lapis.

neris. Quocirca poſſet hic lapis non immeritò Cotyledonites nuncupari. Alter lapis E ſuperiori nõ multum abſimilis inuentus eſt,& Spondylites minor à nobis fuit nominatus, quia effigiem vertebræ alicuius piſcis referebat.

Verùm, præter deſcriptos lapides, alius Melanoleucus ex genere Silicum,admirandus, & pulcherrimus viſu obſeruatus fuit: propterea effigiem propriam in hac hiſtoria habere promeruit. Habebat hic faſcias albas maculis interſtinctas, ſtructuram reticulatam æmulans, quæ figuram plagarum, quæ in retibus ſunt, imitatur. Etenim foramina, ſeu figuræ in hoc lapide apparentes, aliæ ſunt rotundæ, aliæ ouatæ, aliæ trigonæ, tetragonæ, pentagonæ, & aliarum figurarum, quæ quidem cum ſint albo circumdatæ aream nigram habent, quæ omnia lapidem hunc viſu iucundum reddunt. Videtur etiam hæc textura reticulata auxilio acus Phrygionum fabricata. Cum autem apud Græcos Δίκτυον rete ſignificet, & hic lapis albi,& nigri ſit coloris, nempè Melanoleucus, Dictynus à nobis fuit appellatus. Sed vt veritatem fateamur, videtur potiùs exprimere omentum alicuius animalis, quod Græcis ἐπίπλοον dicitur. F

Lapis Melanoleucus Dictynus.



G

Prædictis lapidibus tanquam coronidem addimus ſaxũ effigie Veſpeti, in quodam Torrente Bononienſis Agri, inter alios lapides,caſu repertum innumeris ferè foraminibus refertum, & horum quædam maiora, mediocria, minima; quædam rotunda, quædam ouata, quædam profunda, & quædam in ſuperficie formata. Hic eſſet animaduertendum, qua ratione in hoc lapide tot foramina ſint genita. An fuerint ab aqua, H an verò à facultate ſaxifica naturali producta: quemadmodum multos lapides figuratos hactenus demonſtrauimus. Quid ergo prohibere poteſt, quod Natura etiam huiuſmodi lapidem foraminibus peruium producere nequiuerit? Cum in alijs figuras piſcium, & plantarum expreſſerit, qnod longè eſt mirabilius. Aut fortaſſis aliquis aſſerere poterit, huiuſmodi foramina fuiſſe ab aliquo animali fabricata, vt in illis ouа, tanquam in nidulamentis includeret: quandoquidem Natura mirum in modum operatur: veluti obſeruamus intra dura ſaxa Balanos, Bufones, Ranas, & alia animantia vitam degere, vt ſæpiùs maxima admiratione conſpicati ſumus. Hactenus de Differentijs.

LOCVS.

DE loco generationis lapidum nihil certi statuere possumus; cum hi non in vno sed in multiplici loco, climate, & elemento producantur. Primitùs aliquando originem trahunt in nubibus, deinde in corporibus animalium, tertiò in fluminum ripis, quæ in producendis lapidibus, non sunt vniformes; quandoquidem aliæ tardiùs, aliæ otyùs lapillos gignunt, quemadmodum de flumine Gion Auicennas testificatur. Hic enim amnis, nonnisi spatio triginta trium, annorum calculos procreat.

Præterea non in omnibus fluuiorum ripis lapilli proueniunt; nam aquæ paludosæ lapides potiùs corrumpunt, quàm generent. Insuper copiosi lapides in montibus oriuntur: vnde Torrentes ab illis descendentes naturam lapidum, & montium solent ostendere. Quinimò in aquis etiam lapides nascuntur. Sunt enim quædam aquæ super suas ripas fusæ, quæ lapidibus ortum impertiuntur; idque illis non accidit, quando super alium locum sparguntur. Compertum etiam est, in Pyreneis, esse quædam loca, in quibus aquæ fluuiatiles in calculos transmutantur; cum tamen alibi affusæ, nullam transmutationem admittant. Similiter ligna, quæ in quibusdam aquis diutiùs morantur, in lapides conuertuntur, figuram lignorum adhuc retinentia. Item plantæ aliquæ in illis aquis, & etiam in marinis natæ, ità naturæ lapideæ appropinquant, vt in aere parum exsiccatæ, lapidis formam adipiscantur.

LAPIDIS MOLLIFICANDI, & frangendi ratio.

NON possumus aut tacere, quæ de hoc opere sentimus, aut non sentire illa, quæ de hoc dici debeant. Nam Antonius Mizaldus aliquando scriptum reliquit, quoscunque lapides mirum in modum mollescere posse, si in sanguine calido Bouis, & pinguedine Veruecis, addita portione aceti acerrimi, pernoctent. Item Olaus Magnus monimentis mandauit non alia ratione magis saxa frangi posse, quàm larido accenso, quod verisimile esse existimamus; cum pingue humidum illi sit admixtum idcircò flamma acris diù ibi morari potest. *Vis adipis veruecis.*

Pariter lapis palmi crassitudine frangitur, qui malleo interdum percussus ictum contemnit. Id autem solo pugno præstari potest. Res autem sic se habet, iuxta Cardani mentem. Lapis extenditur supra planum ligneum, sed rectiùs, & meliùs super lapideum; sic autem eleuatur ab altero capite, vt tantummodò sustineatur, nulla vi adhibita; deinde pars saxi eleuata pugno percutitur, quo ictu, simul, & semel plano allidit, & sic in multa frusta finditur. Sin autem pugnus celeriùs, aut seriùs feriat, quàm extremam lapidis tabulam tetigerit, irrita est percussio, & lapis non frangitur: cum enim extremum vnà cum violentia ictus illisum fuerit tabulæ prædictæ, pondus iungitur cum impetu, & fit non secus, ac si vehementi ictu mallei percuteretur. Huius rei causam nobis assignare conatur Cardanus dum inquit id fieri, dum aer, qui est in medio, dilabi nequit: omnis enim motus tempore indiget; quando ergo non dilabitur, necessariò lapidem frangit, cum duo corpora se se penetrare nequeant, nisi quod solidum est scindatur. Hocque inde manifestum esse tradit, quia quantò lapis fuerit latior, & planum vtriusq; æquale, & quantò magis eleuabitur lapis, & celerior fiet ictus, tantò faciliùs lapis ille frangetur. *Lib. 18. de subtil.*

DENOMINATA.

CVM lapis nominibus varijs, tam apud Latinos, quam apud Græcos insigniatur, varia quoque & diuersa sunt, quæ à lapide denominantur. In primis enumerabimus illa, quæ ad lapidem pertinent. Nam lapideum dicimus, quod ex lapidibus constat, & murus ità vocatur, quia ex lapidibus sit integratus. Lapidosum ap-

Lithurgus, & Latomus qui.

appellamus, quod lapidibus abundat. Lapidarium autem dicitur, quod ſpectat ad lapides, & lapidarius exponitur Lapicida, Lithurgus, & Latomus vulgò *Taglia pietre*. Verùm lapillus eſt paruus lapis. Lapidare eſt lapidibus obruere, vel lapides in aliquem iacere. Hinc oritur Lapidator, & Lapidatio. Sed Petrus Crinitus animaduertit varia ſignificata circa lapidationem. Inquit enim legi inter prodigia, de Cœlo lapidatum, loco dicendi, Lapides pluiſse, vt oſtendit illud apud C. Suetonium, de Germanici Cęſaris obitu: verba ſunt hæc: *qua die defunctus lapidata sunt templa*. At per lapidationem factam in aliquem, intelligimus lapides in aliquem coniectos. Macrobius autem nouitatis affectator, lapidare pro inceſſere, vſus eſt. Dilapidare ſignificat expugnare, & deperdere, & elapidare, apud Plinium denotat lapides eximere. Tandem lapideſcere nil aliud eſt, niſi in lapidem conuerti, & in eodem ſenſu, lapire, apud Pacuuium accipitur.

Lib. 25. de honeſt. diſcip. c. 6.

Carcinites eſt locus.

Non deſunt loca quæ à lapidibus denominantur: Per campos lapideos, apud Strabonem, intelligendus eſt locus Galliæ Narbonenſis, in Prouincia, inter Maſſiliam, & Arelatum, apud oſtia Rhodani. Lapis effigiem Cancri imitans in Rubrica differentiarum vocatus fuit Carcinites. At Carcinites, Ortellio teſte, eſt ſinus Tauroſcytarum, vbi eſt Carcina vrbs vulgò *Nigropoli*. Tandem lapides atri indicant locum Hiſpaniæ Tarraconenſis, inter Manteſam, & Iliturgum, vt in Lexico Geographico habetur.

Fonte pietra vbi.

Iam ad denominata accedamus, quæ à nomine Petræ ſumuntur. In primis apud Latinos, Petroſum, & Petricoſum dicitur, quod petris abundat. Apud Athenæum πετροπυία eſt ſtructura ex petris, ſeu ſtructura ſaxea. Item πετρήρεις petris contectus & petroſus exponitur. πετροβόλος dicitur lapides eiaculans, & πετροβόλα ſcilicet organa, ſunt machinæ, quibus Priſci lapides eiaculabantur. Petroleum eſt bitumen liquidum, de quo, in libro tertio inter ſuccos concretos, egimus. In Regione Siciliæ ſacca nuncupata, obſeruantur fons, cuius aqua paulatim in lapides concreſcit. Quocirca apud vulgum *Fontepietra* nuncupatur.

Petrones qui.

Petreia mulier quæ.

Sed magis admirandum eſt, homines etiam à petris fuiſse denominatos. Romani antiquiores, authore feſto, Petrones vocabant Ruſticos, qui à nobis Villani appellantur, à petrarum aſperitate, quoniam ſemper aſperi ſint & rudes. Petreia quoque dicebatur mulier, quæ pompam præcedens in Colonijs, aut municipijs anum ebriam imitabatur; quia petris frequenter pedes impingeret.

Petromarula qualis planta.

Non poſſumus prætermittere varias plantas, quæ à petris denominantur: namque inter has, prima facie nobis ſe ſe offert Petroſelinum, quaſi dicatur Apium petreum (etenim σέλινον Græcis Apium exponit) alis planta à loco natali ſibi nomen comparauit cum in petris, & rupibus libenter proueniat, ſed præſertim creſcit in Macedonia, vbi in altitudine abrupti ſaxi oritur. Hinc, apud Authores, Petroſelinum Macedonicum in Medicinis ſummoperè commendatur. In deſcriptione montis Baldi delineatur quędam planta nomine Petromarula, quoniam vulgò Cretenſi πετρομάρελα vocatur, ideſt Lactuca petrea, nam cum folia cichorij habeat, ob lactis abundantiam, lactucæ nomen promeruit. In eodem libro deſignatur planta nomine Sedi petrei Bupleuri folio, necnon Trachelium minùs petreum lignoſa radice, quæ plantæ è rupibus montis Baldi quaſi emergere videntur. In ijſdem locis, Veronica petrea ſemper virens inter ſaxa pullulat. Ibidem quoq; oritur ſaxifragia alba petrea. Immò ex rimis ſaxorum eiuſdem montis Thlaſpi alpinum petreum facie Myagri erumpit. Deniq; apud Græcos πετροφυὴς exponitur adhærens ſaxis, & hoc nomine donatur etiam quæuis planta in petris naſcens, vt apud Dioſcoridem legitur.

Saxetum quid.

Sin conuertamus animum ad illa, quæ à ſaxo denominantur, primò incidemus in ſaxulum diminutiuum ſaxi, quo vocabulo paruum ſaxum denotatur. Saxetum locum ſaxoſum, & petricoſum deſignat. Saxatile dicitur, quod ſaxa incolit, ſaxifragum quod ſaxa frangit, & ſaxificum, quod habet vim aliquid vertendi in ſaxa. Saxeum vocatur, quod conſtat ex ſaxis, necnon ſaxoſum, quod ſaxis abundat. Hac de re montes ſaxei, & ſaxoſi ab Authoribus appellantur. Litora quoque ob copiam lapidum ſaxoſa nominantur: immò & Mare, ob eamdem rationem, ſaxoſum cognominatur. Pariter grando, ob ſimilem duritiam, nuncupatur ſaxea: quocirca apud Poetas imber ſaxeus. Pariter grãdo, ob ſimilem duritiam, nuncupatur ſaxea: quocirca apud Poetas imber ſaxeus legitur. Similiter chiragra ob materiam duram in articulis latibulantem

apud

A apud Persium, nuncupatur saxea, nec immeritò: quandoquidem chiragra nodosa laborantes sæpiùs ab articulis tophos gypso similes extrahunt. Item apud Indos, gummi quibusdam arboribus adhærens, ob insignem duritiam appellatur saxeum, quoad pellendos capitis dolores à vaporibus ortos, feliciter vtuntur. *Chiragra vocatur saxea.* *Gummi saxeum vbi.*

Insuper sunt Populi Germaniæ duritia, & fortitudine insignes nuncupati Saxones, qui, teste Isidoro, sunt validissimi, & horum Regio ampliſſima est Saxonia, quæ in superiorem, & inferiorem diuiditur. Saxum ferratum est oppidum in finibus Vmbriæ, quod num à Saxo fuerit denominatum, non satis constat: Rursum Poetæ Medusam indigitarunt saxificam, cum intuentes Medusæ caput, in saxa verti dicerentur. Huius meminit Ouidius in Ibin.

Saxificæ videas infælix ora Medusæ.

Metaphoricè etiam mens illa appellatur saxea, quæ flecti nequaquam potest.

Iam accedamus ad plantas à saxis cognominatas, quarum numerosa farrago à Botanicis memoratur, taleque nomen sibi à saxis vindicarunt, vel quia in comminueu-
B dis, & frangendis calculis miram prærogatiuam possideant, vel quoniam inter rupes, & saxa frequentissimè nascantur. Harum multę sub nomine Saxifragæ, vel Saxifragiæ, apud Matthiolum, delineantur. Pariter in descriptione montis Baldi figuratur Saxifragia Bauarica, quæ semper inter scissuras rupium, & saxorum colligitur. Caryophillus sylvestris flore minimo, siue Tunica minima in Herbario Lugdunensi descripta, apud Lobellium in Iconibus, Saxifraga, vel Saxifragia veterum nominatur. Peucedanum Pannonicum Clusij, Saxifragia tertia Matthiolo vocatur. Daucus montanus multifido folio apud Bauhinum in phytopinace, Carolo Clusio Saxifragia Pannomia dicitur. Daucus facie Seseli pratensis, in Phytopinace, est Saxifragia Anglicana apud Lobellium in obseruationibus. Pimpinella maior vmbella rubente est saxifragia maior rubente flore apud Gesnerum in Horto medico. Pimpinella minor apud Bauhinum Saxifragia parua Dodoneo nuncupatur. Tandem Solanum vesicarium, siue Halicacabum Dioscoridis, atq; Lobelli, Saxifraga rubra & quarta apud Brunfelsium esse perhibetur. *Tunica minima quæ.*

C Succedunt nomina græca, quibus apud Authores lapis significari solet, & primum est λίθος; vnde pendet λιθοσόος apud Nonnium nempè lapidator. λιθοβόλος dicitur, qui iacit lapides. λιθολκοὶ vocantur, qui lapides ex lapicidinis extrahunt; hos Plinius exemptores appellat. λιθολόγος exponitur, qui lapides ad aliquod opus idoneos seligit. Sed Lithologi apud Tucydidem recensentur inter ministros, qui architectis subseruiunt. Λιθεργος est qui lapides ela borat. Λιθ ξόος, qui lapides scalpit, & radendo complanat. Λίθογλύφος dicitur Statuarius. Λίθοτομος item λατόμος vocatur lapicida, necnon Chirurgus, qui calculos ab animantibus extrahit Λιθ. δερμος nuncupatur tectus pelle lapidea, nimirùm tectus corio, cuius durities lapidem æmulatur. Demùm λιθοκέφαλος cognominatur ille, qui lapideo, & duro capite est præditus. Nonnullæ etiam plantę ab hac voce cognomentum acceperunt. Nam λιθοδενδρον exponitur arbor lapidea, quam aliqui corallum interpretantur. Lithospermon est herba Græcis, & Latinis ita nominata ob lapideam seminis duritiem; cum nil aliud exprimat hoc vocabulum, quam semen lapideum. Huius plantæ multæ species apud Authores botanicos enumerantur, nem-
D pè Lithospermon maius, & minus Matthioli, & Dodonei, Lithospermon nigrum Dalechampij, Lithospermon Anchusæ facie Lobellij, nec non Lithospermon arundinaceum, quod Botanici lacrymam Iobi nuncupant. *Lithologi qui sint.* *Plantæ à lapide denominatæ.*

Cirea loca, in lexico geographico legitur Lithophaum oppidum Galliæ Celticæ, & Lithoprosopus mons Phœnicis, qui apud Ptolemeum vocatur Theuprosopon Promontorium, inter Tripolim, & Botrim. *Loca ab hac voce.*

Denique multa alia etiam inanimata ab hoc vocabulo denominantur. Lithiasis est nomen affectionis illorum, qui calculo laborant. Λιτὸκολλα apud Dioscoridem est glutinum, quo lapides ferruminantur. Monolithos est Obeliscus, vulgò *Aguglia*, apud Plinium nuncupatur obeliscus integer, & solidus. Λιθοτριθικὴ est ars apud Suidam, qua lapides ad ornamentum elaborantur. Λιθόστρωτος lapidibus stratus exponitur apud Plinium. Nonnulli tamen Lithostroton dicunt esse opus musaicum apud Plinium, aut emblema vermiculatum apud Ciceronem: est enim opus ex lapidibus variorum colorum constractum. *Monolithos quid.*

Legi-

Legitur apud Græcos aliud vocabulum, nempè λᾶς, ſignificans lapidem, vnde Græci populum λαὸν dixerunt, vt pindarus arbitratur, ob iactum fabuloſum lapidum Deucalionis, & Pyrrhæ. λατόμος vocatur apud Pollucem, qui tundit, vel percutit lapides ad opus. Hic Latinis dicitur lapicida. Latomiæ locus eſt Siciliæ apud Siracuſas, vbi ſunt lapicidinæ vulgò *le Tagliate*. Sunt etiam, teſte Strabone, Latomiæ in Latio apud agrum Gabiorum. Itaque Latomiæ, vel Latumię appellantur Lapicidinę, vnde Latomus, nempè Lapicida dicitur. Latomias autem fuiſſe carceres Syracuſis, author eſt Cicero. Sed alij apertiùs tradunt Latomias fuiſſe loca cauernoſa, vbi exciſi fuerunt lapides ad vrbis ædificium. Officina igitur, in qua cęduntur lapides, & Latomia, & Lithotomia nuncupatur.

Latomiæ quid, & vbi.

Lib. 4. in Ver.

Neque præter inſtitutum erit recenſere illa, quę à ſcopulo denominantur, cum ſcopulus, pro ſaxo eminenti, accipiatur. Monet igitur Petrus Crinitus olim in quadam Arabię Prouincia, genus quoddam criminis σκοπελισμὸν fuiſſe appellatum, quando aliqui, inimicorum prędium ſolebant σκοπελίζειν, ſcilicet in illo lapides ponere, vt eſſet indicium, quòd is, qui eum agrum coluiſſet, malo letho eſſet periturus inſidijs eorum, qui ſcopulos, nimirum lapides poſuiſſent, hęc autem res tantùm habuit timoris, vt nemo ad illum agrum accedere auderet, metuens illorum crudelitatem, qui Scopeliſmum feciſſent. Hanc rem Prędides vſque ad pœnam capitis exequi ſolebant, quoniam, & ipſa res mortem comminabatur.

Lib. 8. de honeſt. diſcip. ca. 10.

Scopeliſmus quid.

EPITHETA.

OMNIVM calculis approbandum eſt, vt calculorum, ſeu lapidum, & ſaxorum epitheta recenſeantur; cum lapis, & ſaxum tantum modo, ratione magnitudinis, & paruitatis inter ſe diſcrepent, vt ſuperiùs monuimus. Primùm igitur ratione primarum qualitatum, vocant lapidem, vel ſaxum frigidum, gelidum, & humidum. Verùm quia in locis humentibus lapidi diutiùs moranti ſupercreſcit, & ei adhæret muſcus; hac de re à Poetis muſcoſus lapis fuit appellatus. Quoad ſecundas qualitates, ſaxum cognominatur durum, ſolidum, & adamantinum. Idcircò, in hoc ſenſu, apud Nazianzenum, εὐφαγὴς legitur, quaſi bene compactus, & ſolidus. Apud alios ἀτειρὴς indomita petra. Item σύγερη grauis, necnon terribilis ob percuſſionem. Immò fortaſſis apud Theocritum, lapis dicitur ἀτέραμνος, quaſi naturæ indomitæ, necnon incoctilis, cum nullam coctionem admittat. Similiter Latini reſpicientes ſecundas qualitates, lapidem rigidum, ſcabrum, ſalebroſum, aſperum, & ſcrupoſum indigitarunt. Quocirca Græcis quoque ἐυξελὴς πέτρη, nempè lapis aſper vocatur. Item apud Homerum in Odyſsea, λίθαξ, nempè petra aſpera dicitur. Demùm lapis apud Theocritum λεπρὸς propter ſcabritiem nominatur.

Epitheta græca.

Deinde, ratione loci, Authores ſaxum apricum, inuium, dumoſum, montanum, & montoſum nuncupant. Pariter conſiderantes ſaxum ingens in Mari appellarunt prominens, & fortaſſis in hoc intellectu, πέτρα nuncupata fuit ab Euripide ἀντίπυργος, quaſiquòd ob magnitudinem, turri poſſit comparari. Rurſus in hoc ſenſu ſaxum vocatum fuit Naufragum, Præruptum, & Vndiſonum. Quapropter ab alijs Græcis lapis dicitur ἀκταῖος, nempè litoralis. Immò in Odyſſea, πλαγὴ Petra nominatur, quoniam per aquas fluuiorum vagetur. Tandem ſaxa maris ab impetu fluctuum exeduntur, & rimoſa, necnon cauernoſa euadunt. Vnde mirandum non eſt, ſi ſaxum apud Poetas, Adeſum, Concauum, Rimoſum, & Latebroſum dicatur.

Demùm, ratione vſus, & operis, lapis varia epitheta ſortitus eſt: nam legitur apud Homerum πέτρῃ γλαφυρῇ, quaſi dicatur lapis cauus, & ſculptus, cum ad varia opera excauari, & ſculpi poſſit. Item apud Nonnium habetur πέτρα ἀδῶλητος, nempè lapis rudis, quo nemo, in ſtruendis ædificijs, vſus eſt. Ad finem lapis cognominatur Græcis θανατηφόρος, nempè mortifer, cum, ex vehementi illius percuſſione, non modò hominibus, ſed alijs quoque animantibus mors inferatur.

Saxa cur dicãtur adeſa.

A

ADAGIA.

CVM de Prouerbijs sæpè apud omnes sermo incidat, non erit à ratione alienum nonnulla de illis verba facere, quæ à natura lapidum, vel saxorum sumuntur. In primis solet hoc circumferri. *Omnem mouere lapidem*. Nimirum omnes exercere conatus, vt aliquod negotium perficiatur. Non absimile est aliud. *Per saxa, per ignes*. Hoc profertur, quando omnibus intendimus neruis, vt aliquid peragatur. Vnde huc respiciens Horatius in Epistolis sic cecinit.

Impiger extremus currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Vice versa, quando omnis labor, in aliquo perficiendo negotio, incassùm adhibetur: Solet adagio dici. *Omnis lapis inanis*. Huic est valdè simile illud *Lapidem elixare*.
B Nimirum oleum, & operam perdere. Item *saxum voluere* est adagium prolatum in illos, qui labore inutili fatigantur. Ductum videtur hoc adagiũ ex notissima Sisyphi fabula, qui saxum, apud Inferos, sursum, & deorsum voluere perhibetur. Posteaquam in motum lapidis incidimus nolumus prætermittere illud. *Saxum volutum non obducitur musco*. Spectat ad hominem inconstantem, qui de re aliqua firmam non habet opinionem. Vel profertur de illo, qui in eodem loco morari nescit: Vnde rarò fit, vt ditescat; quandoquidem planta, quæ sæpiùs transfertur, non coalescit. Superiori affine est alio *Verberare lapidem*. Spectatque ad illum, qui indocilem erudire conatur. Præterquamquòd de omni opera inani pronunciandum est. Ab hoc non multum recedit aliud. *In saxis seminare*. Etenim qui hoc peragit, in aere piscatur; aut quia huiusmodi terrenum non possit aratro proscindi; aut quia plantæ in saxis radices figere nequeant. Ideò Ouidius, ad rem, aliquando cecinit.

Sisyphi fabula.

—— *quid arenæ semina mandas,*
Non profecturis litora bobus aras.

C Pariter ex duritia lapidis alia resultant adagia: veluti. *Est tibi cor lapide durius*. Apud Theocritum extat πανλίθος, idest totus saxeus; proferturque de illo homine, qui vllis precibus flecti nequit. *E saxis, & quercubus nati*. Hoc adagium non solum iactatur in homines obscuro genere natos, sed etiam in illos, qui prauis moribus, & effero ingenio sunt præditi: ductum creditur adagium à Veteribus, qui in cauitatibus saxorum, & quercuum habitabant. At de homine vorace hoc circumfertur. *Lapides voraret*. Vel, *Batylum deglutiret* Etenim Batylus nuncupatus fuit lapis, quem Saturnus pro Ioue deuorauit. Ad duritiẽ quoq; lapidis spectat illud recitatũ à Cicerone. *Lapides flere cogeret*. Id de efficacia alicuius oratoris pronunciatur. Deinde ad significandum, omnia tractu temporis, consumi, adagio hæc proferuntur verba, *Lapidem etiam tempus vitiat*. In eodem intellectu, promulgatum esse videtur aliud. *Assidua stilla saxum cauat*. Quamuis prolatum esse videatur ad indicandum, nihil esse tam durum, & tam arduum, quod assiduitas non emolliat, atq; superet. Quandoquidem Plinius aliquando scriptum reliquit, nonnullos inueniri silices pedibus formicarum attritos. Namq; assiduitate
D quælibet etiam ardua negotia peragi possunt. Propterea Ouidius huc respiciens cecinit hunc in modum.

Veterum habitationes quæ.

Quid magis est durum saxo, quid mollius vnda,
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Item de homine imperito, atq; ignauo diuulgatur hoc adagium. *Non plus habet sapientiæ, quam lapis*. Huic pariter est conforme aliud. *Est fructum lapidis*. Namq; ad hominem stupidum, atq; inertem spectat. In hoc sensu diuulgatur aliud *Lapis sedet super lapidem*. de homine rudi, atq; indocto, qui sedens in theatro, vt alicui spectaculo interfit, nihil tamen intelligit. Hoc prouerbium Aristippus inuenit, qui aliquandò interrogatus, quid adepturus esset filius, si erudiretur: respondit nihil aliud, nisi quòd in theatro non sedebit lapis super lapidem. Plutarchus quoq; in Symposiacis aduersus ignauos hoc citat adagium. *Pugna erat in saxis, neq; saxum tollere quibant*. Cum hi neq; etiam in sui tutelam aliquid operari sciant.

Aristippi responsum.

Præterea si cõsideretur lapis quatenus offendit, alijs quoq; adagijs ansam præbuit.

Etenim

Etenim hoc circumfertur. *Mulier barbata ſaxis eſt ſalutanda.* Quamuis alij tradant, mulierem barbatam eminùs eſſe ſalutandam, quia olim crediderunt occurſum fœminæ præter naturam barbatæ ominoſum fuiſſe, aut potiùs ex fœminea barba, prauæ mentis indicium eliciendum eſſe. *Ad eumdem lapidem offendere.* Promulgatur de illis, qui rurſus eundem incurrunt errorem; quandoquidem primus error veniam promereri videtur, ſed culpam iteranti venia dari minimè ſolet. Quare Ouidius huc reſpiciens cecinit.

Lib. 2. Triſt. *Saxa memor refero rurſus ad icta pedem.*

Quapropter in huius ſententiæ confirmationem vulgò dici ſolet. *Stultus bis ad eumdem lapidem.* Inſuper de graui periculo capiti imminente hoc adagium recitatur. *Lapis Tantali.* Vnde Virgilius id iactat in Lapithas, Ixionem, & Perithoum, quando canit.

Lib. 6. Æneid. *Quid memorem lapithas, Ixiona, Perithoumq;*
Quos ſuper atra ſilex iam iam lapſura cadenti.
Imminet aſsimilis?

Iactatur quoq; in aliquem verſantem in anguſtijs hoc prouerbium. *Inter ſaxum & ſaxum.* Nam Tyndarus apud Plautum alterè captiuis, cum proditis dolis eſſet deprehenſus, nec haberet artem, qua elabi poſſet, tandem in hæc verba prorupit. *Nunc ergo inter ſaxum, & ſaxum ſto:* Hoc non multum recedit ab alio, quando dicitur *Inter malleum, & Incudem,* aut *inter calceos, & murum.* Huic ſuccedit aliud huius tenoris *Iacto lapide manum tegere.* Nimirum, aculeo infixo, fugere. Effertur de illis, qui commiſſum errorem tegere conantur. *Verbum prolatum eſt, ſaxum iaculatum.* Pertinet ad illos, qui ſæpius inconſultè loquuntur. Hinc Flaccus in Epiſtolis ſcriptum reliquit.

Et ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Rectiùs autem in Poetica cecinit.

—— *neſcit vox miſſa reuerti.*

Idem quoq; de lapide pronunciandum eſſe conſtat. *Lapidem altera manu ferre, altera panem oſtentare.* Attinet ad illos, qui coram, amicos agunt, & clanculum nocent. Prouerbium hoc tranſlatum videtur ab illis, qui, pane porrecto, canes alliciunt, deinde accedentibus ſaxum illidunt. *Panis lapidoſus.* Pronunciatur de benefitio dato, cum aſperitate orationis, cum oſtentatione moleſta, & cum toruitate vultus. Etenim ſimile beneficium à Seneca tali nomine inſignitur. *Tetigit lapidem à cane morſum.* Iactari poteſt in hominem conuitiatorem, & rixoſum; cum vulgus crediderit hominem calcantem lapidem

Lib. 2. de Benef. à cane morſum, fieri iracundiorem. Deinde, *calculo mordere,* dicuntur, qui ſuffragio lædunt, aut vlciſcuntur: quandoquidem, hac ratione olim Plebei vindicabant, ſi quid eſſent offenſi: nam refragabantur in concione, dum calculum nempè votum ſuum præbebant, & hoc modo, non dente, ſed calculo mordere dicebantur.

Denique lapis ad opera directus, adagijs quoq; occaſionem præbuit. Primò dicitur. *Lapis ad funiculum.* Hoc prouerbium pronunciatur, quando aliquis rectè operatur: ſiquidem lapis ad amuſſim eſt accommodandus, non autem amuſſis ad lapidem. Sic docemur, quòd humana vita, iuxta leges, eſt corrigenda, non autem leges, iuxta humanos mores ſunt accommodandæ. *Paruus lapis mægnum currum inuertit.* Hoc effertur ad ſignificandum, quòd virtus non conſiſtit in mole corporea. Quamobrem Ouidius ad rem cecinit hunc in modum.

Lib. 2. de remed. Amor. *A Cane non magno ſæpè tenetur Aper.*

Prouerbium quoq; veterum ſapientum Hæbreorum eſt tale. *Niſi eleuaſſem lapidem, non inuentaſſet Margarita ſub eo.* Hoc quadrat in illos, qui ab aliquo negotio difficultatem tollunt, vt poſtmodum cęteri abſq; vllo labore vtilitate fruantur. Cicero, in oratione pro Plancio, meminit huius adagij. *Lapidem è ſepulchro venerari pro Deo.* Hoc non valdè diſcrepat ab alio, quod idem Author alibi recitauit hunc in modum. *Arcem facere ex cloaca.* Sic enim indicantur illi, qui rem nullius valoris plurimi faciunt, amplectuntur, & admirantur. Ab his adagijs non multum recedit hoc. *Omnem nitidum lapidem adorat,* ſpectat ad illum, qui mulierem quamcumq; deperit, quam conſpicatur. Poſtremo loco recitatur hoc *Irriſibilis lapis.* Proferturq; de re valdè acerba, & triſti, & prouerbium ductum traditur à ſaxo quodam in Attica, in quo Ceres conſediſſe fertur, quando, relicto Cælo, ſuccenſis facibus, Proſerpinam à Plutone raptam quæritabat, quæ cum veniſſet Eleuſinem, ibi mæſta in ſaxo quodam cõſedit, & hac de cauſa id ἀγέλαστον, nempè irriſibile nuncuparunt.

PRO-

PRODIGIA.

POSTEAQVAM lapides ad prodigia etiam spectare obseruauimus, non piguit hoc in loco insigniora recitare, quæ Lector translegere non aspernabitur. Itaq; Iulius Obsequens narrauit, anno ab Vrbe condita centesimonono, pluisse lapides, & paulò post maximam pestilentiam fuisse subsecutam. Pariter ex eodem authore, anno vndecimo post quadringentesimum, ab Vrbe condita, pluisse lapides perhibet, facta dedicatione templi Iunonis Monetæ. Item, anno quadragesimo secundo supra quingentesimum, spatio bidui, lapides plui se, & saxum ingens per aerem volasse tradit. Idque res aduersas Romanorum præsagiuit: nam bis ab Annibale superati, & ambo Scipiones in Hispanijs cæsi fuerunt. Idem Iulius Obsequens prodit, anno ab Vrbe condita quadragesimo nono post quingentesimum sæpè pluisse lapides, & repetit, anno ab eadem Vrbe condita quinquagesimo secundo post sexcentesimum, lapides pluisse, & hastas Martis per se vibratas fuisse, resque Romanas benè se se habuisse: nam Lusitani victi, vlterior Hispania pacata, & Cimbri prorsus deleti sunt. Titus etiam Liuius, tum decade prima, tum decade tertia, non solùm in Albano monte, sed etiam in Piceno, pluries lapidibus pluisse testificatur. Modognetus, in Vita M. Aurelij Imperatoris scriptum reliquit, Constantinopoli, temporibus Valentiniani Imperatoris, ita lapidibus pluisse, vt iumenta ferè omnia extincta, & ciuium non pauci perempti fuerint. Sed nouissimè Surius in Commentarijs anni nostræ salutis noni post sesquimillesimum, meminit sæuissimæ procellæ, in qua lapides oui gallinacei magnitudine ab aere deciderunt. Item anno subsequẽti scribit pluisse in Insubribus saxa grandia, quorum vnum centum, & viginti libras pendebat. Hæc silicibus duriora, & odore sulphureo praedita fuisse refert.

In lib. de prod.

Lib. 1. cap. 25.

Posteaquam in saxa grandia incidimus, non erit ab re reuocare in memoriam maximum lapidem è Cælo delapsum, anno quingentesimo septuagesimo septimo ab Vrbe condita, vt Iulius Obsequens testificatur. Pariter saxum ingentis molis ex Fulgosio, in Thracia ad flumen Ægos cecidit, anno secundo octauæ Olympiadis supra septuagesimam. Inter nuperos Authores, Platina, in Vita Ioannis Decimi tertij Pontificis maximi, scriptum reliquit, in Italia, sæuiente Ventorum procella lapidem visendæ magnitudinis è Cælo cecidisse. Item magnus è Cælo descendẽs lapis visus esse traditur, paulò antequam Lysander angustissimo temporis spatio, tam magna fælicitate, aduersus Athenienses frueretur. Vicissim pernicioſum fuit augurium Aristotimo Athenienſium tyranno saxum è sublimi loco ad Aquila demissum in eam tecti partem, sub qua Tyrannus cum vxore cænabat: nam paulò post ab Hellanico, & alijs ciuibus fædissimè fuit trucidatus. Plinius quoq, narrat lateribus pluisse, cum Milo interfectus est Similiter, ex Maiolo in Colloquijs, anno salutis humanæ millesimo trecentesimo non procul à Crema, in Agro Ripaltensi, Cælo sereno, lapis magnitudine humani capitis, ingenti fragore ab aere descẽdit, & intra terram penetrans in duas partes scissus est. Anno etiam millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, ex Fulgosio, ad ripas Rheni propè oppidum Cushein, VI. Kal. Decembris, lapis forma triangulari ponderis librarũ trecentarum ab alto decidit. In portu Mongiæ, hęc prodigia in saxis apparent, vt recitat Ioannes Eusebius Iesuita, excrescentes enim marini fluctus dum saxa offendunt, cruces, & balistas perfectissimè sculpunt, quæ, pelago detumescente, in illis effigiatæ apparent; rursusq; Oceani ęstus, sequenti die, omnes dolet, & in alijs rupibus eas formet, delendas succedenti æstu, & alibi imprimendas. Similiter in Heluetia, authore Lycosthene, anno quinquagesimo sexto post sesquimillesimum, die Lunę, post festum Diui Galli, non procul ab oppido Vuinterhut, in Theso flumine, tres lapides naturę filiceę inuenti fuerunt, in quorum primo crux Heluetica, gladius, & virga conspiciebantur, in reliquis duobus, crux, & Insignia Burgundiaca à Natura perfectè formata visebantur, veluti apparet in sequenti Icone.

Lib. 1. cap. 4.

Lib. 2. cap. 58.

Lib. 1. de mir. nat. Europ. cap. 22.

Cruces, & balistæ in saxis.

Lapides cum figuris à Natura factis, in flumine Iheſo inuenti.



Prædictis tanquam coronidem addemus hiſtoriam pluuiæ cuiuſdam lapideæ, quæ anno Domini vigeſimo ſecundo poſt milleſimum, & ſexenteſimum, in China accidit, vt Aluarus Ieſuita in relatione Chinenſi, nouiſſimè memorauit. Habent igitur Chinenſes, vt ipſe tradit, tres ſectas, quarum ſecundam ſectantes, Tauſi nuncupantur, cuius quidam Tauſa Philoſophus author fuit. Hi non modò Dæmoniacos liberare, ſed etiam ſuis precibus de Cælo pluuias extorquere poſſe profitentur. Quare prędicto anno milleſimo ſexenteſimo vigeſimo ſecundo, cum China inſigni ſiccitate premeretur; Tauſi ſtatutis hora, & tempore imbrem copioſum promiſerunt. Itaque Populus, hoc intellecto, plauſu, & lætitia in publico foro geſtiebat. Hi aſcendentes altam contignationem ad id in platea fabricatam, nonnullas cæperunt murmurare preces, & eo tempore den-

Part. 1. cap 18.

densæ nubes totum obscurarunt Cælum, quæ, loco aquæ, copiam lapidum magnitudine ouigallinacei, fuderunt, talisque imber lapideus segetes, hortos, & omnia viridaria dissipauit, multis etiam hominibus peremptis, qui in loco aperto versabantur. Quamobrem tunc Iesuitæ ibi morantes, ob tantam lapidum confusionem, & strepitum, nouissimum diem accessisse credebant. Interea Tausi, loco præmij, fustibus diligenter cæsi fuerunt.

SYMBOLA.

VIRI in litteratura politiori insignes, & potissimũ Claudius Paradinus, in libro symbolorum Heroicorum, figurauit lapidem quadratum, in quem emissa sagitta infringitur, cum hoc Dicto. INFRINGITVR SOLIDO. Sic enim designatur calumnia in virum cordatum illata, quæ aduersus calumniatorem reuertitur. Solebant etiam Antiqui delineare lapidem rotundum, in quo Sol, Temo, & Patina cum igne conspiciebatur; vt infinitatem significarent; quoniam, Sole, Omnipotentiam, Temone, vniuersalem prouidentiam, & Patina ardente, amorem ostendebant. Cartarius etiam in sua Iconologia scriptis mandauit, quòd lapis rotundus, & compressus, instar placentæ, in summitate virgæ collocatus Solem apud Priscos designat. *Solis symbolum.* Quinimò, ex eodem authore, apud Phœnices lapis niger acuminatus cũ lata basi pingebatur, & hunc è Cælo habuisse dictitabant. Hoc symbolo, Solem indicabant. Eadem pictura apud Megarenses visebatur, qua Apollo designari ferebatur.

Apud Costaliũ memoratur, & figuratur lapis, qui integer marinis aquis supernatat, fractus verò submergitur. Hoc symbolo, humana concordia denotatur, qua homines muniti omnia superant; sed, ipsis inter se dissidentibus, omnia collabuntur. Tandem delineatur lapis, qui chalybe percussus scintillas fundit; cum hoc Dicto. NON SINE MOTV. quo symbolo possumus ostendere hominem, qui propter otium virtutem sibi innatam non demonstrat.

HISTORICA.

QVAMVIS, spirante Minerua, huiusmodi historiæ non erunt elucubratæ: nihilominus his quodam rudi modo exaratis, Lector delectari poterit. In primis Aristoteles narrauit petram esse quamdam in loci montanis Apolloniatidis, ex qua ignis dimanans non cernitur, sed oleo perfusa, illicò flammam fundit. Huic non multum est absimile, quod scripsit Plinius, nimirum, in Agro Sabino, & Sedicino, vnctum flagrasse lapidem. Sed maiori admiratione dignum est, quod recolit Ortelius, nempè in Scotia, & Agadia nasci lapidem, qui si stramentis, aut stupæ supponatur, statim incendium parit. Item in Scotia est, & præsertim in Coy Prouincia, saxum, quòd à proprietate surdum nuncupatur; altitudine est pedum duodecim, amplitudine ad triginta tria extenditur. Itaque si in vno latere fiat fragor, & sonitus etiam, instar strepitus Bombardæ, is, teste Ortelio, in altero latere non auditur, nisi quis remotissimè absit à lapide. Cardanus quoque recitat lapidem fuisse in Olympia, qui ita perterrefaciebat equos, vt, minis, & verberibus Aurigarum contemptis, currus frangerent, & sessores excuterent. Quapropter talis lapis, ab hoc effectu, Taraxippus, quasi equorum conturbator, & formido vocabatur. Quare Cardanus id contingere posse tradidit, quia lapis ille ruberet, aut splendorem flammeum emitteret, vel equorum imago ibi reluceret: vnde equi, vel ignem imaginati, vel propria specie decepti in fugam vertebantur; cum equi ignem maximoperè formident. Nonnulli etiam monimentis mandarunt inuenitri lapidem, qui aliquandiù ignem, & interdum aquã fundat, & hac ratione aqua in ignem, & ignis in aquam verti videatur. In hoc igitur Ouidius fuit veridicus, quando cecinit hunc in modum.

Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas.

Quocirca in monte Gonio Ditione Carthaginensi, iuxta quemdam fontem, nascitur petra magnitudine non exigua, quæ tempore æstiuo quid igneum emittit; Hyeme verò ri-

In lib. de Admir. cap. 34.

Lib. 2. cap. 107.

Lib. 7. de subtil.

rò riuum aquæ fundit. Neq; hoc breui temporis ſpatio præſtat: namq; ex petra, Æſtate E
tota ignis, & vrgente bruna, aqua erumpit, vt Ariſtoteles in libro Admirabilium annotauit. Similem naturam lapidis Boccacius in monte Euranio reperiri tradit. Quinimò idem Author agens de montibus, narrat, quòd in Phrygiæ Syphilo monte naſcitur
Cap. 109. lapis rotundus, inſtar columnæ, qui non permittit, vt filij iuſſis Parentum reluctentur. In Hydaſpi, ex Plutarcho de fluuiorum, & montium natura, oritur lapis nomine Lychnis colore viridi refertus, & valdè feruidus; hic, Luna creſcente, ad tibiarum ſonum
[illegible] eſt [illegible] nomē [illegible]. reperitur, quo vtuntur illi, qui ſunt inſigniores.

Præterea ſcribunt multi, & præſertim Cteſias, in Pactolo Lydiæ fluuio, lapidem Chryſophylacem nuncupatum oriri. Hic eſt argento perſimilis, & cum arenæ ſit permixtus, facilè non inuenitur. Attamen, ob præſtantiam virium, ipſum à Lydis emunt, & ante aditum theſaurorum tanquam cuſtodem collocant: quandoquidem, furibus accedentibus, clangorem tanquam tuba fundit. Pauſanias quoq;, in Arce Megarenſi, lapidem quemdam fuiſſe recitat, qui lapillo percuſſus, ſonum citharæ edebat: quapropter Antiqui fabulabantur ibi ab Apolline citharam fuiſſe repoſitam. Cardanus F
Lib. 7. de ſubtil. tamen huius effectus cauſam inueſtigare nititur, dum inquit: ſi citharę reſonant, quia lignum cauum, & ſpongioſum ſit, & in multiplices anfractus diuiſum: idcircò quid tale in hoc lapide excogitandum eſt. Immò, præter internas lapidis cauitates, metallicam materiam huic lapidi ineſſe putat, quę ſono apta eſſe perhibetur.

Amplius, ex Maiolo in Colloquijs, quidam lapis Memnonis fuiſſe traditur, qui cum in egregiam ſtatuam fuiſſet ſculptus, radio ſolis orientis percuſſus, quotidie vocem
Lapis Memnonis. quamdam edere ſolebat; donec Chriſtus in vtero Diuę Marię Virginis ſemper intactæ humanam formam induit: ſicuti reliqua falſorum Deorum numina, & Ægyptiorum ſimulacra ceſſarunt, in quibus Hoſtis humanę naturę Ethnicos multifariam Indificabat. In Sagai Phrygiæ fluuio inuenitur lapis nomine Authoglyphus, qui ſimulacrum matris Deorum habet impreſſum. Hunc ſi quis inuenerit (raro tamen reperitur) nullius rei admiratione capitur. In monte etiam Berecyntho lapis naſci perhibetur, qui ferro eſt ſimillimus, & gladius nuncupatur. Hunc ſi quis reperiſſet, dum Cibeles ſacra celebrantur, inſania corripi dicitur. Ex altera parte Pauſanias monimentis mandauit la- G
pidem in Laconia illaboratum fuiſſe, in quo cum ſediſſet Oreſtes, furorem depoſuiſſe traditur: quocirca ob proprietatem linguæ doricæ, huiuſmodi lapis Iuppiter καπῶτας dicitur, vt Pauſanias interpretatur παρὰ τὸ καππάνειν, quod communi lingua κατάπανειν pronunciatur, & ſedare ſignificat.

MYTHOLOGICA.

IN Libycis montibus lapides admirandæ naturæ produci narrant, qui non aliter, quàm aſpectus Lupi intuentes reddere mutos feruntur. Arabes quinetiam tradunt ex his admirandam domum ab Alexandro conſtructam fuiſſe; immò ad quęrēdos, & conuehendos huiuſmodi lapides, Ariſtotele monente, ſeruum fuiſſe præmiſſum, qui mutefactus lapidem publicaret, iuſſus ſtatim tegere ſaxum, ne Vectoribus nocumento eſſet. H

Præterea fabulati ſunt Poetæ, iactu lapidum poſt terga, Deucalionem Promethei filium, & Pyrrham Epimethei filiam, poſt vniuerſale diluuium, genus hominum reſtituiſſe, fabulam hanc cōmemorauit Ouidius, poſteaquam oculis ſubiecit cataclyſmum
Lib. 1. Metam. illum, quo genus humanum omne deletum eſt, dum canit hunc in modum.

Diſcedunt; velantq; caput, tunicasq; recingunt
Et iuſtos lapides ſua poſt veſtigia mittunt.

Cap. 154. Lib. 1. Biblioth. Idem Hyginus, & Apollodorus repetunt, ſed portentoſiſſimum eſt, quod de origine matris Deorum, nempè Cybeles ex Deucalioneo lapide narrat Arnobius excerptum ex commentarijs cuiuſdam Timothei. In finibus Phrygiæ petra quædam eſt inauditæ vaſtitatis, cui nomen eſt Agdus, vt volunt Indiginæ. Ex illa lapides ſumptos, Themi præcinente, Deucalion, & Pyrrha in orbem vacuum iactarunt, ex quibus, cum cæteris mortalibus, magna hæc mater diuinitùs informata, atq; animata fuit. Ouidium cum legimus, proculdubiò ſtatuimus ipſum, & eos, à quibus, & hoc, & alia multa illorum libro-

rum

A rum commenta deduxit, de vero Noæi diluuio, causisque tanti supplicij, per nebulam saltem aliquid audiuisse, quam auditionem postea, & alias nonnullas, easdemque verisimas rerum gestarum narrationes mendacijs poeticis inuoluerunt, & inquinarunt. Etenim veram terrarum eluuionem, de qua in libro Geneseos agitur, cum suis causis grauissimus Author Philo Hebræus elegantissimo commentario disseruit.

Quapropter, vt ad mythologica reuertamur, primos etiam homines ante Deucalionem, idest ipsum genus humanum è terra, atque lapidibus, enatum crediderunt: idcircò Lucretius hoc humanum genus durum fuisse tradit his versibus. *Lib. 5. de nat. rer.*

Et genus humanum multo fuit illud in aruis.
Durius, vt decuit, tellus quod dura creasset;
Et maioribus, & solidis magis ossibus intus.
Fundatum &c.

Hinc Reusnerus, in suo Volumine Emblematum, arripuit occasionem scribendi non esse admiratione dignum, si aliquando homines inhumani videantur, cum ex lapidi-B bus prognati esse ferantur: carmina sunt hæc.

Dum genus humanum reparat cum coniuge Pyrrha
Deucalion, sortes poscit, additque Themim
Illa caput velare monet; tunicisq; recinctis
Frigida post tergum mittere saxa manu.
Parua mora est; vtriusque volant post terga parentis;
Paulatimque anima mollia saxa calent.
Nam maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
Quos format iactu vir, reparatq; suo.
Inde genus durum sumus, experiensq; laborum:
Felix naturam qui superare potest.

SOMNIA.

C

MYTHOLOGICIS addenda sunt, quæ narrantur ab illis, qui tempus in nugis, & somnijs conterunt. Nam Cardanus somniat, lapidibus in quiete iactis iurgia significari; cum instar iurgiorum, cadentes offendant. Deinde quando oculi sopore oppressi à lapidibus proiectis lædi cõspicantur, turpi fama læsum aspergi in vigilia videre dicuntur. Verùm si quis per somnum lapides iaciat peregrinationem (vt inquiunt) expectare debet. Scripsit etiam Artemidorus, referente Cardano, iactum lapidum à turba per quietem, solis Tibicinibus esse vtile, quia ex populo quæstum facere soleant. *Li 1. somn cap. 29.*

Sed si lapides iaciantur, impedimentum, & cogitationes prædicunt, illa quidem, ambulantibus sunt impedimento, has verò, quia ad structuram sunt idonei. Tandem lapidibus magnis per somnum visis referuntur homines corde duri, necnon Rustici, & ingrati, iuxta locum, in quo conspecti fuerint. At quando aliquis irriguo turgescens somno lapides magnos è Cælo cadentes intuetur, publicam calamitatem, seu potiùs D(vt nostra fert opinio) nugamentum præsagire potest. Vnus autem lapis tantummodò visus calamitatem diùrnõ duraturam significare perhibetur. Cum autem lapis cadendo confringitur, viri potentis, & improbi authoritas dissipari dicitur. At terra tota saxis operta somnianti si videatur, eodem somniante Cardano, frugum penuria sequetur, aut miles alienus habitatores opprimet. Galenus, & ipse retulit quendam sibi crus lapideum factum somniasse, & paulò post eiusdem cruris paralysim incurrisse. Hoc autem non sine aliquo fundamento fuit à Galeno prolatum: siquidem quando molestia aliqua, vel sensus læsionis in parte peculiari per quietem occurrit, & imaginatio apertè nequit cognoscere, qualis illa sit, aliquid aliud fingit. Assimiliter prædictus Patiens; cum paralyseos causam iam influentem sentiret, crus lapideum habere somniauit. *Calamitas ex somnio.*

MIRACVLA.

Exod. cap. 17. NON recolemus in præſentia, quod Moyſes, virga, percutiens petram ſupra vim naturæ egit; vnde exuberans aquarum ſcatebra erupit, vt in ſacro codice legitur. Sed memorabimus lapides campi Ciceris vulgò nuncupati planè ſterilis, & arenoſi iuxta ſepulchrum Rachelis ſiti, verſus ſeptentrionem. Nam, referente Ioanne Euſebio Ieſuita, huic nomini inſigne Chriſti miraculum dediſſe occaſionē tradunt: quandoquidem illac tranſeunti Ruricola in illo campo ſeminans ab illo interrogatus quid ſereret, reſpondit lapides, & deinceps campus ille nil aliud niſi lapillos Ciceri ſimillimos produxit. Pariter, ex eodem authore, ſaltus Domini appellatur mons altus, vnde montes Tabor, & Ermon licet intueri. Per hunc montem tranſijſſe Dominum ſcribunt, quando Iudæi illum præcipitare volebant. At ſubitò ad ſimplicem veſtis Domini tactum, mons, inſtar cerę, mollis ſinum quemdam formauit, quo corpus Dominicum recepit, & muniuit; vbi hodie vniuerſa lineamenta, & rugę veſtis Domini, & pedum eius veſtigia expreſſa videntur. Similiter in quodam loco ad litus Maris Galileæ, qui à ciuitate Capharnao, verſus Occidentem, ſpatio milliarij, diſtat: ibi Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam (Ioanne Euſebio affirmante) ſtetit alloquens diſcipulos, nunquid pulmentarij aliquam portionem haberent. Hic igitur locus habebat lapidem Chriſti Domini veſtigia exprimentem; ſed hunc paucis ab hinc annis Saraceni abſtulerunt, vt Saligniacus in ſuo libro teſtificatur. Alibi idem Ioannes Euſebius narrauit ſanctum Patricium ſupra quemdā lapidem quatuor Virgines velātem Deo dicaſſe: ſed mirandum eſt, quòd veſtigia Virginum in lapide impreſſa remanſerunt. Amplius cum Hoſtia ſalutaris in Colonia ſupra lapidem cecidiſſet, lapis, inſtar ceræ, mollis redditus veſtigia illius ſuſcepit: quemadmodum etiam noſtris temporibus Coloniæ conſpicitur.

Loco cit.

Lib. 2. de mir. nat. Europ. cap. 49.

Apud Blaſium Buizum legimus, lapidem eſſe in eo loco, in quo Diuus Stephanus fuit lapidatus, qui lapis Sancti imaginem exprimit, & ex eodem authore, habemus ſaxum quoddam Torrentis Cedronis, ſeu vallis Ioſaphat repræſentare veſtigia manuum, & pedum Chriſti Domini, qui vinctus, & ſuper illam rupem, vel ſaxum tractus cecidit. Similiter idem Author refert à ſaxo illo, quod aliquādo Eliæ Prophetæ pro ſtrato famulatū fuit, eiuſdem Prophetæ effigiem reddi. Scribit etiam Boterus, ex relatione nonnullorum Hiſpanorum, in Paraguay videri petram referentem veſtigia Diui Thomæ Apoſtoli, vnà cum effigie crucis, quam Sanctus digito petræ impreſſit, dum in illis Regionibus tanquam Euangelij Præco concionem habebat.

Verùm inter cætera ſupra vim naturæ patrata, obſeruandum eſt inſigne, in Caluariæ monte, Paſſionis dominicæ monumentum, vbi omnia mortem noſtri Redemptoris ſunt teſtificata. Nam, referente Ioanne Euſebio Ieſuita, lapidis ſciſſura adhuc extat, qui ſub manu læua Chriſti Crucifixi fuit, ea eſt huius lapidis apertio, quæ humanum corpus capere facilè poteſt, profunditas verò tanta, vt à Curioſis, dimiſſa bolide, nequaquam inueſtigari potuerit, itaut veriſimile ſit ad infernas vſq; ſedes penetrare, & quemadmodum latroni dextro via per Chriſti mortem in Cælum fuit patefacta; pariter per ſciſſuram huius lapidis, latroni ſiniſtro via ad inferna domicilia fuit reſerata. Ex eodem Authore percepimus, quòd ab orientali porta Tyri magnus in medio arenæ oſtenditur lapis, ſuper quem Chriſtus Dominus noſter ad Iudæos concionem habuiſſe dicitur, quando quædam mulier de turba extollens vocem dixit. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Hic autem lapis in honorem Domini, neq; arena, neq; puluere, neq; niue vnquam tegitur: quamuis ibi arena aſſiduo ventorum flatu agitetur. Item in Regno Biſnaga Orientalis Indiæ, ampliſſimum eſt templum, nomine Diui Thomæ Apoſtoli, Deo conſecratum, continens lapidem, qui, dum in celebritate huius Sancti, ſolenni more ſacrificando, ſacroſanctum Euangelium recitatur, coram Populo exudat; huncq; fuiſſe lapidem tradunt, ſuper quem Sanctus martyrio affectus fuit. Mirandum etiam eſt, quod ſupra vim naturæ narrat Ioannes Euſebius Ieſuita de lapide adhærente oſtio Templi ſancti Michaelis in Inſula exiſtente circa partes Corcagiæ. Hic lapis in ſuperiori parte habet concauitatē, quæ in dies manè repletur tanta vini quantitate, quæ ſufficere poſſit tot Sacerdotibus, qui rem diuinam ibi ſunt facturi. His miracu-

In lib. de mir. nat. terræ promiſſ. cap. 73.

Loc. cit. cap. 30.

Lib. 2. de mir. nat. Europ. cap. 10.

culis

A culis tanquam coronidem addemus, quod Sanctus Franciscus de Paula supra ordinem naturæ patrauit, dum sacram ædificaret ædem: iussit enim cuidam operario, vt lapidem circa flumen inuentum immensæ molis tolleret, quem procul dubiò sex homines non eleuassent; tunc Operario stupescente, & admirante, Sanctus, formato supra lapidem Crucis signo, eum supra humeros illius imposuit, qui tanquam rem leuissimam ad fabricã detulit. Deniq; legitur, quod Sancta Brigida, effigiato Crucis signo supra quemdam lapidem, illicò eum in salem conuertit.

LAPIDATI, ET OCCASIONE Lapidum mortui.

B PRO virili conabimur, in hac Rubrica, legentibus gratificari, narrãtes insigniorum historias, qui lapidibus læsi, vel cæsi fuerunt. In primis Daphidus Sophista Delphos petens, Apollinis simulacrũ consuluit, an equũ amissum reperire posset: responsionẽ habuit, se magno cum mærore inuenturum. Rediens igitur, in Attalũ Regem incidit, quẽ antea lacessérat, à quo de saxo (cui equi nomẽ erat) præcipitatus fuit. Henricus Primus Hispaniarũ Rex, Alphonsi Octaui Regis Castellę frater, apud vrbem Palantiam ludens cũ Sodalibus, lapide fuit sauciatus in capite, & triduo post, referẽte Riccio Neapolitano, occubuit. Pyrrhus Epirotarũ Rex, vt scribit Pausanias in Atticis, Antigonum Regem in prælio superatum ad vrbem vsque Argos persecutus, lapidis, seu tegulæ ictu interijt. Mardonius Persa (quem Xerxes apud Salaminem victum cum exercitu reliquit, vt belli reliquias confoueret) ab Arimnesto Spartiata, saxo interemptus est; quo fato, vt Plutarchus in Aristide recitat, eum periturum Amphiaraus præmonuit. Hermanus Tyrannus, vt Sigibertus in Chronicis retulit, è Saxonia Lotharingiam repetens, & ad concitandos regni motus, Castellum oppugnans, saxo circa caput ictus, obijt. In bello, quod Valdemarus Tertius Danorum Rex aduersus Vandalicas vrbes C gessit, nauali prælio Christophorus Regis filius lapide percussus superstes diù non vixit, vt Crancius in historia Daniæ prodidit. Burcardus à Friderico Tertio Imperatore ad Carolum Septimum Galliarum Regem legatus, post prælium in Cæmeterio Diui Iacobi cum Heluetijs commissum, cum per medios occisorum aceruos equitãs, aperta galea, id iucundum esse spectaculum vociferaretur; quidam Heluetius semianimis genu, vt poterat, innixus, arrepto saxo, tanta vi frontem illius percussit, vt exanimis equo delapsus impiæ vocis, & perfidiæ meritas pœnas dederit. Antiquiores historias in hoc genere liceat recensere. Cygnus Neptuni filius à tanto patris numine, ferro inuulnerabilis redditus, tandem ab Achille apud Troiam, saxo extinctus est. Historiographi etiam referunt, vt Dictys, post euersam Troiam, cum Hecuba Regina in hostium exercitum multa maledicta, & infausta imprecaretur, tunc Græci his vocibus moti, illam lapidibus necarunt. Pausanias in Corynthiacis memorat Mermerum, & Pharum Medeæ filios à Corynthiorum pusionibus fuisse lapidatos, quia munera exitialia à matre Medea attulissent. Ex eodem Pausania in Arcadicis, cum Aristocrates D Arcadum rex virginem Dianæ sacratam ad stuprum compellere non potuisset, & postea ipsam ad Deæ aram fugientem volasset, scelere patefacto, Arcades regem lapidarunt. Ibidem Pausanias recitat Caphyenses pueros circa templum Dianæ Condyleatidis ludentes, funiculo, quem repererant, obligato collo simulacri Dianæ, ioci gratia, Deam strangulare assueuerarunt. Vnde ciues Caphyenses, concepto irarum motu, ob numen Dianæ violatum, pueros lapidibus obruerunt. Neocles, & Cleopolis filij Themistoclis, cum Athenienſium memoriam refricuissent super legibus, quæ aduersus exules fuerant sancitæ, à paternis inimicis petiti saxis interierunt.

Item, ex Herodoto, Coes Euxandri filius Mitylenæorum Tyrannus à Milesijs, qui à rege defecerant, captus, tandem lapidibus fuit obrutus. Theocritianum Satellitem Amantij Eunuchi imperio inhiantem, comprehensum, & ingentibus saxis petitum, Iustinus Imperator in mare proijci iussit, vt Cuspinianus animaduertit. Habemus etiam ex Fulgosio, quòd, contentione inter Hircanum, & Aristobolum, ob regni successionem, durante, Onias vir iustus ab Hircani sectatoribus ad templum ductus, vt precibus in-

Li. 7. c. 38.

Lib. 5.

Lib. 5.

Lib. 1. cap. 8.

feſtum Ariſtobolo Deum conciliaret, tunc reſpondit, ſe Deum rogare, ne vllam partium aduerſus alteram (quia vtraque populus eius eſſet) audiret. Interim à fautoribus Hircani lapidatus fuit. Sigibertus, in Chronicis, monimentis mandauit, Hunaldum Aquitaniæ Ducem Romam, vt ibi diù verſaretur, acceſſiſſe, ſed ad Longobardos fugiens Apoſtata, lapidibus fuit interfectus.

Iam accedamus ad illos, qui propter pollicitationes, aut propter annonæ penuriam à militibus, vel à Populis lapidati fuerunt. In primis, vt Titus Liuius tradit: M. Poſthumius Regillenſis, Tribunus Militum, & conſulari authoritate ad bellum miſſus, dum exercitum duxiſſet, vt quoddam oppidum oppugnaret, tunc prædam Militum fore edixit; capto autem oppido, cum mentem mutaſſet, à ſuis militibus, ſaxis fuit interemptus. Ariſtides etiam narrat, Cinnam in eo bello, quod Romani aduerſus Gallos ſuſceperant, cum tritici largitionem ſurripuiſſet, ſaxis necatum fuiſſe. Item tradit Calliſthenes, quòd Pyrander quæſtor vrbanus, dum Athenienſes bellum contra Eunuchum gererent, & illis, in maxima annonæ penuria parcè triticum ſuppeditaret in ſuſpitionem proditionis incidens, lapidibus ad necem fuit petitus. Anno trigeſimo primo poſt quadringenteſimum Conſtantinopoli, vt ſcribit Sigonius premente annonæ caritate, cum Theodoſius primus Imperator ad horrea publica, leuandæ famis cauſa, proficiſceretur, à Populo eſuriente fuit lapidatus. Quidam Præfectus annonæ Neapoli, nomine Storax, aliquandò fugiens Populi furorem, ad ædes Diui Auguſtini, in ſepulcro ſe condidit, ſed tandem inde raptus, & denuò fugiens tot, & tantis lapidibus fuit ictus, vt nè minima quidem pars corporis ad ſepulturā inueniri potuerit. Quocirca in ipſum concinnata fuerunt hæc carmina.

Lib.8. Rer. Ital.

Lib. 3. rer. Thrac.

Lib. 12. Imp.

Storax, qui vtuens ſubijt ſepulcrum
Mirum, defunctus caruit ſepulcro.

Sed quid vagamur per hiſtorias profanas, cum ſacri codices nobis multa huius generis exempla ſuppeditent? Abimelechus Iſraelitarum Tyrannus, fragmine lapidis molaris deſuper à muliere ictus interijt. Adoramus à rege Roboamo ad conciliandas decem Tribus Iſraelitarum miſſus, ab ijſdem fuit lapidatus. Zachariam filium Iorade ſacerdotis, Rex Iuda iuſſit à Populo lapidari; quamuis illius pater regnum illi reſtituiſſet. Seniores duo, qui Suſannam adulterij falsò accuſarunt, Daniele puero actore, ſceleris conuicti, à Populo Iſraelitico, Babylone, lapidibus cæſi interierunt. Blaſphemus in Eremo lapidatus eſt filius mulieris Iſraelitidis de viro Ægyptio generatus. Achamum lapidari, & totam eius comburi ſupellectilem præcepit Ioſue.

Lib. Iudic. cap. 9.

Lib. 2. Reg. cap. 12.

Lib. 3. Reg. cap. 21.

Daniel cap. 18.

Leuit. cap. 24

Ioſue cap. 7.

Inter nuperos in ſacris paginis memoratos, primas tenet Stephanus protomartyr, qui à Iudęis extra ciuitatē pulſus, & lapidatus fuit. Huius ſancti reliquiæ antè hæc tempora, numquam viſæ, neque auditæ ſunt, in occidentalibus oris, niſi vnus ex lapidibus, quibus ſanctus percuſſus martyrium conſumauit: hic enim lapis à quodam nauta allatus fuit Anconam Italiæ ciuitatem ad mare Adriaticum ſitam. Ita Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis retulit. Paulum quoque Apoſtolum lapidibus obruere, & ad internetionem ducere Iudęi ſunt conati. Idem Paulus meminit ſuæ lapidationis, quando ſcripſit ad Corinthios hęc verba. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum.* Chryſanthus Alexandrinus, cum Daria vxore, temporibus Numeriani Imperatoris, pro catholica pietate, ſaxis fuerunt cæſi, vt Volaterranus prodidit. Ex eodē authore, Paulina virgo Romana, Artemij Præfecti filia, vnà cum matre, nomine Candida, Diocletiano imperante, fuit lapidata. Sigibertus in Chronicis ſcriptum reliquit Deſiderium Veſianenſem Epiſcopum, conſilio Brunechildis, iuſſu Theodorici Francorum Regis, fuiſſe lapidibus obrutum. Apud eundem authorem legimus, Telemachum monachum, Romæ, celebrato gladiatorio ludo, cum increpaſſet Populum, quia attentiùs huiuſmodi ſpectaculum obſeruaſſet, ab eodem Populo fuiſſe lapidatum. Propterea Honorius Imperator, hac occaſione arrepta, gladiatorium ludum in perpetuum remouit. Demum, ex Diuo Hieronymo, Euſebius Præſul Vercellenſis à Conſtantino Principe in Cappadociam relegatus, tandem ab Arianis lapidibus fuit interfectus.

In Act. Apoſt. cap.

Lib. 2. cap. 11.

Lib. 18.

MYSTI-

MYSTICA.

VT res succedat, ex animi nostri sententia, primùm Mystica ad Deum, & Angelos attinentia, deinde ad viros iustos, & cętera quoq; respicientia attingemus. Lapis igitur fundamenti, qui legitur in sacro codice, virtutem verbi Dei significat, quo cuncta sustentantur: iuxta illud vulgatum. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* *Iob. c. 38*
Verùm ad petram attendere, vnde excisi sumus, vt legitur apud Isaiam, Diuo Hieronymo exponente, Deum tanquam principium omnium Fidelium designat. Lapis adiutorij, quem Samuel inter Masphat, & Sem collocauit, à Diuo Hieronymo Messias exprimitur, quem adhuc Iudęi amentes expectant. Lauretus verò, in Sylua Allegoriarum, huiusmodi lapidem, Christum Dominum inter probos, & improbos iudicem, & aduersus Dæmones tutorem interpretatur. Item lapis, de quo Isaias locutus est, quando scripsit: *Ecce ego fundaui in Sion lapidem probatum:* à Galatino constituitur Messias, quem Iud i reprobarunt. Lapidem in frontem Goliath gigantis, manu Dauid, proiectum, Diuus Augustinus, in libro aduersus quinque genera Hæresum, exponit Christum Dominum, qui ex semine Dauid aduersus Diabolum erat mittendus. Item, lapide de monte exciso, absque hominum adminiculo, vt legitur apud Danielem; iuxta sententiam Laureti in Sylua Allegoriarum, Christus Dei Filius, absque humana ope, de Maria semper Virgine natus exponitur. Quemadmodum lapis de pariete clamans eundem Christum Dominum significare dicitur. Idem asserendum erit de tribus lapidibus, quos Iacob ceruici suæ suppossuit illa nocte, qua scalam viderat, per quam Angeli ascendebant, & descendebant. Illi autem tres lapides manè in vnum corpus, & solidum saxum abijsse visi sunt. Hoc in loco multi exponunt Messiam, qui de lumbis Iacob erat emersurus, & tribus prærogatiuis potiturus, quas Deus Omnipotens homini de muliere nato numquam concessit. Prætereà quando in Exodo Moses bis lapidem virga percussit, vnde manauit aqua: per lapidem percussum, vel Christum, vel eius crucem intelligere debemus; quandoquidem dum lignum petræ appropinquauit, tunc aqua gratiæ egressa est, & petra bis ligno percussa crucem Christi ex duobus lignis formatam denotat. Hinc in confirmationem assertorum dicimus, quòd petra, in lingua sancta, tribus nominibus insignitur: etenim dicitur Selangh, Zur, & Aben, & quodlibet horum trium nominum ex tribus literis componitur. Ideò, nomine petræ, Christus significatur. Primitùs Selangh vocabatur illa petra, quam Moses virga bis percussit, ex qua copia aquarum erupit, & propterea mortem Moses subiuit. Pariter petra, quæ erat Christus, morte propria, in lauacro regenerationis, sitim gentium sedauit. Zur erat aliud petræ nomen Deum tanquam Messiam significans, qui petra, nempè homo, & Deus appellabatur. Aben erat tertium petrę nomen, duo includens mysteria: siquidem, Ab, Pater exponitur, En, autem filium denotat. Hinc sequitur, quòd in sacris paginis ferè vbique Christus Dominus, nomine petræ, significatur. Meminit etiam Psalmographus lapidis angularis, qui Christum indicare dicitur, nam vtrumque Populum vniuit, & vitam actiuam, & contemplatiuam copulauit. Rursus, iuxta mentem Diui Hieronymi, Christus demonstratur à lapide offensionis, & petra scandali ab Isaia memorata: quandoquidem Iudęi nolentes Christo credere, in hunc lapidem offenderunt. At lapis sub quercu, vt legitur apud Iosuem, Laureto exponente, Christum cruci affixum significat. Iterum Christus designatur à petra, super quam Gedeon sacrificium obtulit: etenim ipse in causa fuit, vt sacrificia Deo accepta, & grata fuerint. Item indicatur à petra fundente riuos olei, quæ apud Iob legitur: cum Christus assiduos misericordiæ riuos spargat. Leguntur in Exodo hęc verba *Ecce locus, apud me stabis supra petram, & cum transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ.* Galatinus mysticè hæc verba interpretans asserit, post triduum animam Messiæ ad corpus fuisse reuersuram, necnon cum corpore glorioso è lapide sepulcri exituram. Hactenus constat, nomine petræ, passim, in sacris paginis, Christum esse intelligendum: cum hæc petra pietatis nostræ firmum fuerit fundamentum, super quod Ecclesia ædificata est, vt meritò decantatum sit: Capitoli jnmobile saxum. Etenim Romano Pontifici, nimirum Petro hęc promissa sunt, qui Romæ suam sedem fixit, cui, vt omnia testificantur Euangelia, omnis po-

Isaiæ c. 51. Lib. 1. Reg. cap. 4.

Isaiæ c. 28.

cap. 2.

Abacuc. cap. 2.

Psal. 117. Isaiæ cap. 8.

cap. 24.

Lib. 1. Reg. cap. 14. Iob. cap. 29.

cap. 33.

testas

teſtas in orbem vniuerſum data eſt. Quapropter hunc locum Theophilatus ponderans, E non vnius Eccleſiæ, vel vnius Prouinciæ Imperium Petro demandatum eſſe ſcripſit. Hancq; ſententiam ſtabilire videtur Nabucdonoſoris ſtatua, cuius partes varia Mundi regna deſignabant. Saxum autem montis, nullo impellente, ſtatuam percutiens proſtrauit, & in puluerem redegit, deinde ſaxum adeò vaſtum euaſit, vt totum Orbem occupare videretur.

Neq; mirandum eſt, dum nomine lapidum, Angeli quoq; intelligantur. Namq; lapi-
Cap.6. des fortes apud Iob memoratos, multi eruditi Angelos in bonitate firmatos exponunt:
Cap.28. quinimo hi petræ etiam nominantur. Pariter lapides igniti apud Ezechielem bonos Angelos ſignificare poſſunt, & quoniam lapides ab Ezechiele memorati nouem fuerunt: idcircò nouem Angelorum choros indicant. Sic enim Diuus Hieronymus, & Lauretus myſticè interpretantur.

Inſuper, nomine lapidum, in ſacris Paginis, viros perfectos, iuſtos, & ſanctos intelligere poſſumus: ſiquidem lapides quadrati, ex quibus apud Ezechieles altaria fabri-
Cap.40. cantur, Diuus Hieronymus viros Sanctos interpretatur. Item petræ apud Iob, in qui- F
Cap.39. bus manet Aquila, iuxta mentem Laureti, viros Sanctos, & eorum exempla demonſtrant, quibus poſtea cæteri homines ad perfectas operationes accenduntur. Immò pe-
Lib.1.Reg. cap.24. trę abruptiſſimæ, in quibus Saul quærebat Dauid, ex eodem Laureto, in Sylua allegoriarum, ſublimitatem cõtemplationis nobis inſinuant, vbi Diabolus viros probos perſequitur, vt illos prȩcipitet. Præterea lapides Regionum, qui apud Iob leguntur, viros electos ſignificare dicuntur, qui tanquam lapides viui ædificium Eccleſiæ ſuſtentant,
Lib.6. Moral.cap.21. vt Diuus Gregorius voluit. Similiter apud Iſaiam lapides occidentales in muris Eccleſiæ, Electos, & perfectos ſignificare perhibentur, vt Diuus Hieronymus eo loci exponit.
Cap.24. Idem interpretatur Diuus Gregorius de lapidibus, quos ſcribit Iob amplexandos, additq; id nobis inſinuare, ad Sanctorum Martyrum patrocinium eſſe confugiendum.
Pſal.107. Demum petræ apud Pſalmographum, in quorum medio Volucres ſuam vocem edunt, iuxta ſententiam Diui Auguſtini, ſacras noui teſtamenti ſcripturas ſignificant.

Iam animus conuertendus eſt ad Patriarchas, Prophetas, & Apoſtolos, qui omnes,
Cap. 28. & ſinguli, in ſacris Paginis, lapidum nomine, indicantur. Etenim lapides duo onychi- G
ni in Exodo memorati, iuxta mentem Laureti in Sylua Allegoriarum, fidem Patriar-
Pſal.101. charum ſignificant. Lapides autem Sion apud Pſalmographum, Prophetas deſignant.
Cap.5. Quinimò lapides Regionis, cum quibus ineundum eſt pactum, veluti legitur apud Iob, ſecundùm nonnullos, non modò Prophetas, ſed etiam Apoſtolos ſignificant, ex quibus Eccleſia Dei conſtruitur, vbi quieſcendum eſt. Idq; eò magis confirmandum eſt, quoniam Lauretus lapides pretioſos in fundamento templi locatos, quemadmodum
Lib.3.Reg. ex libris Regum colligitur, Apoſtolos in fundamento Eccleſiæ poſitos interpretatur.
cap.5. Idem Lauretus coronam de lapide pretioſo apud Pſalmographum memoratam, Apo-
Pſalmo 20. ſtolos exponit, ex quibus elegantiſſima Chriſto corona eſt concinnata. Idem Author vnà cum Origene, in eodem ſenſu myſtico, intelligit duodecim lapides impolitos, ex
Cap.8. quibus apud Ioſuem altare cõſtructum fuit. Sed in maiorem huius myſtici ſenſus con-
Pſalmo 50. firmationem, quando Pſalmographus ſcribit. *Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius.* Diuus Gregorius, per hos lapides, intelligit Apoſtolos, qui de populo Iudaico emer-
Cap.16. gentes Eccleſiam ex ſe ipſis ædificarunt. Quamuis petra apud Mattheum, ſuper quam H
Eccleſia ædificatur, ex mente Laureti, quemlibet Chriſti cultorem denotet, quatenus
Cap.27. huius ædificij pars conſtituitur. Pariter apud eumdem Mattheum, petræ ſciſſę in mor-
Cap.17. te Chriſti, ab eodem Laureto corda Ethnicorum fide, & pœnitentia ſciſſa exponuntur. Item lapides in aceruo apud Iſaiam, à Diuo Hieronymo tot Chriſti cultores ex diuerſis nationibus in Eccleſia vniti exprimuntur. At lapis non cadens in terram apud Prophetam Amos, ſignificat Chriſti fidelem, qui ſaluatur. In petræ foraminibus abſcondi, denotat Chriſti cultorem arcana, & ſacramenta in Dei obſequium meditantem, & intellectum in captiuitatem reducentem. Poſtremò lapidis opacitas, ſiue foramen, per quod Moſes poſteriora Dei tranſituri erat viſurus, deſignat illa cæleſtem domum non manufactam, quę, iuxta aſſertum Apoſtoli, illis deſtinatur, qui terreſtre tabernaculum diſſoluerunt. Aut ſignificat illam cæleſtem gloriam, quæ alibi nuncupatur delitiarum Paradiſus, tabernaculum æternum, manſio apud Patrem, Patriarcharum ſinus, viuentium regio, Hieruſalem ſuperior, Regnum Cælorum, Babylon vocationis, Corona gratiarum,

A tiarum, Turris fortitudinis, Gaudium immensum, Dei consensus, Sedes iudicij, Locus nominatissimus, & Tabernaculum occultum.

Amplius, qui toto pectore in arcanis mysticis libenter versantur, lapidis voce, legem quoq; exponunt: nam lapis apud Mattheum, qui in ostio monumenti Christi fuit locatus, à Laureto intelligitur tanquam lex mortis, quam homines euitare nequeunt. Lapidem verò ad ostium monumenti Lazari, vt legitur apud Ioannem, Diuus Augustinus legis onus interpretatur, aut duram consuetudinem, qua premitur anima ne à vitijs resurgere possit. Cæterum lapis, vt est in Psalmo nonagesimo. *Ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Legem veterem in lapidibus scriptam significat: aut, ad mentem Diui Thomæ in Mattheum, criminum occasionem denotat. Demum, per lapidem in Exodo Mosy oranti suppositum, iuxta sententiam Venerabilis Bedæ, Ecclesia tanquam legis fundamentum intelligitur, in qua lex ipsa requiescit.

Cap. 27. *Cap.* 11. *Cap.* 17.

Non defuerunt, qui, per lapides, in sacris Biblijs homines etiam nefarios, & criminosos intellexerunt. Etenim lapides, apud Ieremiam, in crypta absconditos, Lauretus

Cap. 43.

B Peccantes obstinatos, & à Deo recedentes interpretatur. At lapides, quibus criminosi, in Exodo obrui iubentur, Glossa interlinearis duras obiurgationes exponit, quibus Peccantes corrigendi sunt. Lapides excauari ab aquas, vt legitur apud Iobum, Lauretus duritiem mentis in bonitate firmatam ab assiduis luxus illecebris mollescere scripsit. Immò idem Author, in Sylua Allegoriarum, lapides leprosos è domo auferre, vt in Leuitico habetur, Hæreticos ab Ecclesia excludendos exponit. Item lapides, quos Semei in Dauid iactabat, interpretatur Hæreses, quæ Christum Dominum sauciant. Lapides auferre de via, vt extat apud Ieremiam, significat scandala à via Domini arcenda esse. Veluti lapides afferre ad erigendum vitulum, vt habetur in Genesi, iuxta Glossam interlinearem, sunt homines peccantes, qui ad fidei confessionem vocantur. Lapis autem caliginis, apud Iob, indicat populum Iudaicum, qui, ex mente Diui Gregorij, Authori vitæ credere noluit. Postremò lapides, quos Diabolus apud Mattheum in panes transmutandos esse desiderabat, Lauretus omnia superflua interpretatur, quibus Natura non indiget.

Exod. cap. 19. *Cap.* 14. *Lib.* 2. *Reg. cap.* 16. *Cap.* 4. *Cap.* 31. *Cap.* 38.

C Ad finem alia varia, per lapidem, in sacris Paginis, mysticè demonstrantur. Nam lapides fundæ apud Iob, sermonem prędicationis, ex Diuo Hieronymo, indicant, quo communis humanæ naturæ hostis percutitur. Apud Prophetam Amos, petræ recensentur, in quibus equi currere nequeunt, quas Rupertus Abbas tanquam auxilium inutile ostendit. Lapides, quos Iudæi collegerunt, vt Christum lapidarent, quia protulerat hæc verba. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Venerabilis Beda, & Diuus Gregorius praua cogitationes intelligunt, quas identidem homines criminosi sumunt. Denique lapidare Hierusalem tanquam adulteram apud Ezechielem, Lauretus vult id nil aliud esse, nisi animam à Deo recendentem Dæmonibus puniendam tradi. Item lapidare Mosem, & Prophetas, vt habetur in Exodo, & lapidare seruos à Rege missos, vt apud Mattheum legitur. Origenes docet hoc nil aliud denotare, nisi optima præcepta, & pias admonitiones aspernari.

Cap. 51. *Cap.* 6. *Cap.* 6. *Cap.* 17. *Cap.* 21.

D

MORALIA.

DOCTRINA ad mores spectans, & ipsa conatur ex lapidibus vtilia elicere documenta. In primis Christus petræ assimilatur. Nam veluti in petra substantiæ soliditas, materiæ puritas, figuræ diuersitas, virtutis venustas, & multiplex vtilitas consideratur: pariter in Christo hæc omnia obseruantur, dum patientia solidus, innocentia purus, efficacia virtutis, & miraculorum speciosus extitit, nec non diuersas figuras, nempè naturam humanam, & diuinam habuit, deinde vita, & doctrina multiplicem vtilitatem Orbi terrarum attulit. Insuper veluti petræ facilè accõmodantur ædificijs construendis, plateis sternendis, pontibus erigendis, hostibus expugnandis, canibus fugandis, infirmitatibus sanandis, & ciuitatibus, & castris muniendis: similiter Christus hæc omnia præstitisse perhibetur, nam spiritualis Ecclesię fabricam struxit, cuius ipse lapis fuit angularis, plateas, nempè latitudinem populorum, vel plagas fidelium mentes diuersis lapidibus, nimirum virtutibus strauit, pontem pœnitentię ad flu-

Chriſtus petræ aſsimilamur.

ad flumen peccati erexit, hoſtes ſpirituales expugnauit, canes, ideſt Hæreticos fugauit, ægritudines tam corporis, quàm animæ ſanauit, vrbes, & caſtra, ſcilicet fidelium habitacula, Angelorum cuſtodia, muniuit, & deniq; à Damonibus, & tentamentis tutatus eſt.

Documentum etiam de Chriſto, & lapidibus percipere debemus ab Euangelio, vbi *Iudæi tulerunt lapides, vt iacerent in Iesum, ipse autem abscondit se, & exiuit de templo*. Quocirca hoc mortis genus ſubire noluit, fortaſſis, quia ob lapidum ſtrepitum in lapidatione factum, monita, quæ Chriſtus erat daturus, non poterant excipi: quemadmodum Diuus Chryſoſtomus optimè expreſſit dicens. *Tumultuarium mortis genus esse lapidationem; ideoq; inter lapidum fragorem, vltima Christi verba exaudiri non potuisse*. Vel, vt alij voluerunt, Chriſtus lapide, aut ferro, vel gladio percuti noluit, quoniam nobilium ſemper ferrum, aut lapides ferre non poſſumus, quibus defendamur, elegit autem crucem, quæ leui manus motu exprimitur, vt aduerſus inimici verſutias, & tentamenta muniamur.

Deinde lapides viris probis, & perfectis aſſimilari poſſunt, ratione proprietatum, quæ lapidibus competunt. Itaq; petra nuncupata eſt, quaſi pedes penetrans, & lapis, quaſi pedem lædens, præterea cum ſit durus, & ſiliceus ferro percuſſus igneas ſcintillas ſpargit. Vir igitur perfectus huius eſſe debet conditionis, vt conſtantia munitus ſoliditatem acquirat, & pedes affectuum ſuorum diſcuſſione penetret, & pœnitentia lædat, & tandem ferro calamitatum percuſſus ſcintillas diuini amoris fundat: iuxta illud Ezechielis. *Ex eis egreditur ignis in omnem domum Israel*. Quoad generationem lapidis, virtus cæleſtis in terrã fluens lapidem gignere traditur tantò nobiliorem, & meliorem, quantò ibi materiam puriorem inuenerit. Pari ratione in terram, nempè in hominem interdum virtus cæleſtis, ſcilicet diuina gratia fluit, & tunc ibi lapis pretioſus producitur, dum homo perfectionem, & omne virtutum genus adipiſcitur. Deinde lapides, cum naturaliter infima loca petant, ad amicos Dei poſſunt comparari, qui ſeſe ſubmittunt, & loca demiſſa deſiderant; quapropter omnia aſpernantes corpus ſuum neq; colunt, neq; ornant; vnde hi nomine lapidum impolitorum, iure optimo intelliguntur. Iob igitur huc reſpiciens, aliquando ſcripſit. Ædificant altare, nimirum altitudinem Eccleſiæ ex lapidibus impolitis, nempè ex hominibus, qui animi demiſſionem diligunt. Quoniam autem lapis aqua affuſa non diſſoluitur, ſed ſolum aſſidua aquæ diſtillatione excauatur, & cõminuitur. Similiter idem aſſerendum erit de viris iuſtis, & perfectis, qui in aqua mundanæ proſperitatis abluti non diſſoluuntur, ſed poſtea perſeuerante hoc aquæ ſtillicidio, impendet periculum, ne amittentes diuinam gratiam diſſipentur, & diſſoluantur. Tandem lapides, ex ſententia Diui Ambroſij, oſſa terræ dicuntur, quoniam, more oſſium, terram ſuſtentant, ne ſua nimia ſiccitate ſoluatur, & diffluat. Quamobrem, per terram, hoc in loco intelligenda eſt anima viri probi, & perfecti, quæ gratijs, & virtutibus redundat: deinde, per petram, quæ dicitur à penetrando, & per lapidem, qui denominatur à lædendo, mundi calamitates intelligendæ ſunt, quę proculdubiò penetrant, atq; lædunt: hinc iure optimo oſſa terræ indigitari poſſunt, cum terra, nempè anima ſuſtentent, ne propter ſiccitatem impietatis diſſoluatur, & propter vitia, atq; crimina diſſipetur.

Viri probi lapidibus aſsimilati.

Criminoſi lapidibus ſimiles.

Reliquum eſt modo, vt doctrina moralis, Peccantes etiam ad lapides comparet. Primitùs ex fodina lapides extrahũtur, multis ictibus poliuntur, ordinatim in ædificijs collocantur, cæmento glutinantur, & poſtea varijs coloribus exornantur. Vt igitur ædificium Paradiſi conſtruatur, neceſſarium eſt primò, vt lapides, nimirum homines criminoſi de minera mundanæ voluptatis, & de ſtatu peccati eliciantur, & malleo ærumnarum, & pœnitentię percutiantur, vt poſt mortem in ædificio cæleſtis Hieruſalem ordinatè, ideſt iuxta proprium meritum, collocentur, cæmento indiſſolubilis charitatis copulentur, & picturis, nimirum varijs dõtibus corporis, & animæ refulgeant. Rurſus lapis eſt frigidus, ſiccus, ſolidus, durus, compactus, grauis, & ponderoſus, quare centrum petit, & terram comprimit. Item vir improbus lapidem æmulatur, dum impietate eſt frigidus, immiſericordia ſiccus, pigritia ponderoſus, obſtinatione ſolidus, & fœuitia durus; ideòq; ad terram, nempè ad amorem impurum, & terrenum ſemper inclinat. Præterquamquòd lapis, quantò magis in altum proijcitur, tantò magis deſcendens terræ figitur. Sic homo peccans, qui lapideus nominatur, quò magis à Deo omnipotenti per peccatum recedit, ſi poſtea ad eumdem, pœnitentia ductus, reuertatur, tantò

A tantò magis ei, & charitate, & amore copulatur: iuxta illud Pauli ad Romanos: *Vbi abundauit delictum, ibi superabundauit & gratia.* Cap. 5.

Neq; mirandum est si lapis ad hominem comparetur. Quoniam Deus omnipotens lapidum omnium conditor, apud Ezechielem, dixit. *Dabo eis cor vnum, & Spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorũ, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent.* Cap. 11. Quamobrem vnusquisq; criminosus supplici prece, & humili obsecratione summum rerum omnium opificem rogare debet, vt limum scelerum, desidiæ gelu, luxus fomitem, auaritiæ salsuginem, inconstantiæ fluctus, superbiæ spumam, & dissolutionis arenas auferat, vt cor humanum posthac voci diuinæ, instar lapidis, non durescat. Lapis, ope conglutinationis validæ, ex terra admixto humore generatur. Pariter quando in aliquo homine reperitur terra, nempè monumentum mortis, & humor, nimirum gratia, & pietas, tunc in illo lapis, ideſt constantia, & perfectio producitur. Aliquando, ex sententia Philosophantium, lapis ex aqua gignitur, dum aliquibus in locis, ob vim illis à natura insitam, aquæ cadentes in lapidem vertuntur Huiusmodi
B loca consuetudinem designare possunt, & homo vocari potest aqua, quia mollis est, & ad peccata procliuis: attamen huiusmodi loca frequentat, quando proborum consuetudine delectatur, & tunc virtute, doctrina, & eorum exemplo fortis tanquam lapis constans, & perfectus euadit. Iuxta illud Iobi. *In similitudinem lapidis durantur aquæ.* Cap. 38. Totum oppositum asserendum erit de homine molli instar aquæ, ideſt pio, & perfecto, qui huiusmodi loca frequentans interdum sit lapis, dum obstinatione durus, & impietatem frigidus euadit, iuxta sententiam Iobi. *Cor eius indurabitur quasi lapis.* Cap. 41. Tandem lapides duri sunt, & difficulter ad opus parantur. Sed quando in ædificijs constringuntur, difficillimè postea ab illis remouentur. Similiter Ethnici lapidum fuerunt æmuli, dum magna difficultate crediderunt, sed postmodum credentes semper in fide permanserunt.

VSVS IN CVLTV, ET SIMVLACRIS.

C

ETHNICI ex lapidibus non solùm Idola fabricarunt, sed etiam ipsos lapides rudes tanquam Numina coluerunt. Quocirca non est mirum, si asserente Chrysostomo, Ethnici, nomine lapidum, mysticè intelligantur. Præterquamquod, vt scribit Suidas, lapides etiam suis Dijs sacrabant. Hegyeus erat lapis, iuxta partem superiorem acuminatus, quem ante Fores Ethnici statuentes, vel Apollini, vel Baccho, vel potiùs vtrique consecrabant. Olim in Emesſa vrbe Phæniciæ, lapis erat maximus ab imo rotundus, niger, & ad figuram coni fastigiatus, in cuius superficie quædam icones naturaliter eminebant: hunc lapidem esse Solis, & de Cælo cecidisse asserebant: hac de causa non solùm illæ gentes, sed etiam vicini Satrapæ magno cultu hunc lapidem venerabantur. Arabiam petream incolentes lapidem tetragonum quatuor pedes altum duos latum, & supra basim auream locatum, tanquam Deum Martem, ex mente Cartarij, honorabant. Apud Thraces colebatur saxum, in quo vestigium Herculis impressum fuisse sibi persuadebant. Apud Romanos, extra portam Capenam erat lapis, cui
D præstantissimus honos fuit habitus, nam, siccitate frugibus nocẽte, intra vrbem solenni pompa ferebatur, & statim imbres cadebant, vt memoriæ fuit proditum: idcircò lapis Manalis appellabatur; cum, eius beneficio, aquę de Cælo manarent Columbus etiam, in sua Historia, trium lapidum regionis Geamaicę meminit, quos illi Populi singulari quodam amore afficiunt: propterea quòd primum ad prouocandas de Cęlo pluuias, secundum ad sedandos Puerperarum dolores, & tertium ad fata iuuanda adhibeant. Apud Sycionios lapis, instar pyramidis, erat fabricatus, quem tanquam Iouem summis honoribus cumulabant, vt Cartarius recitat. Ex eodem authore, lapidi effigie vmbilici, tanquam Veneri æternos honores Paphij decernebant, quoniam libidinem mulierem in vmbilico consistere opinabãtur. Idem Cartarius meminit Phrygiorum, qui magnum lapidem in naui tracta à quadam virgine eleganter ornata, tanquam Cybelem immodici honoris titulo prosequebantur. In Araxi flumine, teste Plutarcho de fluminibus, lapillus oritur nigri coloris, qui, cum responsum fuerit redditum ab Oraculo, de homine occidendo, à duabus virginibus super aras tutelarium Deorum fuit impositus, & sacer-

In Matth. cap. 3.

Lapis Manalis qualis.

ſacerdote illum cultro attingente, multa inde ſanguinis copia manauit. & deinceps rem ſacram facturi clamoribus ad aram accedebant, lapillum in templo conſeruantes. Demum in Goa apud Indos, lapis eſt nomine *Manganaco* valdè honoratus, vt in Hiſtorijs Indiæ recitatur.

Inſuper Priſci non ſolùm ſaxa colebant, verum quoq; in rebus ſacris lapides adhibebant. Nam ceremoniæ ſanderis erant tales, in quibus Fecialis Porcum ſaxo feriebat, hęc interim pronuncians verba. *Qui prior populus fœdus rumpet, Iupiter ita cum ſeruis, ſeruabo ego Porcum lapide hoc ferro.* Erat & iuramenti genus per lapidem ſimpliciter, quo Athenienſes iurare ſolebant. Huius moris Cicero in Epiſtolis familiaribus meminit. *Lib. 1. Epiſt. 1.*

Hactenus de lapidibus ſimplicibus, & rudibus dictum ſit, qui ab Antiquitatem varijs honoribus cumulati fuerunt. Iam accedendum eſt ad illos lapides Numinis loco habitos, qui aliquam figuram, & præſertim humanam habuerunt. Pharis oppidum eſt Achaiæ, in cuius foro eſt ſtatua Mercurij lapidea, & penès illam lapides ferè triginta erecti viſuntur, figura tetragona, certis nominibus appellati, & ab illis populis adorati; cum olim Græci ferè omnes rudes lapides pro Dijs colerent, vt Pauſanias in Achaicis prodidit. Statuam quoq; Mercurij ex lapide formatam ſolebant in Triuijs collocare, quaſi quod viatoribus viam monſtrare poſſet: quapropter tranſeuntes, grati animi ergo, lapides ſecus pedes ſtatuæ proijciebant: vnde Pictores poſtea ad hanc Priſcorum conſuetudinem alludẽtes, iconem Mercurij ſupra cumulum lapidũ effigiare cæperunt.

Solebat etiam Antiquitas quadratum lapidem, cum charactere Mercurij fingere, vt grauitatem, ſtabilitatem, & conſtantiam in ſermone demonſtrarent. Ideircò Ripa in prima Iconologiæ parte, iconem Decoris pingit, cum quadrato lapide, charactere Mercurij inſignito in manu dextra ſimulacri, vt inſinuaret, iuxta præceptum Ciceronis, moderationem in ſermone ſeruandam eſſe.

Apollinis ſimulacrũ lapidibus ornatum.

Præterea ſolebant Veteres Apollinis ſimulacrum duodecim lapidibus coronare, vt quatuor anni tempora, ſimulq; duodecim menſes ſignificarent, quibus Apollo, nimirum Sol annuum circulum metitur. Item, ad figurandum Æſculapium, Priſci rudem lapidem cum humano capite oſtendebant, addito anguis ſimulacro ad caput ſtatuę ſeſe erigentis.

Infinita huius generis ſimulacra recenſere poſſemus, quæ conſultò omittimus, vt accedamus ad examinanda Indorum varia Idola, quæ pro Dijs, ſeu Cemis colunt. Meminimus vidiſſe Idolum ex lapide vireſcente, figura Scarabęi, magnitudine nucis Iuglandis, maculis nigricantibus, & alijs iuxta partem inferiorem albicantibus: hoc in loco damus tabellam varijs Indorum Idolis figuratam.

Primo loco delineatur Idolum figura Vetulæ, cælatum in petra naturæ marmoreæ, hoc varijs rugis circa maxillas, & propè mentum erat inſignitum.

Secundo loco figuratur Idolum habens caput animalis aquatici, vel, vt noſtra fert opinio, caput Delphini: ſculptum erat in lapide viridi, & obſcuro, cum maculis longè obſcurioribus.

Tertio loco monſtratur effigies alterius Idoli indici parati ex quodam lapide leucophaici coloris, in quo nonnulla lineamenta conſpiciuntur, æmulantia capreolos, vel ſarmenta vitium: ideòq; hoc Idolum, vel Cemus Capreolites erit appellandus.

Quarto loco repreſentatur icon Cemi, ſeu Idoli Indici, capite non rotundo, ſed quaſi plano, oculis magnis, naſo valdè craſſo, & longo, quinimò, vt veritatem fateamur, ab hoc Idolo rictus belluinus repræſentatur, quemadmodum Lector poterit diligenter intueri.

Rurſus aliam tabellam Lectoribus ſpectandam præbemus, vbi alia Idolorum varietas conſpicitur, quæ ex lapide formata erant.

Primo loco effigiatur Idolum Iſidis litteris hieroglyphicis exaratum ex lapide vireſcente. Huiuſmodi ſimulacrum non ſolùm in ſuis templis, ſed etiam in ſepulchris collocabant, in quibus cadauera, more Ægyptiorum, condita ſeruabantur. Alij voluerunt hoc ſimulacrum ex argilla quoq; fabricatum, & in fornace coctum fuiſſe.

Secundo, & tertio loco deſignatur aliud Idolum in lapide ſculptum, habens figuram Iridis, ſeu Termini, quod iuxta partem anticã, & poſticam litteris hieroglyphicis exornatum conſpicitur; propterea pronè, & ſupinè fuit pictum: nam in Idolo prima fronte delineato huiuſmodi litteræ hieroglyphicæ in anteriori tantùm parte erant cælatæ.

Idolum Iſidis quale.

Cum

Idola Indorum varia.

1

2

3

4

5

Alia Idolorum varietas.

1

2

3

4

5

Cum autem Indi in suis Cemis fingendis, & sculpendis summoperè varient, quarto loco designatur Idolum figura nudi Pusionis, capillis cincinnatis, & cymbalum manu gestantis.

Demum quinto loco apparet effigies hominis togati capite arietino ex lapide coloris cyanei. Hoc simulacro Insignia alicuius familię representari videntur.

Quoniam autem Indi sunt valdè superstitiosi: idcircò varias Idolorum, & Cemorum species ex varijs lapidibus formarunt. In hac tabella quatuor delineantur. Primum Idolum cælatum erat in lapide Ophiti simile coloris virescentis, varijs maculis insignito. Hoc Idolum quasi Sciographicè delineatum apparet vulgò *bozato* cum pileo, in quo varię sunt lineæ: quamobrem libuit hoc Idolum pileatum indigitare. Secundo loco conspicitur Idolum pariter ex petra virescente confectum referens Laruam, qua homines, Bacchanaliorum tempore vtuntur. Hæc Larua rimam deorsum tendentem in vtraq; maxilla habet.

Tertio loco est Idolum forma pietatis: est enim figura humana imberbis manibus ad thoracem complexis, duplici tetragonæ basi innitens.

Quarto loco conspicitur Idolum similiter sculptum in lapide viridi coloris dilutioris, cum capite satis crasso, manibus etiam, & pedibus ità crassis, vt figuram Bacchi æmuletur, quem crassissimum Antiquitas semper pinxit.

Viri etiam christianæ religionis, infinita Crucis, & Sanctorum simulacra ex lapidibus formarunt. Vna autem, instar omnium, sit crux ex viuo lapide incisa, & iussu Diui Ambrosij in via Sancti Vitalis Bononiæ locata, vbi Sancti Vitalis, & Agricola martyrium subierunt.

1. Idolum pileatum.

2. Idolum figura Laruæ.

3. Idolum effigie Pietatis.

4. Idolum Bacchi æmulum.

1



2

3

4

VSVS IN SVPPLICIIS.

PVBLICA consuetudine apud Hæbreos receptum erat, Reos lapidare. Immò quædam leges erant sancitę, quæ in supplicio lapidationis seruabantur. Etenim sontes ad lapidationem ducti, dum per quatuor cubita à loco supplicij distabāt, eis vestes detrahebantur. Deinde lapidatus in sepulchro suorum Maiorum tumulari non poterat. Item apud ipsos si quis maiori excōmunicatione vinctus moriebatur, lapis eius tumulo imponebatur, vt Tumulatum lapidatione fuisse dignum indicaret. Peruulgati etiam moris fuit apud Ephesios lapidare delinquentes in Deum. In hoc sensu Philostrati verba sunt hæc. *Cædite hunc lapidibus Deorum inimicum*. Quandoquidem Philostratus meminit Apollonij Ephesi agentis, atq; aduersum quemdā prædicta verba proclamantis. Prętерquamquòd Timotheus eiusdē ciuitatis Episcopus ab Ethnicis Ephesijs lapidatus, martyrium subiuit. Item, Decio imperante, Ephesi accidisse traditur, vt sæuiente aduersus viros Christianæ religionis persecutione, multi loca deserta petierint; & inter alios, septem iuuenes Christi cultores metu lapidationis perculsi in quoddam antrum se receperint, sed, ostio ab Insectatoribus clauso, in Domino obdormierint: vnde nomen septem Dormientium sibi vendicarunt, de quibus in Martyrologio Romano actum est. *Septem dormiētes qui.*

Interdum Ethnici christiani nominis Insectatores, in cruciandis martyribus, rotundis lapidibus eorum maxillas cōtundebant. Id colligendum est ex Actis Diui Adriani, in quibus hæc verba leguntur. *Maximinus ait: lapidibus rotundis ora illorum contundite, & Questionarij, arreptis lapidibus, eorum maxillas verberabant.* Prisci quoq; solebant, pro eminenti loco patibuli, saxo magno vti, in quo Carnifex cum Reo coram Populo stabat. Inoleuit igitur consuetudo apud Hæbreos, vt minister publicus, in flagellandis sontibus, detractis, vel scissis vestimentis, & nudato pectore, ascenderet lapidem, & manu apprehēso loro bubulo, Reum flagellaret. Idcircò petra scelerata fortassis erat talis locus, ad quem damnati vltimo supplicio ducebantur: quandoquidem Baronius, in Annalibus Ecclesiasticis, vertente anno Christi centesimo nonagesimo secundo, habet hæc verba. *Cum posthæc ydem, qui detinebantur in Carcere ducti ad petram sceleratam (sic habent horum Acta antiquitùs scripta, quæ in nostra Bibliotheca seruantur) plumbatis necati sunt.* *Lib. I. Serm.* *Petra scelerata quæ.*

Habemus etiam apud Plutarchum, quòd Tarpeia vocatur saxum Capitolij, è quo sontes deturbari solebant. Horatius hanc consuetudinem memorat hunc in modum.

Tu ne Syri Damæ, aut Dionysi filius audes
Deijcere è saxo Cuces? aut tradere Cadmo?

Hinc manifestum est damnatos capitali supplicio olim de saxo fuisse præcipitatos. Porphyrius autem hunc Horatij locum exponēns, Cadmum Carnificem notæ crudelitatis fuisse asseuerat. Plinius quoq; monimentis mandauit, Metellum à Catinio Labeone Tribuno Plebis ad Tarpeium saxum fuisse raptum, vt præcipitaretur. Quinimò Lucretius etiam huius consuetudinis meminit hoc versu.

Carcer, & horribilis de saxo iactus eorum.

Apud Persas viguit alia consuetudo, vt caput Veneficorum lato lapidi impositum alio lapide confringeretur.

His addamus, quòd Antiquitas, veluti ad metalla fontes, vt superius fuit exaratum, ita etiam ad Latumias, nempè ad loca, in quibus lapides excidebantur, damnabant: nam Eutropius author est, Superbum Tarquinium primùm excogitasse hæc supplicia, nimirum vincula, fustes, metalla, Compedes, & Latumias. Inter alia cruciamenta, quibus Martyres Christi affecti fuerunr, erat lapis cauus, in cuius cauitate pedes Martyrum collocati applumbabantur. Hoc cruciamenti genus in primo libro huius Tomi memorauimus. Legimus etiam, quòd Martyres interdum lapidem molarem trahere per ciuitatem iubebantur. Nam apud Simeonem Metaphrastem hæc verba habentur. *Iudex Aphrodisius afferri iussit duos lapides molares, vtrumq; verò Clementis, & Agathangeli collo alligari, & per mediam ciuitatem trahi, omnibus acclamantibus, Dijs parete, & Imperatoribus.* *Latumiæ quid.*

VSVS IN LVDIS.

SI tot ludos recenſere vellemus, quot Veteres,& nuperi Puſiones inuenerunt, proculdubiò tempus nobis deficeret. Hic autem vnum, aut alterum inſigniorem recenſebimus. Illud genus ludi, quo calculis in tabula luſoria nimirũ fritillis, & alueolis luditur, olim inuẽtum fuit circiter annum Orbis conditi ter mille ſexcenteſimum trigeſimum quintum, à quodam ſapiente viro, nomine Xerſe, qui ita Tyranni ſęuitiam coercere metu,& mouere ducumento volebat,oſtendens maieſtatem ſine viribus,& adminiculis hominum, parùm valere, & tutam eſſe; dum huiuſmodi calculorum ludo patefaciebat Regem facilè opprimi poſſe, niſi inuigilaret, & à ſuis defenderetur. Hodie vocant huiuſmodi calculos, ſiue ſcrupos, ſiue furunculos, quibus præliando ludimus (eſt enim ludus inſtar certaminis Præliantium) ſcaccos fortaſſis dictos à ſcandendo, quoniam huiuſmodi calculi, dum in aduerſariam partem mouẽtur, ſcandere videãtur.

Etymum Scaccorũ. Lib.1. cap. 9.

Inſuper Athenęus tradit,quòd Apion Alexandrinus ſe audiuiſſe retulit ex Creſſone Ithacenſe, cuiuſmodi eſſet Roccorum ludus apud Homerum. Octo enim ſupra centum erant calculi, & hos diſpoſuerunt inter ſe continuos, vt ex vtraq; parte quinquaginta quatuor eſſent. Spatium autem in medio vacuum relinquebatur, in quo calculus vnus collocabatur, quem Penelopem nuncupabant; huncq; tanquam ſcopum calculis percutiendum conſtituebant. Deinde cui ſors contingebat, is primus in Penelopem ictum intendebat.Si quis autem illam attigiſſet,& alterius calculum propuliſſet, ſuum calculum in loco proiectæ,& expulſæ Penelopes conſtituere debebat, & primam Penelopem ſtabilire in eo loco, in quo commorata erat, deinde ſecundum proijcere calculum. Quando verò aliquis, cæteris intactis lapillis, illam ſolam ſæpius conſequebatur, victor in huiuſmodi ludo celebrabatur.

VSVS IN MEDICINA.

NON ſolùm ex Metallis, Terris, & ſuccis concretis, de quibus hactenus ſermo eſt habitus;ſed etiam ex lapidibus,immò ex lateribus fractis,& antiquis Medicus extrahere poteſt aliquod præſidium,quo ægrotantibus opem largitur. Nihil enim eſt tam qualitatis expers, quod qualecumq; fuerit, à perito Medico ad remedia ægritudinum vſurpari non poſſit. Quocirca Diuus Thomas tertio Volumine aduerſus Gentiles, non modò herbas, ſed lapides quoq; miris quibuſdam virtutibus, vltra Elementorum naturam, potiri apertè fatetur. Itaq; apud Indos naſcitur quidam lapis pumicoſus, qui dum madefit, terram olet, nec ingratum ſaporem palato impertitur, huius puluerem aduerſus laterum dolores,& quodcumq; febrium genus commendant: deinde huius ramenta naribus indunt, vt dolores capitis, mitigent. Item in Mexicana regione reperitur quędam lapidis ſpecies nigro, & rubicundo referta colore, cuius puluerem cryſtallo permiſcent, vt argemata tollant, & viſum acuant. Fons etiam eſt apud Allobroges producens nonnullos lapides,qui in affectibus oculorum ſummopere laudantur. Aetius meminit lapidis Scythici,quem cum felle aſpidis terit, & collyrium ad ſuffuſſiones etiam diuturnas componit. Amplius in quodam nodo radicis iunci lapis innatus reperitur, quem tanquam amuletum ad Epilepſiam celebrant. Scaliger recitat in Zeilan eſſe lapidem Febrium cognominatum, qui carnem attingens, febrem excitat: quapropter in illis morbis habebit locum, in quibus expugnandis, excitanda eſt febris. Ibidem quoq;, vt alij tradunt, Piſcis inuenitur Febrius nuncupatus, nam qui manu illum apprehendit,illicò febre corripitur: quamobrem cum lapide prædicto maximam conuenientiam habere videtur.

Argematum remedium.

Febrius lapis, & piſcis.

Aduerſus peſtiferam luem Vlyſſipone vagantem duo lapides ex quibuſdam conchilijs extracti,fuerunt fælici euentu adhibiti.Nam olim Reuerendus Capuccinus Luſitanus doctiſſimo Vlyſſi Aldrouando narrauit ſe vidiſſe hominem in illa regione hos duos lapides habentem cinereos,& maculis quibuſdam inſignitos,quos in vas aquæ per ſpatium horæ immergebat, &, illis exemptis, aquam peſte laborantibus propinabat, quæ

tantam

A tantam vim in hoc pestis genere possidebat, vt quicumq; illam hausisset vitæ periculum euaderet. Pariter Anguściola Placentinus memorat quendam lapidem, qui vocatur Hazer Aliazar, & aduersus venena tam erodētia, quàm stupefacientia valere prodidit, dummodò in principio adhibeatur: nam vomitum prouocādo, Patientem liberat. Quinimò hunc lapidem præstantissimum aduersus pestem prædicat, antequam status morbi aduenìat. Rursus, in expugnando morbo gallico, nec non in doloribus articulorum arcendis, magnificat, dummodò bis singulis annis, nimirum Vere, & Autummo sumatur. Demum in Paralysi, Apoplexia, Epilepsia, Hydrope, Dysenteria, Colica, Strumis, & Lepra extollit. Huius quantitatem robustis, ad grana viginti, Patientibus imbecillis, & effæminatis ad grana duodecim, in vino, vel in alio liquore præscribit.

Quinto lapide ab Hierusalem, vt recitat Ioannes Eusebius Iesuita, in loco, qui à septuaginta Interpretibus vocatur Hippodromos, iuxta sepulchrum Rachelis lapilli quidam omninò nigri inueniuntur, quos Peregrini colligunt, & ad faciliorem partum valere perhibent. Sunt etiam lapides in Insula Catochorum, qui lac in mammis augere B dicuntur. Reperiri etiam lapidem, nonnulli pronunciant, fusci coloris, & Corylum nuncupatum, quem corpori alligatum deferentes, nihil formidare feruntur.

Lib. de mir. nat. terræ promiss. cap. 60.

VSVS IN LIMITANDIS, & distinguendis agris.

NOS memoria non fallit, quòd olim in circumscribendis agris, lapidum maceria, arboribus, fossatis, pontibus, ripis, palis picatis, laterculis, glareis fluuiatilibus, & multis alijs huius generis, pro terminis camporū, vsi sunt. Nihilominus natiuis aliquando lapidibus, & interdum arte paratis pro finalibus Terminis constituerunt. Horum Terminorum varia nomina apud Hygenum leguntur, quę nomina plerumq; à figura desumuntur: vt lapis finalis Rhomboides. Scalenus, Isocles, Trigonus, C Ortogonus, Oxygonus, Trapezus, siue Tetragonus, Parallelogrammus, item Grammus simpliciter, in quo lapide forma Gammæ litteræ græcę apparebat, Scutellatus, & sic deinceps. Hic autem lapis communi nomine Terminalis, siue lapideus Terminus vocabatur. Immò pręter figuras huius lapidis superius memoratas, solebat ab Antiquitate effigiari forma rudi humana. Qnoniam autem ad nostras peruenit manus lapis naturalis ita æmulans figuram Termini Antiquorum, vt arte præparatus esse videatur, decreuimus hoc in loco illius iconem assignare.

Lapis effigie Termini Finalis
à Natura formatus.

Cæterùm non modò lapidem huius generis pro Termino Finali statuerũt, sed etiam huiusmodi Terminum pro Deo coluerunt: Quandoquidem Numa Pompilius Rex Romanus, cum & publicum agrum Populi Romani, & priuatum vniuscuiusq; certis limitibus, & terminis definiuisset, in colle Tarpeio sacellum Termino Deo erexit, saxumque erat hic Deus, & saxa erãt reliqui omnes agrorũ, tum Publici, tum Priuatorũ Termini, quos statuto, qui dimouisset loco, cum hominem impunè necare licebat. Multi autem referunt Terminum lapidem in Capitolio diuinis honoribus celebratum, fuisse illud saxum, quod Saturnus, ob magnitudinem, deuorare non potuit, quando Iouem deglutire credebat. *Saxum Saturni.*

Itaq; huiusmodi lapides, siue Termini, ab Antiquis, adhibito sacrificio, disponebantur: Qua de causa apud Flaccum legũtur hæc verba. Cum Terminus disponeretur, ipsum quidem lapidem in solidam terram collocabant; deinde huiusmodi loca, in quibus, factis fossis, eos erant defixuri, vnguentis, velaminibus, & corollis coronabant, deinde sacrificio facto, hostiaq; immaculata cæsa, facibus ardentibus in fossato coopertis, sanguinem instillabant, coq; thura, fruges, vinum, fauos, & multa alia iactabant, quibus omnibus igne consumptis, super calidas reliquias, lapides collocabant, & additis aliquibus saxorum fragminibus circumcalcabant, vt firmius starent. Tale igitur sacrificium Domini celebrabant, inter quos, fines agrorum lapidibus dirimebantur.

VSVS IN ÆDIFICIIS.

AD omne genus ædificiorum lapides concurrere manifestum est. Primitùs, in sternendis vijs, lapides requiruntur: quapropter montes Campaniæ dicuntur illi, ex quibus lapides ad sternendas vias eruti sunt. Deinde viæ Itinerantium olim lapidibus fuerunt distinctæ, vt ex illis cuilibet innotesceret, quantum iter perfeciſſet. Nam milliaria lapidibus discriminabant, vt cunctis notissimum esse credimus; sed non ita patet cunctis, annotante doctissimo Nouarino, huiusmodi lapides litteris plenos fuisse, vt Itinerantibus viam insinuarent. Id confirmatur ex peruetusto Canonum pœnitentialium libro, in cuius prefatione hæc leguntur. *Quisnam hominum erit, qui sibi manendum existimet in itinere, cum videbit milliaria lapidea litteris plena viam docere?* Insuper ad ædificia tàm domorum, quàm templorum, omne genus lapidum trahitur. Etenim circa Tybur effodiuntur lapides vulgò Treuertini, nempè Tyburtini vocati, veluti etiam apud Gabios, ex quibus diligenti artificio insigniora Romæ ædificia struuntur. Interdum lapis tantæ molis ad aliquod opus trahitur, vt mirum sit, qua arte illuc delatum fuerit. Extant in huius rei fidem, hac nostra ætate, teste Boetio, ingentia illa saxa delata in circos, Vulgus prisca Deorum Fana appellat: vnde mirabitur fortassis, qui illa spectabit, nempe quibus corporis viribus lapides tantæ molis in vnum locum fuerint congesta, vt optimis rationibus canere possimus, *Milliaria lapidibus distincta.*

Si lapis esi vnus, dic qua fuit arte locatus,
Si verò plures, dic vbi congeries.

Leo Baptista, in suo Volumine de Architectura, tradit circa agrum Bolsenæ, erui lapidem ad omne genus ædificiorum accommodatum, qui, cum iniurijs aeris, imbrium, & ignis maximoperè resistat, æternus, & incorruptibilis nuncupatur. *Lapis æternus quis. Lib. 36. cap. 22.*

Ioannes Boterus refert, in quibusdam Britanniæ locis, effodi lapides instar asserum sectiles, quibus ædificia, loco tegularum, cooperiuntur. In territorio etiam Genuensi lapis est, qui facilè secatur ad varios vsus. Item Plinius describit quosdam lapides in regione Belgarum nascentes, qui serra scinduntur ad tegularum, & imbricum vsum. Verba Plinij sunt hæc. *In Belgica Prouincia candidum lapidem serra, qua lignum, faciliusq; eum secant, ad tegularum, & imbricum vicem, vel si libeat, ad quæ vocant pauonacea tegendi genera, & hi quidem sectiles sunt.* Ex scholijs Dalechampij nonnulli legunt non pauonacea, sed pauita, vel pauimenta. Dalechampius tamen interpretatur pauonacea, quasi picturatis lapidibus instructa, & instar pennarum Pauonis fulgentia, vt in ædibus Principum, & nonnullis templis quandoq; conspicitur. Hæ structurę pauonaceæ, vt nostra fert opinio, sunt lithostrota, seu musaica, quæ in multis Italiæ templis visuntur. Hinc apud Calepinum legitur lapis Pœnicus, vel Punicus, estq; lapis Numidicus, ex quo *Pauonaceæ structuræ.*

paui-

Larua Indica varijs lapillis exornata
inſtar Lithoſtroti.

A pauimenta fiebant, quæ postmodum Pœnica dicebantur. Illa igitur opera, quæ Plinius musęa vocat, intelligenda esse credimus, quæ Posteriores Musiua, vel Musaria appellarunt, in quibus varietate testularum, seu lapillorum, quædam gratia, atq; species venustatis apparet. Græci hoc opus Asaroton cognominarunt, sic appellatum, vt nonnulli existimant, quoniam cænæ purgamenta in ipso pauimento conuerri solerent: sed ad rem nostram magis faciunt lithostrota, quæ à nostris ferè tessellata vocantur, nempè varijs crustis, & lapidum segmentis, seu potiùs lapillis variorum colorum constructa, vt paulò ante fuit declaratum. Sed mirandum est, quod Gomara, in Historijs Indicis, recitat, nimirum ab Indis laruas, seu personas ex ligno fabrefieri, deinde lapillis variorum colorum exornari, vt perbellè lithostroton æmulentur. Quamobrem in gratiam Lectoris iconem huius Laruæ exhibemus. *Lithostrotæ quæ. Parte 2.*

VSVS IN VARIIS.

B

SIMVLACRA olim ex vno ligno, vel vno lapide fiebant. Nam Plato ita scribit: ex ligno igitur vno, vel vno quouis lapide integræ Deorum imagines in templis communibus struuntur. Hæc autem simulacra oleo postmodum vngebantur. Id anima duertit Arnobius, dum inquit. Quandò conspexeram lubricatum lapidem, & diù vnguine ornatum. Iudæi quoq; consueuerant Hierosolymã adeuntes quæmdam lapidem vngere, Vibis, & templi ruinam plangentes: quemadmodum colligitur ex Itinerario Burdegalensi, vbi agitur de loco templi: verba sunt hæc. *Sunt, & ibi duæ ſtatuæ Adriani, est & non longè à ſtatuis pertusus lapis, ad quem veniunt Iudæi, singulis annis, & vngunt eum, & lamentantur cum gemitu, & sic recedunt.* Antiqua etiam fuit consuetudo in Palestina, & Iudæis maximè familiaris, vt iuuenes se circa rotũdos lapides magni ponderis exercerent, & vires suas explorarent. Nam fortiores hos lapides supra verticem eleuabant, alij ad vmbilicum, & alij ad genua. Meminit huius moris Diuus Hieronymus in caput duodecimum Zachariæ, dum inquit. *Mos est in vrbibus Palestinæ, & vsq; hodie per omnem Iudeam vetus consuetudo seruatur, vt in viculis, oppidis, & castellis rotundi ponantur lapides grauissimi ponderis, ad quos iuuenes exercere se soleant, & eos pro varietate virium subleuare, alÿ ad genua, alÿ ad vmbilicum, alÿ ad humeros, & caput, nonnulli super verticem magnitudinem virium demonstrantes pondus attollunt.* *Lib. 12. de Leg.* *Lib. 1.*

C

Insuper Antiquitas lapides, vice anchoræ funibus appenderunt; quia Plinius memorat lapidem, in oppido Cyzici nuncupatum fugitiuum, quem Argonautæ pro anchora adhibuerunt. Textores etiam lapides inter texendum stamini appendunt, quos Græci Agnythes indigitant. Alij lapidem caudæ asini alligant, quoniam, teste Vuecherio, dum pendet, impedit, quominùs Bellua rudere possit. Idem Author, quando poma arboris fuerint caduca, lapidem dilatatæ arboris radici figit, vt in arbore retineantur. Veteres etiam coriarij, in poliendis pellibus, vtebantur lapide, qui apud Galenum vocatur Ageratus. Nuperi tamen Coriarij, loco huius lapidis, massa vitri vtuntur. Demùm lapis teres instar columnæ, qui à Græcis nominatur Cylindrus, huc atq; illuc volutatus aream adæquat. *Lib. 36. cap. 8.* *Lib. 3. de secr. cap. 2.* *Lib. 9. de Simp. med. fac.*

D

Olim, in ferendis suffragijs, non fabis, sed lapillis vtebantur: idcircò apud Authores, calculi damnatorij, & liberantes leguntur: nam, per calculum album in vrnam coniectum, aliquid probabant, per nigrum verò, condemnabant. Hinc Ouidius ad hanc consuetudinem alludens eccinit hunc in modum.

——— & omnis
Calculus immitem dimittitur ater in vrnam.

Lib. 10. metam.

Solebant etiam Thraces prosperos, & fælices dies calculo albo in vrnam coniecto, & nigro, infælices notare. Sicq; cuiuscumq; anni dies fælices, vel infælices numerabant. Vnde abijt in prouerbium de fausto die pronunciatum.

Hæc est illa dies albo notanda lapillo.

Rursus Antiqui, in subducendis suis rationibus, & computationibus, vtebantur calculis. Quocirca ponerè calculum cũ aliquo, nil aliud est, quàm vt impensæ rationẽ reddat: hinc Columella pro impensis, & redditibus, calculos vsurpauit. Sed maiori admiratione tenemur; dũ olim Americani, Theueto affirmante in historijs, lapidibus arbores

cæde-

cæderent, ſed poſt aduẽtum Hiſpanorũ in illas regiones, ferrũ poſtea adhibuerũt. Solebant etiam ſagittas ex ligno ſolido formare,& pro cuſpide ferrea, lapidem duriſſimum adhibere. Item Franciſcus Hernandus de hoc nouo orbe recitat, quòd enſes, nouaculas pugiones,& alia quamplurima ad ſcindendem inſtrumenta, nondum reperto ferro, ex lapide patria lingua Yiztl nuncupato, fabricabãt. At de huiuſmodi lapidibus verba fecimus in capite de ferro: vbi icon etiam gladij lapidei oſtenditur. Pariter veteres Hiſtorici referunt, populos Septentrionales inter Corum,& Fauonium ſitos, pellibus Piſcium, & Lutrarum veſtiri, & loco gladiorum (cum ferro careant) lapide acuminato vti. Demũ ex lapide nigro, qui in montibus Aethiopię cæditur mortaria optima fiunt, ſed, ex mente Strabonis, difficulter, ob duritiam lapidis, excauantur. *Li. 17.*

Antiquitùs etiam in vijs foris, alijſq; locis publicis, Lapides quidam eminentes ad varios vſus viſebantur. In primis lapidem Praterem Græci vocant, in quo mancipia venalia exponebantur: quinimò, plurium Authorum teſtimonio cõſtat, editiorem lapidem olim fuiſſe Romæ, vbi Præcones, in auctionibus, res venales nunciabant: hinc Marcus Tulius Cicero homines viliſſimos, de lapide emptos appellabat. Verùm non ſolum Pręco verba facturus ad populum, huiuſmodi lapidem, ſed alij etiam aliquid cantaturi, aſcendebant. Nam Plutarchus huc reſpiciens, quandoq; ſcripſit: ingenti concurſu facto, conſcendit lapidem Præconis, & cantu eos verſus pronunciauit, quorum exordium ſic ſe habet. *Homines de lapide empti qui.*

Adſum præclara Præco Salaminis ab ora
In cælum veſtrum dulce poema ferens.

Huius poematis inſcriptio eſt SALAMIS,& verſus continet centum perquàm venuſtè exaratos. Olim quoq; apud Hæbreos, res perditæ in lapide eminenti ponebantur, qui, in Dictionario Syrochaldaico, vocatur lapis Errantium, ſuper quem res perditæ ab inuenientibus collocabantur, & ibi quęrebantur. Hunc lapidem fuiſſe magnum doctiſſimus Nouarinus conijcit ex verbis cuiuſdam Rabini, qui de hoc lapide, & eius vſu ſic inquit: lapis errantium magnus erat Hieroſolymis, ad quem ſe conferebant, qui aliquid perdiderant: nam ibi ſtantes nonnulli, res inuentas proclamabant,& alij dato indicio, eas recipiebant. Præterea, in publicis vijs, lapides altiores figebantur, vt facilior equi aſcenſus eſſet. Hoc indicauit Plutarchus in Gracchis dicẽs; Gracchum lapides non longè diſtantes in marginibus viarum defixiſſe. Nam qui vias militares ſternebant, in lateribus earum, altiores collocabant lapides, ex quibus quiſq; in dorſum equi facilè ſe conijcere poſſet. Deniq; olim in obuijs, & editioribus viarum ſaxis ſedentes docebant. Id nobis inſinuat Diuus Chryſoſtomus, dum inquit: litterarum magiſtri, cum pueris, ſedent in vijs, nec quidquam illos impedit, in tanta turba, docere, atq; diſcere. Id etiam Chriſtum verum Mundi magiſtrum factitaſſe manifeſtum eſt. *Lapis errãtium qualis.*

Apud Indos inueniri quemdam lapidem nigerrimum nonnulli Hiſtorici referunt quo, illi Populi in aqua diſſoluto, pro atramento vtuntur. Cæterùm talis lapis ad noſtras delatus Regiones,& diligenter conſideratus, non eſt inuentus naturalis: primùm, quia eſt figurę tetragonę, inſtar teſſerę, in cuius medio aliqui characteres ſunt impreſſi, immò in parte oppoſita characteres cærulei viſuntur, & látera lapidis auro ſunt illita. Idcircò huiuſmodi characteres forſitan bonitatem lapilli indicabunt; ſicuti apud Antiquos, in terra Lemnia,& alijs terris huius generis obſeruatum fuiſſe, ſuperius notauimus. Maiolus, in Colloquijs, memorat quidem lapides graues, & ſolidos, qui in Regione Tranſpadana Cacaborum, Ollarum, & aliorum vaſorum huius generis munus obeunt: etenim ignibus reſiſtunt, & obſonia in illis celeriùs, quam in vaſis metallicis, coquuntur; verùm ſi alicui rei duræ impegerint, facilè franguntur, facta tamen filo æreo ad priſtinum vſum reſtituuntur. Hæc autem vaſa in Malongis montibus non procul à iugis Rheticis conficiuntur.

Pręterea lapides ad diuinandum,& ad futura præcognoſcenda, ab Antiquitate adhibitos fuiſſe Cardanus, & Vuecherius recitant. Philes quoq; nugamenta ſcripſit, dum voluit lapidem à Cane morſum,& in vino merſum prælia concitare. Tradunt quidem lapides fabæ ſimiles in Nilo Ægypti fluuio reperiri, quos Canes intuiti, non latrant, & ijdem Dæmoniacis conferunt. Nam ſtatimatq; naribus Vexatorum apponuntur Dæmones à corporibus egrediuntur. Hic lapis forſitan habebat aliquam cum Gagate conuenientiam, cuius ſuffitu Dęmonibus oppreſſos liberari, in libro antecedenti pronun- *Lib. 15. de ſecr. cap. 26.*

nunciamus. Item in flumine Indo lapis nomine Apertenophtoros oriri dicitur, quem Virgines si gustauerint, nullo modo vim inferentes formidare perhibetur. Pariter, ex Maiolo in Colloquijs, in Prouincia Orientali Malabar, lapis inuenitur, quem Indigenæ foliis cuiusdam oleris inuolutum tota die in ore versant: siquidem Itinerantes hoc tanquàm cibo saturantur.

Scribunt etiam nonnulli ad mentem Aristotelis, lapides, qui Gruibus, pro fulcimẽto inseruiunt, quandò deciderint, ad probationem auri vsurpari posse. In Lybia Corui sitientes lapidibus vtuntur, cum aquam inferiorem rostro attingere non possunt: rostro enim, & vnguibus lapides ad fundum aquæ proijcientes, illam ad summitatem eleuãt, vt sitim sedare possint. Neq; id mirari debemus, quoniam legitur de quodam Cane, qui, absentibus Coquis, lapides in olei lecythum iniecit, donec, pro voto, oleum lambere posset. *Lib. 8. de nat. Anim.*

DE LAPIDIBVS Communi nomine dictis, & primùm de Magnete. Cap. II.

ÆQVIVOCA.

TANTA Magnetis vbiq; celebratur præstantia, vt rectè, quis asseuerare possit, nihil in rerũ natura hoc lapide admirabilius, vsumq; illius ferè diuinum esse: quocirca inter lapides, primum locum non immeritò promeruit.

Itaq; lapides in genere, cum sub se quatuor diuersa genera cõprehendant, nimirũ lapides communi nomine dictos, Marmora, Saxa, & Gemmas, Primitus de lapidibus cõmuni nomine dictis agendum esse decreuimus: Quoniam hoc nomen tam lapides in animantibus genitos, quàm lapides determinatæ figuræ, necnon litophyta, vel petrificata complectitur. Quamuis autem Plinius lapidum historiam aggressurus, primò de marmoribus egerit, fortassis ob eximiũ eorum luxũ, & æstimationem, in qua olim erant apud Romanos, in varijs ædificiorum generibus construẽdis: nihilominus in præsentia nos prima fronte statuimus de magnetico lapide sermonem habere, propter præclaras illius dotes, & insignes prærogatiuas, quas in progressu illius historiæ memorabimus. *Li. 36. ca. 8*

Cæterùm, vt omnis æquiuocatio tollatur, oportet varios huius nominis significatus assignare. Suidas scriptis mandauit Comicum quemdam Atticum fuisse, cui nomen erat Magnes. Idem Author alium quemdam virum Æmyrneum in Poesi, & Musica celeberrimum eiũsdem nominis fuisse testificatur. Apud Herodotũ Magnes est nomen viri, qui naufragio dues euasit. Insuper hoc vocabulo vrbs Asiæ, necnon Macedoniæ Promontorium, immò, apud Homerum, Campus quidam denotatur. Item apud Græcos μάγνης non solum est lapis Magnes, de quo in præsenti capite agitur, sed etiam iactus tesserarij ludi, vel aleæ indicatur. *Magnes nomen proprium.*

Henricus Stephanus in Appendice sui μαγνῆτιν propriũ, & gentile nomen esse tradit. Dicuntur enim quidam Asiæ populi Magnetes, quondam à Cimesijs populis funditus deleti, veluti, & alij quidam, teste Aeliano, Mæandri accolæ: hinc ortum est, apud Græcos illud vulgare adagium μαγνήτων κακά, nempè Magnetum mala: quãdoquidem illa gẽs calamitatũ genera passa est. Quocirca ad rem extat apud Ciceronem ad Quintum fratrem talis locus; *De te Mag. ab sipylo &c.* Petrus autem Victorius putat hunc Ciceronis locum ita esse legẽdum. *De te à Magnetibus ab sipylo.* inquit enim duo fuisse Magnetum genera, alios, qui appellabantur à Græcis μάγνητες ἐπὶ μαιάνδρῳ, alios, qui μάγνητες ὑπὸ σιπύλῳ dicebantur; Horum postremorum Magnetum ciuitatis Strabo meminit. Verùm Magnetes ijdem sunt apud Macedones, qui nobis Senatores, siue Principes, & capita vrbis: hinc summum magistratum Magnetarchem nuncuparunt. *Li. 14. var. hist. ca. 14. Li. 30. var. lect. Li. 15. de situ Orb.*

Præterea obſeruamus, apud Plinium, nomine Magnetis, Hæmatitem, & præſertim E ſpeciem Aethiopici Hęmutitis intelligi. Demùm notare oportet, quòd Magnes, apud aliquos Authores, vocatur lapis Herculis, vel Herculius, vel Herculeus, ſed hoc nomẽ æquiuocatione labrat: ſiquidem præcipuè ſpectat ad illum lapidem lydium, quo auri, & argenti bonitas exploratur: cum Theophraſtus referat lapidem quemdam eſſe Lydium, ſiue Herculeum cognominatum, qui auro, vel argento attritus, cuius conditionis ſint, facilè demonſtrat. Item Plinius id manifeſtè oſtendit inquiens Coticulam auri, & argenti eſſe lapidem, quem paſſim Heraclium, ſiue Lydium indigitant.

Li.37.c.8.

Magnetes autem in numero multitudinis multos lapides naturæ magneticæ denotant. Sed hæc vox, iuxta aliquorum mentem, eſt ambigua, quoniam Magnates, nempè Optimates, & Dynaſtas ſignificat: namq; hi maximam cum Magnete conuenientiã habent: cum Magnetes Ferrum, & Magnates aurum attrahant, iuxta hoc diſtichon.

Cuncta trahunt ad ſe Magnates aurea, ſicut
Ad ſe Magnetes ferrea cuncta trahunt.

Poſtremò cum hic lapis vocetur etiam apud Græcos σιδηρίτης, aduertendum eſt hoc vo- F cabulum, æquiuocatione laborare. Namq; Sideritis artem ferrariam terram in fodinis ferri collectam, & herbam glutinantem vulnera ferro facta ſignificat.

SYNONIMA, ET ETYMVM:

VARIANT Authores ſententijs circa Magnetis etymologiam: quandoquidem multi hoc etymum deriuant à quodam paſtore, nomine, Magnete, qui huiuſmodi lapidem, primus inueniſſe perhibetur. Alij deducunt nomen à Magneſia regione, in qua Magnetis copia prouenire dicitur, cuius Populi Magnetes nuncupantur. Lucretius huius meminit his verſibus.

Quem Magneta vocant patrio de nomine Graij
Magnetum, quia ſit patrijs in Montibus Ortus.

Magnes à magnitudine.

Inter alios Authores, Ioannes Baptiſta Porta opinatus eſt Magnetem à magnitudine G cognominatum fuiſſe, non ratione molis, ſed ratione virtutis: quemadmodum Heroes, & viri præſtantes, ob virtutis meritum, magni appellãtur. Sed præ cæteris contenti erimus ſola commemoratione Alexandri Magni Macedonum Regis, qui, propter res domi, foriſque præclarè geſtas nomen Magni prometuit; quamuis ſtatura corporis eſſet puſillus; vnde verſus.

Magnus Alexander, corpore paruus erat.

Lapis heraclius cur dictus.

Inſuper hic lapis ab aliquibus Authoribus veluti à Matthiolo dictus fuit Herculeus, & fortaſſis ab Hercule, qui ſicuti viribus ſuis animantes efferas domuit; pariter Magnes ferrum omnium rerum domitorem ad ſe trahit. Nonnulli nominant lapidem Herculeum ab Heraclia Lydiæ ciuitate, vbi probatiſſimus Magnes generatur: niſi velimus aſſerere, cum Nicandro, huiuſmodi lapidem ab Heracleone quodam in Hiſpania inuentum fuiſſe.

In ſcholis Græcorum lapis hic nuncupatur μάγνης, item μαγνήτης, nec non in genere fœminino μαγνῆτις, propterea quòd in Magneſiano agro, huius magna copia reper- A ta fuerit. Aliter vocatur σιδηρῖτης, propter formam, quam habet cũ ferro, quod Græcis σιδήρος dicitur, aut quoniam illud trahat, vel quia in fodinis ferri ſæpiſſimè inueniatur;

Li.21.de Ciuit. Dei cap.4.

Alij cognominant Magnetem lapidem natiuum, quia maximum nauigantibus vſum præſtet. Diuus Auguſtinus hunc indigitat lapidem mirabilem ferri raptorem. Iſidorus vulgò ferrum viuum dici aſſeuerat.

Lib.16.Orig.

Apud Rabinos lapis attrahẽs nominatur, Arabibus Hager Anagritos, & Maganthis, Gallis Aimant, Germanis Magnet Stein, Belgis Seyl Steen, Hiſpanis Piedra y Manceree de Hierua Aimanto, Italis Calamita, quo vocabulo Rhaſis etiam vſus eſt, forſitan à calamis nempè ſagittis inficiendis, cũ ſcripſerit Plinius vulnera ſagittis magnete infectis facta, reddi aſperiora, aut potius, quia Magnes calamos, nimirum ſagittas corpori infixas extrahat. Barbari Magnetem, corrupto vocabulo, vocant Agnetem: quemadmodum loco dicendi Tecolitham, dicunt Acolithum, & pro Sapphyro, Papyrum ſcribunt.

NA-

NATVRA, ET AFFECTIONES.

QVAMVIS naturam, & dotes huius lapidis Dioscorides, Galenus, Plinius, Matthiolus, Porta, Brasauolus, Albertus Magnus, Rueius, Zanardus, Isidorus, Mylius, Alcasarius, Lucretius, & alij multi diligenter exposuerint: nihilominus in præsentia nonnihil de illius prærogatiuis dicendũ esse censuimus. Magnes in primis, quoad materiam, & colorem, est lapis ponderosus ex portione materiæ mineralis constans, licèt, dum funditur, nihil metalli constituat. Quare asserendum erit hunc lapidem esse generatum ex omni compositione lapidum, cum aliqua admixtione materiæ metallicæ; propterea, in colore, ferro assimilatur. Huic sententiæ assentitur Marbodeus Gallus, dum canit.

Hic ferruginei cognoscitur esse coloris,
Cui Natura dedit vicinum tollere ferrum.

Diogenianus verum magnetem ita argento esse similem voluit, vt sæpè intuentes fallat: attamen magnes, cuius est vsus in Pyxide, coloris ferruginei esse videtur: non tamen credendum est, ferri prorsus similitudinem gerere, sed ferri impoliti faciem præ se ferre; hac de causa ferrugineus nominatur. Huc alllusit Claudianus in suo Poemate, quando cecinit.

—— —— —— lapis est cognomine magnes
Decolor, obscurus, vilis, non ille repexam
Cæsariem Regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec insigni splendet per cingula meta,
Sed noua si nigri videas miracula saxi.
Tunc superat pulchros cultus, & quidquid eois
Indus litoribus rubra scrutatur in alga.

Quoad virtutem, lapis hic habet insitum à natura, vt ferrum trahat, & semper ad septẽtrionem se vertat Deinde tantò est efficacior, & robustior in hoc opere, quantò è profundiori vena fuerit effossus; nam ex superficie terræ erutus, semper infirmas vires habere perhibetur. Rursus Magnes, licèt alliciat ferrum, quando erit ferro leuior, tunc ad illius occursum se mouebit: trahit enim optimus magnes sextam partem ferri, habita ponderis ratione. Immò maiori magneti maior quoq; virtus attractiua, & minori minor inesse traditur; supposita tamen æquali bonitate eiusdem rationis, in vtroque lapide. Itaq; ferrum allicit, & ferro rapto vim suam ita impertitur, vt aliud ferrum ad se trahat, & suspensum teneat. Quocirca ex vna acu in aliam, & ex annulo in alium vis transit: ideoq; virtus magnetis viribus Torpedinis assimilari potest, quæ per rete, & virgas, manibus Piscatoris communicantur: hanc igitur vim Magnetis meditans Lucretius cecinit hunc in modum. *Virtus magnetis qualis.*

Hunc homines lapidem mirantur; quippe catenam
Sæpè ex annellis reddit pendentibus ex se
Quinq; etiam licet interdum, plurisq; videre
Ordine demissos leuibus iactarier iuris. *Lib. 6. de nat. rer.*

Nonnulli, animaduersa hac Magnetis natura, scripserunt naues, quibus in Calecutanam regionem nauigatur, clauis ferreis non figi, ob magneticorum frequentiam scopulorum, quoniam facilè dissoluerentur. Sed Gargias in Historia Aromatum id fabulosum esse tradidit: quandoquidem plures naues Calecutanæ regionis, & illius tractus, ferreis clauis iunctas obseruauit: immò addidit naues in insulis Maldiuis ligneis quidem clauis copulari, non quia à Magnete sibi metuant, sed quoniam ferri inopia laborant. *Li. 1. c. 17.*

Ioannes Baptista Porta diligentissimus rerum naturalium inuestigator, circa magnetis naturam, animaduertit, quòd virtus huius lapidis in ferro recepta, contactu magnetis validioris auferri potest. Nam ferrum à parte septentrionali ignaui magnetis contactum, deinde affricatum iuxta partem australem magnetis validioris, prima-

vis euaneſcit, & ad Auſtrum amplius non ſe conuertit, & tunc virtus à valentiori ma. gnete communicata ſuccedit. Verùm quando Magnetum vires æquales fuerint, ita inebriantur, vt neutram vim recipiant. Idem author obſeruat, quòd ferrum in vno ſui extremo Magnete tactum, iuxta illam partem, vim recipit, &, in altero extremo, oppoſitam; ſed id non perpetuò verùm eſſe ſcribit. Sed ſolummodò in illo ferro, quod proportionatæ fuerit longitudinis: nam ſi fuerit iuſtò longius, virtus ad alterum extremum non penetrabit. Amplius ferrum in medio tactum à Magnete, virtutem ad extremitates diffundit, ſed hæc vis erit obſcura. At ſi paulò remotius à medio fiat contactus, pars propinquior vires Borealis, vel Auſtralis puncti ſortietur. Item obſeruandum eſt, quòd Magnes naturaliter non ex omni ſui parte trahit ferrum, ſed tantùm iuxta conſtitutum punctum, quod diligenter inquirendum eſt, circumuoluendo Magneticum lapidem, donec ferrum ei adhæreat. Etenim quando ferrum ad contactum Magnetis currere conſpicabimur, tunc punctum tractionis illud eſſe conſtituemus. Quandoquidem Magnes ſiue paruus, ſiue magnus, duos polos oppoſitos, ſcilicet borealem, & auſtralem habet, qui duo ſunt puncta oppoſita. Namq; ſi Magnes pendulus, & liber relinquatur, alterum illius punctum ad Septentrionem dirigetur, & polus borealis vocabitur, alterum, ex oppoſito, Auſtrum ſpectabit, & polus auſtralis nominabitur. Id autem multifariam inquiri, & intelligi poteſt. Primum ſi Magnes tenui filo ſuſpendatur, deinde ſi collocetur in æquilibrio, quemadmodum in pyxide nautica accõmodatur; tertiò ſi ex modica ſuberis portione cymba paretur, fruſtulum Magnetis continens, quæ ſi ponatur in aqua, vt vltrò, citròq; moueri poſſit, cymba non quieſcet, donec alterum lapidis punctum ad Boream, & alterum ad Auſtrum dirigatur.

Punctum tractionis.

Modus inuentionis puncti.

Ex altera parte notat Ioannes Baptiſta Porta polarem lineam Magnetis variare, dum lapis in diuerſas partes diuiditur, ſed ſemper medium locum in lapide ſibi vendicare; ſiquidem vis borealis, & auſtralis in medio conſopita quieſcit, & in extremitatibus poſtea viget. Quinimò cum Magnes duo puncta oppoſita habeat, vt ſuperiùs fuit relatum, nempè boreale, & auſtrale, ſciendum eſt, quòd punctum boreale vnius reſpuit punctum boreale alterius, & eiuſdem punctum auſtrale allicit; & viciſſim punctum auſtrale vnius expellit punctum auſtrale alterius, & eiuſdem punctum boreale trahit. Experientia autem id facillimè docet, ſi duo Magnetes filo ſuſpendantur, hinc colligendum eſt ferrum ſeptentrionali puncto Magnetis affricatum ſe ſe vertere ad Auſtrum, & affricatum puncto auſtrali eiuſdem Magnetis, ad Boream dirigi: cum pars ferri contacta vim lapidis diſſimilem ſemper recipiat. Quamobrem Porta obſeruat Cardanum hallucinatum fuiſſe, quando ſcripſit, ferrum contactum iuxta partem borealem, ad Boream, & tactum iuxta partem Auſtralem, ad Auſtrum tendere. Itaque virtus Magnetis communicatur quidem ferro, & tranſit de ferro in ferrum vſque ad octauum, & decimum; dummodò virtus Magnetis validiſſima fuerit. Nos conſpicati ſumus Magnetem latitudinis dodrantalis ex vna parte trahentem extremam partem acus in ſublime, & ex oppoſita parte poli Antartici, non eamdem partem, ſed alteram oppoſitam alliciebat. Quocirca ſi ex eodem Magnete duæ pilæ rotundæ fabricentur, quarum altera polum arcticum, & altera antarcticum habeat, deinde in medio illarum acus filo ſuſpendatur, vtraq; pars oppoſita continuò trahet, & ſic motus perpetuus in acu obſeruabitur. Id experientia, & multis iconibus Taiſnerius Hannonius in ſuo opuſculo de Magnete verum eſſe demonſtrat.

Virtus Magnetis penetrat.

Motus perpetuus datur.

SYMPATHIA, ET ANTIPATHIA.

MAGNES vnus, & idem numero trahit, & abigit ferrum, non tamen iuxta eamdem, ſed iuxta partem diuerſam, vt paulò ante explicatum fuit. Namque ex vna parte, ſympathia naturali ferrum allicit, & ex altera parte oppoſita, naturali quadam antipathia idem ferrum reſpuit. Quinimò Magnes ita ferrum amat, vt, ſi fruſtum Magnetis in ſinu foueat, & ferrum paulatim accedat, illicò fruſtum illud Magnetis abijcit, & ferrum amplectitur.

Hinc

A Hinc emergit naturale horum coniugium, & admirabilis sympathia, de qua Poeta cecinit hunc in modum.

Quis calor infundit geminis alterna metallis
Fœdera? quæ duras iungit discordia mentes?
Flagrat anhela silex, & amicam saucia sentit
Materiam, placidosq; chalybs exposcit amores.

Quare ob hanc singularem sympathiam, Magnes nunquam virtutem suam amittit, donec in pyxide, cum scobe ferrea conseruetur. Alij voluerunt, in limatura quidem ferri optimè conseruari, si tamen singulo mense in aquam, spatio diei naturalis, proijciatur, & postmodum panno rubicundi coloris inuoluatur. Insuper si magnes fuerit ebrius, & eius virtus euanuerit propter contactum aliarum partium magnetis, tunc ob singularem erga ferrum amorem vim pristinam recuperabit, si spatio multorum dierum, in limatura ferri sepeliatur. Rursus, ob eamdem rationem, scobs ferrea in papyro conuoluta virtutem admotę magnetis recipit, vt ferrum alliciat; sed postmodum si B huiusmodi limatura agitetur, & denuò inuoluatur papyro, virtus illa confunditur, & nihil operatur. Tandem magna admiratione dignum est tantam esse inter ferrum, & magnetem sympathiam, vt in se inuicem facilè transmutentur, & quamuis non videatur verisimile, ferrum, quod est metallum, posse in magnetem, qui est lapis, conuerti: nihilominus id experientia docet. Etenim seruatur in publico Musæo fragmentum Magnetis, quod olim erat ferrum coloris nigri, & ferruginei cortice exterius albicante: docebat enim communis præceptor Aristoteles in habentibus symbolum faciliorem esse transitum. Præterea id manifestissimum est; quoniam Arimini, in templo Sancti Ioannis, fuit Crux ferrea, quæ tractu temporis in magnetem conuersa est, & ab vno latere ferrum trahebat, & ab altero respuebat. Præterquamquod ipsum ferrum vim trahendi, instar Magnetis, acquirit, si sumatur portio ferri, vel potius chalybis longitudine palmi, & acuminata ad instar illius ferri, quod ab equorum pedibus clauos trudit. Hæc si quotidie in perforando alio ferro minimè calido adhibeatur, iuxta illam extremitatem, virtutem trahendi ferri adipiscitur. Quinimò in illa modica ferri C portione, quæ est instar grani frumenti, effectus efficacissimus obseruatur, quia tantum ferri suspensum tenebit, quantum maior portio magnetis non sustinebit.

Magnetis conseruãdi ratio.

Ferri, & magnetis transmutatio.

Ferrũ sine magnete vim magnetis acquirit

Theophrastus Paracelsus hanc sympathiam ferri, & magnetis contemplatus, scriptis mandauit oleum croci Martis ex optimo chalybe paratum huic lapidi magnam efficaciam addere, & propterea voluit magnetem ignitum, & in hoc ferri oleo sæpius extinctum paulatim maiores vires acquirere, immò tantam virtutem adipisci, vt clauum parieti infixum admiranda potentia euellat. At Ioannes Baptista Porta diligens rerum naturalium inuestigator, facto huius rei periculo, cognouit tantùm abesse, vt magnes hac ratione vires acquirat, vt potiùs illas prorsus amittat: quapropter hæc Theophrasti vanissima commenta, & verborum impostura esse monuit. Verum quidem est, inter magnetem, & Hæmatitem maximam sympathiam, & cognationem intercedere, non solum quia, apud Plinium, Hæmatites vocatur Magnes, sed etiam quoniam Magnes combustus, siue calore Solis, siue ignis, naturam Hæmatitis induit, & pro eo vsurpatur.

D Si conuertatur sermo ad antipathiam, plerique referunt inter magnetem, & Allium maximam cadere discordiam, siquidem hic lapis succo Allij perunctus propriam virtutem amittere perhibetur. Quinimò ab Adamante quoq; dissidere scribunt: nam Magnes, præsente rudi Adamante, ferrum non allicere, vel raptum deponere traditur: deinde sanguine hircino magnetem ab hoc veneficio liberari pronunciant. Hęc omnia à veritate recedere Ioannes Baptista Porta, facto periculo, testificatur. Immò idem Author obseruauit magnam inter Adamantem, ferrum, & magnetem cadere sympathiam, quoniam aliquid ab Adamante tactum, non secus ac ferrum à magnete contactum ad septentrionem voluitur; quamuis aliquantò languidius; deinde pars obuersa, veluti magnes ferrum, ad meridiem abigit. Insuper magnes cum igne gerit inimicitias, propterea quòd lapis hic ignitus virtutem trahendi amittat. Item Mercurius Vulgi hostis acerrimus magnetis esse fertur; cum, solo contactu, virtutem trahendi ferri ab ipso magnetes in perpetuum adimat.

Antipathia

INVENTIO, ET TRAHENDI Ratio.

NONNVLLI Authores, & præſertim Braſauolus inuentionis modum hunc fuiſſe declarant. Dum quidam Nautæ circa mineras Magnetis maria ſulcantes miſerè perijſſent, extractis, occultaui, ferreis nauium clauis, id à Magnete prodijſſe excogitarunt. Quocirca deinceps, ad euitandum huiuſmodi periculum, Nautæ per hæc loca tranſituri ligneis clauis naues compaginarunt, & præcipuè, qui nauigationem Indicam in Calecut ſuſceperunt. Hoc poſtea eſſe falſum ſuperius ex ſententia Gargiæ, oſtendimus. Satius igitur erit cum alijs Authoribus aſſerere magneticum lapidem in monte Ida inuentum fuiſſe à quodam paſtore nominato Magnete, qui armenta paſcens, cum baculum haberet cuſpide ferrea munitum, & calceos ferreis clauis armatos; Is armenta ſequens cum ad loca peruenisſet, vbi plurimus Magnes naſcebatur, ab eo violenter tractus, ob materiam ferream, humi hærere cogebatur: vnde ibi relictis baculo, & calceis ferratis, vix diſceſſit.

Magnes Paſtor inuenter magnetis.

Circa ferri trahendi rationem varij varias ſententias protulerunt. Aliqui hanc vim trahentem falſis Cacodæmonum impoſturis adſcripſerunt; cum potiùs id omnipotenti rerum omnium Conditori attribuendum eſſet. Cum non ſolùm hæc vis attrahens in hoc lapide, verùm quoq; in multis alijs rebus obſeruetur. Quãdoquidem ſcribit Ioannes Euſebius Norimbergenſis ſe audiuiſſe à Patre quodam rem prorſus in hoc genere admirandam. Venerat is recens ex Inſula Zeilano, vbi dum moraretur, in duos homines incidiſſe aiebat, qui ſpatio viginti paſſuum diſtantes duo ligna manibus tenebant, quæ occulta quadam virtute ita trahebantur, vt vix poſſent violentiæ reſiſtere, donec coniungerentur, quæ copulatio fiebat vi cuiuſdam herbę mirabili attractione pollentis in medio duorum lignorum collocatæ. Item alius, qui, multo tempore, in Bengala verſatus erat, retulit in illa Regione noſci herbam, quæ alia ligna, veluti magnes ferrum, attracta coniungebat. Audiuit etiam Kircherius Romæ à Patre Didaco Salazar, qui cum Procuratore Mexicano Romam, negotiorum cauſa, ſe contulerat, in Mexicana Prouincia creſcere certum virgulti genus Malo punico non abſimile, cuius tenellæ virgæ certa ratione ſectæ partes occulto quodam odio ita auerſantur, vt ſimul ne violenter quidem contineri poſſint: Quocirca ibi paſſim hit fit Puerorum iocus.

Alia vim trahendi habentia.

Sed vt ad rem noſtram reuertamur. De attrahendi ferri ratione, multæ tum Veterum, tum Nuperorum opiniones circumferuntur. Thales Mileſius, qui fuit vnus ex ſeptem Græciæ Sapientibus, putauit, referente Ariſtotele, Magnetem eſſe animam quodam prędituin, cum videret in illo vim alliciendi ferri vigere. Hinc aliqui Authores ab hac ſententia non valdè diſcrepantes, vt Cardanus, & Agricola, magnetem viuere, & ferrum illius eſſe pabulum tradiderunt; cum huiuſmodi lapis in limatura ferri optimè conſeruetur. Hæc ſententia eſt explodenda, non ſolum, quia recedat à veris Philoſophiæ dogmatibus, dum Ariſtoteles pluribus in locis lapides ali minimè poſſe, conſequenterq; nec etiam viuere demonſtret. Verùm etiam, quia Scaliger, in exercitationibus contra Cardanum, aſſeuerantiùs dicit ſe obſeruaſſe ferri limaturam magnetis conſeruatricem nunquam pondere fuiſſe diminutam: quapropter illius pabulum minimè eſſe poſſe diuulgat. Plato in Timęo philoſophicis incedens ſpeculationibus, ſcriptum reliquit non ineſſe huic lapidi virtutem attrahendi ferrum, ſed propellendi aerem, itaut ſpatium inane inter vtrumque relinquatur; ideoque ferrum, propulſo aere à magnete, illicò in locum vacuum ſuccedere aſſeuerauit. Non defuerunt, qui exiſtimarunt id prouenire à quadam propria qualitate, & natura, qua ferrum ad ſtellas boreales dirigitur. Alij ad formam ſubſtantialem retulerunt. Nonnulli id aſſignarunt cuidam proprietati occultæ à Deo, vel Cælis huic lapidi impreſſæ; veluti Rhabarbarum ab humano corpore bilem, Agaricum pituitam, & Polypodium melancholiam attrahit, & educit. Sunt etiam aliqui Authores huius opinionis, hanc virtutem attribuendam eſſe certæ, & peculiari temperaturæ, & proportioni quatuor primarum qualitatum. Hanc ſententiam Diuus Thomas acriter refellit, inquiens virtute potiùs cæle-

Plinius opinio.

Lib. 12. artic. 15.

A cælestis, quàm aliquæ elementari vim hanc Magneti fuisse communicatam. Quare Gaudentius Merula his fortè fretus verbis arbitratus est ferrum trahi à magnete, quia ferro sit ordine superior apud Vrsam: idcircò magnetem collocatum ad meridiem, ferrum verò ad septentrionem, non ita vegetas vires habere pronunciauit. Franciscus Georgius Venetus Minoritanus in suis Problematibus inquirens rationem Magneticę attractionis, prodidit hanc non dimanare à proprietate magneti indita, quoniam hæc proprietas, iuxta aliquorum opinionem, ab influxu pendere dicitur: cum magnes, & ferrum sint martia, Electrum viro, & alia trahentia paleam, sint Iouialia: deinde arguit hunc in modum: Martia, & Iouialia non attrahunt congenera sua; necessarium igitur erit asserere id ab alio non prouenire, nisi à consonantia quadam efficacissima; quemadmodum Sapiens de Animalibus consimilibus scripsit: cum vnumquodq; suum simile diligat, & à simili attrahatur: hinc vis tanta amoris in quibusdam reperiri affirmat, quoniam eorum temperatura admodum conformis sit genita. Ioannes Baptista Porta virtutem magnetis meditatus, scriptis mandauit magnetem esse misturã quam-
B dam ex lapide,& ferro, quasi ferreus lapis, aut ferrum lapideum nominari possit. Animaduertit tamen non esse credendum lapidem in ferrum ità esse mutatũ,vt suam naturam amiserit, nec ferrum lapidi ità adhęsisse, vt propriam naturam non tueatur: quocircà alter alterum superare nititur, & ex hac pugna attractionem oriri Porta asserit, quia in illa mole plus lapidis, quàm ferri esse existimat: hinc ferrum, ne à lapide superetur, vires ferri, & consortium exoptare tradit. Ioannes Augurellus causam huius attractionis adeò occultam esse putauit,vt illam inuestigare vanum esse existimauerit, versus sunt huius tenoris.

Opinio Portæ.

L. 2. Chrysop.

Herculei neq; enim lapidis si forte requiras,
Inuenies causam, qua ferrea vincula nectat,
Et trahat adiuncti pondus per inania ferri
Nec minus vnde regat Nautas, & vergat ad Arctον
Spectantes parua clausum sub pyxide sydus.

Nos autem, qui summoperè exoptamus veras rerum causas rimari, hac in re, alijs
C opinionibus prætermissis,non recedemus à sententia Epicuri,qui voluit ex corporibus quædam corpuscula effluere, quibus huiusmodi attractio celebratur. Id autem quotidiana experientia comprobat: quandoquidem optimus magnes non alia cognoscitur ratione, quam si gladio ferreo,vel chalybeo percutiatur; nãq;, ob talem ictum, ex eius substantia exeunt corpuscula, instar muschi herbæ capillaris, colore nigro, suntq; interdum adeò copiosa,vt à lapide abradi possint. Vnde Lucretius non immeritò hanc Epicuri amplectens sententiam cecinit hos versus.

Epicuri opinio.

Lib. 6. de nat. rer.

Hunc homines lapidem mirantur quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex se
Quinq; etenim licet interdum, plureſq; videre
Ordine demissos leuibus iactarier auris
Vnus vbi ex vno dependet subter adhærens
Ex alioq; alius lapidis vim, vinclaq; noscit
Vsq; adeo permanenter vis perualet eius.
D *Hoc genus in rebus firmandum est multa priusquam*
Ipsius rei rationem reddere possis.
Ex nimirum longis ambagibus est adeundum
Quo magis attentas aures, animumq; reposco.
Principio omnibus à rebus, quascumq; videmus
Perpetuò fluere, ac mitti fateare necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visumq; lacessunt.
Et cætera.

Quapropter non debuit mirari Galenus, qui reprehendit Philosophos asserentes huiusmodi corpuscula ex substantia Magnetis dimanare. Hæc enim cum ferro affinitatem habent; & licèt, dum fit attractio, visionem nostram effugiant: nihilominus in ictu ferri, vel Chalybis in Magnetem, huiusmodi corpuscula, vel Atomi visui nostro subijciuntur: nam, in repetito ictu, meatus magnetis incalescentis dilatantur, quibus apertis, Atomi illi nostro sensui manifestantur, quamuis posteà, in actu attractionis,

non

Attrahendi ratio.

non videantur. Sin magnes alia dura re, nimirum ære, vel ſimili percutiatur, tunc ab E
eo nihil affluit: ſiquidem nulla eſt magnetis cum illis materijs affinitas. Hinc Clemens Alexandrinus hac fortaſſis ratione motus voluit, propter hanc magnetis cum ferro cognationem, talem attractionem celebrari, dum hic lapis ſpiritus ferri in ſe concluſos teneat.

DIFFERENTIÆ.

VT ſermonem hunc differentiarum arctemus ad breuitatem, primùm explicandæ erunt differentiæ ab Halchemiæ profeſſoribus propoſitæ, vt cunctis manifeſtarium euadat, has ad rem noſtram nihil attinere. Hi primum magnetis genus vocant Almagritum, cuius tactum aſſerunt tribuere vim ferro ſe vertendi ad Auſtrum. Secundum genus cognominant Theomedem, cui virtutem aſſignant ſe vertendi in Boream freti fortaſſis ſententia Plinij, qui Theamedi lapidi ſimilem virtutem F
attribuit. Tertium genus nominant Almas Largont, quod vocabulum ficticium, & fabuloſum eſſe credimus, huicq; tribuunt virtutem ſe vertendi in Orientem. Quartum genus indigitant Calamitrum, non Calamitam, quoniam metuunt, ne noto nimis vocabulo fraus detegatur. Vnde in doctrina Chymiſtarum quot ſunt voces, tot mendacia, & impoſturas eſſe obſeruamus.

Differentiæ apud Chymiſtas.

Itaq; omiſſis Chymicorum nugamentis, ad ſerias Magnetis differentias accedemus, quæ à colore, ſubſtantia, loco natali, & virtute deſumi poſſunt. Quoad primum, Plinius quadruplex Magnetis genus conſtituit, nempè rufum, nigrum, cæruleum, & candidum. Georgius Agricola tres differentias enumerat, nimirum Magnetem ferrugineum, album, necnon album quibuſdam maculis diſtinctum. At ſatiùs erit huiuſmodi colores vnà cum ſubſtantia examinare. Magnes candidus conſpicitur ſubſtantia leui lineis nigris maculatus, ferrum nõ attrahit, & linguæ admotus tenaciter adhæret: hunc lapidem Authores referunt ad tertiũ genus Calamitæ, de qua Plinius fuſiùs egit.

L.37.c.16.

Magnes nigri coloris inuenitur in Troade, ſubſtantiæ pariter haud quaquam denſæ, G
& à Plinio fœmineus appellatur, quoniam in attrahendo nullius ſit valoris. Alius eſt Magnes coloris ſubrufi, cuius ſubſtantia interior punctis nigricat, & ad cæruleum colorem inclinat, ſubſtantiæ denſę, & in attrahendo valdè efficax. Alius Magnes denſus ſimilis lapidi Smiridi, colore pariter ad cæruleum vergente, abſque inſigni grauitate, ex Orientali climate defertur. Hic ex vna parte ferrum auidiſſimè trahit, & ex altera illud reſpuit. Optimus tamen Magnes, in trahendo, ferro, dum percütitur, perhorreſcit, lanugine quàdã oborta, quæ ad ferrum admotum tranſmigrat. Libuit hoc in loco picturam Magnetis reponere, quę cum per ſe exprimi rectè non poſſit, ſcobem ferri ei adhærentem, necnon acum expreſſimus. Quoniam autem ad noſtras peruenit manus fragmentum Magnetis in cruſtas inæquales ſciſſilis; ideò illius etiam iconem antelegentium oculos repræſentare voluimus.

Ratione loci Plinius, ex ſententia Sotaci, quinq; Magnetis genera conſtituit. Primum genus reperiri ait in Regione arenoſa Æthiopiæ, vnà cum Hæmatite, quem lapidem ipſe vocat Magnetem coloris ſanguinei. Hinc Silius Italicus cecinit. H

Venere Æthiopes, gens haud incognita Nilo
Qui Magneta ſecant, ſolis honor ille metallis
Incoctum chalybem vicino ducere ſaxo.

Secundum genus ex Macedonia rufum, & nigrum eſſe dicit. Tertium genus magis rufeſcens, quàm nigricans in Echio Boetiæ naſci pronunciat. Quartum genus Magnetem circa Alexandriam, & Troadem nigri coloris, & fœminei ſexus, conſequenterq; nullius valoris eſſe perhibet. Quintum genus naſci in Magneſia Aſiæ candicans, & ignauum prædicat, quoniam ferrum non attrahat.

Quoad virtutem, ſcripſit Albertus inueniri Magnetes in diuerſis locis, qui varia ad ſe trahunt, nimirum æs, plumbum, carnem, pilos, piſces ex aqua, oleum, acetum, & ſimilia, ſed hæc fabuloſa potiùs, quàm vera eſſe cenſemus.

In l. de var. rer. cap. 19.

Refert quidem Hieronymus Fracaſtorius ſe vidiſſe genus Magnetis, quod argẽtum trahebat, & id etiam Cardanus affirmauit. Leonardus quoq; Piſaurenſis tria Magne-

tis

Magnetis fragmentum cum ferri ſcobe, & acu.

Icon Magnetis in cruſtas inæquales ſciſsilis.

tis genera proponit, vnum trahens carnem, alterum alliciens ferrum, & tertium ferrum reſpuens. In mediterraneis Sardiniæ circa montium radices Orientem ſpectantes inuenitur Magnes ferrum alliciens; ſed in partibus Occidentem, Meridiem, & Aquilonem reſpicientibus, ad mentem Maioli, Cauſini, & aliorum, Magnes ferrum propellens naſcitur. Vnde aliqui arguunt, quòd non omnis Magnes trahat ferrum, vel aſſerunt hunc poſtremum lapidem eſſe Theamedem. Præterquamquod Albertus tradit, ſuis temporibus, inuentum eſſe Magnetem, qui ab vno latere ferrum trahebat, & ab altero illud fugabat, cuius, ni fallimur, meminit etiam Ariſtoteles. Hinc aliqui aſſerunt hunc lapidem forſitan eſſe eumdem cum Theamede Plinij, qui omne ferri genus abigit. Sed deberēt animaduertere in vno, & eodem lapide magnetico duo eſſe puncta, quorum alterum ferrum allicit, & alterum abigit. Idem Albertus aliam Magnetis ſpeciem memorat, quæ apud Fridericum Imperatorem ſeruabatur, hæc ferrum non attrahebat, ſed ab eodem attrahebatur.

Theamedes lapis.

L.7. de ſubtil.

Aliud genus Magnetis memorat Cardanus, quo acus illita, citra dolorem vulnerat, & huius rei in ſemetipſo periculum feciſſe teſtificatur. Quinimò addit Alexandrum quemdam Veronenſem circumforaneum gladijs huiuſmodi Magnete perfricatis pueros, & ſeruos ſuos noctu ſauciaſſe, mox illos, coram populo, oleo oliuarum cum Sarcocalla, ne ſimplex oleum eſſe videretur, ſanando maximum quæſtum feciſſe, quia plebs tali oleo tantas vires ineſſe credebat: cum tamen ſanatio ex natura vulneris penderet; quoniam vulnus hac ratione inflictum, oleo, vel parum, vel nihil conferente per ſe coaleſcit. Aliam Magnetis ſpeciem proponunt, quæ vitro in fornace permiſcetur, vulgò vocatur *Manganeſe*, Alberto dicitur Magneſia: lapis eſt nigro Magneti ſimilis, & Vitrarij eo libenter vtuntur; cum vitrum ab alienis coloribus purget, illudq; clarius reddat, ſed ſi in maiuſcula quantitate addatur, vitrum colore purpureo tingit. Huiuſmodi genus ex Germania defertur, & etiam apud Italos in montibus Viterbij effoditur. An hæc ſpecies ſit pſeudomagnes apud Plinium, non audemus affirmare: etenim, ad illius mentem, in Cantabria naſcitur, & ferri aciem tanquam Magnes inficit. Sed an addatur Vitro, dum funditur, nondum manifeſtum eſt. Alius quidem eſt lapis vitrum colore cæruleo tingens, & ſi pluſculum addatur, nigredine illud maculat, Vulgus Zafferam nuncupat, fortaſſis, quia Sapphirini ſit coloris. Hic lapis, vt plurimum refertus eſt colore cinereo ad purpureum tendente, ponderoſus, & friabilis, poſitus per ſe in fornace non funditur, ſed cum vitro, inſtar aquæ, fluit.

Pſeudomagnes Plinij.

LOCVS.

NONNVLLI Authores monimentis mandarunt Magnetem generari in fodinis ferri. Sed aduertendum eſt, ibi aliquandò, & caſu inueniri: cum in infinitis ferè locis, præter ferri fodinas, reperiatur. Huiuſmodi loca Plinius, Agricola, Matthiolus, Cluſius, & alij multi authores enumerarūt. Nos autem ordinem alphabeticū in illis recenſendis ſeruabimus. Braſauolus in primis copiā huius lapidis in Ægypto produci refert. Plinius verò Æthiopiæ multas huius venas aſſignat. Anglia, teſte Gilberto, nouis detectis venis, nuperrimè ingentem eius vim oſtendit. Apēninus mons totus ex Auſtro in Boream, Magnete abundat; itaut non immeritò vena Magnetis continuata nominari poſſit. Demum toti Armeniæ opes huius lapidis paſſim ſuppetunt.

Bœotia eſt huius lapidis ditiſſima, præterquamquòd in Bohemiæ fodinis paſſim reperitur.

Corſica venas huius materiæ poſſidet. Quinimò China hac eadem affluit.

Dania, & Francia non modicam ex hoc lapide demetunt frugem.

In Germanicis ferri fodinis omnibus paſſim Magnes inuenitur. Item in fodina antiqua Goſſelariæ, necnon in propria vena ibidem eruitur.

Hiſpania veluti olim, ita nunc habet ferri fodinas, in quibus Magnes effoditur. Hybernia quoq; copia huius materiæ potitur.

Ilua Hetruriæ inſula copioſum Magnetem exhibet, qui magnæ eſt efficaciæ non ſolum in pyxide nautica, ſed etiam in horologijs ſolaribus; maioris autem virtutis ex par-

parte Orientis extractus Magnes esse perhibetur, nam erutus iuxta partem Borealem, & Australem vim minorem possidere traditur. Præterea insulæ omnes maris mediterranei hoc lapide redundant. India potissimum, inter alias regiones, huius lapidis est ditissima, quemadmodum testatur Marbodeus Gallus his versibus. *Magnes vbi optimas.*

Magnetes lapis est inuentus apud Troglodytas,
Quem lapidem genitrix nihilominus India mittit.

Sed præcipuè apud Flumen Indum frequentes sunt huius materiæ cautes: cum tamen alij referant, iuxta amnem Indum, duos videri montes, quorum alter ferrum allicere, & alter respuere dicitur. Vtcumq; sit, omnes probati Authores, vt Porta, Albertus Magnus, & Ludouicus Viues in Scholijs ad Diuum Augustinum, narrant nostrates Nautas referre, circa oram indicam, magneticas esse cautes, & scopulos huius materiæ innumeros, & præsertim in itinere ex India ad mare rubrum. Nam Thor, vel Thosor est Emporium, vel portus maris rubri nominatissimus, quo naues mercibus aromaticis onustæ perueniunt huiusmodi scopulos metuentes: hinc postea Alexandriam Ægypti, inde Venetias, & aliò transferuntur. *Lib. 21. de ciuit. Dei c. 4.*

Lappia, & Liuonia opibus multis huius materiæ auctæ sunt. Item Macedonia huiusmodi venis non caret. Amplius Magnes copiosius gignitur in Magnesia prouincia inter Thessaliam, & Macedoniam sita: quandoquidem hic lapis ibi primùm inuentus esse creditur. Hanc sententiam secutus est Lucretius, quando cecinit.

Quod superest agere incipiam, quo fædere fiat
Natura lapis hic, vt ferrum ducere possit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine Graij,
Magnetum quia sit patrijs in finibus ortus.

Natolia, & Noruegia facultatibus huius lapidis pollent. Polonia Magneticis saxis non caret. Item Prussia, inter regiones lapidem hunc producentes, connumeratur. Russia quoq; Magnetis non est inops.

Salueldiæ in antiquis ferri fodinis Magnes habetur. Pariter Sardinia magnete non eget. Olaus magnus in Septentrione, multos Magnetis montes collocat. Idem de regione Ponti, Ioannes de Mondeuilla recitat. Huius copia præsertim iuxtà Lappones, & in Hircinia sylua vltra Herceburgum, & iuxta vallem Diui Ioachimi, nascitur. Suetia tandem Magnete suppactum solum habere dicitur. *Magnes in Septentrione.*

Postremò Tartaria, & Vngaria inter has regiones recensentur. Item in Zimiri regione Æthiopiæ optimus Magnes, secundùm Plinium, producitur. Alia quoque sunt loca huiusmodi lapide redundantia, quæ ab Alberto, Agricola, Gilberto, Clusio, & Boetio recensentur.

VENENVM, ET MEDELA.

EX multorum sententia Authorum, Magnes potitur illa deleteria facultate, quã Botanici Solano maniaco assignant. Sed re vera Magnes in comparatione ad Solanum non ita frigidus est: immò densiorem habet suæ substantiæ modum, à quo non ita calidi, & humidi in caput vapores efferuntur. Idcircò soporem non inducit, neq; principes functiones, & præsertim mentem corrumpit, sed potius solam operationem imaginatricis deprauat. Quandoquidem vt Cordus, & alij Authores tradunt, huiusmodi materia Magnetica homines melancholicos efficit. His addatur authoritas Plinij, qui recitauit sagittis Magneti affricatis vulnera asperiora reddi: quocirca hic lapis mala qualitate non carebit. Ex altera parte nonnulli Authores Magnetem minimè venenosum, sed vtilem, & medicinalem esse iudicant: cum in remedijs compositis aduersus limaturam, & scobem ferri, à Medicis reponatur. Serapio tamen in suo de simplicibus libro, authoritate Messarugiæ, Magnetem valdè siccum constituit, & alij in tractatu de venenis hunc lapidem memorarunt. Quare in conciliandis tantorum virorum sententijs, asserendum erit omnem Magnetis speciem non esse venenatam, sed tantummodo primam, & potissimùm, si lapis lotus non fuerit: nam, lotione, illius venefica vis frangitur, & tunc vtilis in multis præsidijs commendatur: quemadmodum Authores de lapide Lazuli scripserunt. *Dissensio Authorum*

Signa

Signa conſequentia hunc affectũ ſunt potiſſimum melancholia, quæ pendet ex nimia huius lapidis ſiccitate: hinc ſanguis fæculentus redditur, deinde cor, cerebrum, & hepar offenduntur. Medicus igitur, in huiuſmodi caſu, prima facie vomitum prouocare debet, vt hæc materia adhuc in ventriculo contenta expellatur: poſtmodum clyſteribus ex lacte, & oleo amygdalarum dulcium paratis, debet procedere, vt hæc materia in inteſtinis retenta educatur. His peractis, adhibenda ſunt remedia ſanguinem clarificantia, qualia in capite de melancholia ab Authoribus medicis proponuntur. Cæterùm inter alia, præcipuè probantur, quæ redacta in formam Catapotiorum, craſſos, & ſiccos humores deturbant, & contentos in capite, facilius euacuant. Etenim Magnes dum cognationem cũ humoribus craſſis, & melancholicis habet, medicamina quoq; tales ſuccos purgantia, ipſum quoq; trahere poterunt. Rurſus Authores, & præſertim Conciliator ſcobem auri tenuiſſimum in vino præſcribit: cum aurum humanę naturæ ſit amicum, & temperatum, conſequenter etiam prauas qualitates Magnetis, ſiue calidas, ſiue frigidas retundere poterit. Vinum autem exhilarando, melancholiam tollet; quæ ab hoc lapide generari ſolet. Tandem, ex mente Conciliatoris, proprium huius veneni Bezaar erit Smaragdus, qui ter ſumptus ſpatio nouem dierum ſummoperè laudatur. Lapis quoq; Theamedes, ſi tamen inuenitur, in hoc caſu eſſet adhibendus; cum contrarias Magneti qualitates, & operationes exerceat, dum Magnes trahit ferrum, & Theamedes illud reſpuit.

Remedia ſanguinem clarificãtia.

Smaragdi virtus.

HISTORICA.

VT ſermonem nonnullarum Magnetis hiſtoriarum inſtituamus, non erit neceſſarium ex alto aliquid repetere, ſed breuiarium facientes memorabimus, olim Alexandriæ in templo Dei Serapidis, Magnetem fornicibus, dum ædificarentur, immiſſum fuiſſe, ideoq; naturam æneam ferro circumdatam ibidem pendulam ſeruatam fuiſſe. Diuus Auguſtinus in libris de ciuitate Dei, & Ludouicus Viues in Commentarijs ad hunc D. Auguſtini locum, narrant hoc miraculum magneticum Alexandriæ in templo Serapidis eueniſſe. Deinde ex alijs Authoribus habemus Arabes, & Turcarum Sacerdotes olim Sacellum Mahumeti ex præſtantiſſimo Magnete concamerari iuſſiſſe, vt illius arca à puriſſimo chalybe fabricata ibidem collocata, veluti diuino quodam miraculo in aere penderet. Sed Ioannes Baptiſta Porta hanc hiſtoriam prorſus falſam eſſe ſcribit. Referunt quidem nonnulli tumulum Bacchi multis circulis ferreis circumdatum fuiſſe, vt locatus in templo ex materia magnetica conſtructo, in aere ſuſpenſus maneret.

Li. 21. c. 6.

ADAGIA.

NVLLVM impendet periculum, vt nimia laborum mole premamur, in recenſendis ſententijs latentem, in hac oratione, ſenſum habentibus cum paruæ admodum ſint adagia, quæ de Magnete circumferantur, vel ab eodem originem habeant. Vnum, aut alterum tantummodò recitabimus. Primum eſt tale. *Omnes attrahens, vt Magnes lapis.* Videtur autem prouerbialis metaphora ducta à natura magnetici lapidis, qui ferrum ad ſe trahit, & retinet. Alterum prouerbium eſt huius tenoris. *Magnes malorum.* Hoc pronunciatur de homine infortunato, cui omnia infauſta ſuccedunt. Namque quemadmodum Magnes allicit ferrum, ſimili ratione homo infelix ad ſe omnia mala trahere videtur; veluti Cæcias allicit nubes: ſiquidem Cæcias eſt ventus inter Aquilonem, & Ortum æquinoctialem, qui, iuxta mentem Ariſtotelis, ita flare traditur, non vt nubes propellat, ſed vt illas ſemper ad ſe vocet.

MO-

MORALIA.

NOSMET continere non possumus, quin diuulgemus illa de Magnete, quæ ad moralem doctrinam attinere videntur. Primitùs hic lapis potest Deo assimilari, qui homines diligens, documentis, & beneficijs eos ad se trahit: iuxta illud Ioannis. *Omnia traham ad me ipsum*. Quinimò Peccantium menti nisi Omnipotens lumina præferret, nunquam prauos mores corrigere possent. Quare Diuus Augustinus scriptum reliquit. Magnetem amoris nostri esse Deum, ad quem proportione naturali homo fertur. Præterquamquòd asseuerare etiam possumus Magnetem esse diuinam gratiam, quæ animam Deo reconcilians, illam tandem ad sedes cælestes trahit. Amplius sicuti ferrum Magneti copulatum effectus Magnetis participat: pariter Christi corpus à diuinitate assumptum, effectus diuinitatis habebat: hac de causa laborantibus medebatur, & mortuos ad vitam reuocabat. Vnde Thomas incredulus tangens Christi latus, illicò fuit fide repletus, & exclamans dixit: *Dominus meus, & Deus meus.*

Cap. 12.

Lib. 21. *de Ciuit. Dei cap.*4.

Dotes, & prærogatiuæ Magnetis in viris etiam iustis refulgere solent, dum, occulta vi quadam verborum, & exemplorum, & alios attrahunt, & ad sanctitatem, & pietatem alliciunt. De sancto Vualerico hæc verba leguntur apud Surium prima die Aprilis: *quemadmodum magnes lapis ferrum ad se trahit: ita etiam gratia Dei, quæ in Sancti viri vultu, verbisq; & moribus relucebat, permultos ad vitæ illius piam quandam, & feruentem æmulationem inuitauit, & adduxit.* Insuper Euangelij Præcones Magneti non sunt absimiles, dum pœnitentia affecti, coloris sunt ferruginei, instar Magnetis, & postea ferreos, nempè obstinatos peccantes, doctrina, exemplo, & prædicatione ad se trahunt. Vt omittamus pulchritudinem, & venustatem sermonis ad Magnetem comparatam, quæ Audientium animos facilè allicit. Rursus Magnes, ex mente Dioscoridis, calidus, & siccus esse perhibetur, vimq; extrahendi ferri vulneribus infixi possidet. Huius conditionis est contritio; nam quando aliquis tentamentis, & criminibus ita vulneratus est, vt ferrum læthalis peccati in intimis conscientiæ partibus remanserit, ipsum vsq; ad os attrahit, vt tandem confessione expellatur. Item animi demissio, quam Vulgus humilitatem appellat, ad Magnetem meritò comparari potest, quoniam hæc virtus est tãti valoris, vt mentes ferreas criminosorum moueat, & attrahat. Idem præstat Dei benignitas, quæ cor Peccantium etiam obstinatum, & durum, instar ferri, aliquando ad pœnitentiam allicit: iuxta illud Diui Pauli ad Romanos. *An ignoras, quòd benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit.*

Magnes viris iustis cõparata.

Humilitas comparatur Magneti.

Cap. 2.

Si verum est, quod nonnulli Authores referunt, nimirũ reperiri nonnullas Magnetis species, quæ homines alliciendi virtutem habent: proculdubiò hæ, in doctrina morali, erunt Diabolus, Caro, & Mundus: quandoquidem hæc tria homines ad humanas voluptates alliciunt: quapropter tanto impetu ad mundanas delicias, & ad cumulum dignitatum feruntur. Nisi velimus Fæneratorem Magneti similem publicare, qui homines varijs contractibus allicit, vt tandem cunctas eorum diuitias ad se trahat. Idem de Adulatoribus, siue Amicis falsis asserendum erit, qui tantummodo, ratione quæstus, homines ad se trahere conantur. Quamobrem in præsentia illam Ouidij sententiam tãquam verisimam pronunciare poterimus.

Illud amicitiæ sanctum, & venerabile Numen
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.

Deniq; Plato, in Ione, Poetas Magneti comparare solebat: nam veluti hic lapis non solum ferrum allicit, sed etiam illi alterius attrahendi ferri virtutem impertitur: pariter sunt Poetæ diuino quodam furore concitati, qui postmodum tractu temporis multos alios ad certamen carminum alliciunt, vt tandem omnes huiusmodi glorioſis Insignibus ornentur.

VSVS IN MEDICINA.

MVLTOS ad vſus in medicina Magnes oonducere poteſt, ſed antequam adhibeatur, ex multorum authoritate, præparatione indiget. Idcircò Quercetanus, in ſuo Sclopetario, recipit vncias quatuor ſucci Ariſtolochiæ rotundæ, & tantumdem Sabinæ, vncias duas Serpentariæ, & libram ſpiritus vini: hæc omnia, ſpatio diei naturalis, circulata diſtillat: poſtmodum libram huius aquę cum vncijs quatuor pulueris Magnetis circulat, deinde à fæcibus diſtillatione ſe parat, & hanc operationem ter repetit, vt Magnes præparatus habeatur. Itaque ſi affectiones capitis reſpiciamus, ſcripſit Hollerius ſe ab antiquiſſimis Commẽtarijs intellexiſſe Magnetem, abſque præparatione, capiti admotum, omnes illius dolores, & quęrimonias tollere. Item Marcellus Empyricus, in ijſdem affectibus Magnetem de collo ſuſpenſum commendat. Præterea hic lapis medicaminibus ophthalmicis addi- F
In lib. de med. cap. 1. tur, & præſertim quando epiphoræ tollendæ ſunt. Deinde, in laxanda aluo, alijs non cedit medicamentis, quoniam, ex ſententia Mylij, craſſos humores educit. Sed id ſcripſit Dioſcorides ante ipſum dicens Magnetem, pondere trium obulorum, potum cum aqua craſſos ſuccos euacuare. Auicennas quoque prodidit Magnetem facultate abſterſiua potiri: hac de cauſa vtiliter eum in potu illis præſcribit, qui limaturam ferri hauſerunt. Quinimò, vt Porta, & alij Authores referunt, Magnes Hydropicis datus, hydragogum euadit medicamentum. Hinc Marbodeus huc reſpiciens cecinit hunc in modum.

Cum mulſo datus hydropem purgando reſoluit.

Et quamuis Galenus, in libris de facultatibus ſimplicium medicamentorum, vires
Lib. 9. medicas Magnetis ſimiles viribus Hæmatitis prædicauerit: nihilominus in libro de ſimplici medicina diuulgauit vires purgatiuas Magnetis, necnon Hydropicis in potu prodeſſe; quoniam humores aqueos per ſeceſſum educit. Non defuerunt, qui ſuperioribus annis in Belgio hernias, Magnetis ope, curare profiterentur. Primùm ra- G
Herniæ curatio. menta ferri in tenuiſſimum pulueré redacta Patiẽti exhibebant, extrinſecus verò parti affectæ emplaſtrum ex Magnete contuſo, & radicibus Conſolidæ maioris paratum applicabant, & Patientem, ſpatio octidui, ſupinum ſanabant. Hoc emplaſtro magnetico Ruſticum quemdam Bohemũ Pragæ nomine Mattheum, prodigioſo quodam morbo curatum Oſualdus Crollius, in præfatione Baſilicæ Chymicæ, recitat. Hippocrates & ipſe, in libro de ſterilitate, Magnetem non infrugiferam iudicat in mulieribus, quæ genituram continere nequeunt. Sunt qui referunt paruam quantitatem Magnetis per os ſumptam, ad conſeruandam iuuentutem valere: quapropter annotante Mylio, Rex Zeilan vaſa ex Magnete confici iuſſit, in quibus cibaria, & obſonia coquerentur, vt perpetuâ iuuentute frueretur.

In medicamentis etiam extrinſecis Magnes habere locum traditur: etenim puluis Magnetis aſperſus ſuper partes ambuſtas, illas ſanare perhibetur. Vnde Marbodeus ad rem ſic cecinit.

Partes ambuſtas ſuper aſperſus medicatur. H

Deinde ferro venenato ſaucijs præſentiſſimo eſt remedio. Quinimò, atteſtante Porta, Medici, propter ſympathiam, in extrahendo ferro ſagittæ ex humano corpo-
Vnguẽtum Magnetiticum. re, fæliciter Magnete vtuntur. Prodijt nuper ex quadam Congerronum officina vnguentum cognomento Magneticum, non quia Magnetem recipiat, ſed ab actione ita nominatum, quia vulneratos diſtantes ſanare falsò credatur. Armarium quoq; cognominatur, quoniam armis inungi ſoleat. Componitur ex varijs ſimplicibus, quæ apud Vuecherium legi poſſunt.

A

VSVS IN RE NAVTICA.

NAVIGANDI vsus, ope Magnetis, & chalybis, Antiquitati incognitus, à Flauio quodam excogitatus traditur. Hæc autem res, qua Naucleri ad polos diriguntur, pyxis Nautarum, seu pyxidula Magnetis appellatur, in qua est acus ferrea vi Magnetis imbuta, in gnomone nauigatorio super quamdam cuspidem, instar perpendiculi, insidens, & lineam meridianam ad demonstrandas quatuor Cæli plagas, nempè Austrum, Boream, Ortum, & Occasum demonstrans. Hac igitur arte securum Nautæ cursum suscipiunt, & immensa maris spatia metiuntur. Immò quantum itineris sit peractum, & peragendum remaneat, optimè norunt, vt tandem
B ad locum destinatum perueniant. Quamobrem Cælius Calcagninus, in libro de re Nautica, nostros nautas fæliciſſimos appellat, qui in parua tabella, regiones, oras, scopulos, insulas, promontoria, portus, & deniq; faciem totius maris circumferunt. *Versoria quid sit.* Ad huius similitudinem habemus, apud Plautum, Versorium instrumentum nauticum, quo Prisci olim cognoscebant vnde venti flarent, consequenterq; an mare nauigantes admitteret. Hodie quoq; ad notitiam Ventorum, in pyxide variæ describuntur lineæ, quædam rectæ, & quædam obliquæ, quibus nauem Nauclerus regit. Lineæ nigræ præcipuos octo ventos demonstrant, virides eos, qui à medio veniunt, rubræ quartas indicant. Idcircò, qui locum aliquem nauigio petunt, inspiciunt illam lineam, quæ rectà eò tendit, vt iter, ex animi sententia, succedat. V. G. si quis Genua Alexãdriam petere velit, ne in scopulum aliquem incidat, proram nauis inter Ostrum, & Syrocum dirigunt. Hoc igitur instrumẽto moniti Nautæ, quamuis caliginoso Cælo, & in profundo pelago versentur, semper, ope acus nauticæ, ad Septentrionem cursum dirigere possiunt.

C Reliquum est, vt assignetur ratio, qua instrumentum huius generis perfectum fabricari possit. In hoc igitur constructo, Porta sex conditiones seruandas esse docet. Primò sumitur ferreus obelus, vel acus ferrea ex purgato ferro, vel puro chalybe fabricata: Secundò puncta polaria Magnetis leui ictu mallei percutiuntur, & statim illis acus perfricatur, quoniam illicò virtutem se vertendi, ad polos recipit. Tertiò, quando ferrum ad Boream verti debet, Australis pars lapidis tangatur, sin ad Austrum, Borealis. *Cõditiones seruãdæ in acu nautica* Quartò ferrum semel Magneti affricatum, nullo alio ferro, vel Magnete tangatur, sed in pyxide diligenter custodiatur, ne ferrum inebrietur, & virtus euanescat. Quintò obelus ferreus Magneti proportionatus esse debet, nè sit valdè magnus, vel nimis exiguus. Sextò cuspis obeli, vel acus polum ostensura, non sit acuta, sed planiuscula: sic enim melius vim magneticam recipit, atq; retinet. Quamobrem, his seruatis conditionibus, huiusmodi ferrum spatio annorum centum suam virtutem conseruabit.

His intellectis, duæ adhuc circa Magnetem enodandæ difficultates supersunt. Prima est, qua ratione lapis hic ad polum Arcticum dirigatur. Nonnulli sympathiam
D quamdam cum stella polari ei inesse credunt: quapropter quidam in harmonica Mundi consonantia, nomine Magnetis, caudam Vrsæ minoris intelligunt. Hæc opinio ab aliquibus refellitur, quoniam Magnes polum etiam Antarticum respiciat. Alij existimarunt id eo modo fieri posse, quo Heliotropium, Lupinus, Tragopogum, Lotus Ægyptiaca, & aliæ plantæ Solsequiæ operantur, dum tota die ad cursum Solis se vertunt. Hæc etiam sententia multis non probatur, quoniam Sol motu, & luce in mundum sublunarem præclarè agit, cùm propiùs, quàm stella polaris ad terram accedat. Alij somniarunt sub polo montes ex ferro, vel Magnete à Natura esse constitutos, ad quos, per similitudinem, Magnes impellitur, sed si hoc esset verum, huiusmodi montes vastæ amplitudinis ferrum raperent, præsertim quando naues propiùs accedunt. Ioannes de Rupe scissa, in libro de quinta essentia, verba faciens de influxu stellarum, id euenire putat ab influxu, & vinculo amoris, quo cælestia, & sublunaria sibi inuicem respondent: siquidem tam ferrum, quàm Magnes, iussu, & imperio Dei ab influxu illius stellæ polaris generantur; consequenterque naturam,

& proprietatem illius ſtellæ participant: vnde acus nautica ad illam ſtellam, tanquam ad ſuum ſimile conuertitur. E

In hoc tantorum virorum diſſenſu, quid aſſerendum ſit, ambigimus. At tamen quod à Metallaris de hac re intelleximus, in præſentia diuulgare conabimur. Referunt enim venas Magnetis nullum alium occupare ſitũ, niſi inter Meridiem, & Septentrionẽ & ſemper rectà à Meridie in Septentrionem huiuſmodi vanæ procedunt. Quamobrem ſi eadem eſt ratio totius, atq; partis, non erit mirandum ſi Magnes hiuſmodi partes reſpiciat.

Altera dubitatio eſt, quomodo in Taprobana inſula, à Calaico Indiæ Promontorio in Auſtrum, quatridui nauigatione, Magnes in vſu eſſe poſſit; cum Septentrio non conſpiciatur. Aliqui reſpondent vſum Magnetis ibi eſſe incognitum: propterea Soli-
Cap. 54. nus recitat nauigaturos alere aues quaſdam cicures, quas in nauigijs deferunt, horum enim volatus tanquam itineris magiſtros obſeruant. Hoc idem Plinius annotat his verbis. *In Taprobano mari nauibus vtrimq; prora ſyderum in nauigãdo nulla obſeruatio, Septentrio non cernitur. Sed volucres ſecum vehunt, emittentes ſapius, meatumq; illarum terras petentium comittantur: nobis diligenter notitia, Claudij principatu contingit, legatis etiam ex Inſula aduectis.* F An hoc veritati ſit proximum, necne, in præſentia non inquirimus, ſolum manifeſtabimus Ludouicum Vartomanum hac in re valdè verſatum, annotante Scaligero, in nauigatione Maris Aethiopici ſeſe vſum eſſe pyxide noſtrati; quemadmodum & in Mari Atlantico, cuius ferrum ad noſtrum ſemper polum dirigebatur. Idem cum ab Inſula Bornei ad Iauam tenderet, verſuſq; Canopum teneret curſum, animaduertit rectorem nauis vti pyxide noſtræ ſimili, & illa ſtella, in qua omnes Venti, more noſtro, deſcripti ſunt. Itaque Rector nauis ab illo rogatus rationem artis, oſtendit lucidiſſimum Canopum, in quem ſpectabat. Neq; hoc eſt mirũ, quoniam altera pars Magnetis Meridiem, altera Septentrionem ſpectat.

VSVS IN LVDICRIS. G

MVLTÆ res ioco fieri poſſunt, ope Magnetis. Nam recitat Porta, ſi ſupra tabulam ligneam, lapideam, vel metallicam, lapides Magnetis, vel truſta ferri penſilia accommodentur, vel in æquilibrio conſtituantur, deinde ſub tabula Magnes agitetur, lapides, vel ferramenta ſupra tabulam penſilia moueri, vel quieſcere ad motum, vel quietem Magnetis ſub tabula agitati. Præterea, vt acus ſupra tabulam ſaltent, vel moueantur ad tibiæ ſonum, Magnes ſub tabula clanculum iuxtà ſonum voluatur, & reuoluatur. Alij, vt exercitum arenarum prælientem oſtentent: primò aliquam Magnetis portionem in puluerem redigunt, rurſus aliam portionem in fruſtilla contundunt, vt pedites, vel equitum turmas repræſentent: poſtea ſupra tabulam has portiones magnas, & paruas, iuxtà partem dextram, & ſiniſtram, ad modum exercitus accommodant. Deinde ſub tabula, dextra, lęuaq; manu duæ portiones Magnetis agitantur: vnde materia ſupra tabulam exiſtens paulatim ad motum Magnetis incedit. H Idem Magnes in tenuem arenam reducitur, & ei, ratione diſtinctionis, arena alba additur, ex hiſq; ſimul mixtis fit cumulus: poſtmodũ ſi Magnes admoueatur, vel nudus, vel pannis inuolutus (vt eius cognitio ſpectantes fugiat) tunc puluis magneticus ab arena alba paulatim ſe paratur, & ad inſtar capillorum vnitus veluti fædere quodam copulatus currit, & lapidem amplectitur. Pariter aliqui portionem ferri dilatati chartæ agglutinant, illamq; parieti admouent, poſt quem ſit aliquis fruſtum Magnetis ſecus murum mouens, nam quodam veluti miraculo ſpectantium, charta illa per ſe muro adhæret, & etiam mouetur, immò partem muri ſuperiorem aſcendit, quando manus cum Magnete, poſt murum ad partem ſuperiorem eleuatur. Aliqui etiam ſunt, qui ſtatuam ex aliqua materia formant, cum ſceptro ferreo in manu, iubentque, vt aliquis, manu Magnetem occultans, illam adeat de aliqua re interrogans, tuncque illud ſceptrum verſus manum Magnetis parumper inclinatur, & ſic ſtatua aliquem dare nutum, vel reſponſionem videtur.

Acus vt ſalter ad ſonũ tibiæ.

Vt ſtatua aliquem det nutum.

Non-

A Nonnulli etiam sunt, qui puluerem Magnetis prunis inspergunt, vt horribilia in ædibus spectra appareant. Hoc autem admiratione dignum non est: cum hic lapis sit naturæ siccæ, & terrestris, consequenterque fumos melancholicos, & horribiles excitat.

VSVS IN VARIIS.

GEORGIVS Agricola in libris de re metallica, fusioni vitri Magnetem addit, dum recipit arenam factam ex lapidibus liquescentibus cum sale fossili, vel ex herba salsa parato, cum minutis portionibus Magnetis, quæ liquorem vitri in se trahere dicuntur, tractum purgant, & ex viridi, vel luteo candidum reddunt, partes autem Magnetis vi ignis consumuntur. Qui horologia, tam Orizontalia, quàm Verticalia fabricant pyxidula Magnetis, vt plurimum vtuntur. Quamuis
B etiam sine Magnete, inuenta per circulos linea meridiana, præparari possint. Metallarij quoque in fodinis pyxidem Magnetis adhibent, vt in illis abditis locis rectà ad venas metallorum diuites tendere queant. Quandoquidem vsus huius pyxidis non solùm maritima, sed etiam terrestria itinera regit. Maiolus enim in Colloquijs, scriptum reliquit in vastis Arabiæ desertis leuissimas esse arenas, ibiq; nunquam iter rectum haberi posse: quoniam illæ arenæ ventis agitatæ tanquam vndæ maris vehementer fluctuant. Idcircò Itinerantes arcis ligneis inclusi, dorsoq; Camelorum vecti, ope Magnetis, iter ad destinatum locum dirigunt. Amplius, qui ędificiorum, & Regionum ichnographias describunt, Magnete etiam vtuntur. Illi autem, qui argentum sepultũ inuenire profitentur, illud Magnetis genus recipiunt, quod argentum allicit: siquidem virgula hoc Magnetis genere contacta, & versatilis, semper ad argentnm aliquo in loco occultatum se vertere perhibetur. Insuper referunt Magnetem habere hanc prærogatiuam, vt vxorem, vel castam, vel adulteram detegat: quare in hoc casu, ad mentem Marbodei, Magnes est adhibendus hunc in modum.

Magnes regit itinera terrestria.

C *Nam qui scire cupit, sua num sit adultera coniux*
Suppositum capiti lapidem stertentis adaptet,
Nam quæ casta manet, petit amplexura maritum
Non tamen euigilans, cadit omnis adultera lecto
Tanquam pulsa manu subito terrore coacta.

Deinde idem Author narrat sæpius Magnetem à furibus adhiberi, vt noctu domus diuitijs refertas spolient: siquidem huius puluis supra carbones accensas insperfus, in angulis ædium, eleuat fumum, qui mentes habitantium euertit: ideoque canit hunc in modum.

Si fur claustra domus spolijs gaxisq; referta
Ingrediens, prunas ardentes per loca ponat,
Et super aspergat Magnetis fragmina prunis,
Vt per tetragonum fumi calor vltra vaporet,
Mentibus euersis, velut impendente ruina
D *Diffugiunt omnes, in ea quicumq; manebunt,*
Et fur securus rapiet quæcumq; libebit.

Amplius idem Marbodeus addit multos olim in arte magica hoc lapide vsos fuisse. Versus Authoris sunt hi.

Dorindus Magus hoc in primis dicitur vsus,
Conscius in magica nihil esse potentius arte,
Post illum fertur famosa venefica Circe.
Hoc in præstigijs magicis specialiter vsa
Hinc & apud Medos cum res venisset in vsum
Detexit lapidis magis experientia vires.

Demum huius lapidis gestatione homines reddi eloquentes, & in pronunciando gratiosos recitat Marbodeus his versibus.

Gratia præstatur, simul & suadela per ipsum
Sermonisq; decor, disceptandiq; facultas.

Poſtremò Priſci animaduertentes naturalem inter ferrum, & Magnetem ſympathiam, ei Veneris intellectum aſſignarunt, & vim conciliandi vxores viris, & viciſſim maritos vxōribus habere voluerunt. Idcircò ad hoc ſignificandum, ſæpius Venerem in Magnete ſculpſerunt: iuxta illud Claudiani. E

—— *Venerem Magnetica gemma figurat.*

Cap. 39. Ad finem docuit Ioannes Serapio in tractatu de Mineralibus, Magnetem lapidem fieri igniferum, ſi viua calce ſepeliatur in vaſe teſtaceo diligenter creta clauſo, & in fornace fgulorum locato, donec cætera vaſa percocta fuerint. Nam hic lapis poſtea extractus, ſputo, vel aqua madefactus flammam concipit. Idem Ioannes Baptiſta Porta in libro de Magia naturali recitat.

DE PYRITE.
Cap. III.

F

ÆQVIVOCA.

NVLLA ratione Pyrites æquiuocationem euitare potuit. Quandoquidem Plinius,& alij Authores Pyritem vocant gemmam,quæ contactu digitos adurit: quamuis mirum videatur, id ſolo attritu contingere poſſe. Albertus tamen ſimilem ſcribit contingere Pyriti, ſeu Peridonio vocato,qui lapis fulgore ignis micās,ſi manu arctiùs ſtringatur, digitos adurit: ideòque leuiter tangendum eſſe monet; cuius rei ſe periculum feciſſe fatetur. Quapropter apud quemdam Poetam, ad rem hęc carmina leguntur.

Necnon Pyrites digitos qui ſtrictus adurit,
Gemmaq; quæ radios emittit candida Solis
Naſcitur hæc ſcopulis Pallenes gemma refulgens
Aſterium perhibent, ſtellis certare putatur,
Et flammæ ſimilis ſplendenti lumine lychnis.

G

Item Marbodeus in libro de Gemmis non intactū id reliquit canens hunc in modum.

Cui fuluus color eſt, cui nomen ab igne Pyrites
Se vetat aſtringi, pertractariq; recuſat,
Tangi vult leuiter, pauidaq; manu retineri,
Nam preſſus nimium digitos ſtringentis adurit.

Quamobrem hinc manifeſtum eſt, hunc non eſſe lapidem, de quo in præſentia agitur.

Leonardus tamen Piſaurenſis,authoritate Dioſcoridis, confirmare conatur naturam Pyritum eſſe adeò calidam, vt re vera manus tangentis adurat. Id autem falſiſſimum eſſe pronunciamus: ſiquidem Dioſcorides id nullibi ſcriptum reliquit. Iſidorus ſilicem, quem Vulgus petram focalem nominat, Pyritem fuiſſe nuncupatum vo- H
Li. 36. cap. 19. luit. Pariter Plinius hoc verum eſſe confirmauit. Quinimò, eodem teſte, lapis etiam molaris, apud aliquos Authores Pyrites cognominatur, cum illi copia ignis inſit. Item, ex eodem Plinio, habemus, quòd Corallium, apud aliquos, appellatur Pyrites; cum proprio colore ignem imitetur. Amplius Pyrites apud Botanicos eſt Nardus montana, quoniam olim in Sacrificijs, odoramenti gratia, ignibus imponeretur. Demum apud Halchemiæ Profeſſores, vocabulo Pyritum, vel Marcheſitarum varij lapides minerales, & quandoq; venæ metallorum feraces intelliguntur. Geber Pyritem, vel marcheſitam Chymicorum dixit eſſe lapidem Philoſophorum: cum Pyrites ex ſulphure, & argento viuo conſtet, ex quibus lapidem philoſophicum integratum eſſe aſſeuerant.

Nardus Montana dicitur Pyrites.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

LATINI, nomine à Græcis detorto, lapidem, de quo in præsentia agitur, Pyritem dixerunt. Alij nomen græcum aspernantes, Vriũ ab vrendo, vel Igniarium ab igne indigitarunt; cum huic lapidi plurimus ignis inesse perhibeatur. Nonnulli Vulgares hac ratione moti lapidem focarium, aut igniferum cognominarunt. Idcircò apud Camillum Leonardum Pisaurensem legimus, aliquibus dictum fuisse Hephæstium, nempè Vulcanum, qui Antiquitati Deus ignis esse credebatur. Inueuit autem hic lapis nomen ab igne, cum percussione ferri, vel alterius duri lapidis ignem emittat. Matthiolus tamen tacitæ occurrens obiectioni, hæc verba protulit: cum sint multi lapides, ex quibus percussis eliciatur ignis, & omnes iure optimo tali nomine insigniri possent: attamen hic lapis, de quo in præsentia verba fiunt, antonomasticè Pyrites appellatur; cum cæteris præstantior sit, & percussus maiorem scintillarum copiam spargat. Aut, iuxta aliorum mentem, quoniam ignem ægerrimè recipiat, receptum verò diutissimè conseruet. Insuper Latinorum aliqui hunc nuncuparunt Sideritem, aut quia coloris sit ferrei, aut quoniam duritie ferrea refertus sit, nisi velimus asserere, quia ferro percussus ignem producat. Hermolaus Barbarus, in Corollario, scriptum reliquit fuisse nonnullos, qui Pyritem appellarunt Bostrichitem, & Androdamanta. Quapropter Gesnerus nõ sine causa putauit aliquam Pyritis speciem inueniri, quæ pilos, aut Βοστρυχας, idest cirrhos, circinnos, vel plexos mulierum crines referat. Idem Gesnerus prodidit, apud quosdam Nuperos, nuncupari Marchesitam, & hac de re Germanis, corrupto nomine, Martstein cognominari. Alioquin apud Germanos Kiesen dicitur; Sunt tamen Arabes, qui suo idiomate Marchesitam à productione ignis nominarunt: quamuis nomine hispanico dici marchesitam aliqui existimẽt. Aliter Arabes Lapidem luminis nominarunt, quoniam vi discutiendi caligines oculorum potiatur. Tandem Othonna lapis est in Aegypto exiguę magnitudinis, & ærei coloris, quem Gesnerus ad Pyritas reducendum esse arbitratur.

Bostrichites lapis.

Lapis luminis qualis.

Apud Grecos legitur πυρίτης masculini generis, & πυρίτις generis fæminini, & exponitur lapis edens ignẽ; deduciturq; à vocabulo πῦρ, quod ignem significat. Apud eosdem Græcos πυροποιὸς λίθος est lapis ignem pariens, vel ex quo ignis elicitur. Aristoteles, in Meteorologicis, scriptum reliquit lapidem Pyrimachum vnà cum metallis à terra erui; vnde Falloppius, & alij Authores de Pyrimarcho Aristotelis verba faciẽtes, hunc Marchesitam Arabum, & Pyritem Græcorũ esse meritò voluerunt. Theophrastus quoq; vnà cum Aristotele πυριμαχον indigitauit, quoniam igni reluctetur. Tradit enim Georgius Agricola hunc lapidem in fornacem proiectum fluere, & vbi fluxerit in catinum, rursus in lapidem concrescere. In succedaneis medicamentis Galeno attributis, pro Pyrite, Pyrobolus substituitur. Gesnerus hoc nomen meditatus, tandem similem lapidem cum Pyrite esse opinatur, motus potissimùm hac ratione, quoniam ille Author multa alia succedanea nominat, quæ à viris eruditis synonima esse putantur. Alioquin πυροβόλα, apud Plutarchum in Camillo, sunt instrumenta quædam bellica ad ignem eiacaclandum fabricata.

Li. 3. et 4.

Pyrobolus lapis qualis.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

MVLTI contendunt Pyritem esse naturę illorum Silicum, qui cum ęre similitudinem habent, & in metallis, fluminibusq; quibusdam inueniuntur. Hanc sententiam Boetius, in libro de Gemmis, confirmare videtur. Sed satius est, si dicamus Pyritem ad naturam metallicam accedere, cum specie auri, quandoq; argenti, & plerumq; aurichalci spectetur, substantia tamen lapidea. Hinc aliqui fuerunt huius opinionis, Pyritem esse excrementum metallorum, quod falsum esse existimamus, propterea quòd reperiatur etiam in illis locis, in quibus nullum metallum effoditur. Immò in proprijs venis eruitur, in quibus nulla metallorum species à

na-

natura fuit producta. Birengutius ſcripſit Pyritem eſſe materiam metallorum perfectam, quæ defectu temporis, ad deſtinatam perfectionem peruenire non potuit. Idem Author paulò inferius, & rectius, vt noſtra fert opinio, prodidit Pyritem eſſe fumum, & exhalationem, minerarum, quæ ſublimatæ, & lapidibus adhærentes Pyritas generant. Hinc multi Authores hac ratione moti prodiderunt Pyritem indicare metallorũ venas. Obſeruantur enim quandoque Zonæ quædam Pyritarum in montibus diſcurrentes, & cohærent tanquam lapilli anguloſi, vt in cryſtallo, non in cuſpidem deſinentes, ſed teſſeris potius ſimiles, &, ob ſimilitudinem Adamantis, à Plinio Androdamas inter gemmas reponitur. Deniq; Pyritem participare naturam Sulphuris, & Hydrargyri aſſeuerant, ex quibus principijs metalla, & atramenta producuntur. Vnde orta eſt apud vulgares Chymiſtas præſtantiæ Pyritis exiſtimatio, itaut de illo mirabilia prædicare conſueuerint, ſub ænigmate Hermaphroditi continentis in ſe vtrumq; ſemen metallicæ generationis.

Lib. 2. Pyrot. cap. 4.

Præterea Pyrites habet hoc inſitum à natura, vt ferro percuſſus ſcintillas edat. Sed hic oritur quæſtio digna animaduerſione, cur ferro percuſſus ignem eructet, & ex percuſſione alijs metallis facta nullus inde ignis exeat. Poſſumus reſpondere cauſam huius effectus eſſe duritiem ferri; nam abſque ferro, alio etiam pyrite, vel lapide duriori petitres, ignem tradit. Cauſa autem, cur Pyrites ignem reddat, partim eſt motus velox tanquam efficiens, partim ſulphurea materia in Pyrite contenta, quæ potentia ignis exiſtit, hac de re in naturam igneam facilè tranſit: quocirca diutius hic lapis pertractatus odorem ſulphureum ſpargit. Deinde naturaliter colorem metallicum habet; ſed in igne poſitus, nullum ſuccum metallicum fundit (loquendo tamen de Pyrite ſterili) ſed relicto quodam corpore inutili, euaneſcit, fortaſſis Agricola huc reſpexit, quando ſcriptis mandauit, Pyritem in fornace fluere, & cum defluxerit, denuò concreſcere, & in corpus durum, & inutile degenerare. Tandem Garlandus, agens de mineralibus, prodidit apud Alchimiæ Profeſſores Marcheſitam ſoluere ferrum, quando ſuper illud inſpergitur, necnon cuprum, & argentum comburere.

Pyrites ſterilis qualis

DIFFERENTIÆ.

NVLLVS eſt lapis, qui maiori copia differentiarũ redundet, quàm Pyrites: quãdo quidem non ſolum ratione ſubſtantiæ, ſed etiam ratione coloris, & figuræ varia diſcrimina ſortitur. In primis animaduertendum eſt Pyritem in duplici differentia eſſe conſtitutum, quoniam alius eſt naturalis, de quo in præſentia ſermo habetur, alius eſt artificialis, qui à Chymiſtis præparatur. Modum autem præparandi Pyritis ex quocumq; metallo Caneparius in libro de Atramentis recitat. At redeuntes ad Pyritem naturalem dicimus, alium ratione ſubſtantiæ eſſe friabilem, alium eſſe durũ. Præterea omnis Pyrites vel ſuus eſt, aut admixtũ habet metallum, vel lapidem, vel fluores, & quandoq; etiam Cæruleũ natiuum. Rurſus Pyritarum aliud genus (cum participent copiam ſulphuris) habet plurimum ignis, eſtque magni ponderis, & viuus Pyrites appellatur. Hoc genus exploratoribus Caſtrorum maximè neceſſarium eſſe Plinius ſtatuit; quoniam clauo, vel alio lapide dum percutitur, illicò fundit ignem, qui folijs aridis, fungis, aut ſulphuratis excipitur. Id præcipuè præſtant illæ Pyritarum differentiæ, quæ ſpeciem ferri percolati præ ſe ferunt, & ſupra mineram Vitrioli inueniuntur. Quocirca Pyrites iterum duplex conſtituitur, nempè metallicus, & ſterilis. Primus in excoctione aliquid metalli fundit, ſecundus nihil metalli participat. Primum genus varias ſpecies cõplectitur iuxta naturam metalli, quo potitur. Etenim Pyrites, in quo aurum refulget, vocatur ab Authoribus Chryſodes, æs participans, dicitur Chalcodes, nimirum æroſus, vt Plinius paſſim monuit. Pyrites auri particeps, aureis, & fulgentibus punctis micat. Huic ſimilis inuentus eſt in Agro Bononienſi, temporibus Gregorij XIII. Pontificis maximi. Deinde frequens eſt Pyrites æroſus, necnon Chalcanthi particeps.

Cap. 19.

Pyrites viuus qualis.

Lib. 36. ca. 16.

Sed aduertendum eſt aliquando Pyriti fluores adnaſci, interdum Irides, & quandoque Berillos; quemadmodum apparet in Iconibus, quas ante oculos legentium repræſentamus. Et enim primo loco delineatur Pyrites cum Berillis adnatis, lucidis, &

an-

angulosis, albis quidem, sed ad colorem subnigrũ tendentibus. Secũdo loco designatur Pyrites fluores crystallinos variarum figurarum continens, qui habent quinque superficies, & in pyramidem pentagonam desinunt. Tertiò loco proponitur icon Pyritis continentis fluorem, & Berillum informem,& imperfectum, cum anguli,& superficies manifestè non appareant.

Differentiæ Pyritis aliàs materias continentis.

1 Pyrites cum Berillo adnatus.
2 Pyrites alter cum fluoribus adnascentibus.
3 Pyrites alter cum Berillo, & fluore.



Gesnerus quoque narrat se accepisse à Ioanne Kentmano Pyritem è ligno querno, quem Dyritem appellabat friabilem, gustu atramentoso, & odore sulphureo.

Quoad colorem, varius etiam videtur Pyrites,nam colorem omnium ferè metallorum refert. Obseruatur viridis,cæruleus, purpureus, & cinereus, præsertim in fodinis plumbarijs. Est interdum vnius simplicis coloris,& aliquando mixti:hinc Plinius scriptum reliquit, in Cypro hunc reperiri in metallis,quæ sunt circa Acarnaniam, aureo, & argenteo colore. Auicennas tradit hunc æreo,& quandoq; ferreo colore refertum reperiri.

Quoad figuram, Pyrites est varius. Sunt enim rotundi,tessellati,angulosi,oblongi, ouales,caui, plani, turbinati, spongiosi: immò similes fauis, & Botro obseruantur. In Monte *Arienti* nuncupato territorij Bononiensis,& Villa Illustrissimorum Paleotorum passim varij Pyrites inueniuntur,vbi etiam videtur Minij quædam species fossilis, sed in-

inter alios Pyrites, quidam figura Piſolithi conſpiciuntur. Ludit enim natura in genere horum lapidum, & pręſertim ſterilium: quandoquidem inueninus, in Agro Bononienſi, Pyritem figura Teſtudinis, idcoq; Chelonitem appellauimus. Alium quoq; conſpicati ſumus pariter effoſſum in Agro Bononienſi, qui figuram duorum teſtium repræſentabat; qua de cauſa Diorchitem nuncupauimus. Item alium habuimus Pyritem forma ferè rotunda multas habentem eminentias, quæ qua ſuis figuras referre videbantur: quinimò cuiuſdam ſpongiæ erat æmulus. Primo milliari à Pienza Agro Senenſi reperiuntur Pyrites inſtar globulorum teretes, nonnullis tuberculis inæquales, more gallarum quercus, exiguæ tamen magnitudinis. Inſuper multi ſunt figuræ teſſeræ, ſeu planis ſuperficiebus æqualibus, & inæqualibus, ſplendore argenti, & magnitudine varia. Verùm figuræ quadratæ huius lapidis ſunt vel maiores, vel minores ita eleganter à Natura formatæ, vt ex Aurichalco arte fabricatæ eſſe videantur. Quapropter quãdo Feſtus Pompeius ſcripſit Aurichalcum in montibus naſci, proculdubiò non eſt locutus de Aurichalco arte parato, quòd ex Aere, & Cadmia cõficitur, ſed fortaſſis hunc Pyritem intellexit, qui Aurichalcum perbellè æmulatur. Pertractauimus etiam Pyritem coloris Aurichalci, figura quadrata, & alium, qui referebat humanum caput galea armatum, ſed hic ex tam pura materia conſtare non videbatur, ſicuti primus habens figuram quadratam, quorum omnium icones damus. E F

Pyritum aliæ differentiæ.

1 Pyrites ſimilis teſſeræ.

2 Pyrites æmulans caput armatum galea.

G



Hij

His addamus icones aliarum differentiarum Pyritis ratione figuræ, vt in tabella hic proposita apparet.

Aliæ differentiæ Pyritarum ratione figuræ.

Hæc figura rēpræsentat Enorchim, de quo agetur suo loco.

Demùm nobis fuit communicatus Pyrites nnncupatus stellaris, qui in superficie reddebat figuram multorum clauorum simul consertorum, figuræ erat rotundæ,& fortassis, ob aliquem, quem edebat fulgorem, stellaris fuit cognominatus. Rursus obseruatus fuit etiam Pyrites formam fructus mori repræsentans, necnon alios vidimus cum figuris varijs, quorum icones in hac tabella exhibemus, cum Natura, in his producendis summopere ludat.

FINIS

Aliæ

Aliæ Pyritarum ſex differentiæ.



Pyrites grandis in Muſæo ponderis librarum triginta inter alias icones differentiarum reponendus.



LOCVS.

HIC lapis effoditur in venis aliorum metallorum, aut ſeparatus inuenitur in fluminibus, aut in argilla, vel terra vliginoſa occultatur. Quoad Regiones, naſcitur Goſſelariæ, Eislebæ, colore ſimili Galenæ, ex quo portio auri, & argẽti excoquitur. Sed copioſus reperitur in Reichenſteyn. At Rautiſij obſeruatur Pyrites, qui plus argenti, & minus auri continet. Angli Pyritem vnà cum Ochra plumbaria à fodinis eruunt. Sed Fribergi, vnà cum ſterili plumbagine effoditur, ex quo portio ſulphuris educitur. Eſt etiam Radebergenſis Pyrites, ex quo varia Sulphuris genera excoquuntur, ſed odor natiuo ſulphure eſt moleſtior, & capiti maiorem grauedinem affert. Mariebergi habetur Pyrites gleboſus, qui in terra arenoſa candida, & dura reperitur. Verùm Mansfeldius cum fluoribus candidis non pellucidis, & angulosis naſcitur. Anebergius autem eſt angularis in ſaxo candido, qui facilè ignibus liqueſcit. Quinimò in Bononienſibus noſtris montibus multæ Pyritum ſpecies inueniuntur, quæ non ad metallum, ſed ad ignem fundendum ſunt idoneæ, dummodò chalybe percutiantur, & colore ſunt refulgente inſtar Aurichalci, deinde quoad magnitudinem aliæ ſpecies accedunt ad craſſitiem mali Cydonij, aliæ ad magnitudinem pilæ tormenti manuarij, aliæ deniq; alterius figuræ, & magnitudinis, ſicuti indies perluſtrando noſtros montes obſeruamus.

Sulfur ex Pyrite.

MORALIA.

IN doctrina morali Pyrites conſideratur, quatenus multiplici colore eſt refertus: nam aliquando niger, interdum albus, & identidem multicolor obſeruatur: deinde quatenus etiam in locis calidis generatur. Siquidem ad Sacram Scripturam comparatur: hæc enim quoad ſuperficiem, diuerſorum colorum apparet. Tunc alba videtur quando eſt planæ, & facilis expoſitionis, & tunc nigra quando difficilem interpretationem admittit; tunc etiam varia dicitur, ob diuerſos intellectus, quos ſortitur. Præterea in calidis locis, nimirum in feruidis, pectoribus virorum ſpiritualium, nempè Prophetarũ, & Apoſtolorum nidulatur. Vnde Diuus Auguſtinus, ſupra Geneſim ad litteram notat, quod ſacra Scriptura ſua altitudine ſuperbos irridet, ſua profunditate attentos tenet, ſua veritate Magnos paſcit, & ſua affabilitate paruos nutrit. Inſuper Pyrites eſt lapis igneus, quoniam petitus ferro ſcintillas edit. Huic lapidi homines impatientes, & ira feruidi aſſimilantur, qui ſi leuiter tangantur, ſtatim ingentes irarum flammas concipiunt. Immò ſcintillas verborum, & operum edunt. Iuxta illud Sacri Codicis. *Apertio oris eius inflammatio*. Tandem Pyrites ſuam vim igneam non monſtrat, niſi atteratur: pari ratione quorumdam malitia non detegitur, niſi attritu longæ conſuetudinis, quemadmodum quis guſtare vim Philoſophiæ non poterit, niſi diù ſe exercuerit.

Cap. 5.

Eccleſ. c. 5.

VSVS IN MEDICINA.

QVONIAM Pyrites calefaciendi, siccandi,& discutiendi facultatem possidet, humoresq; extenuat: propterea Medici, in duris tumoribus dissipandis eo vtuntur. Hunc effectum prestat precipuè puluis huius lapidis, cum gummi Pini permixtus; tunc enim quascumq; partium duricies emollit,& furunculos sanat. Idem præstant illæ aquæ, quæ à minera Pyritum scaturiunt, vt Georgius Agricola tradidit, in libro eorum, quæ à terra fluunt. Deinde scobs Pyritis cum aceto mixta morpheam, lentigines, & humiditates sub cute contentas exterminat. Immò sanguinem, & præsertim profluuium muliebre cohibet Dioscorides Pyritem combustum in vsu medico commendat,& iuxta illius mentem, sic vritur: exiguo igni primùm imponitur, qui paulatim augetur, donec lapis rubescat. Alij linitum melle lapidem feruidis carbonibus rubefaciunt, postea illum extrahunt, idq; toties repetunt, donec lapis friabilis euadat, qui postmodum, vt Cadmia lauatur, antequam ad vsum medicum trahatur. Galenus, præter facultates Pyriti assignatas, monimentis mandauit validam possidere, in aperiendo, & discutiendo virtutem: idcircò scribens de arte curatiua ad Glauconem, in tollendis tumoribus scyrrhosis, suffumigium Pyritis proponit,& inquit oportere Pyritem candefactum aceto inspergere, & partem affectam mox super lapidem mouere, vt ab eleuato sursum vapore durus tumor dissoluatur. Insuper idem Galenus alibi tradidit, medicamentum nigrum Diapyrite nuncupatum, ad vlcera phagedenica, ad fistulas,& ad alios similes affectus curatu difficiles mirandum in modum valere. At paulò inferius, eiusdem remedij ex Andromacho meminit, sub nomine nigri Catagmatici, sed aliquantisper à superiori variat. Primum tamen Bartholomæus Maggius Bononiensis adhibuit, & in libro de curatione vulnerum sclopetorũ summoperè celebrauit. Nec præter rationem, quoniam Serapio, in simplicium libro, Marchesitam reponit inter illa medicamina, quæ vulnera, & vlcera abstergunt,& carne replent.

Pyritis vstio.

Lib. 2. *c.* 4.

Lib. 4. *de comp. med. per gen. ca.* 13.

Cap. 20.

Trallianus quoque agens de morbo Cæliaco vsum Pyritis in medicina probat, dummodo sumatur illa species, quæ à Dioscoride fuit memorata. Hieronymus Cardanus Pyritem accẽsum,& aceto insperſum, pro liene extenuando, magnificat,& hunc effectum refert acceptum caliditati, & tenuitati partium. Pyritis, quæ paulatim penetrantes splenem extenuant. Tandem Chymici Marchesitam potabilem reddunt, calcem conficiunt, & ex hoc lapide multa alia magisteria extrahunt, quæ apud Libauium passim leguntur.

VSVS IN VARIIS.

METALLARII Pyritem passim adhibent, quoniam ex illo aliquam metalli portionem eliciunt, loquendo tamen de Pyrite non sterili: hic enim non est metallifer. Quando autem Pyrites est metalli prægnans, à perito artifice Dignibus deprehenditur. Immò id etiam cognoscitur, si Pyrites aliquot dierum spatio aquæ imponatur, nam saporem aquæ communicat, iuxta metallum, cuius est particeps. Præterea Artifices ex Pyrite scintillas fundente excoquunt sulphur, aut materiam quolibet sulphure grauiorẽ. Quinimò Georgius Fabricius in obseruationibus metallicis, hoc opus Cromenę in Morauia fieri scribit. Modũ autem extrahendi sulphuris ab hoc lapide docet ars spargirica, illumq; Boetius in Volumine de lapidibus describit. Item ex Pyrite Vitriolũ, nempè atramentum sutorium mirabili artificio elicitur: quemadmodum Caneparius in libro de atramentis optimè exprimit. Hodie, licèt aliqui, ad excitandum ignem in puluere pyrio tormenti manuarij, vtantur Silice, vel Calcedonio, nihilominus Pyritem, vt plurimum adhibent; quoniam hic maiorem scintillarum copiam spargit. Rursus, ad fingendas litteras aureas,& argenteas, variæ compositiones à Canepario recitantur, quæ omnes Pyritem recipiunt. Postremò ex marchesita stannea artificiosa speculum in pila sphærica vitrea constituitur, vt Caneparius loco citato monuit.

L. 2. *c.* 290.

Part. 2. *c.* 1.

DE ÆTITE.
Cap. IV.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

PRIMA fronte ambiguitatem huius nominis euitantes, facere non poſſumus, quin vna cũ Cæſalpino diuulgemus aliũ eſſe Ætitem gemmam ab Aquila candicante cauda cognominatam, alium eſſe Ætitem lapidem, de quo in præſentia ſermo habetur, qui Græcis vocatur ἀετίτης λίθος, nempè lapis Ætites, ſiue Aquilinus; quoniã hæc vox ἀετὸς Aquilam ſignificat. Huius nominis origo varia eſſe perhibetur; cum Authores inter ſe ſententijs varient. Alij referunt hunc lapidem ita dictum eſſe, quia in nidis Aquilarum inueniatur: veluti, ad mentem Alberti Magni, Quiritia lapis in nido Vpupæ reperitur. Alij ſcribunt Aquilam huic lapidi nomen dediſſe, quia hunc aliunde delatum in nido reponat tanquam aduerſus faſcinationes amuletum, & pullos à Serpẽtum inſidijs tueatur. Id expreſſit Marbodeus hic verſibus.

Lib. 2. de Metall. ca. 47.

Lib. 2. Miner. ca. 15.

Inter præcipuos lapides memoratur Aetites,
Quem petit extremis orbis Iouis ales ab oris.
Cuſtodem nidi, defenſoremq; futurum.

Horus author non contemnendus, e mari, vel terra ſublatum hunc lapidem ab Aquila in nido reponi tradit, vt illi ſtabilitatem addat, illumq; aduerſus aeris, & ventorum iniurias tutiorem reddat. Nonnulli fuerunt huius opinionis lapidẽ hunc in nidis Aquilarum collocari, vt oua viuificentur, cum ad exactam pullorum formationem conferat. Quidam ad partum conducere pronunciant, cum ſine hoc Aquila eniti nequaquam poſſit. Multi monimentis mandarunt nidos ab Aquilis conſtrui in præruptis montium G iugis, vbi horum lapidum copia inuenitur. Cæterùm huiuſmodi lapides in nidis etiam Tetraonum obſeruari intelleximus. An fortè quoniam hi lapides tot varient coloribus, quot in varijs Aquilarum ſpeciebus obſeruantur, de quibus in primo Ornithologiæ libro actum eſt. Deniq; aliqui promulgarunt, quod etiam probabile videtur, oua Aquilarum aliquo modo hoc lapide temperari, quæ nimio auium calore percoquerentur vnde Lucanus ſic cecinit.

——— *fœta tabefacta ſub alite ſaxa.*

Lib. 2. c. 7. Encellius agens de re metallica, monuit Ætitem apud Germanos nuncupari Adlerſtein, vel propter calorem, vel propter virtutem illam, ſine qua Aquilæ parturire nequeunt. Albertus Magnus verba faciens de nominibus, & virtutibus lapidum, ſcripſit Echitem eſſe gẽmam optimã coloris purpurei, quæ à Quibuſdam Aquileius apellatur, & in ſe cõtinet alium lapidem, qui mouetur, dum quatitur, eiq; alias aſſignant prærogatiuas, quas Ætiti cõuenire ſuperius retullimus: qua propter, nomine Echitis, procul dubio Ætitem intelligere debemus. Quamuis, ſecundùm nonnullos, Echites etiam nun- H cupari poſſit; cum Echis habitet illa loca, in quibus Ætites inuenitur. Alij Ætitem in-

Lapis prægnam quis. digitarunt lapidem prægnantem, quoniam in cauitate, tanquam in vtero alium lapidem complectatur. Plinius aliquando nominauit Gagatem; ſed aduertendum eſt Seruio appellari Gagaton, dicitq; ab Aquila, ratione frigiditatis, nido admoueri. Tandem,

Li. 3. c. 47. annotante Encellio, aliquibus lapis Erodialis vocari dicitur Erodius autem eſt auis ita dicta quaſi Elodius, quia in paludibus verſetur. Aliqui putant eſſe fulicam, & Theodorus vocat Ardeolam, fortaſſis quoniam hæc auis ſimili lapide delectetur.

MA.

NATVRA, ET PROPRIETATES.

QVAMVIS, vt plurimum huiusmodi lapis in colore assimiletur Ochrę, nihilominus à multis colore quodam rubenti refertus describitur: hic color ab Authoribus puniceus appellatur, vnde Marbodeus huc respiciens sic cecinit.

Puniceum lapis hic meo oratur habere colorem.

Alioquin à natura ad modum Bezaar compositus esse videtur: Habet enim in medullio cauitatem, in qua aliud corpus continetur. Sed discrimen inter hos lapides hoc potissimum constituitur; quia Aetites est fossilis, Bezaar autem in animalibus generatur. Nam quemadmodum lapilli addita materia crescunt, & paulatim augentur: ita circa hunc lapidem, iam genitum materia quædam ab illo separata se se diffundit concrescens, & postea paulatim in lapidem durescens Aetitem constituit: qua de causa formam prægnantis vteri præ se ferre videtur, & nũquam peperisse compertum est: quemadmodum Theophrastus, & Mutianus, referente Plinio, tradiderunt, qui aliquos lapides aliquando eniti voluerunt. Habet præsertim hic lapis hoc à Natura insitum, vt sonitu dignoscatur, quoniam in illius interna cauitate, tanquam in vtero alius lapillus seruatur: ideòq; agitatus necessariò sonitum edere cogitur. Tandem eum talis naturæ prædicant Authores, vt medicam vim non possideat, nisi à nidis Aquilarum eruatur. *L. 36. c. 18.*

DIFFERENTIÆ.

ISIDORVS duplicem Aetitis speciem in nidis Aquilarum, nempè marem, & fœminam constituit. Marem durum, subrutilum, necnon gallæ similem, fœminam verò pusillum, & mollem esse astruit. Plinius quatuor genera proponit. Primum vocat Africanum pusillum, & molle, habens intra se argillam candidam, hoc friabile, & fœminei sexus esse tradit. Secundum appellat Arabicum, durum gallæ simile, cum duro lapide in aluo, & marem esse dicit. Tertium nominat Cyprium, in colore, Africano simile, cum arena, & lapillis in cauitate, tam molle, vt digitis confringi possit. Tertium cognominat Taphiusium propè Leucadem repertum, candidum, & rotundum, cuius cauitas lapidem Callimum nuncupatum comprahendit. Gesnerus tria tantùm Aetitis discrimina cognouit. Primus Aetites apud ipsum fuit maior ferè rotundus oui magnitudine, cum ansa quadam, seu vmbilico: vnde saxo alicui adnatus esse videbatur. Alius erat rotundus minor pariter vmbilicatus. Tertius latus, planus, superficie nigra, & aspera, arenis quibusdam aspersa. Pariter Anselmus Boetius tria tantùm genera se pertractasse refert. Primum genus erat scabrum, colore vario, plerumq; pullo nigricante, cum alio lapide intus resonante. Secundum genus cinerei coloris fuisse monet, cum ventre argilla, vel marga repleto, & cortice exteriori ex crassiori arena silicum composito. Tertium fuisse genus priori simile scribit, terram in se continens, quæ duo postrema genera potiùs ad Geodem, quàm ad Aetitem reducenda esse videntur. Encellius multò plures Aetitis species, nimirum sex obseruauit. Prima species fuit rotunda, concaua, alium lapidem complectens, & ad Salam, & Albim inueniri scripsit. Secunda species erat prægnans terra, & argilla alba, vel crocea, Geodemq; vocari asseruit, sed de hac in sequenti capite verba fient. Hanc speciem in Misnia, atq; Saxonia nasci prodidit. Tertiam dixit esse aqua prægnantem, quæ in loco calido locata sudorem emittit, Enydronq; cognominari monuit: q uemadmodũ hæc carmina significant.

In li. de lapid. cap. 3

Lib. 2. de lap. c. 196.

Lib. 3. de re met. ca. 47.

Perpetui fletus lacrymis distillat Enydros,
Qui velut ex pleni fontis scaturigine manat.

Quartam speciem arenis, & lapillis grauidam esse pronunciat. Quintam Chelonitide plenam esse voluit. Sextam deniq; candido silice refertam, & ad Albim reperiri diuulgauit: immò, aperta matrice, subrotundus silex oblongus, & durus conspiciebatur cum figuris in superficie, quæ fauos Apum æmulabantur.

Iam examinare oportet illas Aetitarum differentias, quæ ad nostras manus peruenerunt. Prima species fuit oualis prorsus figuræ, colore cinereo, & lapillum interiorem

ita arctè complectebatur, vt agitatus nullum ſonitum ederent. Deinde alium habui- f
mus figuræ oblongæ, & oualis, colore ferrugineo, maculis nigricantibus, quæ vndas aquarum referebant, vt in iconibus conſpici poteſt.

Duæ Ætitarum differentiæ.



Poſtea alios lapides multò plures diligenter obſeruauimus, & examinauimus, quo- G
rum omnium in hac tabella icones exhibemus. Primo loco figuratur Aetites longus, lu-
teus; ſecundo Aetites ſubluteus oualis apertus; tertio Aetites ſimilis clauſus; quarto
Aetites rotundus; quinto deniq; loco alius minimus ſine ſonitu pingitur.

Aliæ Ætitarum differentiæ.



Inter

Inter tot, & tantas Ætitarum ſpecies meditati ſumus vnam figura admodum rotunda, colore ferrugineo, cum quibuſdam foraminibus rotundis in ſuperficie, itaut quodammodo ſpongiam imitentur: eius ſubſtantia erat coloris nigerrimi,& lucidi inſtar bituminis. Rurſus Ætitem conſpicati ſumus colore Ochræ, qui fauo Apum aſſimilabatur, quamuis Perſicitem indigitare poſſumus, cum nucleo lignoſo perſici eſſet ſimilis: iuxta partem inferiorem, materia quædam albicans conſpiciebatur,& ob cauitatem, ſonitum in cauitate alium lapillum claudebat. Horum tres differentiæ iconibus repræſentamus. *Perſicites lapis.*

Tres aliæ Ætitarum differentiæ.

1



2

3



Rurſus

Rurſus Aetitas variarum figurarum obſeruauimus; propterea prima facie monſtratur Aetites ferrugineus non perfectè rotundus, ſed potius oualis cum nonnullis angulis. Deinde delineatur Aetites luteus, figura tetragona. Pariter alius niger angulis inæqualibus inſignitus. Quarto loco habetur Aetites niger ſolidus, forma quadrata.

Quatuor aliæ Ætitarum differentiæ.



A Aliquando in Monte Gargano Apuliæ inuentus est Aetites globosus magnitudine pilæ maioris, absolutæ rotunditatis, extrinsecùs candore refertus, æqualis superficiei. Substantia interior, vt ex fractione conijci poterat, omninò erat silicea, quoniam, ad ictum ferri, spargebat ignem. In medio lapidis erat rotũda cauitas proportione lapidi respondens, in qua globus candidissimus, & friabilis claudebatur. Alius pariter ibi repertus fuit magnus, & globosus, superficie inæquali, cauernis, & anfractibus peruius cum arena, & sabulo; immò lutum intus purum comprehendebat. *Aetites alius grandis.*

Quoniam autem Aetites, ratione figuræ coloris, loci naturalis, & calculorum intus clausorũ, varius est, in sequenti tabella Aetitas omnis generis delineatos repræsentare decreuimus: nimirum ouales, rotundos, trigonos, clypeiformes, pileiformes, ferrugineos, luteos, plures lapillos continentes, Cyprios, & Orientales, sed distinctiùs numeris hos omnes disponemus.

Cæsalpinus quoq; prodidit reperiri aliquando glebas, ad instar panis, plures Aetitas continentes. Quædam enim solidæ sunt, quæ intra crustam ferrugineam, & aspe-
B ram multos lapides farctos comprehendunt, & interdum cretam mollissimam, nullo inani spatio inibi existente, & inter has, lapidem Ostracitem contineri existimat.

LOCVS.

ORTELIVS, in Theatro Orbis, Aetitas nasci in Chimao Indiæ promulgauit. Bellonius verò agens de Aegypto, scriptum reliquit ibi tantam Aetitis lapidis esse abundantiam, vt decem naues onerari possint. Quinimò addit olim mercatores inde Romam hos lapides asportasse. Marbodeus quoq; enumerans loca, in quibus Aetites producitur, sic cecinit.

Oceaniq; latens in litoribus reperitur,
Aut Aquilæ nidis, aut Persarum regione,
Quem gemini Pollux, Castorq; tulisse feruntur.

Alij Authores animaduertunt marem nasci in Arabia insigni duritia refertum, Aetitem autem fœminam in Africa mollem inueniri. Cæsalpinus monet Aetitem produci etiam in Italia, colore fuluo, parte interiori nigricante, figura, & magnitudine varia, crusta prædura, & densa, in cuius aluo quandoq; lapis, & interdum argilla continetur. Hæc Cæsalpini sententia à veritate non recedit, quoniam in Monte Gargano Apuliæ, & in multis locis Apennini montis, neenon in nostris fluminibus sæpè Aetites obseruatur. Item ager Tudertinus in Vmbria huiusmodi lapidis ferax esse perhibetur. Insuper in Veronensi territorio copiosus reperitur Aetites, in cuius aluo aliquandò lapis, & interdum argilla bolo armeno similis conspicitur: Quapropter huiusmodi lapis conquassatus statim sonitum edit. Demum Venetijs, teste Brasauolo, talis lapis habetur; sed primum ex Armeniam Alexandriam, & inde posteà Venetias defertur. *Lib. 3. de re metall. cap. 38.*

1 Ætites oualis facie teſtudinis.

2 Ætites oualis alter.

3 Alius oualis figuræ à Geſnero deſcriptus.

4 Ætites rotundus apud Geſnerum delineatus.

5 Ætites trigonus.

6 Ætites alius figura calculi.

7 Ætites clypeiformis.

8 Ætites ferrugineus.

9 Ætites lapillos plures in ſe continens.

10 Ætites latus, & planus apud Geſnerum delineatus.

11 Aetites, pileiformis.

12 Aetites fauiformis à Geſnero pictus.

13 Aetites Cyprius.

14 Aetites orientalis.

15 Aetites orientalis alter.

1

2



3

4

5



6

7



8



9

10



11

12



13

14

15

MORALIA.

SICCO pede prȩterire non poſſumus, quæ ab Ætite deſumpta ad morum integritatem ſpectant. Namq; huiuſmodi lapis in Aquilarum nidis repertus duplex, ſcilicet mas, & fœmina conſtituitur: cum abſq; illis Iouis ales parere nequeat. His duobus lapidibus, in doctrina morali, duo præcepta Charitatis, nempè erga Deũ, & Proximum ſignificantur: ſunt enim in cauſa vt Aquilæ, ſcilicet viri iuſti, & perfecti fructum bonorum operum pariant: quocirca, in cordis nido, hos duos lapides iugiter conſeruare debent: aliter etiam ſic ratiocinari poſſumus, nempè Aquilam eſſe Principem, qui, in cordis ſui nido, hos duos lapides, nempè maſculum veluti Iuſtitiam, & fœminam veluti Miſericordiam claudere debet: iuxta illud Pſalmographi *Miſericordiam, & Iuſtitiam, cantabo tibi Dom ne.* Præterea Ætites iure optimo iuſtitiæ aſſimilandus eſt: nam ſicuti huiuſmodi lapis nidum Aquilæ firmare, & ſtabilire perhibetur: pari ratione Iuſtitia cuncta ſtabilire poteſt. Quamobrem Ægyptij, vt rerum ſtabilimentum indicarent, icone Ætitis in nido Aquilæ locati vtebantur. Præterquamquòd, ſi Aetites, teſte Dioſcoride, partum accelerare valet; ſimiliter ad Iuſtitiam comparatur, quæ ſemper fructus bonorum operum accelerat. Aliter ad metum diuinæ Iuſtitiæ comparari poteſt, quæ in cauſa eſt, vt recta opera in lucem citò prodeant.

Princeps aſsimilatur Aquilæ.

VSVS IN MEDICINA.

REFERVNT multi Authores hunc lapidem de collo ſuſpenſum affectus cordis, & melancholiam arcere, immò & dolores capitis, & aliarum partium tollere, dummodo lapis partem dolore vexatam tangat. Item, ex ſententia Alberti, & Ludouici Dulcis, puluis interior huius lapidis ad Epilepſiam conducit, quando cum aqua Pœoniæ bibitur. Alij cerato prædictum puluerem excipiunt, vt paroxiſmos Epilepſiæ arceant. Marbodeus huius virtutis non fuit immemor, quando cecinit.

Epilepſiæ remedium.

Atq; Caducorum fertur prohibere ruinas.

Rurſus hic lapis, quia prægnans eſt, ab hac ſignatura, mulieribus prægnantibus prodeſſe traditur. Quinimò Plinius ſcriptum reliquit, non ſolùm Ætitem, ſed etiam quemlibet alium lapidem in alio corpore, vel in ramo arboris comprehenſum, more Aetitarum, fœminis grauidis auxilio eſſe. Hinc Marbodeus occaſionem arripuit canendi hunc in modum.

L. 16. c. 39

Continet hic alium, prægnantis more, lapillum
Creditur ergo potens prægnantibus auxiliari
Ne vel abortiuum faciant, partuve laborent
Appenſus læuo, ſolito de more, lacerto.

Sed ad maiorem harum virtutum intellectum, animaduertẽdum eſt, ex mente Dioſcoridis, & Plinij, Aetitem, & præſertim alio lapillo grauidum, ſiniſtro brachio prægnantium alligari, vt fœtus retineatur; cui ſententiæ Galenus, in libro de remedijs facilè parabilibus, aſſentitur. Deinde fœmori applicandum eſſe lapidem autumant, vt partum acceleret, necnon parituram faciliorem reddat: cæterùm vbi primùm fœtus in lucem prodierit, ſtatim lapidem remouendum eſſe monent; alioquin illo ibi diutiùs permanente, virtute ſua, quam à Luna, & Venere habere perhibent, vterus & ipſe in lucem prodiret, magno Patientis detrimento. Multa etiam alia de hoc lapide prædicant, quæ non ſolum Medicinæ, ſed etiam naturæ limites egredi videntur. Extat tamen, in re propoſita, apud Valeriolam medicum præſtantiſſimum, mulieris cuiuſdam exemplum, quæ, cum poſt paritionem, lapis Aetites fœmori alligatus, præ obliuione, remanſiſſet, prodeunte vtero, paucis diebus elapſis, extincta eſt.

Inſuper in veneni ſuſpitione Albertus Magnus huiuſmodi lapidẽ mirandum in modum probat; cum, eo præſente, cibus venenatus deglutiri nequeat, niſi amoueatur. Huius etiam opinionis fuit Marbodeus, quando cecinit hunc in modum.

Si quis

Si quis suspectus tibi sit de fraude veneni,
Tuq; probare velis, sua num sit iniqua voluntas.
Participem mensæ, quem formidas adhibeto,
Pulmento posito, cui sit subuersus Aetites,
Si fraus corde subest, tentans glutire nequibit,
Si tuleris lapidem, cupidè gustata curabit.

Serpentes etiam hic lapis arcere creditur: hac de causa Authores non proletarij hunc lapidem ab Aquila expeti arbitrantur, quoniam hic in nidis positus pullos à Serpentibus tueatur.

Anselmus Boetius puluerem Aetitis ad dysenterias malignas proponit, & ad alios alui fluxus, quos alia medicamina compescere non potuerunt. Item terra combusta in hoc lapide facultatem terræ sigillatæ habere dicitur: nam cum aqua Pentaphilli, vel Acetosæ hausta correptis febre pestilenti opitulatur: etenim cor roborando, & sudorem prouocando morbum expellit. Quoniam autem medicamenta illa, quæ insigni putredini resistunt, affectus etiam vermium exterminant: idcircò multi hunc lapidem in verminatione commendant. Hanc etiam interiorem terram Aetitis, pondere duarum drachmarum; Pleuriticis, ante quartam diem, fælici cum successu, aliqui Medici præscribunt, & in affectione hypocondriaca cum optimo iure illam propinãt. Quidam Hernias hac terra curare profitentur. Tandem cum vino mulieribus traditur, vt hac deperditum ad mammas reuocetur. Callimus autem lapis, qui in Aetite clausus inuenitur, colore, & duritie variat, & aliquando instar crystalli est diaphanus, & ijs virtutibus potiri perhibetur, quas Aetiti lapidi hactenus assignauimus.

Terræ existentis in aetite virtus.

Herniæ remedium.

VSVS IN VARIIS.

NON solum in vsu medico, sed etiam in alijs, vt nostra fert opinio, inanibus: siquidem multi gestatione huius lapidis, fauorem, amorem, & valetudinem sibi cõciliare promittunt: Quocirca Marbodeus in suis carminibus hæc habet.

Confert præterea gestanti sobrietatem,
Auget diuitias, & amari cogit habentem,
Victoremq; facit, populiq; fauoribus ornat,
Incolumes pueros aut viuere siue puellas.

Insuper, ex Alberto Magno, & Ludouico Dulci, hic lapis fastigio arboris suspensus est in causa, vt fructus retineantur, alioquin trunco ligatus omnes cadere feruntur. Alij tradũt Aetitem cum icone Aquilæ ab Animalibus, & Feris venenatis Gestatorem defendere, & multa alia inania recitant, quæ tanquam nugamenta omittimus. Dioscorides tamen hoc lapide furtum detegi posse memorat, sed modum postea non assignat. Est autem talis apud Græcos. Caloiri, vt vocant, furti suspectos simul congregãt, multis cæremonijs adhibitis, & multa verba admurmurant, dum massam sine fermento pinsunt, vt paruos panes conficiant, admixto tamen Ætitis puluere, & congregatis deuorandos præbent; qui autem furtum cõmiserit, panem deuorare nõ potest. Illi autem Caloiri id tanquã insigne secretũ seruant: cũ tamen id à puluere Aetitis procedat. Huius autẽ effectus causa naturalis est. Quoniã puluis huius lapidis adeò siccus est, vt panem siccissimum, & pumicosum efficiat, qui faucibus adhærens, nonnisi maximo conatu deglutiri potest. Propterea, qui furtum detegere cupit quid mirum assistentibus se peragere insinuat: quare qui rem subripuit, metu perculsus circa guttur siccatur, atq; siti opprimitur: ideòq; panem porrectum vorare minimè potest. Qui autem ab hac re sunt alieni prædictum panem vix glutire possunt.

Caloiri Sacerdotes græci.

Causa naturalis huius effectus.

DE GEODE.
Cap. V.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

NON eſt infiniti prorſus negotij aſſignare cauſam, cur poſt Ætitem, immediatè agendum ſit de Geode: quandoquidem hic lapis eſt ferè rotundus, & prædicto lapidi cognatus, & à terra, quam continet, cognominatus. Prętерquamquòd ex eadem materia, ex qua conſtat Ætites, in natalibus integratur. Græcis appellatur λίθος γεώδης, & Latinis pariter non ineptè Geodes nominatur: cum ad diſtinctionem Ætitis lapidis, terram in ſua cauitate comprehendat. Quinimò ſi detur lapis, qui non terram, ſed arenam induratam in aluo contineat: hic, non Aetitis, ſed Geodis nomen promeretur. Deducitur enim hoc vocabulum à voce græca γαῖα, quæ terram ſignificat: vnde γαιώδης terrenus exponitur. Geodes ergo vocatur, quaſi lapidoſa quædam argilla. Tandem nonnulli conſiderantes lapides Aetitas alium lapillum in ventre ſeruantes, deinde Geodem in ſe concludentem terram, vel arenam, fuerunt huius opinionis Geodem nomine Aetitis terreni poſſe inſigniri.

Ætites terrenus qualis.

NATVRA, DIFFERENTIÆ, LOCVS.

INTER illos lapides, quos Theophraſtus, & Mutianus, atteſtante Plinio, parere crediderunt, Geodes recenſetur, vt Georgius Agricola tradit. Eſt autem hic lapis rotundus terram, aut arenam in ſe continens, quē multi Authores ad tertiam ſpeciem Aetitis referunt, cum terram, & arenam non ſonantem in cauitate complectatur. Anſelmus Boetius ſcriptum reliquit Geodem colore rubiginis, & magnitudine pugni in Miſnia reperiri, necnon propè Belſnam Bohemiæ, ſed nullius valoris eſſe prodit, niſi quis lapidibus huius generis perfectè rotundis, in explodendis maioribus bombardis, vti velit. Item Ceſalpinus monimentis mandauit, lapidem Geodem candidum, figura oblonga, vtrinq; acuminata, ſpecie ſtercoris canini, propè Aretium inueniri, qui ex arena parùm denſata conſtare videtur: quinimò ſi frangatur, eadem materia per cruſtas aggregata plenus obſeruatur; deinde friabilis eſt, ad inſtar Bezaar. Quamobrem nonnulli hunc lapidem fortaſſis pro Bezaar foſſili apud Aegyptios acceperunt. Plinius quoq; Aetitem fæminam huic non abſimilem in Africa naſcentem proponit.

Lib. 2. de lapid.

Lib. 2. de metall.

Geſnerus, in libro lapidum, memorat Geodem durum Miſnenſem coloris ſubrutili oblongum, magnitudine oui Struthionis comprehendentem in vtero arenam duram colore ochræ natiuæ, qui aquæ impoſitus varium ſtridorem emittit. Poſtea meminit idem Author Geodis Chemnicenſis coloris fuſci lapidi ferri ſimilis, qui terrā luteam complectitur. Tandem idem Geſnerus delineat quatuor huius lapidis differentias. In prima exhibet globum rotūdum inſtar pilarum bombardę. Secundum dicit eſſe lapidem reſonantem ſubrotundum. Tertium vocat Geodem, qui quaſſatus non reſonat, ſed terra crocea eſt refertus. Quartum Pyriti ſterili aſſimilat. Hos autem duodecim huius lapidis differētias obſeruauimus, & omnes in hac tabella delineatas exhibemus.

Geodis duodecim differentiæ.



VSVS IN MEDICINA.

L.5.c.123 DIOSCORIDES huic lapidi virtutem aſtringẽtem, & ſiccantem aſſignauit: quapropter illum, in diſcutienda oculorum caligine, commendauit. Deinde cum aqua puluerem Geodis permiſcet, vt teſtium, & mãmarum inflammationes tollat. Hoc idem Galenus agens de facultatibus ſimplicium medicamentorum repetit. *Lib.9.* An verò hic lapis eadem polleat facultate, in cuſtodiendo conceptu, & accelerando partu, quæ Ætiti ſuperiùs fuit attributa, valdè ambigimus. Sunt tamen nonnulli Authores, qui id affirmare audent, hac potiſſimum ratione ducti, quia Aetitas, & Geodes ijſdem natalibus conſtent; cum ambo in terra glutinoſa, & plerumque in commiſſuris marmorum inueniãtur. Nihilominus apud probatiſſimos Authores de virtutibus lapidum verba facientes, nondum hanc peculiarem Geodi prærogatiuam aſſignatam legimus.

DE ENHYDRO. Cap. VI.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

IN primis Enhydrus, ſiuè apud Græcos ἔνυδρος exponitur id, quod aquam in ſe continet: cum hæc vox ὕδωρ aquam ſignificet. Immò, hoc nomine, deſignatur aquis abundans, & locus aquarum copia irriguus; pariter in aquis degens: etenim ἔνυδρα ζῶα apud Ariſtotelem leguntur. Alioquin Enhydros, iuxta nonnullorum ſententiam, eſt beſtiola ità nuncupata, quoniam in aqua, ſed præſertim in Nilo verſetur. Verùm Iſidoro non Enhydros, ſed Enhydris appellatur. At hæc vox ἔνυδρις, ſeu ἔνυδρος Lutram quoq; apud Lexicographos, indicat: eſt enim Lutra animal amphibium, quod partim in terris, partim in aquis degit. His igitur omnibus omiſſis, de Enhydro tantum lapide in præſentia agendum eſt, & potiſſimum poſt hiſtoriam Geodis; cum ab illo, nonniſi contento diſcrepet. Nam veluti Geodes in ſua cauitate terram, vel arenam comprehendit; ſimiliter Enhydros lapis aquam in ſuo ventre continet, quapropter hic lapis proprium nomen, & etymum ab aqua deducit, quaſi aqueus lapis cognominetur: humiditatem enim quãdam exſudare perhibetur. Apud aliquos Authores inuenitur hæc vox Elydrus, qua proculdubiò hunc lapidem intelligunt, ſed hanc vocem eſſe corruptam credimus, namq; pro Elydro Enhydrum pronunciare volunt.

Lutra quale animal.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

L.xlt.c.11 PLINIVS monimentis mandauit Enhydrum eſſe lapidem abſolutæ rotunditatis, & candore leuem, necnon agitatum fluctuare, veluti in ouo agitato liquor obſeruatur. Solinus etiam retulit lapidem hunc naturaliter ita exſudare, vt in eo clauſam fontis ſcaturiginem eſſe aſſerendum ſit. Quamobrem aliqui fuerunt huius opinionis, portionem ſucci aquei, in primordio ortus, ad generationem huius lapidis concurrere, qui poſtea, cum nequeat à calore exſiccari, neq; à frigore denſari, neceſſariò in cauitate lapidis remanet, & ad motum illius facilè fluctuat. Albertus Magnus ex Euace, Syluatico teſte, hanc ſibi ſententiam circa humorem huius lapidis, vindicauit: videlicet hunc effectum ex nimia lapidis frigiditate dimanare. Bartholomæus Anglicus verba faciens de proprietate rerum, cauſam inquirit, cur hic lapis aquam exſudet; ideòq; ſic arguit. Si gutta de lapidis ſubſtantia flueret, proculdubiò hæc ſubſtantia diminueretur, vel omninò liquefieret; ſin ros, vel alius humor ingredere-

Aqua Enhydri vnde procedat.

A deretur, similiter hic egredientem repelleret: quare & ipse concludit id posse prouenire ex virtute lapidis aerem sibi vicinum in aquam transmutantis, atq; hac ratione de substantia lapidis egredi videtur: quemadmodum marmora aliquandò exsudare obseruamus, dum aer eis propinquus in aquam resoluitur. Hanc Enhydri naturam perdoctè expressit Marbodeus his carminibus.

Perpetui fletus lacrymis distillat Enhydros,
Qui velut è pleni fontis scaturigine manat;
Cuius naturæ graue sit deprehendere causam.
Nam si decurrit lapidis substantia, quare
Non minor efficitur, vel non omnino liquescit.
Sin ros exterior descendit ad interiora,
Vt semper reflnat cur se non impedit ipsum,
Scilicet ingrediens contrarius egredienti?

B

MORALIA.

AD perfectam morum integritatem spectat etiam meditari varias huius lapidis proprietates, & præsertim dum aerem contiguum in aquam resoluit. Namq; huius conditionis sunt viri iusti, & perfecti, qui totum aerem contiguum, nempè propriam diuitiarum substantiam in copiosum eleæmosinæ imbrem conuertunt, quo Pauperes quotidie irrigantur. Quamuis autem hæc aqua sit perpetua, nunquam tamen egestate diminuitur: iuxta illud sacri Codicis: *Date, & dabitur vobis.* Quinimò alibi in sacris Biblijs habemus hanc sententiam. *Qui dat Pauperi, non indigebit.* Vnde huc fortassis respiciens Ouidius aliquando cecinit hunc in modum. *Luc. cap. 6. Prouerb. 28.*

Quas dederis, solas semper habebis opes.

C Etenim sicuti circa hunc lapidem nouus semper aer introducitur, vt resoluatur in aquam: pariter Deus omnipotens occulta prouidentia, nouum aerem diuitiarū semper illis impertitur, qui pietate in dies redundant.

Amplius veluti Enhydros lacrymas, seu guttas iugiter emittit, & neq; liquefit, neq; alio modo diminuitur: hac ratione lapis hic Deo Optimo Maximo, vel Beatæ Mariæ semper Virgini assimilandus erit, quoniam ab his absq; diminutione perennis misericordiæ scatebra, & beneficiorum imber stillat, quibus homines perpetuò irrigantur. Iuxta illud Ieremiæ. *Erit quasi irriguus hortus, cuius non deficient aquæ.* Demum animam perpetuis destinatam Inferorum supplicijs ad hunc lapidem comparabimus, quæ perennibus, lacrymis apud infernas sedes, affluit: sic enim non recedamus à sententia Matthei dicentis: *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* *Cap. 31.* *Cap. 13.*

D

VSVS IN MEDICINA.

NON desunt Authores, qui illas virtutes huic lapidi assignarunt, quæ de Ætite, & Geode prædicarunt. Propterea quòd hi omnes lapides cauitatem quamdam tanquam vterum habeant. Sed Albertus Magnus tantummodo voluit guttas, ab hoc lapide stillantes omnibus febrientibus remedio esse, & hæc de Enhydro dicta sufficiant.

DE OSTRACITE. Cap. VII.

ÆQVIVOCA.

HVIVS lapidis hiſtoria hunc locum promeruit; cum fractus aliquando plures Ætitas complecti videatur. Sed aduertendum eſt, hoc nomine multa ab Authoribus ſignificari. Plinius quamdam gemmæ ſpeciem Oſtracitem, ſiue Oſtraciam indigitauit: immò duas ſpecies nominare videtur his verbis. *Oſtracias, ſiue Oſtracites eſt teſtacea durior, altera Achati ſimilis, niſi quod Achates politura pingueſcit.* Hæc autem Plinij verba à veritate non multum aliena eſſe exiſtimamus: quandoquidem Gemmarius quidam Geſnero monſtrauit gemmam hoc nomine inſignitam, refertam colore Indici ſaturatiſſimi, ita duram, vt alias gemmas incideret. Gemmarius hanc magni pretij prædicabat, & maioris pretij eſſe aliam exiſtimabat, cui aliquid coloris auri eſt immixtum. Præterea in Rerum natura inuenitur quædam Hæmatitis ſpecies, quæ, cũ Oſtraciti Dioſcoridis aſſimiletur, ab aliquibus Authoribus Oſtracites appellatur. Quinimò Plinius Oſtracitem etiam vocauit, illam Cadmiæ ſpeciem, quæ nigra, & cæterarum ſordidiſſima eſt.

L. 37. c. 10.

Hæmatitis ſpecies.

Amplius ſi natura ludens aliquem lapidem ad formam Oſtrei producit, talis etiam lapis ab Authoribus Oſtracites nominatur. Sed de lapidibus huius generis in primo Capite huius libri fusè actum fuit. Immò aliquod etiam genus Oſtrei, quod, tractu temporis, in lapideam naturam tranſmutatur, Oſtracites dicitur, & Oſtreum hoc nomine inſignitum, & petrificatum communicatum fuit doctiſſimo Vlyſſi Aldrouando cum armatura dura, lapidea, colore cinereo; item & aliud materia coralli decoratum, & Oſtracites Coralloides dicebatur. Huius etiam generis fuit Oſtracites purpura cum cancello annexus, veluti in hac tabella oſtenditur.

Oſtracites cum cancello.

At

At de Oſtracodermis varijs, alijſq; in lapidem conuerſis inferius ſuo loco agetur. Hic enim vnam, aut alteram iconem exhibemus, vt Lector nominum ambiguitatem obſeruet, noſcatq; diſcrimen cadens inter hunc Oſtracitem, & alium à Dioſcoride memoratum, de quo in præſenti cepite verba fiunt. Oſtracites igitur pulcherrimus primi generis in hac tabella oſtenditur: refert enim Oſtreum cum tegumento, cuius pars facta eſt lapidea, & huius alia portio nondum lapideam naturam eſt adepta: vt autem melius exprimeretur, litteris A. B. C. delineatur.

A. Oſtracites naturalis magnitudinis.
B. Eius tegumentum petrificatum.
C. Huius tegumenti pars nondum petrificata.

Po-

Poſtremò Oſtracites quibuſdam nuncupatus fuit lapillus habens figuram chamæ ſtriatæ, tuberoſus in parte ſuperiori verſus peripheriam, colore cinereo magnitudine Ciceris. Item Oſtracites apud nonnullos dicitur ille lapis, qui Germanis Vulgò vocatur Topfſtain, ſiue olla foſſilis. Has Ollas Ethnici olim, cineribus Cadauerũ impoſitis, telluri committebant, molles ſunt ſub terra, ſed exemptæ ſtatim in aere lapideſcunt. Itaque his omnibus, omniſſis, tantummodo ad Oſtracitem lapidem à Dioſcoride deſcriptum accedemus.

Olla foſſilis.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

OSTRACITI iuxta ſententiam Plinij Oſtrea nomen, & ſimilitudinem dederunt. Sed hoc in loco, Geſnero annotante, Plinius deceptus eſſe videtur; quãdoquidem Oſtracon pro Oſtreo vſurpauit; cum tamen res ſint diuerſæ, & lapides ab vtroq; denominati valdè diſcrepent. Nam ab Oſtraco, nempè teſta figulina Oſtracites deducitur, cum etiam teſtæ Concharum, & turbinatorum in Mari Animantium ei comparentur, quæ poſtea ὀστρακόδερμα generali vocabulo, & ὄστρεια per ε diphthongum in penultima, nuncupantur: ſiquidem ὄστρεα per ε ſimplex in penultima ſunt eorum ſpecies. Itaq; Oſtracites Dioſcoridis habet teſtæ ſimilitudinem, quoniam teſta ſuperiori ablata in plures alios lapides ſcindi poteſt, cruſta ſemper intercedente. Etenim ὄστρακον, ſecũdùm Græcos, teſta exponitur, quaſi toſta; cum vas figulinum ex molli creta fabricatum in fornace torreatur. Vnde oritur ὀστράκινος, vel ὀστρακώδης, quod teſtæ ſimilitudinem imitatur: hinc quoq; naſcitur ὀστρακισμός relegationis genus, quod teſtulis in vrnam coniectis fiebat; propterea Latini hoc exilij genus teſtulatum indigitarunt.

Oſtracon quid ſit.

Exilium teſtulatum quid.

Iuniores Græci, ad differentiam aliorum lapidum, Oſtracitem, de quo in præſentia ſermo habetur, λιθόστρεον cognominarunt. Veteres appellarunt Ceramitem, cum teſtæ colorem, & corticem præ ſe ferat, & etiam quia digitis percuſſus inſtar ollæ, ſonitum edat. Verùm κεραμίτης veteribus Græcis dicitur, quoniam κεράμους teſtam, vel tegulam ſignificat. Plinius quoq; affirmat Ceramitem eumdem eſſe lapidem cum Oſtracite, niſi quòd illum cæruleæ quædam bullę interdum cingunt. Tandem hic lapis, nonnullis alijs Oſtreites vocitatur, ſed hoc nomine inſigniri debet lapis Oſtreis ſimilis. Quãuis Oſtracitem teſtis ſimilem, & Oſtreitem referentem formam Oſtreorum multi Authores cõfundant.

Lib. 36. c. 19.

NATVRA, DIFFERENTIÆ, LOCVS.

NATVRAM Oſtracitis Plinius, Dioſcorides, Iſidorus, Galenus, Matthiolus, & Mylius explicarũt: Eſt enim hic lapis cruſtoſus ſciſſilis, & cruſta ſuperiori ablata, alius apparet lapis in plures pariter ſciſſilis, intercedente ſemper cruſta, non autem lamina, itaut plures lapides inſtar Ætitarum in vno comprehendi videantur.

Hic lapis, iuxta magnitudinem, & paruitatem in duplici diſcrimine conſtituitur. Maior, qui eſt ad inſtar lapidis ſpecularis fiſciſſilis effoditur ex foſſa Heldeshemiæ ad Septentrionem ſpectante. Minor non longè ab Hannobera propè Lindum Pagum in terra pingui, & ſubuiridi eruitur. Plinius primam Oſtracitis ſpeciem, ad mentem Dioſcoridis, ſimilem teſtæ diuulgat. Sed Plinius alibi aliam Oſtracitem prima ſpecie duriorem conſtituit, cui Oſtrea nomen dediſſe aſtruit. Deinde tertiam Æhati aſſimilat. Cæterum in præſentia de prima tantùm ſpecie agimus.

Lib. 37. c. 10.

Itaq; Oſtracites, qui teſtæ ſimilitudinem gerit, in montibus Saxoniæ incenſis reperitur. Altera autem ſpecies, quæ ſimilitudinem Oſtrei repreſentat, in rupibus eiuſdem Saxoniæ reperitur: Geſnerus autem tradit, noſtris temporibus, erui in Heldeshemio propè antrum à Nanis cognominatum, colore ſubrubenti, & illum locum olim arſiſſe multa indicare teſtificatur.

VSVS

VSVS IN MEDICINA, & in alijs.

PRIMITVS Dioscorides scriptum reliquit antiquas mulieres, loco pumicis', ad leuigandã cutem, & ad pilos auferendos, ostracite vsas fuisse. Deinde huius lapidis puluis in vino potus mẽses cohibere,& conceptionẽ impedire perhibetur. Si melli admisceatur, & mammis imponatur, earum inflammationem lenit, necnon vlcera illa serpentia reprimit, quæ Græci νομὰ vocant. Galenus quoq; hunc lapidem, ex aliquorum mente, asserit facultatem desiccandi habere temperatam ex adstrictione, & acrimonia;siquidem instar Geodis,papillas expurgare refert, necnon vlcera, & phlegmonas sanare. Tandem duriori Ostraciti, qui secundum Plinium inter gemmas reponitur tantam vim inesse pronunciant, vt eius fragmentis aliæ gemmæ scalpantur. *Lib. 9. de simp. med. fac.*

DE ENORCHI. Cap. VIII.

NOMEN, ETYMVM, NATVRA, Differentiæ.

ORDINIS ratio expostulare videtur,vt Enorchim lapidibus prægnãtibus annectamus, quoniam in hoc etiam continens, & contentus lapis obseruatur. Primitus ergo considerandum est, quod quemadmodum Natura corporibus animantis,& maximè non monstrosis propria membra gressui,propagationi,&alijs vsibus famulãtia benignitate summa est impertita: pariter in corporibus inanimatis ludens, diuersas rerum imagines, & potissimum animatorum membra diligenter expressit. Quinimò ne circa Venerem diminuta esse videretur,lapides quosdam formauit, qui humanorum testium figuram repræsentant; Enorchim Plinij esse quis affirmare poterit: quamuis huiusmodi lapis sit informis, & alium lapidem rotundum, necnon testi similem in se contineat, & hic propriè Enorchis est appellandus, & Orchis est vocandus lapis, qui continetur. Quandoquidem apud Græcos ὄρχις testiculum significat, & ἐνόρχις dicitur, cui testiculi insunt: sic enim Entrochos etiam, & Trochites distinguuntur, vt suo loco explicabitur. Neque mirandum est, cum aliquando reperiantur lapides, qui perbellè pudendorum humanorum cum sua mentula, & testibus figuram referant: immò concubitui venereo apti esse viderentur, nisi essent lapides. Item Georgius Agricola narrat, in Diœcesi Treuirensi inuentos esse lapides nigricantes, & duros, qui muliebre pudendum exprimebant, quos Cardanus, ob similitudinem, Hysterapetras nuncupauit. Sed rectiùs Hysterolitem essent appellandi. *Enorchis, & Orchis.* *Hysterolithos.*

Hic lapis duplex, iuxta varias obseruationes, esse videtur. Nam Ioannes Kentmanus communicauit Gesnero Enorchim durum, splendidum,pallidum,& leuem. At iuxta mentem Georgij Agricolæ, Enorchis candidus est, & fragmentis testium similis, nimirum iuxta fragmenta huius lapidis,in quæ frangitur, & diuiditur:hæc enim fragmẽta testium speciem præseferunt, & neque fulgent, neque pulchro colore nitent.

Anselmus Boetius scribit hunc lapidem esse rotundum tanquam Geodem, plerumque oui colũbini magnitudine, & apud Germanos Hodenstein nuncupari. Rursus addit interiorem lapidem ita adhærere exteriori concauo,veluti vitellum oui cocti absq; intermedio spatio,suo albumini ahhęresci. Præterea monet se inueniisse hunc lapidem propè Pragam Bohemiæ. Interior pars terræ cinereæ colorem repræsentat, interior non micat, sed varijs, & obscuris coloribus sordescit. Icon huius lapidis superius inter Aetitas delineatur. *Locus.*

DE

DE LAPIDE RENALI. Cap. IX.

ÆQVIVOCA.

Lib. 2. de lapid.

PRO lapide renali prima facie intelligi poteſt calculus, qui in renibus Animalium generatur, de quo inferius ſuo loco verba fiēt. Aliū etiam, vt notat Anſelmus Boetius, Nephriticū, ſeu renalem lapidem ſmaragdopraſſium vocant, quoniam ad affectiones renum curandas ſummopere commendatur. Alius quoq; eſt Nephriticus lapis, quem Vulgus Oſiadam, vel Iſiadam indigitant à ſciatico affectu, quem talis lapis curare creditur. Sed de his lapidibus in præſentia ſermo non eſt habendus; cum de illo renali lapide, ſeu lapide Sardo tantùm verba fiant, qui ad Oſtracitem, vel Geodem à multis refertur. Hic ſub duro cortice, & lucido, inſtar ferri, tanquam in matrice figuram renum æmulans latibulatur.

Oſiada quid ſit.

Lapis Sardus.

SYNONIMA, ETYMVM, & Deſcriptio.

NON ſolum hunc lapidem à ſimilitudine renum vocant renalem, ſed etiam quia affectibus nephriticis auxilietur. Deinde à loco natali appellatur Sardus, quoniam in Sardinia inſula inueniatur. Color lapidis eſt niger, inſtar thracij lapidis, lucidus ſed non diaphanus: quapropter armatura quadam obductus eſſe videtur. Item eſt ſolidus, & compactus, necnon ponderoſus, & panno confricatus incaleſcens, paleas, more Gagatis, vel ſuccini trahit. Verùm quod magis admirādum eſt, qui nigerrimus eſt, & maximi ponderis, euadit candidiſſimus, & leuiſſimus, ſi ſpatio horæ cādenti ferro impoſitus igni admoueatur. Quoniam autem hic effectus in Alumine cōtingere ſolet: hinc nonnulli lapidem hunc ex puriori quadā aluminis portione naturaliter compactum eſſe crediderunt. At cum nullum adſtrictionis veſtigium in hoc lapide guſtato obſeruetur, cogimur fateri ab Aluminis natura alienum eſſe. Quamobrem in hanc ſententiam deſcendimus, vt dicamus ex materia quadam vitrea conſtare: Duplici autem ratione mouemur, primò, quoniam hic laudatur in confringēdis renum lapillis, veluti ab Auicenna vitrum vſtum proponitur: ſecundò, quia, inſtar gladij, vel alterius acuti inſtrumenti, facultatem abradendæ ſcobis poſſidet.

Vitrum vſtum ad quid.

DIFFERENTIÆ, LOCVS, & Facultas.

MEMINIT Anſelmus Boetius renalis lapidis cruſta quaſi ferrea muniti, ſub qua latitant lapilli figura renis, deinde inueniri propè Pragam, & colore eſſe terreo retulit. Alij huiuſmodi lapidem in duplici diſcrimine conſtituerunt, vnum dixerunt lucidum, qui in Sardinia inſula prouenire perhibetur; ideòque Sardi nomen illi aſſignarunt. Alterum non ita nigrum, neq; ſplendidum eſſe voluerunt, quem in Hiſpania erui aſſeuerarunt.

Vtriuſque puluis in vino datus aduerſus nephriticos affectus, & præcipuè contra lithiaſim, & paſsionem Iliacam valere traditur. Itaque hoc in loco huius lapidis varias icones exhibere decreuimus, & in prima tabella lapilli cum matrice repræſentatur.

Lapis

Lapis renalis Sardicus, cum matrice.

Lapides renales alij.



DE GLOSSOPETRA.
Cap. X.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

HIC Lapis nuncupatur Gloſſopetra, quaſi lingua petrea, vel lapis inſtar linguæ formatus: cum autem linguam humanam, vel alterius animalis ęmuletur, cauſam ſui nominis inde traxiſſe videtur. Nam γλῶττα, ſiue γλῶσσα Græcis lingua dicitur. Cardanus hunc lapidem Glottidem vocitat. Multi nuncupant linguam ſerpentis, quia eamdem, tractu tęporis, petrificatam eſſe crediderunt. Item ad mentem Grȩcorum Ophiogloſſum cognominarunt. Aduertendum tamen eſt Ophiogloſſum eſſe nomen æquiuocũ, quoniam Botanici, hoc nomine, quamdam herbam in pratis vliginoſis naſcentem ſignificant. Geſnerus agens de Cane Carcharia, acriter repræhendit nonnullos, qui Gloſſopetras dentes illarum mulierum eſſe voluerunt, quæ, inſtar ſtrigum, ſanguinem Infantium ſorbent, & Lamiæ vocitantur. Inſuper aliqui dentem Lamiæ piſcis eſſe hunc lapidem exiſtimarunt, hac potiſsimùm ratione ducti, quoniam marginibus dentatis aliquando inueniantur. A Germanorum nonnullis, referente Agricola, hic lapis nominatur Haterzbinglin, nempè Natricis lingua, cui aſsimilari perhibetur. Eſt enim Natrix ſpecies quædam Serpentis, qui nando venenum in aqua ſpargit. Hinc Lucanus canebat hunc in modum.

Ophiogloſſum eſt nomen æquiuocum. In lib. de Anim.

H

Et Natrix violator aquæ.

Hæc autem ſpȩcies Gloſſopetræ, vt veritatem fateamur, potius linguæ Pici auis, quàm alterius animalis aſſimilatur. Poſtremò fuerunt Authores, qui hunc lapidem Ceraunium, nempè fulminarem indigitarunt, ſed re vera hunc confundunt cum illo, de quo in ſubſequenti capite verba fient.

DE-

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

PLINIVS describens hunc lapidem, eum linguæ humanæ similem constituit. Alij Authores eumdem linguæ alterius animalis assimilant: hinc Causinus arripuit occasionem scribendi, Glossopetram eloquentiæ diuinæ esse symbolum superficies huius lapidis pulchrè polita est: immò aliqua species ita exactè est dentibus exornata, vt vix aliquis peritus artifex hoc opus imitari posset. Huius crassior pars lapidea est, quia lapidibus sæpè adnascitur, pars mucronata cornea apparet, & plerumque atro colore instar vnguis sturni refulget. Plinius, iuxta aliorum mentem, narrauit hunc lapidem esse talis naturæ, vt in terra non gignatur, sed, Luna decrescente, à Cælo decidat; propterea eo ventos comprimi, & lunares motus excitari perhibent. Aliqui monimentis mandarunt Glossopetras esse naturæ lapideæ, sed dentes piscium armatorum, & testaceorum esse voluerunt, qui in terris, post vniuersalem inundationem, remanserunt: veluti multa Ostreorum, & Chamarum tegumenta in montibus passim obseruantur. Hæc opinio prorsus est explodenda; cum Glossopetræ sint lapides sui generis, & proprias habeant mineras; immò satis villes sunt, & diminuto pretio venduntur. Tandem aliqui referunt hanc prærogatiuã huic lapidi naturaliter esse insitam, vt præsente veneno, in mensa sudet. Cæterùm id non est tam facilè credendum, quoniam multi etiam alij lapides præduri leues, & politi iuxta vaporem facilè sudant.

Glossopetra cuius symbolum.

L. 37. c. 10.

DIFFERENTIÆ.

DISCREPANT inter se Glossopetræ, ratione coloris, magnitudinis, & figurę. Nam, quoad coloreu, aliæ sunt albæ, aliæ cinereæ, aliæ obscuræ, aliæ ad roseum, vel ad nigrum colorem vergunt. Aliæ candidæ lineis cæruleis decoratæ iuxta superficiem obseruantur, aliæ tandem ex nigro rubescere visuntur. Ratione secundi, aliæ paruę, alię magnę sunt, etenim Glossopetra pulcherrima, integra, & magna Veronæ fuit effossa, vt habetur in Musæo Calceolarij, dum fossæ illius ciuitatis excauarentur. Erat denticulata, seu serrata spectandæ latitudinis, cum basi septem digitorum, alia duo latera erant duorum palmorum, deinde materiæ tophaceæ adhærebat.

Colores varij.

Quoad figuram, lapides huius generis alij serratos habent margines, alij dentibus carent, alij perfectum triangulum repræsentant, alij, instar trianguli acuti, sunt formati. Alij habent acutum fastigium, instar rostri auium. Alij summitate ouali sunt insigniti: quapropter linguam humanam, vel rostrum Anatis referre dicuntur. Lapis ille huius generis, qui substantia, duritie, & splendore, Glossopetras imitatur, sed est admodum paruus, & alicuius auis, nimirum merulæ rostri partem superiorem præ se fert, potest nuncupari Rhyncholithos; quoniam Græcis ῥυγχος rostrum, & λίθος lapis dicitur. Aut si quis velit hunc lapidem ad linguam comparare, non erit dissimilis ossi Hyoidi bipartito, quod linguæ animalium subest. Hoc in loco tres differentias huius lapidis eleganter delineatas exhibemus, quoniam Glossopetræ est congener.

Glossopetra parua.

Ad has differentias reducitur alius quidam paruus lapis aliquando obliquus, & acutus, qui, vt notant Gesnerus, & Anselmus Boetius, aliquibus, in Italia, & Lusitania Cerastes cognominatur; cum formam cornu exprimat, etenim κέρας Græcis cornu exponitur. Huiusmodi lapis à Gesnero, & ab Anselmo Boetio cum eleganter delineetur, illius icon omittitur, & hoc in loco damus iconem Glossopetræ cum sua minera, delata ex Melite insula. Hæc minera est tophacea, & spongiosa, in qua foramina quædam parua obseruantur æmulantia loculos, in quibus vermiculi, & animantia quędam marina delitescere solent.

Cerastes lapis.

Rhyncholithi tres differentiæ.



Gloſſopetra cum ſua minera ex Melite Inſula.

Reliquum est modò, vt varias icones differentiarum Glossopetræ diuulgemus. Quapropter prima facie Glossopetram Gesneri denticulatam figuramus.

Glossopetra denticulata Gesneri.

Præterea alias duas icones huius lapidis, ex nostris obseruationibus, huic historiæ addimus, quorum lapidum alter dentes, alter quasdam inæqualitates referebat.

Gloſſopetræ aliæ duæ differentiæ.





Inſuper tres alias differentias Gloſſopetræ non denticulatæ delineatas repræſentamus, vt huic hiſtoriæ nihil deeſſe poſſit.

Gloſſopetræ non denticulatæ tres differentiæ.



LOCVS.

HOS lapides è Cælo delabi multi autumant. Sed aduertendum eſt, varijs in locis, inter rupes, & terram cæmentoſam, ſic ludente Natura, reperiri. Addit Georgius Agricola inueniri quoq; in terra aluminoſa. Geſnerus, in libro de lapidibus, narrat generari in Germania, colore albicante, & roſeo, ſaxis incluſos. Idē Author in Volumine Animalium, & præſertim in Capite de Cane Charcharia, ſcripſit lapides Gloſſopetras in Melite inſula produci, quos nonnulli Lamiarum, vel Serpentum linguas nuncupant. Pariter Anſelmus Boetius monimentis mandauit, hoſce lapides eſſe plures in arenis propè Deuentriam, & vicina loca, necnon penès Luneburgum, in aluminoſis fodinis, vbi lapides huius generis linguas Serpentis ſatis eleganter exprimunt, vt non ſit mirum, ſi apud Vulgus, pro illis habeantur. Similiter, ex relatione Geſneri, in libro de lapidibus, tales lapides cinerei coloris in Pruſſia reperiuntur. Immò alios in lateribus ſerratos Geſnerus apud Tungros obſeruaſſe narrat.

VSVS IN MEDICINA.

MVLTAS ad res Gloſſopetram conducere varij Authores pronunciant, alij ad prohibendas faſcinationes prædicant, alij huius benefitio venenū prodi affirmant: quandoquidem madore affici in præſentia veneni traditur. Sed Anſelmus Boetius hanc facultatem nondum deprehenſam eſse aſſerit. Geſnerus aduerſus toxica maximam poſſidere virtutem teſtatur, ſi verum eſset huiuſmodi lapides olim Serpētum linguas fuiſse. Nihilominus nonnulli virtutem horum lapidum ad vim boli, & eboris combuſti comparant; cum in terra ficciſſima, & plerumq; in fodinis boli inueniantur. Quinimò multi Authores addunt Naturam eas Gloſsopetræ impertitam eſse virtutes, quibus dens Elephanti, & cornu Rhinocerontis potiuntur. Quapropter, in febribus malemogeratis expugnandis, & in variolis exterminandis magnificantur. Item verminationi magiſquam Bezaar non vulgariter proſunt. Etenim nullum præſidium putredini, conſequenterq; vermibus magis opponitur, quàm res ficciſſima, cuius qualitatis Gloſſopetra particeps eſſe traditur.

Serpentum linguæ quales.

DE CERAVNIA. Cap. XI.

ÆQVIVOCA.

COGNATI Gloſſopetris ſunt Ceraunię lapides, propterea hunc locum in Hiſtoria ſibi compararunt. Sed, vt ab hoc capite omnis tollatur ambiguitas, aduertendum eſt, hoc nomen (Ceraunia) eſſe adiectiuum, quod ſignificat omne illud, quod figuram fulminis refert. Deinde Ceraunia vocantur montes Epyri Mare Ionium ab Adriatico ſeparantes, hocq; nomine gaudere dicuntur, quoniam ſumma eorum iuga fulminibus ſæpè feriantur. Eſt quoq; Ceraunia in Lexico geographico, & apud Plinium Cerynia, vrbs Cypri in ora boreali inter Carpaſiam, & Lapithū ſita. Inſuper Ceraunia eſt gemmæ ſpecies à nonnullis Authoribus nomine Aſteriæ deſcripta, quam Marbodeus, Solinus, & alij cum illo lapide Ceraunio confundunt, de quo in præſenti capite agitur. Quandoquidem falsò ſibi perſuadent hanc gemmam tantummodò in locis fulmine ictis inueniri. Dicitur hęc gemma apud Plinium fulgorem ſyderis rapere, & habere intus ſtellam concurſantem, vel rectiùs, ſecundùm nonnullos, coruſcantem, de hoc Ceraunia in præſenti non loquimur; quoniam Plinius, præter memoratam gemmam,

Ceraunię Vrbs vbi.

Ceraunia gemma.

alia

A alia duo genera Ceraunię esse scribit, quæ gemmæ non sunt; idcircò de his in præsenti Capite verba fiunt.

Tandem vt omne genus æquiuocationis euitemus, tradit Gesnerus, in quibusdam Heluetię locis Crystallum nuncupari lapidem fulminis, quod nomen nostro Ceraunię competit, vel quia vna cum fulmine cadere credatur, vel quoniam propria figura fulmineũ lapidem imitetur. Item in quibusdam Galliæ locis, lapis facie ligni obseruatur, quem olim fuisse lignum, sed diuturnitate temporis, in lapidem conuersum referunt: quamuis Petrus Bellonius id nunquam lignum fuisse, sed tale quid semper à natura procreatum esse existimat. Vtcumque sit, Indigenæ *Pierre de Foudre*, nimirum lapidem fulminis vocitant, quod nomen Ceraunię conuenire inferius demonstrauimus. *Lignum lapideum.*

SYNONIMA, ETYMVM.

B HIC lapis à multis Authoribus, & præsertim à Georgio Agricola vocatur Ceraunia fœminino genere, sicuti Brontia, & Ombria. Nihilominus satius esset, vt, iuxta primam Græcorum inflexionem, masculino genere Ceraunias, sicuti Brontias, & Ombrias appellaretur. Inuenit autem hoc nomẽ à fulmine, quo cum, à Cęlo cadere apud Vulgus creditur: etenim κεραυνος Græcè fulmen significat. Aut iuxta aliorum mentem ita nominatur, quoniam in loco à fulmine icto inueniatur. Quare Marbo deus huc respiciens tales versus protulit.

Ventorum rabiem cum turbidus æstuat aer,
Cum tonat horrendum, cum fulgurat igneus æther,
Nubibus elisus Cælo cadit ille lapillus,
Cuius apud Græcos extat de fulmine nomen
Illis, quippe locis, quos constat fulmine tactos,
Iste lapis tantùm reperiri posse putatur.
Vnde κεραύνιος est Græco sermone vocatus;
C *Nam quod nos fulmen, Græci dixere κεραυνὸν.*

Quibus autem sanior est mens, de casu huius lapidis valdè dubitant, immò diffitentur, inter quos doctissimi illi viri Agricola, & Cardanus recensentur: quinimò & Plinius magis alienæ opinionis enarrator, quàm propriæ sententiæ assertor, de hoc & ipse dubitat, dum inquit. *Ombria, quam Aliqui Notiam vocant, si uti Ceraunia & Brontia cadere cum imbribus dicitur.* Vtinam in cæteris quoq; ita cautus fuisset. *Lib. 37. cap. 10.*

Gesnerus author est hunc lapidem apud Germanos vario modo vocari, iuxta varias formas, quas sortitur: siquidem aliquando ab ipsis cognominatur Malleus flumineus, interdum Cuneus fulminis, quandoq; annotante Encellio, Donersteim, quia ex nubibus cum tonitru cadere credatur. Illam autem speciem, quæ formam cunei præ se fert, Sotacus apud Plinium, Betulum fortè à batuendo vocari tradidit: hinc fortassis dimanauit illud Bononiense vocabulum (bietta) quo Cuneum intelligunt. Deniq; sunt, qui hos lapides Glossopetras indigitent propter maximam horum affinitatem, non figura, sed substantia durissima, & solidissima, & in superficie splendida. Itali similes lapides saette cognominant. *Bietta vnde dicta.*

DESCRIPTIO.

LAPIDES huius generis, vt plurimum longi sunt digitos quinq; lati tres, & iuxta partem, quæ latissima est cuneum planè referunt, crassitudo est pollicaris, durissimi, & grauissimi sunt, substantia simili silicibus, ex quibus ignis elicitur: quinimò interdum tam duri sunt, vt limam non sentiant. Lineis, atq; strijs carent, & hac ratione à Brontijs discrepant, de quibus in subsequenti capite sermo habebitur. Iuxta partem æquilibrij lapidis, plerumq; apparet foramen pollicis, & aliquando maius est, si maior sit lapis. Hoc foramen est exactè rotundum, cum hoc tamen discrimine, vt vna pars sit latior altera, non secus ac foramen in malleis arte factis conspicitur: cum ea pars foraminis, cui manubrium intromittitur, latior semper sit.

Omnes

Omnes autem lapides huius generis vel malleum, vel cuneum, vel ſecurim, vel alia huius generis inſtrumenta foramen habentia, ad recipiendum manubrium, imitantur. Hinc nonnulli non ſagittas fulminis, ſed ferrea inſtrumenta, tractu temporis in lapides eſſe mutata exiſtimarunt. Cæterùm multi hanc opinionẽ explodunt, & huiuſmodi lapides in ictis à fulmine arboribus, & domibus ſe inueniſſe tradunt, nam poſt ictum fulminis, in lapidis effoſſione præſentes fuiſſe aſseuerant, penès quos omnes fides maneat. Kentmanus Ceraunĩ lapidem Torgæ anno ſexageſimo primo poſt ſeſquimilleſimum Maio menſe fulmine proiectum narrat, qui à terra erutus fuit latitudinis trium digitorum, lõgitudinis quinq;, durior verò lapide Baſalte, quo in nonnullis Germaniæ locis, Incudis vice vtũtur. Idem Author recitat propè arcem Iuliam, per ingentem quercum, fulminis impetu, deiectum fuiſse lapidem, qui effoſsus eiuſdem cum ſuperiori fuit figuræ, & Queſtori Torgenſi dono datus. Habemus etiam ex Geſnero, quòd anno nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum, & quadringenteſimum è Cælo cecidit lapis trecentarum librarum, qui Enſishemij, in templo ſeruatur, ſed num fuerit form ę Ceraunię lapidis non explicatur.

Cruſta huius lapidis qualis.

Cruſta horum lapidum leuis eſt, & pellucida, & plerumque coloris leucophæi, ſed pars aduerſa lapidis huiuſmodi cruſta eſt nudata: vnde aliqui crediderunt, violentia fulminis quo excutitur à nubibus cruſtam rumpi, & huius indicium eſſe affirmant; cum nullus lapis huius generis inueniatur, qui integra cruſta obductus fuerit: quemadmodum obſeruamus in Gloſſopetris, quæ ſemper integræ eruuntur. Demum illa pars lapidis portione cruſtæ ſpoliata, coloris eſt ferruginei, ſubſtantia dura, & grauis.

GENERATIO, ET NATVRA.

Vis fulminis qualis.

SI cõſideretur hic lapis, quatenus in ſua minera produci poteſt, nulli dubium eſse debet eam ſortiri generationẽ, quæ in primo Capite huius libri de ortu aliorum lapidum explicata fuit. Verùm quoniam tam conſtans fama eſt fulmen eſse lapidem, vt ſi quis hanc Vulgi opinionem explodere vellit, inſipiens prorſus eſse videatur: quocirca ratio, qua in nubibus huiuſmodi lapis gigni poſſit (ſi tamen ibi generatur) hoc in loco, ad mentem Philoſophorum, aſſignanda eſt. Exhalatio igitur quædam fulgurea, & fulminea, cum metallica quadam materia admixta, in nube plerumque viridi, aut nigricante, ab humore circũfuſo conglobatur, & coagulatur; veluti farina, aqueo humore affuſo, in maſsam conglutinatur; poſtea ſuperueniente calore, partim ex ſole, & Stellis, partim ex antiperiſtaſi genito, talis maſsa ſubacta quaſi concoquitur, & in materiam lapideam induratur; ſicuti lateres ex molli luto formati calore fornacis dureſcunt. Præterea fulminis telum acuminatur, quoniam humidum admixtum effugiens ſiccum ibi facilè conglobatur. Itaq; lapis Ceraunius exhalatione aſſociatus in nube ab humido frigido circumſtante ita preſſus, vt in tam anguſto loco amplius manere nequeat, illicò nubem, in qua tanquam in ouo eſt cluſus, rumpit tonitru, & fulgur efficiens in quæcunque obuia, veloci motu, fertur, quæ ſcindit, diſſipat, inflammat, atq; proſternit.

Cęterùm Anſelmus Boetius hunc generationis modũ maximoperè admiratur, quandoquidem lapis intra nubes productus omni ex parte deberet eſſe rotũdus: deinde quęrit, cur foramen ſit in media parte lapidis, idq; non æquale, ſed in altera parte latius. Præterquamquòd vix credendum eſſe ſcribit, lapides tam citò naſci, necnon tali duritie, tantoque pondere in nubibus vndiq; peruijs produci. Sicuti neq; dicendum eſſe exiſtimat, vi tempeſtatum, ex rupibus ad nubes, huiuſmodi lapillos deferri, vt poſtea in terram proijciantur.

Natura Ceraunię.

Quoad naturam, notandum eſt huiuſmodi lapidem magis ponderoſum eſſe, quàm alium lapidem terreſtrem, data tamen magnitudinis æqualitate, ſed ferro minus ponderoſus eſſe perhibetur. Deinde referunt etiam Authores (ſi tamen verum eſt) Filum ei ità applicatum, vt nuſquam duplicatum omnes illius partes tegat, ita operari, vt prunis candentibus impoſitus non vrarur, ſed tantummodò madeſcat, atq; hac ratione deprehendunt, num genuinus, vel adulterinus lapis fuerit. Tandem nonnulli diuulgant, penès quos fides maneat, huiuſmodi lapides, fulminis impetu actos, terram ſubire pro-

profunditate Orgyiarum nouem, sed postmodum singulis annis ad orgyiam vnam ascēdere, donec superficiei telluris appropinquet.

DIFFERENTIÆ.

PRIMO lapides Ceraunij coloribus ab inuicem discriminantur, iuxta colores exhalationum terrestrium, & metallicarū, quæ ab inferioribus partibus eleuantur; propterea alij sunt candidi, & pellucidi, alij fusci, alij nigri, alij subrubentes. Quinimò viridis etiam est obseruatus, qui latitudinis fuit trium digitorum, altitudinis quinque, crassitie autem vnius digiti, sub infima parte extenuabatur vtrinq; æmulans prorsus figuram cunei. Anguli verò in cuneo congrediebantur, tanquam in aciem secantem exirent, crassitudine infra medium paulatim attenuata, color eius in obscuro viridis: immò perfricatus auro, aureum colorem, instar lydij lapidis, reddebat, crassissimus, & durissimus erat filici vulgari similis, & ex ipso, chalybe adhibito, ignis educebatur. Icon in sequenti tabella exponitur.

Descriptio Ceraunię viridis.

Ceraunias viridis.



Quoad figuram, tales lapides aliquando inueniuntur crystallo similes infecti colore cæruleo, sed dubitamus, quòd Authores loquantur de Ceraunia gemma. Alioquin hi lapides quandoq; sunt pyramidales, alij turbinem saccharinum referunt, alij cuneum, alij discum, alij malleum, alij securim, alij vomerem, alij clauam repræsentant: immò sunt, qui Belemnitem perbellè exprimant. Quamobrem, ratione variarum figurarum, poterunt appellari cuneiformes, discoides, & clauiformes, non quia claui, sed clauæ similitudinem habeant; similem Encellius se vidisse testificatur.

Ratione natalis loci, Isidorus duo Ceraunarum genera constituere videtur; vnum, quod mittit Carmania regio Orientalis propè Indiam, & mare rubrum, crystallo simile, ad cæruleum colorem vergens, & subdio positum, splendorem syderum rapere dicitur. Alterum mittit Hispania ex Lusitanis litoribus, colore, instar Pyropi, rubescente. Hęc omnia ex Solino translata videntur, quæ postea Marbodeus recitauit his versibus. Sed si rectè meditemur horum Authorum mentem, inueniemus lapidem hunc cum gemma Ceraunia confundi.

Huic

Huic binæ dantur ſpecies, totidemq; colores,
Cryſtallo ſimilem Carmania mittere fertur,
Cæruleo tamen infectum, rutiloq; colore.
Mittit, & Hiſpanus regione manens Luſitana
Flammas ſpernentem, ſimilemq; colore Pyropo.

Hi autem lapides, referente Geſnero, in Germania præcipuè ad flumina, & præſertim ad Albim reperiuntur. Hoc in loco exhibemus tabellam variarum figurarum Ceraunias, & ſub numero 1. & 2. delineatur potius pars ſuperior, & inferior Gloſſopetræ, quàm Ceraunias. Sub numero 3. conſpicitur Ceraunias, qui erat longus digitos quinque, latus tres, vbi tamen craſſiſſimus apparet, & iuxta infimam partem, inſtar cunei, attenuabatur, & totus cuneum planè referebat, coloris erat in albo fuſci, grauiſſimus, & duriſſimus inſtar ſilicis.

Loci natales Ceraunię.

Sub nu. 4. pingitur Ceraunias, inſtar mallei, in albo fuſcus, hic, ad mentem Geſneri, latitudinis fuit trium ferè digitorum, longitudinis quinq; durior Baſalte lapide, quo in nonnullis Germaniæ locis, pro incude vtuntur.

Baſaltes lapis qualis.

Sub numero 5. delineatur Ceraunias alter Geſneri, qui iuxta vtramq; partem, mallei figuram imitatur, vel etiam vtrinq; cuneiformis eſſet appellandus.

Sub numero 6. deſignatur Ceraunias alter Geſneri coloris nigricantis, partibus quibuſdam ad cæruleum tendentibus, ponderoſus, & durus, forma cunei, necnon perforatus. Hunc ex terra effoſſum, iam fulminis ictu per ingentem quercum deiectum, Kentmanus apud Geſnerum referebat. Hic autem videtur eſſe ille lapis, quem Sotacus, apud Plinium ſcripſit habere formam ſecuri ſimilem, quoniam forma eſt lata, & in aciem exit, & ibi apparet foramen, quod pariter in ſecuri, pro inſerendo manubrio, fabricatur.

Ceraunias ſecuriformis.

Sub numeto 7. exprimitur icon illius Ceraunię, quem Kentmanus, apud Geſnerum, narrauit, in Pago Siplitz, violentia fulminis, intra vineæ terram, per quamdam quercum, penetraſſe, huncq; à Ruſticis fuiſſe effoſſum, & Quæſtori Torgenſi dono fuiſſe datum.

1. Ceraunij lapidis pars ſuperior.
2. Eiuſdem pars inferior. Hi lapides in hac tabella cum ſimili inſcriptione fuerunt delineati, ſed potius ad Gloſſopetras, quàm ad Ceraunias referendos eſſe exiſtimamus.
3. Ceraunias cuneiformis magnus Geſneri.
4. Ceraunias alter cuneiformis minor.
5. Ceraunias alter iuxta vtramq; partem cuneiformis.
6. Ceraunias alter cuneiformis figura à cæteris diſcrepante.
7. Ceraunias cuneiformis valde acuminatus. Omnes autem in medio ſunt perforati, vt in iconibus conſpicitur.

Variæ Cerauniarum differentiæ.



His

His addere poſſumus lapides Ceraunios à Geſnero memoratos, ſed non delineatos, quos è Cælo cecidiſſe prodidit. Primus fuit forma perfecti cunei, in parte latiori perforatus, longitudinis digitorum nouem, latitudinis quatuor, ponderis librarum trium cum dimidia, qui, anno quadrageſimo quarto poſt ſeſquimilleſimũ, Viennæ in domum per cellam, vinariam impetu fulminis, duodecim vlnas in terram adactus fuit. Alius pariter forma mallei in nigro cæruleus, quinq; digitos longus, duos latus, in latere anguſtiori perforatus, anno ſexageſimo poſt ſeſquimilleſimũ, Torgę cecidit, vt recitauit Geſnerus, qui pariter alium cuneiformem in nigro viridem, in medio perforatum, &, in magnitudine, ſuperiori ſimilem eſſe retulit: quando quidem propè Ileburgum, violentiſſimo impetu, annoſam quercum diuiſit.

MORALIA.

CERAVNIVS lapis in morali doctrina, myſticum mundanæ calamitatis typum præ ſe ferre videtur. Nam quemadmodum fulmen quicquid inuenit in terris obuium, ferit, præter Laurum, vt Plinius, & alij Authores prodiderunt. Sic humana calamitas omnia euertere poteſt, præter virtutem, quæ tanquam Laurus ſemper virens conſpicitur, nullo vnquam fulminis ærumnarum impetu labefactanda. Amplius ſi Ceraunias in locis tonitru vexatis inuenitur, & domicilia, in quibus ſeruatur, tuta à violento fulminum ictu reddit, proculdubiò aſſerendum erit, ſimulacro huius lapidis, Patientiam, vel Perſeuerantiam indicari, quæ in loco ærumnoſo mundanæ calamitatis generatur, ſed aduerſus fulmina æternæ mœſtitiæ, & contra fulgur tentamentorum communis hoſtis valere perhibetur. Etenim quando vir chriſtianæ pietatis cultor patientiæ conſtantiam, & perſeuerantiam habuerit, violentiæ prædictorum fulminum reluctabitur, & præmium æternæ gloriæ aſſequetur. Aut dicendum erit, quod veluti Ceraunias in regionibus tonitrui ſubiectis producitur: ita viri in tonitru criminum aſſiduè verſantes, ſi ab ipſo pœnitentiæ ducti egrediantur, tunc optimi aduerſus tonitrua, & fulgura vitiorum euadunt; idq, in Paulo Apoſtolo manifeſtarium euaſit.

Virtus Lauro ſimilis.

VSVS IN VARIIS.

MARBODEVS Gallus poeta antiquus, & celeberrimus, qui carminibus virtutes omnium ferè lapidum exarauit, multas vi es Ceraunię prædicauit: cum tamen non ſatis conſtet, num lapidem hunc Ceraunium, vel potiùs gemmam intellexerit. Narrat igitur geſtãtibus hunc lapidem nulla fulmina nocere, neq; nauigia, in quibus fuerit hic lapis, fulminum ictu ſubmergi poſſe. Amplius ad ſuperandas lites, & ad vincenda prælia, multum conferre perhibet. Deniq; vt oculis ſuauis ſomnus obrepat, & ſomnia iucunda noctu ſuccedant geſtationem huius lapidis cõmendat, carmina igitur ſunt huius tenoris.

Ad lites, & prælia.

Qui caſtè gerit hunc, à fulmine non feriętur,
Nec domus, aut villæ, quibus affuerit lapis ille,
Sed neq; nauigio per flumina, vel mare vectus
Turbine mugetur, nec fulmine percutietur.
Ad cauſas etiam, vincendaq; prælia prodeſt,
Et dulces ſomnos, & dulcia ſomnia præſtat.

Tandem opinantur Germani, annotante Geſnero, lactentes pueros, ſi corripiantur hermi,s, lapide hoc cunis impoſito, liberari; & ſi in hanc affectionem nondum incurrerint; hunc lapidem tanquam præmuniens medicamentum optimum eſſe exiſtimant.

DE CHELONITE.
Cap. XII.

ÆQVIVOCA.

QVADRIFARIAM Chelonitem hoc in loco intelligi posse pronunciamus. Nam primò Albertus Magnus hunc esse lapidem purpurei coloris, & reperiri in corporibus testudinum maiorum asseuerauit: cum in minoribus lapides etiam minores, iuxta molem animalis, inueniantur. Addit etiam hunc lapidem ad instar Vnionis refulgere, & magnitudine nucleis oliuarum similem esse; ideòq; hunc tanquam gemmam diuulgat. Quare Marbodeus & ipse de hoc verba fecit in libro de lapidibus canens.

Indica testudo lapidem mittit Chelonitem
Rarum, purpureo, varioq; colore nitentem.

Testudines enim Maris Indici ad tantam excrescunt molem, vt singularum superficies casas habitabiles tegant: quapropter non est mirum, si in horum animalium corporibus aliqua officina duritiem lapideam acquirant. Plinius quoq; hanc gemmam intelligens, Chelonitem Indicæ testudinis oculum esse constituit, aliter Cheloniam vocans. Fortassis erit humor crystallinus oculi huius animalis Indici: quandoquidem talis humor, in aliquibus Animantibus vastæ molis, lapideus esse videtur. Sed de his lapillis in animantibus genitis inferius sermo habebitur. *L. 37. c. 10*

Deinde Chelonites testudinem in lapidem trasmutatam significare potest: neq; similem lapidem hoc in loco intelligimus, quoniam de Petrificatis suo loco agendum erit.

Tertiò, si natura ludens, lapidem effigie testudinis producat, hic pariter Chelonites erit appellandus. Huius conditionis fuit, qui, in Montibus Bononiensibus, inter lapides arenarios, inuentus est. Hic casu à natura genitus formam aquatilis testudinis imitatur, præsertim in corio, & capite exerto. Quinimò in hoc saxo, veluti & in arenario lapide scintillæ quædam argenteæ conspiciebantur. Huius igitur iconem pronè, & supinè pictam repræsentamus. *Lujus Naturæ.*

Quartò, & postremò hoc vocabulum (Chelonites) lapidem cum testudine aliquid commune habentem denotat, quem Natura sæpè in suis mineris producit, & de hoc in præsenti capite habendus est sermo.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

VOCATVR ab Authoribus hic lapis Chelonites, quia vel caput Testudinis referat, vel aliquam cum eius tegumento similitudinem habeat. Nam græcè χέλυς, aut χέλωνη est testudo: hinc χελωνίτης exponitur testudinarius, & χελωνίτης λίθος, Chelonites lapis, de quo in præsentia agitur. Item nuncupatur Brontias, quoniam cum tonitru, & Ombrias, quoniam cum imbre cadere apud Vulgum credatur. Immò Brontiam, & Ombriam diuersas species esse existimant, inquit Boetius, cum tamen nulla ratione discrepent. Itaque βροντὴ apud Græcos est tonitru; hinc Brontias postea originem duxit. Similiter ὄμβρος est imber, & ὀμβρίος pluuialis: vnde postea nomen Ombriæ lapidis dimanauit. *Brontias lapis. Ombrias lapis.*

Georgius Agricola Brontiam, & Ombriam vocabulis germanicis, Batrachitem, vel lapidem Bufonis, vel Chelonitem maiorem indigitauit; quandoquidem alibi Chelonitem, Batrachitem minorem nuncupauit. Amplius Chelonitem, Brontiam, & Ombriam, lapidem etiam tonitrui, & tempestatis cognominauit. Deinde ijsdem nominibus Ceraunian quoq; insigniuit, veluti superius fuit explicatum. Interponit tamen hoc discrimen, quòd superficies Ceraunię leuis, & polita sit; cum lapis, de quo in præsenti verba fiunt, asperitatibus, & eminentijs turgescat. *Li. 5. de nat fossil.*

Chelonites, ſeu lapis effigie Teſtudinis pronè, & ſupinè delineatus.





DE-

A

DESCRIPTIO.

GEORGIVS Agricola sermonem habens de natura fossilium, huiusmodi lapides capitibus testudinum similes constituit coloris sublutei, quandoq; subuiridis, interdum subrubri,& aliquando subfusci, figura ferè dimidiati globi, rarò oblonga, identidem magnitudine oui. Plerumque tamen hi lapides sunt minores. Aliquibus, vt ipse recitat, bini sunt circuli, quasi quidam modioli. Sunt autem modioli, ex sententia Plinij, mediæ partes cauæ, & rotundæ rotarum, à quibus radij ad circumferentiam extenduntur. Ab horum superiori quædam lineæ eminentes, æqualibus inter se spatijs, diuisę ad inferiorem procedunt, quarum singulę vtrimq; striam habēt: totidem rursus lineæ eminentes à superiori circulo per media spatia descendunt ad inferiorem, è quorum singulis vtrimq; multæ lineæ transuersæ pertinent ad strias proxi- B mas; inter illas autem semper humilia spatia quadrata obseruantur. Alij autem lapides huius generis, referente eodem Agricola, habent has postremas lineas descendentes, cum multis transuersis, & spatijs non multùm longis: reliqua spatia media tota eminēt deinde lineis,& strijs carent. Alij eadem ratione à Natura fabricati conspiciuntur, nisi quòd, linearum loco strijs insigniuntur. *Lib. 5.*

Ex altera parte Gesnerus ponderans descriptionem huius lapidis, asseruit se adhuc nullam capitis testudinum similitudinem in hoc lapide inuenire potuisse. Minores verò, qui Batrachites appel antur, cum rotundi ferè, & caui sint, instar dimidiati globi, specie sua Chelonium, nempè operimentum potiùs Testudinis, quàm caput imitari prodidit. Insuper addit, si, nomine testudinis, structura camerata vsurpetur, & pro capite intelligatur modiolus, qui potest etiam vmbilicus nuncupari, tunc Author similitudinem hanc quadrare opinatur. Anselmus Boetius scriptum reliquit hos lapides esse valdè similes testudini nuper ab ouo exclusæ, quæ postmodum in lapidem sit transmutata. Sunt enim testudines hemisphericæ figuræ, & conuexum operimentum varijs lineis, & C triangulis dictinctum habent. *In lib. de lapid.* *Testudinis operimentū quale.*

Insuper nonnulli Ombriam à Brontia, maioribus, vel minoribus eminentijs, discriminant: cum Brontia maiores, & Ombria minores strias habeat. Pariter hos lapides ab ouo anguino distinguunt: siquidem in hoc caudæ anguium in vnum concurrentes apparent. Anselmus Boetius, re diligenter,& accuratè considerata, inter hos lapides nullum discrimen, præterquam in forma exteriori, obseruauit. Verùm de his differentijs in sequenti Rubrica agetur.

DIFFERENTIÆ.

PRIMA facie notare oportet, nomine Chelonitis, & gemmam, & lapidem simplicem intelligi: sic enim Gesnerus, in libro de lapidibus, loquitur. Immò lapidem, de quo in præsenti agimus, ad Cerauniam comparat. Vnde, ratione peculiaris D loci natalis, duas videtur sortiri hic lapis differentias: quandoquidem hi lapilli aliquādo soli reperiuntur, interdum in sua matrice occultantur. Etenim Encellius hos in alio lapide, tanquam in matrice, se obseruasse diuulgat. Quocirca tales lapides continentes, instar Aetitarum, prægnantes esse videntur. Hoc in loco demonstrare possumus iconem eorum lapidum, quos, nomine Ombriarum, circumferunt.

Olim Gesnerus à doctissimo viro Georgio Pictorio iconem subsequētem accepit, nomine lapidis Hyenæ, sed, ex aspectu, Ombrijs cognatum esse asserimus, & sub numero 1. delineatur. Pariter eidem communicatus fuit lapis, nomine Brontiæ, vel Ombriæ, sed quoniam dentis formant exprimit, Odontites erit nuncupādus; & sub num. 2. figuratur.

Ombriarum differentiæ.



1 Ombrijs cognatus lapis.
2 Odontites lapis.



Similiter Geſnerus ſe conſpicatum eſſe fatetur Brontiam, & Ombriam ſubfuſci coloris, figura dimidiati globi, in cuius ſuperficie decem lineæ apparebant, ex vno puncto recedentes binis ſemper coniunctis, quæ paruis foraminibus diſſecantur. Hic lapis formam Ranæ rubetariæ præſeferebat. Deinde memorat lapides huius generis lutei coloris, duplo maiores ouo, lineis viginti exornatos, rurſus ex vno puncto diſcedentibus, quatuor ſemper copulatis, quæ pariter nonnullis punctis diſtinguuntur. Tertiò meminit horum lapidum prædicto colore refertorum, & compreſſorum, vbi ſunt decem lineæ ſine punctis, apparebant, necnon ſubrubri coloris, forma dimidiati globi, vbi ſunt decem lineæ ſine punctis, & foraminibus; item ſubfuſci, & flaui coloris. Quoniam autem lapis Echinites ad noſtras peruenit manus, qui ouum auguinum Plinij, vel Brontiam Georgij Agricolæ perbellè ſimulat: quapropter illius iconem in hac tabella elegãter expreſſam exhibemus, vbi delineata ſunt Lithoxila, de quibus paulò inferius diſſeremus.

Ouum anguinum.

Bron-

Brontiæ Georgij Agricolæ lapis similis vnà cum Lithoxilis, de quibus inferius.



NATVRA, ET LOCVS.

L.37.c.10. SCRIPTVM reliquit Plinius, quòd Chelonites, & Ombrias, ſicut Brontias, & Ceraunias ſunt eiuſdem naturæ: quapropter eaſdem affectiones patiuntur, & eoſdem effectus pariunt. Quinimò ex illius ſententia, ſi aris addatur libamenta non aduri traduntur.

Lib. 3. de re met. cap. 43. Quoad locum natalem, nemini dubium eſſe putamus, hos lapides inueniri in illis locis, in quibus fodinæ ſimilium lapidum eruuntur. Encellius tamen prodit, in veteri Marchia, ad oſtium Tangræ, eſſe ſcaturiginem cuiuſdam fontis in fluuium Albim irruẽtis, locumq; eſſe amœniſſimum, & varijs lapillis fæcundum; vbi Chelonites variarum ſpecierum reperitur. Quinimò fatetur ſe ibi quoq; obſeruaſſe Chelonitem Cochleæ marinæ omninò ſimilem, interdum alios huius generis lapillos tam perfectos, quàm imperfectos, identidem maiores, & quandoq; ita paruos, vt viſionem ferè effugerent.

VIRES, ET VSVS.

DIVVLGANT Authores de Chelonite, Brontia, & Ombria illas facultates, quas lapis Bufonis, Belemnites, & ouum anguinum poſſident. Idcircò, ſi hoc veritati accedit, prohibebit, ne quis fulmine lædatur, aut veneno inficiatur. Namq; veneno præſente, lapis Bufonis ſudare, & venenũ prodere, Belemnitem verò ſomnum, & victoriam conciliare geſtanti dicitur. Encellius narrat Chelonitem participare illam virtutem, qua Oſtracites potitur. Marbodeus de Chelonite tradit, Magos credere, hoc lapide ſub lingua varijs temporibus collocato, ſe futura præſagire poſſe, dum canit.

Quem ſi ſub lingua loto quis geſſerit ore,
Poſſe Magi credunt hunc diuinare futura.

Magi qui. Magi ſunt, annotante Strabone, quos Aegyptij Prophetas, Latini Sapientes, Perſæ Magos, Græci Philoſophos, Indi Gymnoſophiſtas, & Aſtyrij Chaldæos indigitant. Verùm hic Poeta de gemma loquitur; vnde Cauſinus ſumpſit occaſionem ſcribendi, Chelonite, lucem prouidentiæ referri, quæ futura intuetur. Immò ſi Chelonites gemma, eſt oculus Indicæ Teſtudinis, & ſub lingua poſitus futura diuinare facit: pariter, ad mentem eiuſdem Cauſini, oculus in lingua locatus, ſymbolum prudentiæ in loquendo eſſe tradetur.

Symbolum prudentiæ in loquendo.

DE BELEMNITE.
Cap. XIII.

ÆQVIVOCA.

BELEMNITES deberet pronunciari Belenites: cum Græcè Βελεμνίτης ſcribatur. Hoc vocabulum in primo limine in ambiguitatem incurrit: quãdoquidem hoc eodem nomine inſignitur lapis arte factus figura ſagittæ, quo veteres Romani in bellis vtebantur. Diſcrepat autem à Belemnite Dioſcoridis, de quo in præſenti Capite ſermo habetur; quoniam ille figuram trigonam ab arte acquirebat, hic à Natura tereti forma generatur. Præterea hic lapis, cum dactylus etiam Idæus nuncupetur, non potuit ambiguitatem euitare quoniam apud Dioſcoridem, in antiquis ſimplicium nomẽclaturis, Pæonia fæmina Dactylus Idæus cognominatur, quia bulboſæ eius radices figuram huius lapidis referunt. Cum autem in Ida monte vt plurimum plantæ ſalutiferæ naſcantur: quapropter hæc pœonia nomen à forma radicis, & cognomen à loco natali inuenit.

Pœonia fæmina habet aliud nomen.

Inſuper dactyli Idæi non modò hi lapides, de quibus in præſentia agendum eſt, ſed etiam

etiam Corybantes Sacerdotes Cybeles,& Iouis altores,Dactyli Idæi fuerunt nuncupati, quoniam ortum traxerunt ab illis quinq; viris, nomine, Dactylis, qui primi Idam montem colentes, ferrum fabricarunt, à quibus postea Græci quinq; etiam digitos manus dactylos cognominarunt. Hi postea Corybantes, ne puer vagitu proderetur, nouo lusus genere excogitato, clypeis æneis inter se concursantes, æris tinnitu, & numerosi pedis compositione, qui dactylus inde dictus est, Saturnum decepisse feruntur; qui cum Titano fratre, inita pactione, conuenerat, vt sobolem omnem masculam deuorarent. Cæterùm, prætermissis fabulis, ad Dactylos Idæos lapideos accedemus examinandos. *Dactyli Idæi qui.*

SYNONIMA, EORVMQ. ETYMVM.

HIC lapis passim Belemnites vocatur à figura sagittæ, quam repræsentat: etenim Græcè Βελεμνον sagittam significat. Quinimò Latinis deberet dici Belenites, vt superius fuit notatum; cum apud Græcos Lexicographos Βελεμνίτης scribatur. Nam ex ampla radice lapis hic in tenuissimam aciem desinit. Quocirca multi telum nuncupant: immò ab hac signatura optimum præsidium ad vulnera conglutinanda esse iudicant. Refert Georgius Agricola hunc lapidem apud Saxones cognominari sagittam Incubi; quoniam cum aliquo liquore aduersus Ephialtem, suppressiones, & alia noctis ludibria fælici successu adhibeatur. Plinius, & alij Authores Belemnitem dactylum Idæum indigitarunt, cum formam digiti habere considerauerint. Itaq; huiusmodi lapides non solum dactylli à figura, sed etiam Idæi à celeberrimo illo monte Ida, vbi nascuntur. Inter Germanos nonnulli, annotante Gesnero, Coraciam, vel lapidem coruinum nuncupant, sed illam præsertim speciem huius lapidis, quæ nigredine est suffusa, vel, vt alij nugantur, à similitudine coruini veretri. Ceranites aliquibus appellatur, quoniam cornu formam præ se ferat. Gesnerus tamen, inter hos lapides, maximum tantummodo Ceranitem dici posse, & hunc esse Astrapiam Plinij arbitratus est. *L. 3. de nat. fossil.* *Lapis Coruinus qui.* *Ceraunites.* *Astrapia Lapis.*

Germani quidam, vt scribit Gesnerus, lapidem Lyncis vocitant, & alij Lyncurium. Pariter Pharmacopæi non quamlibet speciem Belemnitis Lyncurium cognominant, sed tantummodò illam, quæ flaua, & pellucida Succinum æmulatur, trahitq; ad se quisquilias, & odorem iniucundum spargit: hac de causa ex Lyncis vrina concretum esse putarunt. Tandem Gesnerus intellexisse tradit alicubi talem lapidem perperàm nominari Alabandicum; cum audiuerit ad confectionem vitri aliquem vsum præstare.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

EFFIGIEM sagittæ Belemnites ita exactè repræsentat, vt aurea, argentea, ferrea, aut lignea cuspis sagittæ in lapidem transmutata esse videatur. Habet enim interdum armaturam aurei, argentei, aut ferrei coloris; intus verò aliquid ligno non absimile. Nunc verò lapis est concauus, modò plenus, vt ligna esse solent. Quandoque lineæ à medulla ad extremitatem prodeuntes conspiciuntur, veluti in rotis apparet. Si lapis est concauus terra, arena, vel lapide est repletus, qui lapis, & ipse terram pariter, vel arenam intus habet.

Præterea hic lapis, quamuis non vnius sit magnitudinis: nihilominus vna omnibus huius generis lapidibus sagittæ figura inesse videtur, dum ex ampla radice in tenuissimam aciem desinunt, vnde nomen sibi compararunt. Identidem hic lapis pollicem humanum exprimit, dum crassus est circa radicem, & aliquantisper circa extremitatem diminuitur in obliquum modicè inclinatus. Quando autem Belemnites aurea est munitus armatura, plerumq; ex crustis tanquam ex quibusdam membranis, mox magis, atq; magis angustis integratur.

Omnibus speciebus huius lapidis naturaliter quædam quasi rima inest, qua fit, vt in longitudinem facilè findatur. Hæc autem rima in pellucidis maximà conspicua est. Posteà omnium substantia ferè est friabilis, & vt plurimum cortice, & parte interiore constant. Nonnulli tamen medullam molliorem, alij verò duriorem habent. Si aduranturs cinerei, vel candidi euadunt: deinde odorem ossium, vel cornuum combustorum, *Rima in Belemnite.*

rum, aut vrinæ felium ſpargunt: item non combuſti ſi vehementer fricentur, limaturam cornu bubuli redolent.

DIFFERENTIÆ.

HI lapides ſubſtantia, colore, odore, ſtructura, magnitudine, paruitate, & virtute, varia diſcrimina ſortiuntur. Primitùs aliqua ſubſtantia adeò dura, & compacta conſtant, vt percuſſi tanquam ſilices igneas ſcintillas euomãt. Alij in cauitate ſubſtantiam terream candidam, vel arenoſam, vel lapideam continent.

Colores Belemnitis.

Quoad colorem, alios albos, alios cinereos, alios nigros conſpicati ſumus, quos poſtremos Germani, referente Geſnero, lapides coruinos indigitant. Rurſus alij pellucidi ſunt, alij colorem vini falerni habent; alij deniq; ſuccini, vel electri ſimilitudinem, & virtutem gerunt, & ex hac ſobole erit ille lapis, quem Lyncurium vocant, de quo poſtea Marbodeus cecinit hunc in modum.

Electro ſimilem Theophraſtus habere colorem
Hunc ait, & ſimili paleas adducere pacto.

Odor varius huius lapidis.

Ratione odoris, aliqua varietas in huiuſmodi lapidibus obſeruatur. Quandoquidem alij perfricati olent limaturam cornu bouis, alij vſti grauem oſſium combuſtorum odorem ſpargunt, aut potiùs fætorem vrinæ brutorum, vel potiùs felium. Hinc nonnulli lapidem eſſe concretum ex vrina bruti alicuius animalis, & præſertim Lyncis exiſtimarunt. Hunc autem odorem fortaſſis contraxerunt, quia fumo ignis ſubterranei ſint infecti, aut quia eruantur ex loco, vbi bitumen generatur. Alij non ingratum, ſed potiùs Succini odorem fundunt. Alij deniq; omni prorſus odore carent. Geſnerus multos huius generis ſe obſeruaſſe fatetur. Primus fuit Belemnites magnus cinerei coloris, qui fricatus odorem cornu vſti reddebat. Alius pariter magnus, & fricatus nihil olebat. Alius paruus candidus odorem ab odore ſuccini non diſſimilem ſpirabat. Alius ſimiliter paruus fuit terram candidam continens nihil olebat.

Lib. 37. ca. 11.

Amplius, ratione figurarum, nonnulli ſunt radiati, alij radijs carent. Memoratur à Geſnero quædam ſpecies minor, linea per medium diuiſa, ad lucem perſpicua, minus nigra, vel etiam ſubrufa, obſcurius radiata, nec ita fœtida, quam multi Pharmacopæi pro lapide Lyncis vſurpant. Plinius quoque meminit lapidis Aſtrapiæ, è cuius medio radij fulminis diſcurrunt in candido, & cyaneo: quaſi velit inſinuare radios quoſdam ceu fulminis è medio veluti centro lapidis Aſtrapiæ nuncupati verſus circumferẽtiam extendi. Quamobrem Geſnerus iure optimo hunc Belemniti radianti congenerem eſſe opinatus eſt. Pariter Belemnites, vel Dactylus idæus maior radios è centro diffundit, & ſolidus eſt, excepta baſi: quemadmodum in cornibus animalium obſeruamus, quæ caua ſunt, & inde ſolida conſpiciuntur. Alij etiam ſunt, qui digitum humanũ, & præſertim pollicem exprimunt, nec craſſitudine, nec longitudine excedunt.

Steatites lapis.

Alioquin, ratione magnitudinis, alij ſunt magni, alij parui, alij mediocres. Ideò tradit Georgius Agricola aliquando repertum eſſe ſeſquipedis longitudine, & brachij craſſitudine in foſſa mœniorum Heldeshemij. Geſnerus pariter Belemnitem ferè pedalem non radiatum ſe vidiſſe teſtificatur. Addunt alij Authores obſeruatum eſſe craſſitudine humanæ tibiæ: qua de cauſa ſagittas baliſtarum Veterum in lapides tranſmutatas eſſe quidam pronunciarunt. Cum hoc Dactylo Idæo ſimilitudinem aliquam habet lapis ille, quem Authores Steatitem nominant. Tandem Geſnerus ſcriptum reliquit intellexiſſe integros etiam reperiri Belemnitas ſpecie Fuſi, ſeu Rhombi oblongi vtrinque acuminati, vel potius forma duplicis pyramidis, iunctis iuuicem baſibus. Sed talem fuiſſe à natura procreatum nullum adhuc extat monumentum. Nos hoc in loco ſeptem Belemnitarum differentias exhibemus.

Belemnitarum ſeptem differentiæ.



1 Belemnites, ſeu Dactylus Idæus æmulans pollicem colore cretæ.
2 Pars inferior huius lapidis radiata, in medio caua.
3 Belemnites magnus, cæruleus, radiatus.
4 Alius radiatus minor.
5 Alius niger, & cinereus.
6 Alius niger opacus.
7 Belemnites cinereus lucidus non radiatus.

Poſteaquam Lyncurium ad ſpecies Belemnitarum Authores referunt, operæ pretium eſſe iudicauimus iconem huius genuini lapidis repręſentare: quando quidem nullus nobis obſeruatus eſt lapis, qui magis accederet ad Græcorum Lyncurium, quàm hic, qui à Domino Paulo Bruno Norimbergenſi mercatore, doctiſſimo Vlyſſi Aldrouando fuit communicatus. Hic referebat colorem vini falerni, & ſuccini, erat figura quadrangula, manu artificis elaborata: nam omnes ſuperficies quatuor erant, trigonæ figuræ quinque gradibus diſtinctæ, ſed duæ erant longiores alijs duabus. Paleas non alliciebat, in reliquis poſtea Succino valdè aſſimilabatur, & perſpicuitas lapidis aeri expoſita colorem Hyacinthi gemmæ ſimulabat. Aduertendum tamen eſt figuras illas, quas in hoc lapide trigonas appellauimus, non eſſe ſimpliciter trigonas, cum in ſuperiori parte ad angulum vergente ſint decurtatæ: quapropter triangulos etiam illos decortatos conſtituunt.

Lyncuri cõditiones.

Lyncurij legitimi icon.

LOCVS.

HABEMVS ex Geſnero huiuſmodi lapides ſupra Halloniam, & iuxta Æzingam, in locis aſperis, lapidoſis, & terreni rubentis, aliquando etiam in agris reperiri. Item ex Boetio in Ducatu Tebergenſi quatuor milliaribus, à Tubinga, ex aruis inter arandum eruuntur. At illa ſpecies, quæ pellucet, & paleas allicit, in ripa Viſtulæ fluuij apud Sueuos inuenitur. In Boruſſia, propè Regiomontem, magna horum copia ex monte effoditur. In Pomerania verò pellucidi præſertim, & ſubruffi ſunt. Pariter inter vrbem Heldeshemium, & Marieburgum, apud antrum marmoreum, cinerei obſeruantur. Cæterùm in foſſa mœniorum Heldeshemij ſunt lapides huius generis aurea tecti armatura: propterea mirificè radiant, & imaginem ſpeculi reddunt.

Lib. 2. de lap. c. 259.

An ſit Ephеſtites.

Plinius duo genera memorat, quorum vnum è Copto, aliud ex Troglodytica regione venire dicitur. Immò addit hunc lapidem reperiri in Creta ferreo colore, & in Ida monte, vnde nomen dactyli Idæi obtinuit. Bellonius narrat tantam huiuſmodi dactylo Idæi quantitatem eſſe in monte Diui Ioannis propè Luxeburgum oppidum, vt quando Gallorum Rex Franciſcus munimentum ibi extrui iuſſerit, Foſſores ad profunditatem trium pedum penetrantes copioſiſſimos inuenerint, eoſque perperàm, nomine lapidis Lyncis, Pharmacopæis vendiderint.

L. 37. c. 11.

Li. 1. Obſer. cap. 15.

VSVS IN MEDICINA, & in alijs.

VTILITATEM non vulgarem ex hoc lapide combusto accipiunt, qui dentes expurgare volunt. Deinde tradit Georgius Agricola huius puluere Saxones vti, in expugnando Ephialte, necnon, eodem, fascinationes exterminare. Ad pleuritidem valere, ex signatura, multi prædicant: namq; ex rerum formis, & figuris vsus rerum, & remedia, indicante natura eliciuntur: siquidem hic lapis, instar teli, à natura est procreatus, & in pleuritico affectu membrana, nempè pleura, quasi à telo pũcta persentitur. Præterea sunt, qui in Lithiasi, & alijs renum affectibus hunc, loco lapidis Iudaici, commendent; nec præter rationem, quoniam Gesnerus se intellexisse refert, Saxones, & Medicos Hispanos Belemnitem tanquam lapidem iudaicum, in renum calculis, adhibere. Amplius Chirurgi quidam Germani huiusmodi lapidibus vulnera curant, quoniam vehementer exsiccant. Borussiani quoq;, & Pomeranij huius puluere, fælici successu vtuntur, vt vulnera citò conglutinent. Veterinarij, ad extergendas cicatrices, hunc puluerem in oculos equorum insufflant.

Ephialtes morbus.

Pleuritidis remedium.

Illa autem Belemnitis species pellucens, & succino similis, doloribus stomachi; Ictérico affectui, necnon ventris torminibus multò esse adiumento perhibetur. Quare huc respiciens Marbodeus, hæc carmina protulit.

Affirmant ipsum stomachi placare dolorem,
Ictericis etiam priscum reparare colorem,
Et perturbati compescere tormina ventris.

Deniq; vsus Belemnitis illius, qui pro Lyncurio habetur, domibus non est ingratus, atque iniucundus, cum ad fungos procreandos adhibeatur. Etenim habemus apud Euacem, vrinam Lyncis in montibus concrescere in lapidem, qui domi seruatus optimos fungos toto anno producit. Item Hermolaus Barbarus scriptum reliquit, fungos in saxo crescere, qui ab hoc lapide Lyncurio, admirabili natura, præciduntur in esum; alijq; toto anno succrescunt: pars verò pediculi relicta duratur in lapidem. Quamobrem hac ratione lapis rectibili fæcunditate augetur. Hodie Neapoli notissimus est lapis, qui domi seruatus, & irrigatus per annuum spatium fungos parit. Hic igitur lapis fungifer qualis qualis sit, in affectibus renum, & vesicæ non mediocriter conducet. Etenim Nicolaus Alexandrinus, in compositionibus ad Lithiasim, necnon ad affectus vesicæ, & renum conferentibus, lapidem Lyncis recipit: deinde cortex Populi albæ, ad mentem Dioscoridis, idem præstare traditur; qui cortex minutim cæsus, & sulcis stercoratis commissus fungos omni tempore ediles producit. Hinc colligimus illam Belemnitis speciem fungos generantem à lapide Lyncis memorato minimè discrepare.

Lapis fungifer.

Cortex populi albæ qualis.

DE

DE TROCHITE.
Cap. XIV.

SYNONIMA, EORVMQVE ETYMVM.

POSTEAQVAM in antecedenti capite meminimus Trochitis, & Entrochi, operæ pretium eſſe duximus de huiuſmodi lapide in præſenti ſermonem habere. Itaq; appellatur Trochites à rotunditate: nam τρεχω eſt curro, & τροχὸς rotam ſignificat. Etenim ex ampla baſi certæ lineæ, ſeu radij diſcurrunt, cum leuore, medium lapidem, vt ſtriatus apparcat, & aliquando æmulatur puerile illud ligneum inſtrumentum, quod in turbinem deſinit. Hac de cauſa Georgius Agricola hunc cum lapide ludaico maximam habere cognationem prodidit. Hanc configurationem natura loci, in quo naſcitur, cauſa efficiens, nimirum calor ſubterraneus, & materia ad huiuſmodi lapidem formandum diſpoſita producunt. Idq; in quamplurimis alijs lapidibus intueri licet. Germanis, ex Geſnero, & Boetio, dicitur Spangeſtein, & Raderſtein, quoniam rotæ, & tympani formam referat. Entrochos verò nominatur, quaſi intus habens rotam: quandoquidem ex Trochitis nondum ſeparatis integratur. Quare ab inuicem diſcrepant, quia Trochites vnus tantummodò ſit lapis, Entrochos autem modò ex binis Trochitis, modò ternis, modò quaternis, & tandem ex pluribus conſtat: cum viceni interdum copulati inueniantur. Deinde Trochite ſeparatus effigiem rotarum repræſentat.

Entrochos qualis.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

PARS rotunda huius lapidis eſt leuis; vtraq; verò plana habet modiolum, à quo, vt contingit in rotis, radij eminentes ad extimam orbis partem ita procedunt, vt inter illos ſtriæ fiant. Fractus hic lapis nitet, & leuis eſt, vt lapis Iudaicus, &, inſtar illius, in quaſuis partes frangitur. Ex Trochitis non ſeparatis conſtat Entrachos. Coniunguntur autem inuicem ſuperpoſiti ità eleganter, vt aliquo artificio copulati eſſe videantur. Nam radij vnius alterius ſtrigis inſeruntur: veluti in commiſſuris humani cranij conſpicari licet. Dum æqualiter Entrochos eſt teres, radios habet eminentes, & cingulum. Dum verò inæqualitate rotunda eſt formatus, iraut media pars tumeat, & extrema ſint anguſta, ſimiles habet radios, vel nullos, & tunc cingulo caret. Præterea hoc illi inſitum eſt à natura, vt in aceto poſitus, inſtar Aſtroitis, bullas attollat, & interdum obſeruatus eſt, qui pariter, more Aſtroitis, de loco ſe moueat.

Proprietates lapidis.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

VARIAT mirandum in modum quantitate, ſed minimus adeò paruus eſt, referente Geſnero, vt maximus decuplo maior ſit. Maximus autem latus eſt digitum tranſcurſum, craſſius tertiam eius partem, & amplius. Deinde diſcrepant colore; nam vel cinereus eſt, vel nigricat, vel luteſcit. Qui autem luteus eſt, talem colorem à contagione terræ acquirit, nam iuxta partem interiorem cæteris candidior eſſe ſolet.

Amplius Entrochos, vel ex duplici Trochite integratur, vel ex pluribus, vt ſuperiùs in deſcriptione exarauimus. Huius autem duæ aſſignantur ſpecies. Etenim vel eſt æqualiter teres, aut teres quidem, ſed cum parte media tumida, & capite vtroq; ſtricto. Geſnerus narrat ſe vidiſſe Trochitem tum ſingularem, tum ternos copulatos, nimirum En-

tro-

A trochum Lapis erat fuscus, & satis durus in medio. Centrum habebat cum leui figura modioli. In circuitu radij eminentes apparebant, interuallis medijs cauis, & cohærentes. Singulis veluti sigillo, impressa erat forma rotæ, itaut quis non inepiè sigillum rotæ appellare posset. Item Ioannes Kentmanus memorat Trochitem candidum Spangebergium in Hassia inuentum, qui à laminis latis, vel rotis nomen habere scribit. Pariter memorat cinereum, subcinereum, & luteum Entrochum. Tradit Georgius Agricola huiusmodi lapides gigni in Saxonia, ad Heldeshemium, vltra montem Mauritij, & præsertim in commissuris marmorum in cinereo candidorum, necnon in terra glutinosa produci.

VSVS IN MEDICINA.

B CVM Trochites, & Entrochos maximã cum lapide Iudaico affinitatem habeant, vt Georgius Agricola testificatur, hic pariter tritus, & cum aqua datus calida, difficultati vrinæ medebitur, necnon calculos renum, & vesicæ franget. Similiter possidebit cæteras virtutes, quæ ab Authoribus lapidi Iudaico assignantur. *Lithiasis remedia.*

DE HOPLITE.
Cap. XV.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

C CVM, in superioribus capitibus agentes de Ætite, Geode, & similibus lapillis, sæpius meminerimus Hoplitis, modò necessarium esse existimauimus naturam huius lapidis ponderare. Itaq; Græcis vocatur Hoplites, qui Latinis Armatura dicitur. Verùm Armatura apud Latinos varias significationes sortitur. Primitùs ipsam armandi actionem significat. Deinde pro bellico apparatu, seu hominibus armatis vsurpatur. Tandem indicat illa arma, quibus aliquis ad præliandum munitur. Sed hoc in loco denotat lapidem crusta veluti ferrea armatum: idcircò Græcis Hoplites nominatur; quoniam ὅπλα sunt arma, & ὁ ἔχων ὅπλα armiger exponitur: vnde Hoplomachus apud Martialem dicitur, qui armatus in arenam descendit. *Armaturæ æquiuocationes.*

Hoplomachus nunc es, fueras Ophthalmicus olim,
Fecisti medicus, quod facis Hoplomachus. *L. 8. Epigr.*

Quoniam autem huiusmodi lapis crusta polita, instar ferri elaborati, circumdatur: propterea & ipse Hoplites nuncupatur: Metallici Armaturam cognominãt Germani, teste D Gesnero, & Agricola Harnasch indigitant, quoniam æris, & ferri politi similitudinem referat. Cum tamen non solum æs politum, sed etiam ferrum, & aurum aliquando exprimat. Nullum tamen horũ metallorum in sua substantia continet, sed monstratur veluti quoddam naturæ rudimentum, huiusmodi metalla procreare volentis. Saxum autem scissile armari solet: quare interdum huius venæ ad longitudinem sex pedum, vel amplius, ad instar ferri politi, radiant. Pariter Cornu Ammonis, & multi alij lapides armantur, vt in primo libro exposuimus. Quamuis nonnullorum arma ex auro, vel aurichalco polito fabricata esse videantur. *Cornu Ammonis.*

DIFFERENTIÆ, ET VSVS.

LAPIDES, qui hac armatura muniuntur, vel ſunt magni, vel parui, vel mediocres. Deinde figuras varias habent; ſed inter alios lapides huius generis, qui cornu Ammonis vocitatur, cum Arietini cornu in ſe reuoluti formam referat, aurei coloris armatura obductus eſſe videtur. Lapis quidam nomine Armaturæ, fuit nobis communicatus, quem Vulgus Purpurinam cognominat, cùm neq; colorem purpureum, neq; amethyſtinum præ ſe ferat, ſed potius colorem orichalci imitatur; ſua natura friabilis eſt, eiuſq, puluis chartis, & alijs rebus adeò adhæret, vt immobilis eſſe videatur. Quapropter, ratione huius coloris, Chryſolithum arenarium quis appellare poſſet. Vſus illius non eſt, vt quidquam inauret, ſed vt aurum ſuo colore, vel potius Orichalcum, ſimulet.

Purpurina qualis.

Ad Hoplitem nonnulli lapidem Hepheſtitem reducunt, quem Plinius tradit ſpeculi habere naturam, in reddendis imaginibus, & nomen ab eo inueniſſe, quoniam hic lapis ad Solem poſitus, aridam materiam accendat, nõ ſecus ac ſpeculum concauum ſulphurata, & ſtramina incendere ſolet. Huiuſmodi lapidem, ſcribit Anſelmus Boetius, inueniri in foſſa mæniorum Heldeshemij. Hi lapides, inſtar patinæ, excauati aurea armatura radiant: quare reddunt imagines, & ſolaribus radijs obuerſi materias aridas incendunt: de tali lapide loquitur Marbodeus.

Ad ſolem poſitus radios emittit, & ignem
Mirantes oculos perſtringens luce coruſca.

Hæc ſunt, quæ breuiter dicenda ſe offerunt de Hoplite; cum huiuſmodi armatura in multis lapidibus obſeruetur, de quibus in primo libro egimus.

DE OSTEOCOLLO. Cap. XVI.

ÆQVIVOCA.

ORDINIS ratio expoſtulat, vt de hoc lapide in præſentia agatur; quoniam & ipſe inter lapides cruſtaceos recenſetur. Verùm quia nõ ſolum Oſteocollos, & Enoſteos, ſed etiam ab Anſelmo Boetio Offifragus nominatur: idcircò, ad æquiuocationem euitandam, nonnulla de his nominibus dicenda eſſe cenſuimus. Primitùs in Inſulis eruani Maris, vt Botanici obſeruarunt, creſcit arbuſcula valdè ſimilis Ficui Indicæ, ſeu Opontiæ nuncupatæ. Hæc planta apud Indos Ferruminatrix, & apud alios Oſteocollos appellatur, cum in artuũ fracturis, & in oſſium luxationibus inſignem habeat prærogatiuam. Idem quoq; præſtat lapis, de quo in præſenti capite ſermo habetur, & propterea Oſteocollos, & ipſe nominatur.

Oſteocollos herba.

Præterea Georgius Agricola ſermonem habẽs de natura foſſilium hæc verba protulit. Cotibus aquarijs grandibus tantùm tympani figura datur, & ex ſaxo molari duro fiunt. Ex his autem, quæ ex Germania inferiori afferuntur, quædam ſunt varij coloris, & harum quædam ſpecies figuram fracti oſſis repræſentat: ideoq; Græcis ἐνοστέος, Enoſteus nuncupatur. Hoc autem idem nomen ab aliquibus Authoribus noſtro lapidi fuit aſſignatum, cum oſſeam naturam participet.

Lib. 5.

Enoſteos vox æquiuoca.

Demùm, nomine Offifragi, apud Anſelmum Boetium, hic lapis intelligitur. At apud Ornithologum, Offifragus Latinorum eſt ſpecies quædam auis, & præſertim Aquilæ, quæ à frangendis oſſibus nomen deſumpſit. De hac Dioſcorides loquens, hæc verba protulit. *Venter auis, quam Latini Oſsifragum vocant, in potu particulatim datus, calculos cum lotio pellere traditur.*

Lib. 2. cap. 47.

SYNO-

SYNONIMA, EORVMQVE ETYMVM.

PLERVMQVE hunc lapidem Authores Germani, ab effectu, Oſteocollum, vel Oſteocollam, quaſi gluten oſſium nuncupant: nam Græcè ὀστέον eſt os, & κόλλα gluten. Hieronymus Brunſuicenſis, in ſua Chirurgia germanicè ſcripta, Geſnero referẽte, puluerem huius lapidis in fracturis oſſiũ intrinſecùs, & extrinſecùs adhibitum ſummoperè commendat. Poteſt etiam nominari, & ſcribi Oſteocolos per ſimplex L. cum ὀστέον ſit os, & κόλος ſit mancus, & truncus: quandoquidem hic noſter lapis figuram truncati oſſis oſtendit. Item Euoſteos nonnullis vocatur, quia perbellè ſpeciem oſſis referat. *Euoſteos cur dicatur*

B Immò dicitur etiam Enoſteos; cum ſubſtantiam oſſeam comprehendat. Apud Anſelmum Boetium, pro hoc lapide, Oſſifragus legitur: cum paſſim apud Germanos in fracturis oſſium adhibeatur, niſi velimus vocare Oſſifragum, quoniam fracti oſſis formam oſtentet. *Oſsifragus lapis.* Apud Theophraſtum (referente Plinio) legitur Oſteolithos, quaſi lapis oſſeus. *Oſteolithos.* Concauus eſt lapis, & medullã habet friabilem linguæ adhærentem, quæ facilè in liquorem ſoluitur; dum tamen aliqua ſpecies huius lapidis intelligatur: ſiquidem non omnes hanc medullam complectuntur: etenim aliquæ ſoliditatem in partibus etiam internis habent. Idcircò aliter hic lapis dicitur Holoſteos, nempè lapis totus oſſeus. Item Ammoſteos, nimirum os ex arena fabricatum. *Ammoſteos* Tandem vocatur quoq; Stelechites, dum, ſua figura, truncum arboris exprimit.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

C VARIETAS animaduerſione digna in hoc lapidum genere obſeruatur. Namq; ratione coloris, alij candidi, nonnulli lutei, cinerei, & aliqui etiam obſcuri viſuntur. Ratione ſubſtantiæ, alij ſunt ſolidi, & duri, alij interiorem materiam molliorem, tanquam medullam habent. Ratione figuræ, alij ſunt fiſtuloſi, alij truncos arborum æmulantur. Horum omnium, necnon loci natalis Geſnerus meminit. Siquidem repræſentantes ſpeciem oſſis in flumine Cracouiæ reperiri ſcripſit. Fiſtuloſos, candidos, vel cinerei coloris, in locis arenoſis Palatinatus, Haſſiæ, & Marchiæ Brandeburgicæ obſeruauit. Solidos verò, & aſperos, coloris Argillæ, in Miſnia conſpici aſſeruit. Ratione odoris, aliquam varietatem hi lapides ſortiuntur. Nam Geſnerus prodit ſe vnum pertractaſſe, qui odorem mali Cydonij ſpargebat, & linguæ leuiter adhærebat. *Odor lapidis qualis.* Idem Author tradit ſe dono accepiſſe à quodam Pharmacopæo Antuerpiæ alios huius generis lapides fætentes, quoniam fricati odorem oſſium aduſtorum, vel vrinæ veteris emittebant. Quapropter non eſt mirandum, ſi nonnulli ſuſpicentur olim fuiſſe oſſa, quæ, tractu temporis, in lapides fuerunt tranſmutata.

Anſelmus Boetius delineatas tres proponit differentias. Primò monſtrat lapidem

D oſſi vſto ſimilem, cum paruis foraminibus in ſuperficie, cum intus ſpongioſam oſſis compagem habere videatur, non ſecus, ac ſi eſſet os in lapidem conuerſum. *Lib. 2. de lapi. c. 234.* Hic lapis attritus os vſtum, vel vetus lotium redolere dicitur. Secundam differentiam oſtendit eſſe formam truncorum arboris: propterea nomen Stelechitis promereri aſſeruit: cum στελεχὸς Græcè truncus exponatur. Propè Heldeburgum, & Lenam Saxoniæ, necnon in Sileſia inueniri tradit. Cum autem hic lapis creſcat in locis arenoſis, à Thoma Eraſto, Boetio referente, lapis fabuloſus nuncupatur. Creſcit per arenas forma Coralij, interdum brachij craſſitudine, & cum primum à terra erumpit, friabilis eſt; deinde paulatim magis, atque magis dureſcit. *Lapis Sabuloſus qualis.* Boetius ſimilem lapidem forma trunci in pictura oſtendit; ſcribitq; mirabili modo in arenis ad inſtar plantæ augeri, nomenque ab oſſibus conglutinandis ſortiri. Quandoquidem, dum hæc planta effoditur, eius rami oſſei inueniuntur, quorum poſtea puluis oſſa paucis diebus ferruminare perhibetur. Inſuper Anſelmus Boetius tertiam aſſignat differentiam, & delineat lapidem, qui neq; arenoſus, neque terreus, aut friabilis eſt, ſed totus oſſi ſimilis, & ſolidus odorem

cornu Monocerotis vulgò nuncupati ſpargit, guſtu tamen ſubaſtringenti. Nos autem multò plures huius lapidis differentias obſeruauimus, quas omnes, nimirum nouem, in hac tabella diligenter deſignatas repræſentamus.

Oſteocolli varietas.



Icon lapidis molaris ex Gesnero.
Icon Osteocolli crustacei Gesneri.



1 Lapis foraminibus pertusus.
2 Stiria lapidea mucrone fracto.
3 Lapides strumosi.

Præter examinatas, & delineatas Oſteocolli differentias, recenſetur etiam, & pingitur à Geſnero, Oſteocollus cruſtaceus, qui dicitur etiam ab ipſo πλακολιθος, quaſi lapis cruſtaceus: etenim cortice quodammodo teſtaceo coopertus obſeruatur. Huius quoq;, ex mente eiuſdem Authoris, figura aſſignatur. Item ad has differentias, multi Authores, & præſertim Geſnerus, & Boetius, ſtalagmitem, vel ſtillaticium lapidem reducunt. Eſt autem ille, qui ab aquis lapidificam vim habentibus, & cadentibus, vel ab aliquo loco ſtillantibus generatur, & concreſcit, more aquarum, quæ, vrgente bruma, ex ſtillicidijs cadentes in ſtirias concreſcunt. Huius hic damus iconem forma pyramidis, mucrone fracto, ſub numero 2. Eſt enim lapis albus, grauis, durus, intus nitens, & commendatur à Chirurgis, ad oſſa fracta ferruminanda: ideòq; nomen Oſteocollæ obtinuit. Eiuſdem naturæ quidam lapilli perexigui, & duriſſimi, forma ſtrumarum concreti eſſe videntur, quos Theophraſtus ex confluxu guttarum aquæ generari eſt opinatus. Quinimò huiuſmodi aquæ prædictos lapides generantes ſi, in coquendis cibarijs, vel in potione, adhibeantur, Bronchocellas, nempè ſtrumas gutturis excitare ſolent. Viceuerſa puluis horum lapidum emplaſtris permixtus, ſtrumas diſcutere dicitur. Horum lapidum icones ſunt ſub numero 3. in tabella. Hac etiam aliqui reducunt lapides quoſdam inſtar ſilicis politos, & foraminibus naturaliter pertuſos, quos, ex Geſnero, quædã mulieres ſuperſtitioſæ circa Torrentes, & Flumina colligunt ſibi perſuadentes poſſe curare vaccas ſanguinem, cum lacte reddentes, ſi, papillis intra hæc foramina immiſſis, mulgeantur. Huius lapidis icon ſub numero 1. habetur.

Oſteocollos teſtaceus. Stalagmites.

Similiter ad hos lapides cornua foſſilia reduci poſſunt, quoniam ab Oſteocolli natura non valdè recedunt, & in ijſdem ferè locis, in quibus Oſteocolli, inueniuntur. Hi quoq; lapides à nonnullis Ceratitæ appellantur, quoniam formam cornu exprimunt. Verùm aliquando tam craſſus, & magnus inuenitur iſte lapis, vt alicuius animalis nunquam cornu fuiſſe credendum ſit. Vulgus tamen opinatur eſſe cornua Monocerotis, vel ſimilium animalium per orbem terræ, temporibus vniuerſalis diluuij diſperſa, quæ temporis diuturnitate, in lapidem tranſmutata fuerint. Inueniuntur hæc, ex Boetio, in varijs Germaniæ locis, in Morauia, in Sileſia, in Saxonia. Huius lapidis ſubſtantia exterius eſt dura, intrinſecus plerumq; mollis alba, leuis, friabilis, compacta aſtringens, ſiccans, linguæ firmiter adhærens, odore non ingrato. Cortex exterior interdum flaueſcit, aliquando cinereus eſt, vel albus, quandoq; ſubniger. Huius damus iconem mucrone fracto.

Ceratites qui lapis.

Viri autem non vulgariter eruditi exiſtimant in ſubterraneis locis huiuſmodi lapides, cornuum forma, ſpontè natura naſci: quemadmodum Oſteocolli, & alij lapides huius generis procreantur. Materia autem proxima generationis eorum Argilla, vel potius Marga eſſe dicitur, quæ dum lapideſcit, ab aquis irrigata ad inſtar lactis fluens per terræ cauitates, varias formas, & cornuum, & oſſium acquirit, iuxta figuras loci in quo concreſcens lapideſcit. Quinimò ſi lapideus hic humor fruſtum aliquod ligni in terra ſepultum inuenerit, illicò meatus penetrans, lignum in lapidem conuertit, & hæc eſt potiſſima ratio, propter quam multi, pro cornu Monocerotis huiuſmodi lignum lapideum oſtendunt. Ad rem narrat Anſelmus Boetius ſe domi habuiſſe huius ligni lapidei pluſquam viginti differentias, quas omnes pro fruſtis cornu Monocerotis ab amicis, & Circumforaneis accepit.

Cornua foſſilia.

VSVS IN MEDICINA.

PVLVIS huius lapidis non eſt infrugiferum præſidium in fracturis oſſium. Immò cum huiuſmodi lapis figura, & magnitudine oſſis fæmoris, & brachij humani inueniatur: pariter hic ad fracturas crurũ conſolidandas adhibetur. Etenim huius puluueris drachma, vel ſeſquidrachma, ſpatio tridui exhibita, & extrinſecus emplaſtris permixta mirabiles effectus parit. Cur autem talis lapis tã citò oſſa ferruminet; cum natura quadraginta dies expoſtulet, antequam callum oſſeum in oſſe fracto ex alimentis generet. Anſelmus Boetius hanc affert rationem, nimirum, quia lapis hic in liquorem ſolutus eſt potentia proxima os; ideoq; facultati alteratrici laborem nullum parit, & aſſimilatrici materiam callo oſſeo idoneam citiſſimè ſuppeditat. Neceſſarium

Cornu Monocerotis vulgò dictum lapideum, mucrone fracto.



tamen eſſe iudicat, vt oſſa fracta prius diligenter componantur, deinde aſſulis, vel alia ratione ligentur, cum quiete ægrotantis, & exacta victus ratione inſtituta. Pars autem affecta vnguento Geranij ſæpiùs inungatur. Paratur autem huiuſmodi vnguen ex radicibus Geranij florem cæruleum producentis in puluerem redactis, & axungiæ ſuis lactantis permixtis. Quinimò Ioſephus Quercetanus vir in facultate medica celeberrimus, virtutem huius lapidis mirandum in modum commendat. Nam inquit, Rheiſtadij non procul à Rheno obſeruaſſe Incolas illius loci vti hoc lapide in illa vicinia naſcente: huius enim drachmam patientibus, quatuor, vel quinq; dierum ſpatio, offerunt in vino rubro, in quo per noctem Vincaperuinca infuſa manſerit, ſicq; dolores, & varia ſymptomata exterminant, necnon fracturas oſſium magna cum omnium admitatione ferruminant. Hi lapides proculdubiò, Natura ipſa indicante, & quaſi loquente, ex illa forma, quam habent, ad oſſium affectiones vſurpari debent.

Vnguentũ Geranij.

Præterea, in alijs etiam affectibus, qui exſiccatione, & adſtrictione, abſq; vlla acrimonia, indigent, hic lapis non eſt contemnendus. Quinimò ſi fuerit odoratus, & Margam habuerit, in venenis, multò erit Patientibus adiumento. Item peſtilentiæ, & febribus malignis reluctabitur; nam ſuauis ille odor Cydonij, quem ſpirat, cordi, & ſpiritibus eſt amicus. Ad hunc igitur ſcopum huiuſmodi lapides diligenter lauari debẽt, vt ab arena craſſiori ſeparentur, & in paſtillos ſunt reducẽdi: ſic enim vices terræ Lemniæ ſubibunt. Demum Boetius puluerem huius lapidis, & præſertim odorati ad dentes dealbandos ſummoperè probat.

Veneni remedium.

Lapides autem illi, qui cornua foſſilia appellantur, virtute, à prædictis non multùm recedunt. Verum quidem eſt, quod hæc cornua viribus inter ſe diſcrepant. Nam quacumq; dura ſunt inſtar lapidis, inodora, neq; vllam medullam habent, vix aliqua vi exſiccante pollent, quæ autem in puluerem facilè rediguntur, linguæ tenaciter adhærent, & mollia ſunt, hæc in medicina maximas vires exercere feruntur. In primis vlcera abſq; morſu ad cicatricem perducunt, profluuium ſanguinis ex quacunque parte manantis ſupprimit, Gonorrhæas, & alui fluxiones cohibent. Si cum lacte puluis horum, oculis inſtilletur, lacrymarum fluxum prohibent. Si cum lacte puluis horum oculis inſtilletur, lacrymarum fluxum prohibet. Deinde aduerſus omnia venena eſt præſtantiſſima antidotus, ſi puluis pondere drachmæ, vel quatuor ſcropulorum in aqua cardiaca, vel vino, abſente febre, Patienti offeratur: egregiè enim ſudorem mouet, & omne virus ad cutim pellit. Demum ad Epilepſiam, Syncopem, & alios cordis affectus pondere ſcrupuli fæliciter propinatur: quandoquidem vires terræ Lemniæ, vel Boli Armenæ poſſidere perhibetur. Effodiuntur, inquit Geſnerus, in multis locis, ſed potiſſimùm in Ditione Comitum Stolbergenſium, inſolitæ magnitudinis, & Impoſtores, pro fragmentis cornu Monocerotis, vendunt. Sed quoniam vicinis fraus eſt manifeſta, huiuſmodi lapides inde eructos ad remotiora loca deferunt.

Cornu foſſilis vires.

Locus natalis.

DE AMMITE.
Cap. XVII.
ÆQVIVOCA.

NONNVLLI, referente Anſelmo Boetio, nomine Ammitis, ſtillaticium illum lapidem intelligunt, qui ex aquarum guttis concreſcit, ſed conuenit cum Stalagmite, cum ambo ratione ſubſtantiæ ex humore aqueo generentur, & concreſcant. Ammites autem ex arenis tantùm integratur. Inſuper animaduertendum eſt, quòd, hac voce Ammitis, aliqui Ammonitrum indicant: cum tamen hæc duo à ſe inuicem toto Cælo diſcrepent. Plinius habet hæc verba Maſſa quædam ex arena alba, & molliſſima, quæ pila, molaq; teritur, deinde miſcetur tribus partibus Nitri, pondere, vel menſura, & liquefacta in alias fornaces transfunditur Ammonitrum, atq; hæc recipitur, & fit vitrum purum, & maſſa vitri candida. Iam verò per Gallias, & Hiſpanias ſimili modo arenæ

Li. 36. cap. 26.

arenæ temperantur. Hodie, loco Nitri, cinerem herbarum, & præsertim Alkali adhibent. Hoc autem est Ammonitrum, & non Ammites lapis, cuius in sequenti Rubrica Synonima examinabimus.

SYNONIMA, EORVMQVE ETYMVM.

HIC lapis nominatur à viris eruditis Ammites. Isidoro autem Amnites perperàm dicitur. Semper enim pronunciari debet Ammites, vel Hammites. Etenim aspiratio, & addi, & ommitti potest. Immò, & Psammites cognominari posset. Nam Græcè ἄμμος, vel ψάμμος arenam significat. Hic autem lapis ex arenis concrescit. Apud aliquos Authores, & præsertim apud Georgiũ Agricolam legitur Ammonites, quæ lectio arridere Gesnero nunquam potuit: quandoquidem ab ἄμμος, non ἀμμωνίτης, nempè Ammonites, sed rectius ἀμμίτης, nimirum Ammites formari potest. Nos igitur hanc lectionem secuti, hunc lapidem in progressu historiæ, Ammitem semper nuncupabimus. *Ammonites, & Ammites.*

ORTVS, ET NATVRA.

LAPIDIS huius causam marerialem arenulas valdè minutas constituimus, quamuis alij velint hunc ex materia nitrosa, calore subterraneo operante, & potissimùm agente in substantiam præduram, & cineream, produci, & coalescere. Sed (vt nostra fert opinio) quę lambentes arenarios lapides quodammodo stirias formant, dum ex illis arenulis Ammites variarum figurarum concrescit. Hinc Georgius Agricola addit huiusmodi lapidem ex arenis minutis ita componi, vt ouis piscium, quoad figuram, & nitro, quoad substantiam, & colorem, assimiletur. Alij referunt hunc lapidem totum veluti ex arenis rotundis conflatum videri, & propterea similem ouis piscium esse constituunt, quæ Nuperorum quidam Arenida cognominant. Cæterùm apud Plinium leguntur hæc verba. *Hammites ouis piscium similis est, & alia velut Nitro composita, prædura alioquin.* Hic locus est valdè obscurus: quamobrem Gesnerus Codicem esse deprauatum, sicq; legendum existimat. *Hammites ouis piscium similis, & tota veluti arenis composita.* Hac enim ratione ab etymologia non recedimus; cum ab Ammo, vel Hammo deducatur, quæ vox græca arenam significat. *L. 37. c. 11.*

Animaduertendum est hunc lapidem cum Stalagmite maximam habere similitudinem; cum tamen ab inuicem discrepent. Nam Stalagmites ex guttis aquæ rotundis in lapidem substantiæ gypseæ conuersis augetur, & Ammites ex arenis solummodo integratur. Tandem habet hic lapis hoc insitum à natura, vt facilè frietur, & resoluatur in arenulas, vel grana, ex quibus conflatur, quæ postmodum singula prædura, insipida, & inodora sunt. *Lapis friabilis.*

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

RATIONE figuræ, hic lapis varius obseruatur. Nam aliquando compactus est ex arenis, quæ oua piscium referunt, & miro naturæ artificio in lapide hoc consperſa cernuntur. Hunc aliqui Ammitem, vel Ammonitem minorem indigitant, ad differentiam alterius lapidis huius generis, qui similitudinem Pisorum gerit. Hunc postea Ammitem maiorem nuncupant. Pariter, ex aliorum sententia, tales arenæ interdum grana milij repræsentant: idcircò non absq; ratione hunc Cenchritem Plinij esse opinantur, quem lapidem milij granis veluti sparsis refertum esse scribit: fortassis à voce græca κέγχρος, quæ milium significant. Quandoq; etiam arenulæ hunc lapidem constituentes sunt adeò paruæ, & minutæ, vt semina Papaueris æmulentur: quamobrẽ Plinius hũc paulò inferius Meconitem indigitauit, a vocabulo græco μήκων, quo *Ammites maior. Cẽchrites. Meconites.*

Ammites colore cinereo.

Ammites coryledonites maior, & minor.

Lapis ſagittarius, quo Romani pro ſagittis vtebantur.



quo Papauer indicatur. Hunc esse Ammitem minorẽ Gesnerus arbitratur. Huius primo loco in tabella datur icon. Deinde delineatur lapis Ammonites habens figuram cabulæ lusoriæ, vel potius folij Cotyledonis, seu Vmbilici Veneris; quare Ammites Cotyledonites vocari posset. Ibi quoq; conspicitur idem ferè lapis, sed minor superiori, licèt autem, & ipse folium Cotyledonis repræsentare videatur; nihilominus cum iuxta vtramq; partem sit concauus, figuram vertebræ alicuius animalis exprimit. Ad calcem huius tabellæ designatur Belemnites artificialis, seu lapis sagittarius, quo Romani, pro sagittis, in bello vtebantur, cuius in capite de Belemnite mentionem fecimus.

Insuper aliam exhibemus tabellam, vbi prima figura monstrat lapidem veluti ex pisis concretum, quam Pisolithum, vel Orobiam nuncupant, quoniam figuram Pisi, vel Orobi exprimat. Gesnerus Ammitem, vel Ammonitem maiorem cognominat. Deinceps verò aliæ figuræ maiora, vel minora grana in lapidibus exprimunt. Huiusmodi lapides in Saxonibus ad Alfeldam, & Heldeshemium, nucis iuglādis magnitudine, & interdum maiores inueniuntur, vt in hac tabella licet conspicari. *Pisolithos Orobias.*

Ammitis, & Pisolithi varietas.



Quo-

Quoad locum natalem, ſcribit Iſidorus hunc lapidem gigni in Ægypto, & Arabia, illum autem, qui naſcitur in Æthiopia, eſſe veluti viridem, luteum verò, quando reſoluitur. Verùm Ammites Plinij in monte Trebiæ Ciuitatis Vmbriæ, propè Aſſiſium oritur. Item magna huius copia penès Callium inuenitur.

VSVS IN MEDICINA.

APLISSIMVM fructum ex hoc lapide ſunt conſecuturi, qui nephritide laborant. Namque hic, more nephritici lapidis, Oſiadæ, vel Iſiadæ nuncupati, ſi brachio partis dolentis alligetur, non ſolum dolores renum compeſcere, ſed etiam calculos comminuere, & expellere traditur. Hæc ſunt, quæ breuiter de natura huius lapidis dicenda eſſe cenſuimus.

DE LAPIDE SVLPHVRIS. Cap. XVIII.

CVM in Ammite nonnullæ arenæ aureæ, vel argenteæ conſpiciantur, quæ pariter in hoc lapide apparent, illius mentionem, & hiſtoriam prætermittere noluimus. Reperitur hic in Agro Ceſenæ, albus, durus, & ferè marmoreus, in quo non aliter, ac in pyrite ſterili, quam Marcheſitam appellant, particulæ quædam aureo colore radiant. Incolæ lingua vernacula, *Pietra ſolfarina*, quaſi lapidem ſulphureum nuncupant. Sed qua ratione nomen hoc ſibi comparauerit, non ſatis conſtat: niſi velimus aſſerere hoc nomen à loco natali ſibi vindicaſſe; cum in venis ſulphuris paſſim reperiatur. Alioquin igni candelæ admotus nullum odorem ſulphureum ſpargit. Verum quidem eſt, quòd aliquas inter ardendum ſulphureas ſcintillas eiaculatur. Id autem particulis illis potius aureis, quibus intus ſcatet, quàm propriæ lapidis ſubſtantiæ attribuendum eſſe cenſemus.

Sulphureus: vulgo Pietra ſolfarina.

DE AMMOCHRYSO. Cap. XIX.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

POSTEAQVAM in antecedentibus lapides memorauimus auri ſpecie micantes, non debemus in præſenti omittere Ammochryſum. Hæc autem vox, vt ſonat, eſt æquiuoca: quandoquidem prima fronte arenam auream ſignificat: nam χρύσος aurum, & ἄμμος arenam exponit: nihilominus, vt Authores tradunt, hoc vocabulo indicatur ille lapis ſatis friabilis, ex quo arena aurea conficitur, & de quo in præſenti capite ſermo habetur.

Aurenius lapis. Lib. 37. ca. 11.

Scaliger Aurenium appellat, Germani, Geſnero teſte, ſuo idiomate Katzenſilber, nempè aurum felium cognominant, quia in ſua ſubſtantia aliquid auro ſimile contineat, non autem, vt Plinius voluit, quod lapidi huic aureæ arenæ ſint permixtæ: etenim nihil auri ſynceri participat: licet etymologia auream denotet arenam. Quandoquidem hoc nomine tantùm donatur, quia ſpeciem aurearum arenarum præ ſe ferat. Herodotus quoq; *In Thalia.* ψάμμου χρυσίτιν nuncupare videtur; vbi auream arenam, in faciendis ſub terra domicilijs, ſcribit erui à formicis indicis, quæ canibus minores, Vulpibus autem maiores

iores esse feruntur. Quamobrem quantum ex nominis etymologia colligendum est; hunc potius arenam quam lapidem indigitare debemus, veluti Georgius Agricola testificatur Satius igitur erit cum Anselmo Boetio asserere hunc lapidem nonnunquam esse satis durum, & aliquando manibus attritum facilè in arenas abire.

DESCRIPTIO, ET DIFFERENTIÆ.

LAPIS hic Minij natiui colorem ferè habet, vt Anselmus Boetius affirmat, paulò tamen obscuriorem, & flauescentem. Interdum arenosus est, aureoq; puluere consperſus esse videtur.

Quoad discrimina, Isidorus ex Solino notat Ammochrysum arenis auro immixtis nunc bractearum, nunc pulueris formam habere. Nec præter rationem, quandoquidem nos quoq; hanc duplicem differentiam obseruauimus, nam pertractauimus illum, qui in bracteas quasi finditur, necnon qui fissuram non admittit, qualis est ille, qui in Agro Bononiensi, inter lapides arenarios, inuenitur. *L. 16. c. 14*

Præterea obseruatus est Ammochrysus durus instar lapidis, colore rubente diluto, de quo Anselmus Boetius fortassis locutus est. Rursus obseruatus est Ammochrysus alter durus, & difficulter friabilis. Item Ammochrysus, cum Chalcantho efflorescente in plures bracteas diuisibilis, & tandem Argyrammos, siue Ammoargyros, qui non auri, sed argenti speciem refert: ideòq; Germani, attestante Boetio, argentum felium, & micam sterilem cognominant. *Argyrammos.*

LOCVS, ET VSVS.

SOLINVS monimentis mandauit Ammochrysum in Perside generari. Nos autem copiam huius in Agro Bononiensi obseruauimus, & Germaniam quoq; hoc abundare intelleximus. Anselmus Boetius addit, propè oppidum Horasdiorusium Bohemiæ copiosè erui. *Puluis scriptorius.*

Quoad vsum, res certè est nullius momenti, nisi quod ex eo paratur puluis, qui Germaniæ, vt intelleximus, immò etiam Bononiæ, apud Scribas est in vsu, ad siccandas extemplò scripturas.

DE LAPIDE MINII.
Cap. XX.

ÆQVIVOCATIO.

NOSTRA interest in præsenti de Minij sermonem habere, cum in capite antecedenti illius mentio facta fuerit. Dioscorides igitur in difficilem labyrinthum Lectores induxit, quando scriptum reliquit eos hallucinari, qui Cinnabarim rem eamdem cum Minio esse voluerunt. Cum postea quid sit sua Cinnabaris Dioscorides non manifestauerit. Tradidit tamen agens de argento viuo, Minium esse Cinnabarim, sed ita abusiuè appellari. Verba Dioscoridis sunt hæc. *Argentum viuum fit ex Minio, quod abusiuè Cinnabaris dicitur.* Postea addit. *Patinis enim fictilibus, imposita ferrea concha Cinnabarim contineri.* Quare palam Cinnabarim pro Minio vsurpat. Erat igitur temporibus etiam Dioscoridis vocis huius æquiuocatio, quam ipse non explicauit; cum profectò expositione indiguisset, propter varias opiniones, quas peperit. Nunc autem, vt omnis ambiguitas tollatur, asserendum erit, Cinnabarim Dioscoridis longè ab aliorum Græcorum Cinnabari discrepare, cum Cinnabaris Dioscoridis non sit lapis, neque quidpiam fossile, quale à cæteris Græcis constituitur, sed est gummi arboreum, de quo suo loco sermo habebitur. Hic tantummodò notare oportet hoc gummi *Cinnabaris Dioſc. quid.*

mi esse coloris sanguinei, pellucidum, leue,& fractu minimè contumax,& passim apud Pharmacopæos sanguinem Draconis in lacryma nuncupari. Neq; officit asserere Dioscoridem illo loco de metallicis pertractasse: quandoquidem de Indico quoque ibi sermonum habet, quod neq, metallicum, neq; fossiticium est, sed spumam ex germinatione indicarum Arundinum prodeuntem esse retulit. Præterea, Cinnabaris nomine, τὸ ἐρυθρόδανον etiam appellari obseruauimus, vt apud eumdem Dioscoridem legitur; fortassis, quia ex radicibus Erithrodani, nimirum Rubiæ Tinctorum olim, veluti hodie sanguis Draconis adulteraretur.

Erithrodanũ herba.

Lib,7. Architec.

Item Vitruuius,voce æquiuoca,Cinnabarim appellat Anthracem.Namq;ob similitudinem coloris, multæ res cognominantur Anthraces; veluti Carbunculus gemma apud Plinium; genus terræ bituminosæ apud Belgas, & Saxones, necnon carbo quidam fossilis, cuius in Capite de Succino, vel Gagate meminimus.

Tandem minij vox expositionem ambiguitatis expostulat: siquidẽ per Hispaniam decurrit flumen huius nominis, vt Author est Boccatius in lib. de Fluuijs. Huius etiam sic meminit Propertius.

Vt Mæotica nix Minio si tertet Ibero.

Hic amnis propter insignem minij copiam nomen hoc promeruisse perhibetur.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

QVEMADMODVM variæ fuerunt Veterum sententiæ circa historiam Cinnabaris,& Minij: similiter etiam in Synonimia, sententijs variarunt. Quamuis autem Dioscorides irrideat illos,qui Cinnabarim cum minio confundũt: nihilominus apud alios Authores priscos, hæc duo constituuntur synonima indicantia genus pigmenti rubrum, coloris sanguinei; quod quandoq; Minium, & interdum Cinnabaris appellatur.Quãdoquidem Aristoteles,Theophrastus, Galenus,Vitruuius, necnon Plinius aliquo in loco,pro Cinnabari,vel Minio, aliquod metallicum intelligunt, diuersimodè tamen: cum multæ sint Cinnabaris, vel Minij species naturales,& G artificiales, vt suo loco explicabimus.

Itaq; Minium nonnulli vocant à Minio Hispaniæ fluuio. Sed non est maior ratio, quod hoc pigmenti genus ab hoc flumine denominetur, vt potius flumen à Minio nomen sortiatur.Est autem hic amnis in Hispania Tarraconensi Galletiam à Portugallia diuidens; alioquin Minio est fluuius Hetruriæ per Agrum Cornuetanum in mare decurrens. Huius Virgilius sic meminit.

Lib. 10. *Aeneid.*

Qui Careta domo, qui sunt Minionis in aruis.

Satius erit, si dicamus, Minium nuncupatum,quia græcè vocatur ἄμμιον ab ἄμμος arena: cum Authores vt plurimum id arenulam rubram esse constituant. Cur non à minãdo; cum Veteres legum, epigraphas Minio notarent, non solum, vt maiestatem legibus afferrent, sed etiam vt terrorem violatoribus legum incuterent? Nam Miniaceus color quid sanguineum, & cruentum minatur. Aliter etiam apud Græcos nominatur μίλτο. Cæterum hæc vox est æquiuoca,quoniam apud Dioscoridem hoc nomine,Rubrica denotatur, & apud alios Gtæcos,rubigo etiã segetum,designatur. Ausonius Min H vocat monosyllaba dictione: quemadmodum pro gaudium gau legitur. Encellio Minium dicitur Cinnabari metallicum, quod postea est multiplex, vt paulò inferius exponetur. Animaduertunt tamen nonnulli,quòd vox, Cinnabaris, est masculini, & fœminini generis. Cinnabari verò neutrius. Cinnabar autem esse vocem Indicam, Plinius annotauit.

Miniũ seu μίλτος vox æquinoca.

Multi etiam Authores græci,vt Aristoteles,& Theophrastus κιννάβαρι indigitarũt, quamuis Dioscorides ἄμμιον appellauerit. Vitruuius Anthracem dixit. Geber tertia parte summæ perfectionis prodidit ex sulphure Mercurio associato per sublimationẽ fieri Vsifur. Hoc vocabulũ est corruptum,nam Arabicè dicitur Zengiufur, quod vocabulum apud Latinos Cinnabriũ indicat, interprete Andrea Bellunẽsi, in noua expositione operũ Auicẽnę. Verùm nõ solũ hoc vocabulũ,sed varia etiam Arabes finxerũt nomina, pro indicãdo Cinnabari,quæ omnia alphabetica serie, hoc in loco recensere decreuimus.Sũt autẽ Alsegi,Alseg,Asrẽgi,Cinnabriũ,Cinnabrios,Ciniabar,Genabar,

Anthrax. Cap. 28.

Ki-

A Kinabar, Screngi, Seriuch, Syringi Vzifar, Zinnabrium, Zeniafarum, Zenzifer, Zenzifur, Zumabarum, Zignofar, Zenziefer, Zengefer, Zenfiefar, Zangibar, Zangiufar. Hebreis dicitur Schaſchar, Italis Minio, Germanis Minien, Hiſpanis Belmellon, Gallis Vermeillon. Ad huius vocabuli gallici expoſitionem, notandum eſt, quòd Albertus Magnus, in tractatu de Halchemia, aſſerit Cinnabrium vocari Vſifur, fierique ex hydrargyro, & ſulphure, necnon conteri ad modũ Vermilionis. Quare vox hæc Vermilionis tãquam noua, & impropria legentibus magnam admirandi occaſionem dedit; cũ videatur tãtummodò propria Cocco baphico. nẽpè grano tinctorio, quod Ioannes Ruellius agens de natura ſtirpium tradit in Narbonẽſi Galliarum prouincia frequens eſſe, & à ruſticis vermilionem appellari. Imò idem Ruellius ibi fusè de hoc vocabulo diſcurrens, colorem rubrum à Gallis Vermelum dici aſſeruit. Itali quoq; colorem rubicundum ſplendore roſeo radiantem, Vermilium nuncupare conſueuerunt, qui à voce vermelum, aut vermilionum parùm diſcrepare videtur. Quapropter, Ruellius non immeritò putauit quoſdam tranſmõtanos, & præſertim Gallos, hac nominis ratione du-
B ctos, Cinabrium, ob eius colorem nitentem, metaphoricè loquentes Vermilionem indigitaſſe. Hinc poſteà Braſauolus Cinnabriũ à Gallis Vermylon nũcupari aſſeuerauit.

Nomina Arabica Cinnabaris.

Vermilio quid ſit.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

MINIVM, vt noſtra fert opinio, nihil aliud eſt Dioſcoridi, quàm Cinnabaris foſſilis aliorum Græcorum, vt ex verbis ipſius Dioſcoridis ſuperius allatis colligere licet. Præterea huius rei certiſſimum habemus teſtimonium, quando tradidit Dioſcorides, Minium in Metallis ſtrangulantem vaporem eructare, & hac de cauſa Foſſores faciem veſicis obuelare, vt per Illas videre poſſent, & reſpirantes noxium halitum non attraherent. Id etiam noſtris temporibus Foſſores Minij præſtare intelleximus.

Hic lapis eſt coloris purpurei ad rubedinem declinantis Hæmatitæ lapidi non ad-
C modum abſimilis, ponderoſus, atq; inſigniter grauis, ſed non ita durus, cui aliquid argenti viui per mixtum, ſpontè, & abſq; vlla ignis violentia, guttatim deſtillare non poſſit. Minium autem eſſe lapidem, præclariſſimorum virorũ teſtimonio, & præſertim Plinij confirmari poteſt, qui aliquando Minium, quandoq; venam Minij, interdum lapidem nuncupauit, dum inquit. *Eſt & lapis in illis venis, cuius vomica liquoris æterni argentũ viuum appellatur.* Vitruuius Anthracem, vt ſuperius fuit notatum, æquiuoco lapidis nomine indigitauit; neq; præter rationem, cum huius lapidis vena carbonibus accenſis aſſimiletur. Authoris verba, vt magis rei veritas manifeſtetur, hoc in loco recenſenda cenſuimus. Ingrediar nunc Minij rationes explicare. Id autem agris Epheſiorum Cilbianis primum memoratur eſſe inuentum, cuius & res, & ratio ſatis magnas habet admirationes: foditur enim gleba, quæ ἄνθραξ dicitur. Vena eſt rubro colore, habens circa ſe rubicundum puluerem: cum foditur ferramentorum plagis crebras argenti viui lachrymas fundit, quæ à foſſoribus ſtatim colliguntur. Hoc genus à Plinio probatur; dum inquit arenam cocci colorem habere, hanc teri; deinde lauari, farinam, &
D quod ſubſidet, iterum lauari. Differentiam verò ab arte pendere; quoniam alij prima lotura minium faciunt, apud alios verò id eſſe dilutius. Addit etiam Plinius ſe audiuiſſe Minium ſorbis crudis, ſanguine caprino, atq; etiam calce adulterari, & in ſyncero cocci nitorem eſſe debere, ſecundarium autem, interdum, propter vliginem, in parietibus ſplendorem amittere.

Li. 35. c. 7.

Vena Minij qualis.

Minij adulteratio.

Præterea Vitruuius aſſignat modũ cognoſcendi vitia Minij, ideòq; monet Minium in ferrea lamina ad ignem collocandum eſſe, donec candeſcat, quando autem à vehementi ignis calore in atrum colorem mutatum fuerit, lamina ab igne eſt deponenda, & quando refrigeratum, colorem priſtinum acquiſiuerit, proculdubiò Minium non eſſe adulteratum, eliciendum eſt. Tandem Minium à Sandaracha eſt diſtinguendum. Quandoquidem ex Minio ſiuè rudi, ſiue elaborato argentum viuum conficitur, vt Plinius etiam annotauit, quod ex Sandaracha fieri nullo modo poteſt. Quinimò dum vena Minij lauatur, vt poſtea teratur, ſtatimatque humorem hauſerit, par ipſius in argentum viuum mutatur, quod Georgius Agricola ſe expertum eſſe teſtatur.

Miniũ eſt venenatũ. Rurſus hoc ſiccatum,atq; contritum ad ſuum colorem reuertitur. Poſtremò notandum eſt Minium naturæ venenatę nõ eſſe expers,vt Plinius optimè monuit;tũ quia hydrargyrum participat,tũ quia halitus venenatos eructat; veluti foſſores Minij teſtificãtur.

DIFFERENTIÆ.

Lib.3.Met. L.6.Simpl. Lib.7.Architect. ARISTOTELES, Theophraſtus,Galenus,Plinius,Vitruuius,& alij viri docti,& eruditi,pro Cinnabari, vel Minio,quod idem ſunt,quid Metallicum diuerſimodè tamen intellexerunt,namq, huius plura genera aſſignarũt. Itaq; primum genus Minij naturalis,& foſſilis,eſt lapis concretus,durus,qui eruitur ex fodinis argentarijs,& Cinnabaris mineralis appellatur. Secundum genus decutiebatur ſagittis ex rupibus inacceſſis,propè Colchos,ad quos (vt fama eſt) iam nauigauit Iaſon Theſſalus, cum Argonautis, vt vellus aureum conſequeretur, ſed hoc genus Minij naturalis ignotum nobis eſt;cum ob hominum inertiam, eius vſus ceſſauerit.

Tertium genus Minij naturalis habet formam pulueris colorati exiſtentis in ijſdem fodinis,& ab Ariſtotele in Meteorologicis,coloratus cinis fuit appellatus,quẽ poſtea Galenus, nomine Minij, cum alijs Græcis intellexit. Qua de cauſa Galenus ſcripſit vi erodente, ad inſtar aliorum metallicorum pollere.

Lib.4.de med.ca.15. Quartum genus Minij naturalis,& foſſitij Cornelius Celſus proculdubiò memoratuit,verba faciens de Dyſenteria, vbi circa finem capitis, aduersùs vlcera inteſtinorũ, Minij glebam valere aſſeruit. Gleba autem indicat quodcumq, Minerale corpus, vel terreſtre ſolidum, ope naturæ, nulloq; interueniente hominum artificio ortum. Idcircò pro gleba Minij intelligendum eſt Minium naturale coloris rubri coccinei, quod *Li.37.ca.7* ab aliquibus (referente Plinio) Cinnabaris vocabatur. Quinimò addidit Plinius,Minium Græcis μίλτον nominari. Item in antiquis Codicibus.Dioſcoridis, & in capite de Rubrica Sinopica,hæc erat inſcriptio, μίλτος σινωπικὴ; quæ voces, ad mentem Plinij,minium Sinopicum exponi poſſunt. At prædicta Rubrica olim temporibus Troianis, Homero teſte, pro picturis, & præſertim in vſu Medicinæ ſummoperè commendabatur, & præcipuè quando refrigerare,exſiccare, & omnem fluxionem coercere opus erat. Quamobrem ab omnibus ferè Authoribus celeberrimis noſtræ ætatis communis, & vulgaris Bolus Armena coccinei coloris eſſe creditur, & poſteà non ex Armenia, ſed ex Germania aduehitur: immò etiam ex fodinis Italiæ,vbi ferrum eruitur: cum tamen in mineris etiam argenteis,& aureis reperiatur.

Quintũ genus Minij naturalis recenſuit Braſauolus,in libro Examinis Metallorum, *Anthax lapis.* vbi hiſtoriam lapidis Anthracis recitauit,qui eſt gleba, & propria argenti viui vomica, ex qua,ope ignis fornacum, olim Minium parabant; addiditq; prædictam glebam habere circà ſe puluereum rubrum à natura productum, & pro picturis pulcherrimum. Nos habuimus à mercatore Norimbergẽſi Miniũ inſtar glebæ,colore penè purpureo, ſed fractum guttas argenti viui oſtendebat. Accepimus etiam ex Bohemia fruſtum lapidis marmorei,cum ſcintillis argenti viui incluſis, cuius hoc in loco icon datur. Vnde non immeritò quis dicere poſſet huiuſmodi materiàm marmoream, vel alabaſtrinam in terræ viſceribus, virtute caloris ſubterranei, paulatim in lapidem miniaceum conuerti, & talem adipiſci colorem, veluti etiam experientia obſeruauimus Auripigmentum, in viſceribus terræ, non ſolum vi caloris ſubterranei, ſed etiam violentia ignis artificialis in Sandaracham tranſmutari.

Iam accedendũ eſt ad differentias Cinnabaris artificialis ab Antiquitate deſcripti, quarum prima parabatur ex arena ſubrubra,& radiãte, quàm ex Cilbianis Agris propè Epheſum Ioniæ vrbem in Aſia minori colligebant. Huius autem arenæ authorem *Callias Athenẽſis Miny inuẽtor.* fuiſſe Calliam Athenienſem Theophraſtus his verbis retulit. Callias enim magna ſpe ductus conficiendi auri,hanc ſubrubram coquebat arenam,mox emolliebat,eamq;lauabat,ſed tandem ſpe faciendi auri fruſtratus, fecit Miniũ,quod Cinnabaris eſt, pigmenti genus præſtantiſſimum, & pulcherrimum.

Secunda differentia Cinnabaris facticij vocatur à Plinio Minium ſecundariũ, quoniam ſecundum locum præſtantiæ occuparet. Hoc autem antiquitùs ex lapide palumbario vſto,& loto parabatur.

Ter-

Cinnabarinus, seu miniaceus lapis cum marmore argenteo.

Tertiam differentiam Minij, vel Cinnabaris factitij Veteres elicere consueuerunt ex lapide Anthrace, coloris subrubri, ex quo, violentia ignis, primò Hydrargyrum extrahebatur, & rursus paulò post, virtute ignis Fornacum, ex reliquo Cinnabrium faciebant, & sæpè, Vitruuio teste, Minium appellabant. Hoc autem Minium intellexit Dioscorides, quando acriter reprehendit illos, qui Minium esse Cinnabarim existimarunt; quoniam ibi Dioscorides, pro sua Cinnabari, lacrymam sanguinis Draconis intellexit, veluti superius explicauimus. Deinde duas minij differentias monstrauit: vnam minij, quod fiebat ex lapide permixto arenæ argenteæ, qui in Hispania inueniebatur; eratq; naturæ illius arenæ, quam in Cilbianis agris colligebant. Alteram differentiam ex Anthrace elici solere monuit, vbi propria Hydrargyrij signa manifestat; dum inquit emittere halitum strangulantem: deinde assignat modum adhuc obseruatum à fossoribus vomicæ argenti viui, ex quo Cinnabaris paratur, & Priscorum esse Minium perhibetur.

Cinnabaris Dioſc. qualis.

D Quapropter Iosephus Quercetanus immeritò Dioscoridem taxauit; quia asseruerit argentum viuum fieri ex Minio non vulgari; cum Dioscorides Anthracem viui argenti vomicam intellexerit, quam, more Antiquorum, Minium nuncupauit. Præterquam quòd Dioscoridi Amatus Lusitanus in Commentarijs assentitur, & idem astruit Brasauolus, in suo Metallicorum examine, asserens verum Minium esse glebam in venis Hydrargyrij, quæ ἀνθρακὲ nominatur, habens circa se rubrum puluerem, qui ab Antiquis pro pictura laudabatur, & pro natiuo Minio superius fuit declaratus. Ideò satis patet hoc in loco Dioscoridem de Minio nostro vulgari non esse locutum, vt Quercetanus est opinatus. Hoc enim fit ex Cerussa ad rubedinem combusta, quæ Sandyx, & non Minium Antiquis dicebatur, & Sandaracha apud Vitruuium æquiuoco nomine, cuius meminit postea Virgilius hoc versu.

Minium verum.

Sponte tua Sandyx pascentes vestiet agnos.

Sandyx quid sit.

Ecloga 4.

Hoc genus Minij, nostris temporibus, est in frequentissimo vsu Officinarum: immò præter hoc, nullum aliud Minium officinæ habent: ideòq; non sine ratione Minium

Miniu m re centio rum. Nuperorum appellatur. Hodie etiam aliud emergit Cinnabrium, nouum Chymiſtarum inuentum, quod à ſuperiori Minio, ratione màteriæ, facultatis, atque nominis, maximè diſcrepat. Hoc enim non Minium dicitur, ſed ab ipſis Cinnaprium, & Cinnabrium, vice Cinnabaris, & arte fit adeò pulchrum, & naturali Cinnabari ſimile, vt difficulter vnum ab altero dignoſcatur. Nihilominus Vitruuius docuit rationem cognoſcendi Cinnabaris facticij à naturali, cuius in Rubrica antecedenti meminimus.

LOCVS.

Hiſpania Minij ferax. EX Hiſpania ſolere Minium deferri Dioſcorides retulit. Item Iuſtinus Minium à Minio Hiſpaniæ fluuio nuncupatum voluit: cum, teſtibus Plinio, & Trogo, Hiſpania, nulla regio Minij feracior inueniatur. Vitruuius ex Colcho afferri diuulgauit. Præſtantiſſimum tamen eſt, quod ex Siſaponenſi regione Beticæ aduehitur. Quapropter legitur apud Calepinum, quod Siſapus eſt oppidum Hiſpaniæ Beticæ Miniarijs Metallis celeberrimum. Etenim Minium, teſte Plinio, ibi non excoquebatur, vel perficiebatur, ſed, vena ſignata, Romam afferrebatur. Iuba naſci in Carmania prodidit, & Hermogenes, in Aethiopia, ſed neutro ex loco ad nos aduehitur, nec ferè aliundè quàm ex Hiſpania. In ſuperiori Germania, vt notat Encellius, ex authoritate Cordi, ad Rhenum Eberborgi, & Schombachi, magna Minij copia reperitur. In Miſmenſibus autem fodinis vena illius generis Minij obſeruatur, quod olim apud Romanos tanti pretij fuit. Tandem in Hydria monte, Matthiolo authore, ex Hydrargirij fodinis Minium eruitur. Loca autem Minio redundantia, tempore niuium facilè cognoſcuntur, dum niues huiuſmodi loca tegentes, rubore inficiuntur. Quocirca, celebris ille Homeri interpres Euſtathius, quibuſdam in locis niues obſeruari rubras aſſeruit: ideoq; illa loca μιλτώδι cognominari voluit.

FACTICIÆ CINNABARIS conficiendi ratio.

Alius modus conficiendi Cinaprij. QVIDAM partem æqualem argenti viui, & ſulphuris igni commiſcent: ſic enim illicò Hydrargyrum extinguitur. Alij recipiunt nouem vncias argenti viui, & vncias duas ſulphuris citrini, ex quibus in vaſe ſimul permixtis, violẽtia ignis, ad partem ſuperiorem vaſis ſublimatorij aſcendit materia, quæ vocatur Cinnaprium. Alij vncias tres ſulphuris nouenario ponderi argenti viui addunt; hocq; pondus vt plurimum obſeruatur. Præterea alij extinguunt libram argenti viui cum vncia ſulphuris: Quemadmodum alij vtuntur alijs menſuris, iuxta varias eorum intentiones. Id autem quocunq; modo concinnatum, vi ignis, exaltãt, præter Diodorum Euchiuntem, qui verba faciens de lapide philoſophico, diuerſam ab alijs, & etiam abſque igne, aſſignauit rationem conficiendi Cinnaprij, immò cum H doſi ingredientium ab alijs diuerſa. Etenim recipit libras duas ſulphuris triti, & libram argenti viui, omniaq; ſupra tabulam marmoream ſeorſim conteri iubet, donec ita extinguatur Hydrargyrum, vt nil, præter puluerem, appareat; quem in ampulla luto diligenter oblita claudit, & Soli exponit, vt ſeptem dierum ſpatio exſiccetur. Demum, aperta ampulla, cinerem in fundo, & Cinnaprium parietibus adhærens inuenit. Nihilominus potior ſuccedit Cinnaprij conficiendi modus, quicunq; ſublimatione igni facta procedit. Quinimò variæ Cinnaprij operationes ex varijs ponderibus ingredientium deducuntur. Nam quando maior ſulphuris quantitas additur, Cinnabrium colore magis ſanguineo accenditur, picturiſq; magis conducit, & quando minor eiuſdem quantitas ſumitur, & argentum viuum ſuperat, tunc efficacius ad medicinas euadit.

Noſtris autem temporibus duplex modus conficiendi Cinnaprij in vſu habetur. Primus eſt, quãdo Hydrargyrum in Catinum vitriatum, & ſabulo circumdatum proijciunt,

A ijciunt, & sulphur leui igne liquefactum superfundunt, & spatula ferrea eatenus agitant, donec ambo in puluerem nigrum conuertantur, quo puluere impletur quarta pars ampullæ brèuis,& ampli colli,quam Chymistæ bocciã vocant. Hanc in leui igne cinerum collocant,deinde ignem per spatium decem horarum augent; tunc enim sublimatur, & rursus ignem per spatium duodecim horarum augent: etenim primò fumus niger egreditur, deinde luteus, & tandem rubicundus, qui perfectionem operis indicat. Quidam,loco ampullę vitreę,figulino,& vitreato vase vtũtur,vt melius ignem sustinere possit,illudq; cum materia supra tripodẽ,aut furnũ ponunt;itaut binæ partes vasis vacuæ extra furnum remaneant; cui, spatio dimidij diei, ignem lentum supponunt, illumq; augent per integrum diem,vel donec fumus rubicundus egrediatur,qui completi Cinnabrij signum esse solet. *Boccia Chymistarum.*

Alter modus prædicto est oppositus, & perficitur, dum sulphur in sartagine primò funditur, & fuso necnon ab igne deposito argẽtum viuum per linteolum additur, deinde altera manu tudiculam tenente, hydrargyrum, & sulphur liquefactum agitan- *Secũdus modus faciendi Cinaprij*
B tur, donec refrigerentur,& mistura nigra remaneat hanc tenuissimè molunt,& postea quartam partem bocciæ longè luto sapientiæ diligenter munitæ implent,& supra furnum locant, aperto ore, leui subiecto igne, spatio duarum, vel trium horarum, deinde ignem sensim augent, claudentes vasis orificium, itaut prius intromittatur infundibulum,per quod transeat tudicula vsq; ad fundum ferè vasis,& extra infundibulum remaneat ad mensuram palmi. Sed est necessarium,vt globus luti tudiculæ adhæreat; qui exsiccatus os infundibuli ita obstruat, vt orificium vasis respirare nequeat. Mox elapsis quinq; horis, extollendo tudiculam, aperiunt, & superaddunt duo magna cochlearia prædictæ materiæ ad conficiendum Cinnaprium paratæ, quam assiduè apud ignem seruant, vt eamdem calidam in bocciam proijciãt: sic enim augetur massa,quæ panis Cinaprij dicitur, quandoq; vsq; ad libras centum, & etiam ad maiorem quantitatem. Materiam hanc singulis horis addunt, & statim os claudunt globo tudiculæ, quod, absq; tudicula, sublimatione materiæ obstrueretur, facilè frangeretur,& noua materia neq; addi,neq; panis Cinaprij augeri posset. Itaq; tudicula in hac operatione duo beneficia parit: primùm est, dum os vasis patulum seruat, vt noua possit intromitti materia, quæ sæpè affunditur. Secundum est, dum os claudit, ne spiritus facilè euanescant. Deniq; ne vacuum in massa panis Cinaprij relinquatur, tudiculam penitus auferunt, & nouissimam materiam addunt, & ad summum massa Cinaprij completur. Tunc enim,absq; tudicula,os vasis clauditur, & quandiù ignis perseuerat,tandiù materia solidescit, & rubescit Cinnaprium; qui plura circa hoc artificium videre desiderat, legat Vueclerium in Volumine de secretis. *Beneficia Tudiculæ.* *Li.3.c.40.*

DENOMINATA.

HOC omnibus peruium existere opinamur, Miniare, nil aliud esse, quàm Minio pingere: vnde Miniarius pictor ille vocatur, qui in picturis minio vtitur. Miniaria est locus, vnde Minium eruitur. Miniaceum est illud, quod ad Mi- *Miniatulum quid.*
D nium pertinet. Miniatum verò, vel Miniatulum, quod Minio tinctum conspicitur. Apud Græcos legitur μιλτω πάρος,& exponitur habens genas Minio infectas. At μιλτουργος est Minij effossor: hinc μιλτουργία Minij effossio.

Præterea Cinnabaris, cum Græcis dicatur κιννάβαρι: hinc oritur verbum κιννα-βαρίζω, idest, colore, Cinnabarim imitor, necnon κιννάβαρινος, Cinnabarinus, veluti color cinnabarinus, & collygrium cinnabarinum.

VIS,

VIS, ET VSVS in Medicina.

VSVM cinnabaris, ſeu minij tam foſſilis, quàm factícij in Medicina ſummoperè vitandum eſſe arbitramur, quoniam venefica qualitate non careat. Vnde Auſonius iure meritò læthiferum appellauit hoc verſu.

Et quod Germano mixtum malè læthiferum Min.

Luis gallicæ remedium.

Idcircò nos quoq; in Medicinis internis eius vſum libenter non admittimus: licèt quidam Chymiatri, in contumaci lue gallica pilulas ex Cinnabari compoſitas præſcribant. Item, in medicamentis etiam externis, illius vſum libenter non laudamus. Quidam tantummodo Empyrici illo vtuntur, cum ligno Aloes, myrrha, & alijs ſimplicibus aromaticis: his enim ſimul permixtis, correptos morbo indico ſuffiunt. Hoc ſuffumigium bis, ter, & quater adhibent, donec copioſum ſputum ab ore Patientis exeat, vel donec alui fluxus excitetur. Deniq; in vlceribus etiam rebellibus aliquando vſurpatur, quando cætera præſidia non contulerint.

VSVS IN VARIIS.

PICTORES in primis, ex mente Dioſcoridis, in elegantioribus parietum tectorijs Cinnabari vtuntur. Hodie illius vſum norunt, quando rubrum ſanguinei coloris atramentum deſiderant. Cinaprium prius parant ſiccum, abſq; vllo liquore molendo ſuper lapidem porphyritem, deinde bis, aut ter aqua aſpergũt, & ſuper nouos lateres extendunt, vt ficcetur. Tandem, exigente occaſione, cum aqua gummata, vel albumine oui, vel lacte ficulneo, vel oleo nucum miſcent, iuxta opus, quod pingere deſiderant. Hinc ſiue hoc, ſiue minio vtantur Miniatores dicti fuerunt.

Vſus apud Chymiſtas.

Præterea Cinnabrio Profeſſores Halchemiæ ſternunt Solem, & Lunam planetas terreſtres; hæc nobiliora ſunt Metalla, quæ Crucibulo clauſa, aut alio vaſe figulino in fornacibus vrunt, vt in calcem conuertantur, & ſuam formam penitus exuãt, quàm à Cinnabrio aſſumptam, & in eo repoſitam eſſe virtutem ſui lapidis philoſophici opinantur. Alij à Cinnabrio argentum viuum elicere nituntur, illud à Sulphure ſeparantes, vt priſtinæ formæ reſtituatur, & ſuam naturam mobilem, fluxilem, terſam, & abſq; ſordibus mundam adipiſcatur. Item qui Corallum rubrum mentiuntur, maſſam Opificij Cinnabrio tingunt. Hodie cera Cinnabrio inficitur, vt colorem rubrum acquirat ad epiſtolas ſigillandas, & ad alios etiam vſus, vt docuit Plinius. Olim ſimilem ceram appellabant Miniatulam, quam præſertim adhibebant, ad notandos in ſcripturis errores: Quapropter, vbi talis cera conſpiciebatur, loca illa corrigenda deſignabat. Huc reſpexit Cicero ſcribens ad Atticum; quando inquit. *Cerulas illas tuas Miniatulas extimeſcebam.*

Li. 33. c. 7.

Lib. 16.

Tanta fuit in æſtimatione Minium apud Antiquos, vt illo ſimulacra Deorum linirent. Huius teſtem habemus Plinium, qui faciem ſimulacri Iouis, diebus feſtis, illini ſolitam retulit, immò, & Triumphantium corpora; idcircò ſic Camillum triumphaſſe, & additum vnguentis cenæ triumphalis, & à Cenſoribus Iouem etiam miniandum locari ſcripſit. His addimus, quòd apud populos Aethiopum, Proceres illo tingebantur, & ibi quoq; Deorum ſimulacris talis color addebatur. Pariter Alexander ab Alexandro Æthiopas præliaturos dimidiam corporis ſui partem minio, & dimidium gypſo inficere ſolitos eſſe pronunciat. Hoc non ſolum de ſimulacro Iouis aſſerendum eſt iuxta ſententiam Plinij: quandoquidem Pauſanias, in Achaicis, in celebritate feſtorum Bacchi, eius ſimulacrum minio fucatum fuiſſe tradit. Pan quoq; Arcadiæ Deus apud Virgilium Minio mangonizatus obſeruatur, quando Poeta ſic canit.

Li. 4. c. 12.

Simulacra Deorum Minio tincta.

Ecloga 10.

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis, minioq; rubentem.

Hinc

Hinc fortassis hodie nobiles Italorum matronæ fucum ex Minio, vel Cinnabari sibi comparãtes, ad augendam maiestatem, faciem illinunt, vel vt colorat ores (nã rubedinem vultus pulcritudini summæ Itali adscribunt) & rubicundiores viris suis appareãt. Demum in tam singulari honore apud Priscos erat hoc pigmenti genus, & iuramenta Imperatoris minio subscriberentur: sic Cantacuzenus referente Nouario, recitat. Similiter notæ illæ librorum fuerunt Miniatulæ, quas paragraphos coronidas, & asteriscos appellant. Quinimò librorum tituli hoc præcipuo honore afficiebantur, vt minio decorarentur. Quocirca Ouidius alloquens suum libellum tristium alloquiorum, eum minio indignum reputauit, dum cecinit hunc in modum. *Li. 1 Hist. cap. 23.*

Nec titulus minio, nec cedro carthanotetur.

Olim etiam legum tituli, & primæ litteræ rubrica, vel potius Minio pingebantur. Vnde Iuuenalis Maiorum leges rubras appellabat. Minium quoq; in scriptura Voluminum Antiquorum, iuxtà Plinij sententiam, vsurpabatur, quoniam clariores litteras, vel in auro, vel in marmore, vel etiam in sepulchris reddat.

DE LAPIDE SABVLI.
Cap. XXI.

POSTEAQVAM de lapide ex arenis miniaceis integrato egimus, reliquum est, vt de alijs etiam ex materia fabulosa cõstantibus verba faciamus. Lapis hic mediocriter est ponderosus, colore subcinereo, & in tenuissimum puluerem, ferreo tamen aliquo instrumento teritur. Linguæ admotus, more plurium terrarum, adhærere conatur, sed suo pondere subitò auellitur. Terræ Cretensi est valdè similis, & tamen multò durior, quippequi est lapis. Colore quoq; discrepat, nam in Creta est candidissimus, & in hoc lapide subcinereus conspicitur. Lapis hic procul dubiò simillimus est fabuloso lapidi descripto à Thoma Erasto, qui elegantissimum tractatum de illo composuit. Etenim omni ex parte illi respondet, cuius materiam Sabulum minutum, tenue, purum, & à calido pingui, & crasso vapore conglutinatum esse tradidit. Idcircò Sabulum ab huiusmodi lapidibus impetu aquarum, qui saxa, & lapides frangit, & comminuit, per flumina deferri, vnà cum Georgio Agricola existimamus. *Materia lapidis.*

GENVS, NATVRA, ET LOCVS.

VNICVM tantum huius lapidis genus hactenus obseruauimus, neque aliud ab alijs obseruatum comperimus. Commendatur à Thoma Erasto albidior, & durior. Sed huiusmodi lapides talem naturã adipisci nequeunt, nisi Soli exponantur, quoniam tunc duriores, & candidiores euadunt. Inueniuntur tales lapides in locis fabulosis, neque vsquam alibi. Thomas Erastus propè Francfordiam magnam esse copiam scribit, & apud Pagum, quem Ripam altam nominant eis Rhenum, additq; se intellexisse non procul à Villa Schuuetzingen, & propè Igelsheim, & Latinoburgum campos esse, qui plurimos huius generis lapillos producunt. Nos in Sapina Bononiensis Agri fluuio duos obseruauimus ex Montibus nostris arenarijs eò delatos. *Locus natalis.*

VIS,

VIS, ET VSVS in Medicina.

DE virtutibus huius lapidis plura recenſere, quàm didicimus, neq; poſſumus, neq; etiam debemus. Solũ aſſignabimus, quæ ex aliorum relatione intellexi-mus. Hoc tamen nobis manifeſtum eſt plurimùm ſiccare poſſe: nam præ ſic-citate, etiam linguæ admotus tenaciter adhæret, non ſecus ac eſſet Bolus Armena, *Vis lapidis* Orientalis, in cuius defectu hic lapillus tutò, & vtiliter vſurpari poteſt; cum non mi-nus ſit efficax. Vnde Thomas Eraſtus frequentem eius vſum per vniuerſam Germa-niam eſſe diuulgauit. Quinimò intellexit magnam huius lapidis quantitatem à viris eius virtutem noſcentibus in Pomeraniam vſq; magnam deferri. Illius virtutem in-fracturis minimè ſpernendam eſſe tradunt. Nam ſi quis fractum os rectè in ſuum lo-cum reſtitui curet, & ex puluere huius lapidis emplaſtrum cum oleo, aut Roſaceo, aut Myrthyno, aut Maſtichino, modicaq; cera imponat, & huius lapidis drachmam, vel amplius, manè, veſperiq; in aliquo liquore hauriat, proculdubiò, intra paucos dies hic Patiens ab omni dolore liberatur, & etiam paulò poſt membro vti poteſt.

DE LAPIDIBVS, Qui attriti ſuccum aliquem emittunt, & primùm de Hæmatite. Cap. XXII.

ÆQVIVOCA.

INTER lapides huius generis, prima facie de Hæmatite agendum eſſe cenſuimus, propter magnam affinitatem, quam cum Minio habere perhibetur, de quo paulò ante mentionem fecimus. Etenim vſtus Hę-matites, authore Braſauolo, in Minium vertitur. Hoc igitur vocabu-lum (Hæmatites) licèt ſit rarum, non potuit tamen ambiguitatem eui-tare. Quandoquidem apud Græcos αἱματίτης non ſolum ſignificat la-*Venæ ſan-guine ple-næ nomen.* pidem, de quo in præſenti capite agitur, ſed etiam denotat venam ſanguine plenam, vt apud Lexicographos legitur. Deinde Encellius hunc lapidem nominari etiam Anthracitim voluit, & tamen Græci multas alias res Anthraces nominarunt, quas ſu-pra enumerauimus.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

LATINI hunc vocarunt lapidem ſanguineum, Græci quoq; Hæmatitem, vt Galenus, & Theophraſtus animaduertunt, quoniã ſanguinei ſit coloris. Etenim αἱματίτης ἀφὸ τὸ αἵματος deducitur, nempè à ſanguine, aut quia, in colore ſanguini concreto ſit ſimilis, aut quia ad cotem, cum humore, attritus rubedinem co-lori ſanguineo ſimilem emittat, aut tandem, ratione virtutis, quoniam ſanguinem à quacumque corporis parte manentem ſupprimat. Sed iuxtà hanc poſtremam expoſi-tionem, Hæmathites cum aſpiratione ſcribi deberet, quoniam tunc nomen deri-uant ab αἷμα ſanguis, & τίθημι repono, & ſiſto, dum ſanguinem in venis ſiſtit, & ſupprimit. Hinc Marbodeus arripuit occaſionem canendi hunc in modum.

Sumpſit Hæmatites græcum de ſanguine nomen.

Lapis ru-bẽs qualis. Sed animaduertendum eſt, quod hic Author primam ſyllabam huius vocabuli, contra ſyllabæ rationem, corripit. Aliquibus ἐρυθρὸς, ſiue rubens lapis dicitur. Hippocrati

eia-

A ἱαπίδις vocatur, vt Nicandri Scholiastes vertit, à voce græca ἴαρ, quæ & ipsa sanguinem significat.

Arabes varijs nomenclaturis hunc lapidem insigniunt, vt Andreas Bellunensis annotauit. Videlicet Sadenagi, Sadenegi, Sedenigi, Sedenegi, Scedenagi, Scedenegi, Scegdenegi, Segdenegi, Scadegni, Sedengi, Scedenegi, Scdegi, & Alsadnegi. Germanis vocatur Blutstein, fortassis ob colorem sanguineum, Gallis Ematistes, Hispanis Aloin, Italis Pietra sanguigna.

DESCRIPTIO, NATVRA, & affectiones.

B OLIM, loco Hæmatitis, Medici, & Pharmacopæi quadam terra rubra vtebantur, sed tandem diligentia eorum, qui naturales perscrutantur, verus, & genuinus Hæmatites inuentus est. Hic, teste Dioscoride, saturato colore niger est, durus, æqualis, nullaq; sorde inquinatus, nullo zonarum discursu notatus, necnon friabilis. Friabilitas autem non intelligitur, quia digitis facilè friari possit, sed quia cum frangitur, facilè scindatur. Præterea color huius lapidis variat. Namq; præter colorem nigrum, quem Dioscorides in hoc lapide commendat, quandoque flauus, & ferrugineus conspicitur, vt Georgius Agricola testificatur. Idem confirmat Marbodeus hoc versu. *Colores lapidis varij.*

Hic ferrugineo, rubroq; colore notatur.

Lapis hic est reponendus inter illos, qui sunt mediæ naturæ inter terram, lapidem, & Metallum, quoniam constat ex ramentis, vel sedimento, quod aqua abradit à rubrica, vel saxis rubeis: quamobrem Agricola non immeritò Rubricam huius lapidis parentem esse pronunciauit: Hinc attritus ad cotem, succum sanguini similem reddit, quoniam hæc est natura eorum lapidum, qui compacti sunt ex sedimine, quod aquæ frequenter abradunt. Brasauolus, in Examine Simplicium, Hæmatitem talis naturæ esse voluit, vt combustus illicò colorem Minij adipiscatur. Mylius in hoc lapide hanc proprietatem admiratur, quia locatus in lebete aquam feruentem refrigeret. Verùm hoc non est mirandum, cum frigida, & ficca temperatura constet, & propterea etiam, teste Galeno, adstringit. Cesalpinus in hoc lapide proprietatem quamdam licèt obscuram trahendi ferrum obseruauit. Idq; mirari non debemus, propter maximam cognationem, quam habet cum Magnete. Non solum enim in ijsdem fodinis inuenitur, sed etiam Magnes vstus in Hematitem conuertitur. Denique, memorante Plinio, inter Hęmatitem, & Schistum maxima intercedit affinitas. *Lib. 2. de Metal. cap. 56.* *Lib. 36. ca. 20.*

ADVLTERATIO.

TEMPORIBVS Dioscoridis, vitiabitur hic lapis hunc in modum: summebant glebam densam, & rotundam Schisti lapidis, cuiusmodi sunt, quæ eius radices appellantur, & in vase fictili cinerem feruidum continẽte obruebant, donec cote attritus, colorem Hæmatitis redderet, & reponebant. Sin minus idem opus toties repetebant, donec desideratum in cote colorem haberent. Dolus autem facilè deprehenditur, primò sectione, quoniam hic in rectas lamminas frangitur. Deinde fraus etiam colore detegitur: nam lapis adulterinus floridum colorem reddit. Hæmatites autem saturatiorem, & Cinnabaris æmulum emittit. Rursus alio artificio Hæmatites paratur, nimirum si Magnes cremetur; namq; a propria recedens natura in Hematitem transmutatur. *Impostura hæmatitis.*

DIF-

DIFFERENTIÆ.

PLINIVS ex Sotaco authore vetuſtiſſimo, quinq; Hæmatitis genera proponit. Primum vocat Aethiopium ſanguinei coloris, in locis natalibus Magnetis proueniens. Ceſalpinus ad hoc genus reducit quemdam lapidem ferrugineum grauem, obductum rubrica,& ſupra rubricam terra pallida, deinde tegitur cruſta Aetiti ſimili, tenuiore, & fragiliore, quæ, modo ſepti ad intima penetrat: hic ad cotem, croceum, & ſanguineum ſuccum reddit; traditq; hunc reperiri Aretij, vbi fons aciduläe conſpicitur. Secundum genus, ad mentem Plinij, vocant Androdamãta, colore nigro, pondere, & duritie inſigni, ex qua nomen traxit. Id in Africa repertum allicere argentum, æs,& ferrum tradunt. Tertium nuncupant Arabicum ſimili duricia cum ſuperiori, quod coti aquarię fricatum vix ſuccum croco ſimilem quandoq; emittit. Quartum genus nominant Elatitem, quando crudum eſt, fortaſſis, quia lignum Abietis aliquo modo ſimulet: cum Græcè ἐλάτη Abies dicatur. Alioquin hoc genus lapidis coctum Miltitem appellant, quoniam Milti, nimirum Minij colorẽ repręſentet. Quintum genus dicitur Schiſtos, nempè ſciſſilis. Diſcrepat autem à ſchiſto lapide, de quo paulò inferius verba fient.

Lib. 2. de metall. cap. 56.

Encellius ſex differentias huius lapidis ſibi notas enumerauit. Prima eſt foſſilis, quæ celebratur à Dioſcoride, & naſcitur in Aegypto: lapis eſt niger colore ſaturato, durus, friabilis, abſq; ſordibus,& ſine zonarum diſcurſu. Secunda ſpecies eſt Hæmatites niger Gaſſelariæ repertus; reddens ſuccum croceum, duriſſimus eſt, & officinis incognitus. Reperitur licèt rarò ad Hirciniã ſyluam, eſtq; proculdubiò apud Albertum Magnum Medus lapis niger, qui attritus ſuccum croceum emittit, cuius altera ſpecies eſt viridis. Nominatur autem Medus, quoniam à Medorum regione afferratur. Tertia differentia eſt Hæmatitis foſſilis in Haſſia, purpureus eſt, fiſſilis,& ſciſſilis. Quarta ſpecies eſt foſſilis in Annebergo Salueldiæ duriſſimus ad cotem, ſed ad gemmas poliendas idoneus, niger eſt, &, quoad figuram, turbinatus. In quinto diſcrimine reponitur Hæmatites foſſilis in ijſdem locis, niger, & ad cotem tres colores reddens; ideòq; Tirchrus Plinij appellari poſſet. Hic enim Author Tirchrum ex Africa lapidem nigrum, & tres ſuccos emittentem deſcribit, videlicet circa radicem nigrum, in medio ſanguineum, & in ſummitate candidum. Sexta ſpecies, pariter, ex ſententia Encellij, reperitur in Cheruſcis Northuſiæ, & præſertim in quibuſdam montibus. Hic Hæmatites formam detecti cerebri perbellè æmulatur, & huius virtutem, in curanda narium Hęmorrhogia Encellius ſummopere extollit. Etenim lapis, de quo in præſentia agitur, eſt mirabilis in varietate figuræ. Nam quandoq; multi huius generis lapides cohærent racematim, aliquando inſtar nucis Iuglandis,& interdum inſtar ſquammarum piſcium, & in cauitatibus Rubrica ſæpiſſimè continetur. Illa igitur ſpecies, quæ figuram detecti cerebri animalium repræſentat, habet baſim, à qua veluti à radice globuli ſatis eminentes pullulant, intuſq; colorem ſanguineum habent. In ſequenti tabella hęc delineatur, vbi conſpicitur alia Icon Hæmatitis, cum figura Cupreſſi, necnon alia cum græco charactere.

Lib. 3. de metall. c. 6.

Modus lapis qualis.

Lib. 37. ca. 10.

Trichrus lapis qualis.

Præterea Hæmatites eſt diuerſus, iuxtà locos natales, quoniam inuenitur in Libya, in Aegypto, in Hiſpania, in Germania,& in multis alij locis. Geſnerus autem inter tot, & tam varias ſpecies huius lapidis, duas præcipuas ad vſum medicum eligit, quarum altera exterius rubet, & interius nigricat, deinde colorem Magnetis quodammodo imitatur. Altera verò omni ex parte eſt nigra. Quamuis autem tot ſpecies, ratione loci natalis,& figuræ, varient: nihilominus omnes ijſdem viribus pollent, vt quotidiana experientia docet. Nos hoc in loco varias differentias Hæmatitis alias, in gratiam legentium delineatas exhibemus. Sub numero 1. deſignatur Hæmatites habens figuram Belemnitis, quam formam ab arte acquiſiuit, ad commoditatem artificis, vt illo enſes, gladios, & ſimilia inſtrumenta ferrea, meliùs illuſtrare, & inaurare poſſit. Sub numero 2. pingitur Hæmatites figuræ naturalis, venis valdè rubicundis refertus. Sub numero 3. delineatur Hæmatites naturalis, figuram quaſi quadratam habens: in reliquis autem, ſecundo Hæmatiti aſſimilatur. Quarto loco exprimitur icon Hæmatitis

Hæmatitum differentiæ.



Hæmatites niger forma Cerebri detecti.
Hæmatites niger cum figura Cupreſsi.
Hæmatites coloris ferruginei cum charactere.

Aliæ Hæmatitis differentiæ.



1 Hæmatites forma Belemnitis ab arte accepta.
2 Hæmatites figuræ naturalis venis rubris refertus.
3 Hæmatites naturalis figuræ Trapeziæ.
4 Hæmatitis Icon ferè rotundi.

A titis quodammodo rotundi. Etenim natura, in procreando hoc genere lapidum, mirandum in modum ludit, vt Lector in propositis iconibus conspicari potest.

LOCVS.

IN Metallis ferrarijs, sæpiùs autem in proprijs Hematites inuenitur in quocumq; autem loco nascatur, ibidem quoq; saxa rubra, & terra eiusdem coloris obseruantur. Idcircò Dioscorides in Rubrica Sinopide inueniri testificatur. Loci etiã natales Magnetis habent Hæmatitem, cum inter hos duos lapides maxima cadat affinitas; hocque inde dignoscitur, quoniam ex Magnete combusto Hæmatites resultat. Nascitur quinetiam in vltima Aegypto, & Babylonia, vt scribit Isidorus. Hodie, ex Plinio, fodinæ Africanæ, Hispanicæ, & Germanicæ copiosum habent Hæmatitem, B quamuis colore discrepet: niger enim est, qui ex Germania transportatur. Marbodeus quoq; locos natales Hæmatitis enumerans canit hunc in modum.

Lib. 16. Origi. c. 8.

Africa mittit eum, sed & Aethiopes, Arabesque.

Deinde Matthiolus inter hæc loca memorat præcipuè Hirciniam syluam tanquam huius lapidis feraciſſimam; preterea in Italia Agrum Brixiensem recenset. Nos autem non debemus omittere Iluam Italiæ insulam, cum ibi in metallis ferri huiusmodi lapides producantur. Verùm quidem est, quòd peregrinis bonitate cedunt. Sunt etiam quædam loca apud Germanos peculiaria, quæ hoc lapide redundant. Quamobrem Conradus Gesnerus, & Anselmus Boetius scripserunt nasci in Cheruscis Northusiæ, in Saxonia Gossellariæ, in Sudetis montibus, Annebergio Salueldiæ, Salburgiæ, & Senæ.

DENOMINATA.

C

OCCASIONE Hæmatitis nobis se se offert considerandus alius lapis, qui inter genera vitri naturalis à Plinio recensetur, & ab eo Hæmatinus nuncupatur. Nomen autem hoc inuenit, aut quia Hæmatiti sit similis, aut quia totus sit sanguineo colore refertus, lineis, seu fibris maiori ex parte rectis, colore atro. Huius anguli instar vitri sunt acuti: quapropter, iuxtà sententiam Plinij, inter vitra fuit repositus. Verba autem Plinij sunt hæc. Fit ex tinctura genere Obsidianum ad escaria vasa, & totum rubens vitrum, non translucens Hæmatinum appellatum. Hæmatinum hunc Alphonsus Pansa Ferrariensis Medicus celeberrimus, & rerum naturalium diligens inuestigator doctissimo Vlyssi Aldrouando olim impertitus est.

Hæmatinus lapis.

Lib. 36. ca 26.

MORALIA.

D

NE morum integritate priui videamur, quæ de Hæmatite ad moralem doctrinam spectare possunt, addere huic historiæ statuimus: quandoquidem Hæmatites ad cotem attritus sanguineum colorem reddit, deinde dolores oculorum sanat, fluxum ventris cohibet, ictibus Serpentum occurrit, & omnem sanguinis fluxum coercet. Hic lapis, in docti ina morali, tanquam Christi symbolum summi potest. Hic enim ad cotem passionis attritus, sanguinem fudit: cum in primo passionis exordio apud Lucam legatur: & sudor eius factus est sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Primitùs fluxum ventris, nempè morbum libidinis plures in exitium trahentem sanat, dolorem oculorum Inuidiæ tollit, ictus serpentinos detractionis curat, & fluxum sanguinis, nempè fædam illam voluptatis momentaneæ titillationem corpus indignis modis polluentem supprimit, & eliminat.

Cap. 22.

Patientiæ symbolum.

Aliter Hæmatites patientiæ, & abstinentiæ erit assimilandus, & fœda voluptas per flu-

fluxum ſanguinis erit indicanda. Quocirca mulier hæmorrhagia laborans, dum tetigit veſtimenta Chriſti liberata eſt; nam veſtimentum Chriſti fuit ſymbolum Patientię,& Abſtinẽtię,quæ criminoſos à fluxibus ſanguineis libidinum liberare poteſt.Rurſus cum fluxus ſanguinis inhoneſtã voluptatem deſignet, poterimus memoriam mortis, & finalium tormentorum ad Hæmatitem comparare. Hæc enim ſola turpes voluptates omnium ſcelerum fautrices exterminare poteſt.

VSVS IN MEDICINA.

Lib.9.de ſimp. med. fac.

GALENVS monimentis mandauit Hæmatitem tantum habere frigiditatis, quantum adſtrictionis, & aduerſus aſperitates palpebrarum, reiectionem ſanguinis,& excreſcentiam carnis in vlceribus valere.Galeni verba ſunt hæc. *Meritò itaq; auſi ſunt Medici ocularibus facultatibus lapidem immiſcere Hæmatitem,ac ſolo eo vti poſsis palpebris exaſperatis: ſiquidem cũ phlegmone aſperæ ſint redditæ,ex ouo ipſum diluens:aciſi magis etiam per decoctum fœni græci: ſin verò citra phlegmonem,ex aqua. Incipito verò ſemper à modicè humido per ſpecillum infundens, vbi autem quod eius vires ferant, inſpexeris, magis ac magis craſſum efficies, & tandem adeò craſſum facies, vt ſpecilli cuſpide inungas ſecundùm ſubiectionem, & euerſionem palpebræ. Hic idem lapis ſimiliter in cote contritus ſanguinis expuitione competit, omnibuſq; vlceribus. Porrò ſuccus ſi ad tantum fuerit redactus læuorem, vt pollinem tenuitate æquet, reprimit excreſcentia. Atq; eo nullus ſolo atq; per ſe vtitur. Ego verò ad ea, quæ dixi, vſus ſum, facultate eius ex guſtus qualitate comperta, cum mox experientia peculiari vellem nunquid rectè conÿcerem, & ipſa quidem oculorum vlcera ſolus per ſe cicatrice inducit, vt paulò ante comprehenſus eſt atttritus, cæterũ aut affuſus, aut inunctus: nam, & id experientia comprobatum habeo.* Hactenus Galenus. Alij referunt,quòd Hæmatites manu detentus fluxum

Ad ſputum ſanguinis.

ſanguinis narium reprimat, ſed Alexander ab Alexandro hunc lapidem commendat attritum ad cotem, in ſputo ſanguinis, & in pulmonum vlceribus, quoniam efficaciter abſq; calefactione ſiccat,atq; glutinat.Quapropter in frequenti potione ad pondus G ſcropulorum quatuor exhibet. Alij,in hoc caſu, puluerem huius lapidis cum ſucco ma-

Li.1. Mag. ant.

li punici propinant: hocq; præſidium optimis rationibus vſurpant; propterea quòd Hæmatites, annotante Porta, ſanguinis ſignaturam habeat. Hinc non ſolum cicatrices oculorum exterit, ſed eoſdem oculos ſanguine ſuffuſos cum lacte muliebri mixtus ſanat Inſuper difficultati vrinæ opitulatur, & profluuiu muliebre coercere traditur,& demùm ſerpentum ictibus prodeſt.Has igitur omnes virtutes,& prærogatiuas Hæmatitis Marbodeus diligenter enumerat his verſibus:

Naturæ lapis humanæ ſeruire creatus,
Stiptica, cui virtus per multa probatur ineſſe;
Nam palpebrarum ſuperillitus aſperitatem,
Et viſus hebetes, pulſa caligine, ſanat.
Huius fragmento ſi glarea miſta ſit oui
Succo dilutus, quem punica mala remittunt
In medicinali veluti collyria cote,
Vel reſolutus aqua, iuuat hos, qui ſanguinis ore
Spumas emittunt, & quæ linit vlcera, ſanat.
Potatus ſtringit, pariterque fœmina fluxum.
Carnes creſcentes in vulnere pulueris huius
Vis premit,& ventrem reprimet ſine mora fluentem,
Vino dilutus veteri, bibituſq; frequenter.
Serpentis morſum, vel quod fit ab aſpide vulnus
Egregiè curat reſolutus aquis, & inunctus.
Mixtus melle poteſt oculos ſanare dolentes,
Veſicæ lapidem bibitus diſſoluere fertur.

In

A In chirurgicis etiam operationibus Theophrastus Paracelsus mirabile præsidium ex Hæmatite parat hunc in modum. Hæmatitem cum bolo armeno luteo orientali, addito æquali aceto, & gummi Tragacanthæ in pastillos cogit, quos reuerberat in calcem, ex qua Alkali extrahit, per aquam plantaginis, repetitis calcinationibus, & digestionibus ad libitum. Ad finem Conciliator monet scriptum esse in libro Regum Persarum, Hæmatitem habentem sculptam iconem hominis genuflexi serpente cincti, cuius caput dextra, & caudam sinistra teneat, gestatum in annulo aureo, cum radice serpentariæ, esse præstantissimum aduersus venena præmuniens medicamentum. Cæterùm Hæmatitem absq; tot imaginibus naturaliter id præstare posse opinamur. *In tractatu de Venenis cap. 4.*

VSVS IN VARIIS.

B ISIDORVS narrat Magos de hoc lapide aliquid promittere ad coarguendas Barbarorum insidias. Mylius quoq; affirmat hunc lapidem gestantes à feruore Solis non lædi. Item, ex Matthiolo, suffitu huius lapidis, sicuti, & myricæ viridis, mures fugantur. Similiter eodem fruges aduersus Cicadas, & grandinem custodiri traduntur. Artifices illi, qui ferrum auro exornant, id sine Hæmatite præstare non possunt. Quandoquidem illo prius aureas bracteas in ferro firmãt, deinde poliunt; quemadmodum Inauratores lupinum, vel caninum dentem adhibent, sed Hæmatitem duriorem tanquam præstantiorem eligunt, & ex illo coticulas formant, quæ, instar ferri perpoliti, nitent, & si alteri coti duriori affricentur, colorem sanguineũ edunt. Metallarij hunc lapidem cum reliqua materia ei adnata in ferrum excoquunt. Pictores, & quidam fabri lignarij Hæmatite vtuntur ad designandum, qui ab ipsis appellatur lapis. Matthiolus tamen hunc esse legitimum Hęmatitem negat, asseritq; esse factitium ex bolo Armena vulgari, & alijs impostoris. *Li. 16. c. 8.*

DE SMYRIDE.
Cap. XXIII.

ÆQVIVOCA.

CVM Smyris tanquam durissimus Hęmatites conspiciatur, & ad cotem aquariam aliquem succum sanguineum reddat, itaut apud Plinium tertium Hęmatitis genus esse dicatur, quod Arabicũ fuit nuncupatum, post Hæmatitis historiam, de hoc verba facere operæ pretium esse duximus. Primò igitur, quoad nominis æquiuocationem, Smiris vocatur etiam quædam Aethiopiæ regio arenosa, cuius Anselmus Boetius meminit, quando locos natales Magnetis recensebat. Illius verba sunt hæc. *Inuenitur* D *hic*, nimirum Magnes, *in Aethiopiæ Smiri, ita vocatur regio arenosa*. Neq; mirandum est, si hoc vocabulum absq; y scribatur, quoniam apud eumdem Authorem nomen etiam lapidis, de quo in præsentia agitur, sine y legitur: cum autem Itali lapidem hunc Smerilium nuncupent, hoc quoq; nomen æquiuocũ esse comperimus: quandoquidem, apud Biringutium, aliquod tormenti manuarij genus Smerilium cognominatur, fortassis à duritia materiæ, ex qua integratur. *Li. 2. de lapid. ca. 56.*

SYNONIMA, ET ETYMVM.

SMYRIS Latinis vocatur, quoniam græcè dicitur σμύρις, καὶ σμυρίτης λίθος, vel à σμύχω, attero, quoniam eo gemmæ atterantur, & poliantur, vel à σμάω detergo: hinc Smegmata dicuntur pulueres sicci, quibus mulieres cuti insperfis, faciem detergunt. Hunc lapidem Officinæ Smirium nuncupant. Quidam lapidem Smy- *Smegmata quæ.*

Li.34.cap. 10. rium vocant. Marcellus Palingenius Smerillium indigitauit. Alij Oſtracitim Plinij B eſſe dicunt. Quamuis eadem vox apud eumdem Authorem, Cadmiæ etiam ſpeciem ſignificet nigram, & cæterarum ſordidiſſimam, necnon vulneribus vtilem.

Arabibus dicitur Sanbadegi, Alſenbadegi, Smerigi apud Bellunenſem, Aſaſenbendegi Pandectario, Sembedegi, & Smergium Serapioni cognominatur. Italis dicitur Smeriglio non ſolũ lapis, ſed etiam puluis ille ſubtilior, quo gemmæ poliuntur. Nam quando aqua miſtus, poſt polituram gemmarum, colligitur, Spultia nominatur, quia

Spultia qualis. ſit inſtar pultis, & tunc venditur illis Opificibus, qui, arma poliunt. Gallis vocatur Eſmeris, & Eſmeril, Germanis Smirgel.

DESCRIPTIO, NATVRA, & Locus.

F

LAPIS hic ferrugineus eſt, ad nigredinem vergens. Eſt autem, referente Iſidoro, lapis aſper, & indomitus, omnia atterens, tantæq; duritiei, vt etiam Adamanti comparetur Omnibus autem eſt notiſſimus, propter quotidianum apud Annullarios, & Vitrarios vſum. Illi enim gemmas ſuas, quamuis duras, hoc lapide purgant, & detergunt; Hi verò vitreas laminas eodem diuidunt. Porrò ſmyris lapis, ferro, duritia, pondere, & colore non eſt abſimilis.

Quoad locum natalem, Mylius ſcriptum reliquit hunc in Samia terra inueniri. Georgius Agricola in Metallis Miſenorum argentarijs, Annebergi, & in alijs etiã produci aſſeruit. Leander, in hiſtorijs, memorat Ilnam inſulam, vbi penès radicem cuiuſdam montis, Smyris adnatus berillis effoditur.

VSVS IN MEDICINA.

G

GALENVS huic lapidi magnam vim abſtergentem attribuit; idq; inde colligere videtur, quoniam Dactylioglyphi, ideſt annulorum ſcalptores eò fæliciter vtantur. Quamobrem ad dentes puros reddendos, hunc puluerem extollit;

Gingiuarũ remedium dum inquit: Smyris habet quid acre, & propterea nonnulli ipſum miſcent vrentibus, & ſiccantibus compoſitionibus, & potiſſimùm ijs, quæ gingiuas humiditate flaccidas curant. Hæc autem omnia Galenus à Dioſcoride mutuatum eſſe credimus: cum textus vtriuſq; Authoris ſit manifeſtus.

VSVS IN VARIIS.

Li.37.cap. 10. AD omne armorum genus, & ad vitra Smyris paſſim adhibetur. Primitùs in poliendis gemmis eo Artifices vtuntur. Idem Plinius repetit, qui non Smyridem, ſed Oſtracitim vocauit: hæc enim verba habet. *Oſtracias, ſiue Oſtracites* H *eſt teſtacea durior, altera Achatæ ſimilis, niſi quod Achates politura pingueſcit, durior tamen ei ineſt vis, vt aliæ gemmæ fragmentis eius ſcalpantur.* Itaq; hic lapis ab Artifice contunditur, in puluerem, inſtar ſeminis Papaueris, & etiam minutiorem, &, addito oleo, vel aqua ad opus trahitur. Sic enim omnes gemmas ſcalpunt, vno Adamante excepto, qui adamantino tantùm ex India à Luſitanis allato ſcalpi poteſt. Quando igitur Opifex Iaſpidi, vel Cryſtallo plures angulos ad ornatũ impertiri deſiderat, puluerem Smyridis orbi æneo in plumbei locum poſito inſpergit, modò hanc, modò illam gemmæ faciem ei admouet, donec angulata euadat.

Poſtmodum in politura armorum cuiuſcumq; generis Smyris cõmendatur, & præſertim ad loricas annulatas emundandas, & ab omni rubigine liberandas. Etenim puluis Smyridis vnà cum loricis in vaſe rotundo imponitur, quod frequenti rotatio-

Lorica quomodo tergatur. ne commouetur: ſic enim hinc inde iactata lorica, & Smyridis puluere per annulos ſæpius decidente, parteſq; illius affricante, ita lorica abſtergitur, vt noua eſſe videatur.

tur. Demum hoc lapide veluti, & Adamante vitra finduntur. Quinimò Marcellus Palingenius assignat modum pingendi vasa, & vitra quodam vnguine, & hoc lapide, dum sic canit.

Infudi, ac totam phialam clarè renitentem
Vnxi, quo facto, tentaui scalpere vitrum
Cum duro lapide Smerilli nomine dicto.

Postremò ad fingendos typos, pro formandis numismatibus, Smyris valdè probatur. Namque, ad mentem Vuecherij, recipiunt hunc lapidem, & optimè conterunt, igneq; candefaciunt, deinde humectant ad modum pastæ, & typos per spatium multorum annorum duraturos formant. Quinimò si frangantur, rursus conterunt, & iterum finguntur, & meliores euadunt. *Lib.* 10. *de secr.*

DE SCHISTO.
Cap. XXIV.
ÆQVIVOCA.

HOC vocabulum (Schistus, seu σχίστος) præter lapidem, de quo hic sermo habetur, multa apud Plinium significat. Primò scribit, illud genus concreti Aluminis Græcis Schiston appellari, quod in capillamenta quædam dehiscit, ideòq; Trichitim aliqui nuncuparũt, vt proprio loco explicauimus. Præterea addit lac quoddam nonnullis Medicis Schiston nuncupari, cuius serosa portio certo quodam modo segregata est à lacte. Galenus autem id damnat, inquiens non oportere sic appellare, sed in quo segregamus, & scindimus, serum à caseo, quod σχίζειν Græcè dicitur. Rursus Plinius asserit oua tota lutea, hoc etiam nomine insigniri, quę triduo incubatu tolluntur. Causam huius nominis Hermolaus Barbarus arbitratur esse, quia vitellus oui ab alumine, vel candido diuidatur, & discedat. Sunt & Carbunculi, & gemmæ, quæ ex Græcia nascuntur, quarum aliæ pretiosæ sunt, aliæ viliores, ita cognominatæ, vt Theophrastus, & Plinius retulerunt. Tandem σχιστὸς Græcis nomen est adiectiuum, exponiturq; fissus, scissus, vel fissilis, vel quod findi, & scindi potest. *Lib.* 28. *c.* 9. *Lib.* 10. *de simp. med. fac.*

SYNONIMA, ET ETYMVM.

HVNC lapidem, Serapionis Interpres, corrupto nomine, Sacharas indigitauit. Dioscorides λίθον σχίστον μορόεσσαν, & λευκογραφίδα. Item alibi apud Galenum, & Dioscoridem μορόκτονον legi, Ioannes Gorręus testificatur. Orpheus tamen, in Argonautica, σχιστὴν in fœminino genere pronunciat, ideòq; eius Interpres Schistam vertit, quã in Medeæ sacrificio memorat, versibus græcis sic in latinũ versis.

Sanguine miscebam chalcanthum & Struthion illo,
Et Schistam, Cnecum, deforme his psyllion addo.

Cornelius Celsus, huncq; secuti alij Latini, scissum, & scissilem lapidem nominarunt. Plinius verò græcam Schisti appellationem, quemadmodum, & pleriq; Dioscoridis Interpretes seruarunt. Meruit igitur tale nomen hic lapis, non quòd aut fissus, vt facilè findi possit, sed quoniam quodammodo fissus esse videatur à verbo græco σχίζω, quod findere, & scindere significat.

DE-

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

Schisti legitimi color.

Talci conditiones.

COMPONITVR hic lapis, & cohęret, inſtar ſalis Ammoniaci, glebas habet duras, & rotundas, quæ Schiſti radices vocantur, quibus vſtis, olim Hæmatites adulterabatur, ſed dolus detegebatur, quoniã in rectas laminas frangebatur, quod legitimo Hæmatiti non contingebat. Crocei eſt coloris, ſi fuerit optimus, aliter nigricat. Laminas habet tenues inuicem hærentes inſtar ſpecularis lapidis ſplendentes, & perſpicuas, per quas Sol inſpectus croceus eſſe videtur: Quocirca hic lapis quædam ſpecies Talci videtur eſſe, ſed poſtea diſcrepat à Talco, quoniam in rectas laminas ſcindatur. Talci verò laminæ flexiles ſunt, & vario modo complicatæ. Sotacus apud Plinium hanc Schiſti ſpeciem, quæ vocatur Anthracites inter differentias Hæmatitis recenſet. Diſcernitur tamen facillimè, tum colore, tum ſubſtantia. Etenim Schiſtus pallidior eſt, & crocei coloris, friabilis, & ſuaptè natura fiſſilis, deinde hoc habet à natura inſitum, vt ſplendeat: quemadmodum notauit Encellius. Id autem rarò in Hæmatite obſeruatur.

DIFFERENTIÆ.

SCHISTI lapidis differentiæ peti poſſunt à locis, in quibus effoditur: non enim vbi vis idem inuenitur. Nam qui in Africa generatur, niger eſt, & hũc eſſe opinamur illum, quem Sotacus apud Plinium, ab extincti carbonis colore Anthracitim vocauit. Etenim hic, propter inſignem duritiam, ſuccum difficulter reddit, illumq; ferè ſanguineum. Schiſtus verò, qui Miſenæ eruitur, omnium duriſſimus, & ad inſtar politi ferri, iuxtà partem interiorem, minus, & iuxta exteriorem magis nitet, & in hoc quidam nodi, magnitudine nucis Iuglandis naſcuntur, qui ſupra incudim poſiti malleorum ictus reſpuunt. Cæterùm quæ producitur in ſylua Hyrcinia, G exteriùs non radiat, intus verò, ad modum Minij factitij, refulget, & quando in puluerem redigitur, non aliter micat, quàm ſi viuo argento oblinitus eſſet. Deniq; qui prouenit in Saxonia, propè Goſellariam, iuxtà partem quæ, inſtar vuæ, concreuit, nigrum ſuccum reddit, & iuxta alteram, in croceo nigrum.

Differentiæ peculiares.

Reliquum eſt, vt breuiter enumeremus illas Schiſti differentias, quas peculiari obſeruatione pertractauimus. Primus fuit Schiſtus colore ferri, maculis ferrugineis inſignitus. Secundus fuit ſplendens colore plumbi, maculis Minij refertus. Tertius viridis radians, & Smaragdum æmulans. Quartus fuit Schiſtus Hæmatitis, qui redactus in puluerem, & etiam contuſus ſalis colorem oſtendit. Quintus fuit Schiſtus alius plumbeo colore inſignitus ſciſſilis in ramenta, necnon lucidus. Sextus fuit ſpecies Schiſti, vel potius Minij ſciſſilis in monte Sanctio oriens. Septima differentia fuit Schiſto congener ramentis lucidis chalybeo colore, & ferrugini permixtus. Demum octaua differẽtia pariter Schiſto fuit congener, & diuidebatur in figuras trigonas colore ſubnigro eſt præditus, & propè Campiliam in Diæceſi Florentina naſcitur. H

LOCVS.

Lib. 5. cap. 82.

IN Iberia Hiſpanię copioſus inuenitur Schiſtus, vt Dioſcorides ſcriptum reliquit. Cæterùm non ſolum in hoc loco, ſed etiam in quamplurimis alijs, & præſertim in fodinis Hircinię ſyluæ, & etiam in Bohemia, vt Georgius Agricola monuit. Præterea effoditur etiam in metallis ferri, ſæpiùs tamen in proprijs, vt etiam de Hæmatite recitauimus. Euax autem, præter loca enumerata, retulit Schiſtum Salueldiæ erui, qui modicam adſtrictionem participat. Anſelmus Boetius affirmat hunc reperiri Romæ in Vaticano, necnon in Monteacuto propè Anglarium, cuius montis cacumen ex hoc lapide conſtare perhibetur.

Lib. 2. cap. 201.

VSVS

VSVS IN MEDICINA, & in alijs.

DIOSCORIDES, & Galenus eamdem facultatem in medicina Schisto attribuunt, quam paulò ante Hæmatiti assignarunt, huius tamen virtutem infirmiorem prædicant. Dioscorides tamen huius lapidis puluere caua repleri scribit; dummodo lacte muliebri perfusus fuerit. Item ad procidentia rupta, genarum crassitiem, & ad affectus oculorum magnoperè probat. Plinius ex hoc lapide, & auro remedium ad lichenas fieri diuulgat, eo quo sequitur modo. Aurum torret cum grano salis pōdere triplici, & rursus cum duabus salis portionibus, & vna lapidis schisti. Sic enim rebus vna in vase fictili crematis, virus euanescit, & reliquus cinis in fictili seruatus, & cum aqua illitus lichenas in facie sanat. *Lib. 9. de simp. med. fac.* *Li. 33. c. 4*

Insuper Georgius Agricola scriptum reliquit nodos illos durissimos in Schisto Misenensi natos, esse in vsu apud Aurifices. Quandoquidem illis politis tergunt argentum, cui bracteas auri tenuissimas induxerunt. Insuper poliunt illas coloratas bracteas, quas sub gemmis in annulo reponunt, vt per eas melius gemmæ transluceant.

DE AMIANTO. Cap. XXV.

ÆQVIVOCA.

AMIANTVS non solum significat lapidem, quem Dioscorides in ignem proiectum neque inquinari, neque consumi asseruit, sed etiam, apud Græcos, est nomen adiectiuum, quoniam ἀμίαντος, impollutus, & immaculatus exponitur. *Lib. 5. cap. 156.*

Amiantus quoq; est mons in Cypro, qui fortassis huic lapidi nomen dedit, nisi velimus affirmare, huiusmodi montem à fodinis huius lapidis nomen inuenisse.

Insuper dum ab alijs dicitur Amentum; similiter hoc nomen æquiuocatione laborat: cum Amentum indicet omne ligamen, veluti lorum, quo media hasta olim religabatur, vt longiùs iaci posset. Immò, propriè loquendo, significat illud ligamen sub mento positum, ad pileum retinendum, ne à capite decidat.

Item Diuus Augustinus, & alij Authores, lapidem, de quo sumus acturi, Asbestum nominarunt. Hoc autem nomen, & ipsum est æquiuocum, nam Plinius, præter hunc lapidem, gemmam quoque hoc nomine insigniuit, ferrei coloris, & in montibus Arcadiæ nascentem, vel etiam in Arabia, vt voluit Albertus, quam semel accensam nunquam extingui posse pronunciarunt. De hac canit Marbodeus hunc in modum. In textu tamen authoris Abiston scribitur, sed Arbeston legendum esse censuimus. *L. 37. c. 10*

Arcadiæ lapidem tellus producit Abiston,
Ferreus huic color est, naturæ mira potestas.
Nam semel accensus conceptos detinet ignes,
Extinguiq; nequit, collucens perpete flamma.
Hinc & apud Græcos Asbaston dicitur inde,
Quod semel accensum iam non extinguere possit.

Pariter Rhenius de hac gemma sic canit.

Hic nasci lapidem, qui tacto accensus ab igne
Extingui nequeat, quem Græci nomine vero
Arbestum memorant, ferri nitet ille coloris.

Alij deniq; fuerunt, qui hunc lapidem incombustibilem, æquiuoco nomine, plumam, vel

vel lanam Salamandræ indigitarunt. Quandoquidem ſcriptum reliquit Albertus Magnus, in eruenda ferri materia ex fodinis, vaporem quemdam coloris fuſci ad cinereum tendentis eleuari, qui, inſtar lanuginis, veſtibus, & tectis ædium adhæret, hũc quia ſit incombuſtibilis, plumam, vel lanam Salamandræ vocitant, cum inualuerit opinio apud Vulgus, huiuſmodi animal ignibus reſiſtere.

Lib. 25. de Anim.

SYNONIMA, EORVMQVE ETYMVM.

VARIA huius lapidis apud Authores leguntur nomina. Dicitur ἀμίαντος λίθος Dioſcoridi ab (α) priuatiua particula, & à verbo μιαίνω polluo, quoniam ignibus reſiſtens, hic lapis impollutus, & incontaminatus remaneat. Latinis nominatur Amiantus, alijs Græcis ἀσβεστος, nempè Asbeſtus, videlicet inextinguibilis, à verbo græco σβεννύω extinguo, quoniam ad formam elychnij formatus in Lucernis ſemel accenſus nunquam extinguatur, & conſumatur, donec oleum ei ſuppeditatur. Hoc etiam animaduertit Plinius, dum linum asbeſtinum nuncupat. Eſt enim inſtar lini, vel lanæ netilis. Quinimò idem Author linum viuum indigitauit: cum in igne eius ſubſtantia minimè abſumatur. Linum Carpaſium Cælius Rhodiginus vocauit, fortaſſis à Carpaſia vrbe Cypri in ora boreali ſita, vbi eius fodinæ inueniuntur. Carbaſum vocat Solinus, & Caryſtium linum Pauſanias, quia olim circa Caryſtum oppidum effoderetur. Demum alij linum Indum appellarunt, quia ex India tantummodò aduehi crederent. Dicitur quoq; Boſtrichites Zoroaſtro, quia plexis mulierum crinibus ſit ſimilis, à voce græca βοστρυχος, quæ cæſariem ad formam comæ muliebris plicatam ſignificat.

Asbeſtus lapis, qualis.

L. 37. c. 10.

Linum aſbeſtinum, viuum, Carpaſium Caryſtium.

Boſtrichites.

Aliter nuncupatur Polia; namq; cum πολιὸς canus exponatur, hic lapis humanam canitiem imitatur. Alioquin nominatur Sparropolia, quoniam Sparti in Hiſpania naſcentis canitiem æmuletur; immò, & Corſoides à voce græca κορση, quæ crinem denotat. Georgius Agricola obſeruat hunc lapidem apud Germanos vulgò dici alumen plumæ, & hodie ſub hoc nomine circumfertur, & flos petræ etiam nuncupatur. Quadrigarius appellauit alumen, propter ſimilitudinem, quam cum alumine ſciſſili gerit. Dioſcorides tamen, inter vtrũq;, diſcrimen poſuit; cum alumen facultate adſtrigenti polleat. Quibuſdam officinis Alumen ſciſſile, ſed perperam vocitatur. Verùm potius alumen plumeum vnà cum probatiſſimis Authoribus hunc lapidem indigitare debemus, & quamuis Franciſcus Alexander Vercellenſis de hoc acriter inuehat, in Matthiolum his rationibus ductus, quia alumen plumeum texturam non patiatur, ſed ſolò attritu diſſiliat, & in illo non ſit tantum ſucci, vt inde fila formari poſſint. Nihilominus pro Matthiolo reſpondere debemus hunc lapidem apud nos neq; netilem, neq; textilem eſſe, idq; ignorantiæ noſtræ eſſe attribuendum. Præterquamquòd huc allatus eſt adeò ſiccus, & puluerolentus, vt in eo nulla ferè fila appareant. Quamobrem in tertio libro huius Tomi de Alumine verba facientes, Amiantum ab hoc alumine diſtinximus; cum re vera Amiantus netilis, & textilis recenter à propria fodina erutus faciem omninò diuerſam ab hoc noſtro alumine plumæ habeat.

Polia.

Spartopolia

Corſoides.

Paulus Venetus, in ſuo itinerario, hunc lapidem Salamandram, & Ioannes Langius in epiſtolis medicinalibus, plumam Salamandræ indigitauit, quoniam inualuit opinio apud nonnullos populos, veſtimenta ex pilis Salamandræ contexta ignibus reluctari, cum Salamandra ſit animal natura frigidiſſimum, & flammas extinguere credatur. Hoc tamen animal, neque piloſum eſt, neque ignibus reluctatur, vt in Tomo de Quadrupedibus digitatis fuit explicatum.

Epiſt. 66.

Salamandræ pluma.

Quibuſdam nuperis, referente Agricola, Amentum amarum dicitur, Sabaudis Amentum dulce. Hinc fortaſſis Amentũ dulce in vnguẽto citrino, loco Amianti, legebatur, amẽtem potius huius vocis authorẽ nominare debemus. Entalium quibuſdam Pharmacopæis dicitur fortè, quia ſit lapis ſummæ perfectionis. Arabibus Lameni, & Aliameni vocitatur. Alijs Orites gemma, ſed, vt noſtra fert opinio, perperam. Apud Albertum Magnũ erit forſitan Iſcuſtus lapis; cum illi attribuat illas omnes conditio-

A ditiones, quæ Amianto assignantur. Verba illius sunt hæc. *Iscultos, vel Iscullos netilis dt propter viscositatem in eo arefactam, & de eo fiunt veltes, & non comburuntur, sed igne purgantur, & nitent, estq; fortè illud, quod Gehennam vocant Salamandræ, quia hæc lanugo est, sicuti lanugo lapidis humidi.*

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

REPONITVR Amiantus inter lapides sciſſiles, quorum corpus totum veluti ex lineis contiguis sit compositum, vt in generibus Aluminum, salis Ammoniaci, & Hæmatitarum obseruatur. Hæc enim omnia antequam in filamenta resoluantur, compagem sciſſilem præ se ferunt. Quandoquidem, si diligenter totum lapidis corpus conspiciatur, instar ligni fibrosum, & veluti ex lignis contiguis compositum apparet. Quinimò scatet quibusdam capillamentis lanuginem quam-
B dam exprimentibus, in quæ attritione facta, facilè resoluitur. Quocirca, ad mentem Strabonis, hic lapis, excussa terrea materia, propter illa capillamenta, pectinibus facilè aptatur, vt inde tela conficiatur, quæ postmodum maculis fœdata tergitur flammis, & non comburitur. Præterea dum lapis teritur in plumam efloreſcit, quæ flos petræ nuncupatur. Hic flos cuti insperſus, ad modum vrticæ, pungit, ob tenuium aculeorum asperitatem, qui carnis poros penetrantes continuitatem soluunt. *Flos petræ quid sit.*

Plinius Amiantum lapidem alumini (quamuis Dalechampius, pro alumine, legendum censeat, ex Theophrasto, putri ligno) similem esse scribit, & nihil in igne dependere. Hæc omnia, ex Dioscoride, mutuatum esse credimus, qui Amiantum alumini sciſſili assimilauit. Aulus Gellius, authoritate Quadrigarij, scriptum reliquit, exemplo cuiusdam turris, ligna alumine illita, violentiam ignis contemnere. Idcircò dubitauimus aliquandò de quanam aluminis specie Quadrigarius locutus fuerit. Sed cum absq; epitheto alumen pronuncietur, κατ' ἐξοχήν sciſſile proculdubiò intelligendum est, quod, ob insignem adstrictionem, συστηρία Græcis nuncupatur, cuius beneficio fieri potest, vt eo ligna illita, & contractis porris, nulla ratione ignis nocumen-
C tum recipere possint. Huius conditionis est aurum, quod propter nimiam suam densitatem, ignem non admittit. Id etiam de Larice Antiquorum Vitruuius affirmat, quæ nec flammam, nec carbonem suscipiebat. Id Cæsari manifestum fuit, in expugnatione Castelli cuiusdam, quod Larignum vocabatur; cum Larice præmunitum fuerit. Huius autem effectus rationem reddens Vitruuius, tradidit Laricem illam constare humore terreo, & materia spissè solidata, & densis meatibus, per quos ignis penetrare non posset. Idem nobis affirmare liceat de lignis, ad mentem Quadrigarij, alumine illitis. Verumtamen, vt enunciemus, quæ de hac re sentimus, alumen illud Quadrigarij fuisse Amiantum lapidem arbitramur, qui, præter validam adstringendi, & siccandi vim, qua potitur, facultatem quoque ignibus resistendi participat, & instar Adamantis, innata virtute, incendia aspernatur. Diuus Basilius huc respiciens hæc verba protulit. *Est quædam corporis natura, quam Amiantum vocant inconsumptibilis igne; quandoquidem in flamma posita in prunas redigi videtur, exempta autem ab igne veluti aquis illustrata durior euadit.* Causam, propter quam hic lapis non comburatur, philosophantes meditati, attribuunt humori in terræ visceribus stabulanti, pro generatione huius lapidis, sua actiuitate, calore ignis fortiori; vnde fit, vt ab ignibus non absumatur. Quapropter Andreas Matthiolus animaduertit non deesse Impostores, qui frusta huius lapidis, pro ligno Crucis Saluatoris nostri, mulieribus, & hominibus simpliciori-
D bus vendant, cum, prima facie, lignũ præ se ferat, & ignibus reluctetur. Inualuit etiam opinio apud Orientales, quòd vestis facta ex lana terræ Abrahæ incendijs repugnet: quapropter Ethnici dum obseruabant Sanctos Martyres ad incendia damnatos, non comburi, dicere solebant ipsos esse indutos vestimentis ex lana terræ Abrahæ contextis, ne id omnipotenti Deo supra vim naturæ operanti attribuerent. *Antiquorũ larix.* *Homil. 30. de Ieiunio.*

GE-

GENERATIO, ET LOCVS.

AMIANTVS, referente Agricola, ex ſucco ſui generis reſultat: ideòq; vnaquæq; pars Amianti eſt Amiantus, veluti vnaquæq; pars auri eſt aurum, Pierius autem inter venas aluminis naſci ſcripſit, & denſiorem veluti quemdam cartilaginem interſpergi, tanquam malorum granatorum interſepimentum.

Circa natalem locum, Plinius narrat, ex mente Anaxilai, oriri in deſertis, & aduſtis Indiæ locis, quæ ab imbribus nunquam madefiunt. Dioſcorides in Cypro inſula produci aſſeruit, vbi etiam hodie propè Amiantum montem eruitur. Solinus in Arcadia inueniri prodidit. Langius quoque in Epiſtolis medicinalibus, hunc lapidem in locis auſtralibus, & in inſulis oriẽtalibus noui orbis minimè generari aſſeuerauit. Paulus Venetus author eſt, in quodam monte regionis Chynchitale, quę iuxta Aquilonem deſerto eſt finitima, & magno Cam ſubdita, erui Amiantum lapidem, & mineram, quam Incolæ Salamandram appellant diuiſam in capillamenta, inſtar aluminis ſchiſti caneſcentia, vnà cum terra, quàm amplectitur, & propterea Græci Geodem nuncupant. Noſtris temporibus, inuenitur in fodinis Saxoniæ, itẽ in Germania Suaci, in Norici metallis, vt Georgius Agricola, & Encellius teſtificantur. Ioannes etiam Boterus refert, penès Caryſtium vrbem litoralem Euboeæ, in ora auſtrali ſitam, obſeruari lapidẽ, quem vocant Amiantum, ex quo neto Priſci telas texebant. In Italia quoque reperitur, ſed adeò eſt breuis, & fragilis, vt neri nequeat: hinc fit, vt pro alumine ſciſſili, vel plumæ vendatur pro ellychnis ad lucernas formandis.

Li. 19. c. 1.

L. 1. nauig. cap. 47.

DIFFERENTIÆ.

HIC lapis, ratione coloris, & loci natalis, eſt varius, nam delatus è Cypro fuſci eſt coloris; quamuis fila ab illo extracta albicent, alibi verò eſt alterius coloris; veluti eſt fruſtulum, cuius iconem damus. Itaq; prima fronte duas poſſumus aſſignare differentias. Primas tenet Amiantus in Cypro erutus, quem abſq; nimio labore filant. Etenim venæ longiſſimæ ibi obſeruantur, quæ lanugines, inſtar Goſſypij, emittunt. Ad alteram differentiam reducitur Amiantus noſter communis, ab omnibus flos petræ nuncupatus, & in illius fragmentis aliqua capillamenta colliguntur, quæ ad filum trahi poſſunt. Quandoquidem vbi ſunt minerę noſtratis Amianti, ibi quoq; materia inſtar Bombacis obſeruatur, quæ proculdubiò netilis eſt. Ideò non eſt mirandum, ſi Antiquitas huius filandi rationem non docuerit, cum manifeſtarium euaſerit, ipſum neri ad modum lini. Sed huiuſmodi Amiantus in noſtris pharmacopolijs ſeruatus, eſt adeò exſuccus, & in puluerem ferè redactus, vt ad huiuſmodi opus minimè idoneus eſſe videatur. Hoc in loco fruſtum Amianti lapidis delineatũ damus, Cyprio valdè ſimilis, & diuiſibilis in capillamenta, more aluminis ſciſſilis. Erat hic lapis coloris argentei in ſplendore radians, & fibris, inſtar ligni, denſis conſtabat, itaut lignum lapideum videretur. Pingitur quoq; in eadem tabella ſub numero 1. nam ſub numero 2. oſtenditur icon Steatitis, de quo in ſubſequenti capite verba fient.

Amiantus Cypri.

A nonnullis aſſignatur quædam Amianti differentia, quam Entalium vocant, & colligitur in Sabaudia ſub nomine Amenti dulcis, corrupto nomine, ab Amianto; Eſt autem, ſi non Amiantus, ſaltem Amianto congener; albicat enim, & nitet inſtar politi eburis. Eſt autem friabilis, & in fila ſolubilis, quæ admodum ſunt fragilia. Encellius quoq; narrat lapidem Amianto congenerem in fodinis Germaniæ obſeruaſſe; quem Germani lingua vernacula, argentum felium nuncupant, vel quia, more oculorum felis, radiet, vel quia prorſus ſit inutilis: putant enim igne conſumi. Encellius tamen in flammis, inſtar lapidis Amianti, minimè conſumi tradidit, ſed tantũmodò purgari, & alium colorem aſſumere.

Entalium. Amentum.

Li. 3. c. 29.

Nos quoq; duos lapides Amianto congeneres pertractauimus, quos in hac tabella delineatos repræſentamus. Sub numero 1. eſt lapis Amianto albo, & nigro congener. Hic enim Amianto legitimo maximè aſſimilabatur, ſed, propter inſignem duritiam, lina-

A linamenta ex illo extrahi haudquaquam poſſe exiſtimauimus, experiẽtia tamen fuiſſet comprobandum. Sub numero 2. oſtenditur icon lapidis Amianto congeneris, colore viridi. Hic ex Cypro delatus fuit, &, iuxta noſtram ſententiam, Amianti erat ſpecies, & fila quædam alba propriæ ſubſtantiæ inſerta continebat; & quamuis ſolidæ eſſet ſubſtantiæ, nihilominus in illa denſitate ſubſtantiæ, linamenta apparebant.

1 Amianti lapidis fruſtulum.

2 Steatites lapis, de quo in ſequenti Capite agetur.



1 Lapis Amianto nigro, & albo congener.

2 Lapis Amianto congener colore viridi.

2

MORALIA.

TVTELA diuina optimè potest exponi illa similitudine, quam Diuus Athanasius ex Amianto lapide deduxit, ex quo telæ paratæ, & in ignem proiectæ non comburuntur. Huiusmodi telam, vel tutelarem vestem fore Deus pollicetur illis, qui, pro illius nomine, in calamitatum incendio versantur; ne ab illo offendi queant. Leguntur enim apud Isaiam hæc verba. *Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flammæ non ardebunt in te, quia ego Dominus tuus Sanctus in Israel.* Cap. 43. Insuper ab hoc lapide vestes contactæ non ardent, immò hic lapis maleficijs resistere perhibetur. Huius conditionis est virtus Patientiæ, Perseuerantiæ, & Constantiæ: quandoquidem si vestis, nimirum anima, virtute hac fuerit contacta, eiq; perfectè copulata, incendium criminum aspernabitur. *Perseuerãtia & Constantia.* Quinimò veneficijs, nempè tentamentis diabolicis resistet. Possumus quoq; hunc lapidem charitati, & timori diuino assimilare: nam qui Deum timent, flammam peccatorum contemnunt. Rursus id exponi potest de gratia Martyribus assistente in cruciatibus; quoniam cuicumq; cruciatus igni reluctantur. Iterum Amiantus in igne locatus non comburitur, sed nitidior euadit. Hanc perfectionem vir iustus consequi debet, dum in ærumnarum igne positus, tantam Constantiæ firmitatem habet, vt violentia ignis criminum non aduratur, sed honestate morum magis, atq; magis nitidus in dies euadit. Postremò Amiantus exprimere potest illum Rubum in Sacris Paginis tantoperè celebratum, qui ardebat, & non comburebatur. *Rubus in Sacris Paginis.* Immò talis debet pronunciari Christus, quando homines Christi cultores per gratiam, & amorem tacti, incendijs peccatorum non læduntur.

MIRACVLA.

TRADIT Metaphrastes, apud Lipomanum, die vigesima tertia Aprilis, in Encomio Diui, & gloriosissimi Georgij Martyris. Cum impijssimi Christi fidelium Infectatores, hunc virum iustum ad incendia condemnarent, & dubitantes, ne virtus Christiani nominis, diuina fauente aura, ignem extingueret, Amianto, seu Asbesto lapide Sanctum obruerunt, peculiari huius lapidis vi fisi, huiusmodi flammas extingui minimè posse. Verùm statimatq; Sanctus in tali incendio fuit locatus, illicò, supra vim naturæ, talis ignis fuit extinctus, itaut etiam crines ab huiusmodi incendio illæsi, & intacti remanserint.

VSVS IN MEDICINA.

ANSELMVS Boetius exiguam huius lapidis portionem manè, per spatium multorum dierum, cum aqua vitæ, & modico sacchari mulieribus album profluuium patientibus propinat, vt sanentur. Neq; mirum est, quoniam vim adstringendi, & exsiccandi validissimam possidet. Idem author describit linimentum ad tineam puerorum probatissimum, quod recipit vncias quatuor Amianti, libram plumbi, & duas vncias tutiæ, quæ omnia in calcem rediguntur, deinde puluis in vase vitreo cum aceto maceratur, quotidie materia semel agitata, per mensem: postea spatio quadrantis horæ feruefacta quiescat, donec claresca t. Deinde huius aceti clari, portio, cum æquali quantitate olei rosacei eatenus miscetur, quatenùs formam linimenti adipiscatur, & sic ad vsum trahitur. *Lib. 2. de lapid. cap. 206.* *Vnguẽtum pro Tinea puerorum.* Nõnulli Actiũ, pro lapide Scytico, Amiantum intellexisse arbitrantur; quoniam hunc cum felle Serpentis, quem Græci Acontiam, & latini laculum appellant, in collyrijs ad diuturnas suffusiones illiniri iubet.

VSVS IN VARIIS.

FILA huius lapidis filis lineis non admodum ſunt diſſimilia, hæc Sole ſiccata in mortario æneo teruntur, poſtea lauantur, & à terrenis excrementis purgata texuntur. Sed modus texendi, noſtra ætate, perijſſe dicitur. Ioannes tamen Baptiſta Porta, in Magia naturali, modum ſciuiſſe videtur, ſed, in illo exponendo, verba eius adeò ſunt obſcura, vt à nemine intelligantur. Verumtamen in Inſula Cypri, lanuginem huius lapidis filant; ſed oportet illam à minera efflorescentem ſtatim colligere, nam quæ diù aeri expoſita remanſerit, valdè dura euadit, & ad filum inepta redditur. Ideò Dioſcorides ex Amiãto lapide telas, velaq; tantùm ſpectaculi gratia, texi memoriæ prodidit, quæ ignibus iniecta ardent quidem, ſed flammis ſuperatis, inde ſplendidiora exeunt. Tales fortaſſis fuerunt telæ illæ lapideæ, quas Homerus nymphas in portu Phocyne texiſſe ſcribit, verſibus ſic in latinum verſis.

Lib. 13. Odyſſ.

Intus telæ lapideæ prælongæ, illicq; nymphæ
Lintea texunt cærulea mirabile viſu.

L. 31. c. 18 Plinius mappas amiantinas in locis conuiuiorum vidiſſe refert, quæ maculis in flamma deletis, ab igne magiſquam ab aquis refulgentes exeunt. Indi, vt narrat Cælius Rhodiginus, veſtibus ex hoc contextis olim inducebantur: quamuis Dalechampius id parum credibile eſſe tradat, cum in tantam longitudinem trahi nequeat, vt veſtimenta confici poſſint. Eſt tamen author Herocles Brachmanes Indorum Philoſophos huiuſmodi veſtimenta induiſſe. Item Pauſanias, in Atticis, & Plutarchus tradunt mantilia, calanticas, & ſimilia ex hoc lapide ſatis fuiſſe nota. Ioannes Langius diuulgat Tartarorum regem linteum ex Salamandra, nimirum ex Amianto lapide habuiſſe, in quo Sudarium Sacroſancti Seruatoris noſtri vultus effigie inſignitũ inuoluebat, vt ab omni incendio tutum ſeruaretur. Quinimò Carolum Quintum Imperatorem poſſediſſe referunt mantilia, quæ in ignem proiecta, tandem à ſordibus purgata, illæſa remanebant. Antiqui Romani cum præſtantiã telarum amiantinarum perſpectam haberent, cadauera ſuorum, quæ in pyris erant comburenda, huiuſmodi linteis inuoluebant, ne eorum cineres cineribus lignorum permiſcerentur, quos cineres poſtmodum, habita funebri ante rogum oratione, in vrnas condebant. Id autem de regibus tantùm antiquis ſcriptum reliquit Plinius. Olim quoq; Thryallides, ſiue Ellychnia (ſtupini Itali vocant) ex lanugine huius lapidis parabantur, quæ in Lucernis ſemel accenſa, perpetuò ardebãt, donec tamen oleum ſupereſſet. Pauſanias refert Athenis in aurea Palladis lucerna, quã Callimachus conſecrauit ex lino caryſtio, ideſt Amianto Thyallidem perpetuò arſiſſe. Idemq, in templo Veneris factum fuiſſe, narrat Iſidorus, vt nulla tẽpeſtas, nulluſq; imber extingueret, & propterea λύχνιον ἄσβεστον, nempè lucernam inextinguibilem appellauit. Diuulgat etiam Damaſus, in Vita Sylueſtri Summi Pontificis, à Conſtantino Magno ſtatutum fuiſſe parari ex hac materia ellychnia, quæ in baptiſterio ſuo Romæ ſemel accenſa nunquam extinguerentur. Similiter Ludouicus Viues, in ſcholijs ad Diuum Auguſtinum, exponit ſe cum Petro Garzia condiſcipulo, ellychnia multa Pariſijs vidiſſe, quæ in lucernis ardentibus nunquam conſumebantur, & mantile, Louanij, maculis inquinatum, igni datum fuiſſe, & paulò poſt immaculatum Domino redditum. Romæ in multis Sepulcris repertæ ſunt lucernæ ſemper ardentes, forſan cum ellychnijs, & oleo ex materia Amiantina paratis. Nam ſi quis lapidem hunc in oleum redigat, & ab omni externa humiditate purget, deinde vi deſtillationis, ad ſpiſſitudinem reducat, admirandum proculdubiò oleum parabit, quod perpetuò arſurum credimus.

Epiſt. 66.

Li. 19. c. 1.

Thryallis quid ſit.

Cap. 31.

Lib. 21. de ciuit. Dei.

Poſtremò hic lapis alios habet vſus: cum ſcribat Plinius, ex Anaxilao, omnibus Magorum veneficijs reſiſtere, & ſecuris ictus non audiri, dum arbor amiantino linteo circumdata cæditur. Addit etiam Vuecherius ignem manibus tutò pertractari poſſe, ſi manus ſequenti vnguine liniantur. Recipiunt puluerem Amianti, calcem exſiccatã, oui albumen, ſuccum altheæ, Hyoſciamum, & Pſillij ſemen, deinde omnia permiſcẽt, donec linimenti formam adipiſcatur.

Lib. 10. de Secret.

DE

DE STEATITE.
Cap. XXVI.

QVONIAM in antecedenti capite, figura Steatitis lapidis vnà cum Amianto fuit delineata, consequens erat in præsenti, nonnulla breuiter de illo in medium afferre. Hic enim lapis valdè similis est Galactiti, Thyiti, & Melititi, de quibus verba fient in subsequentibus capitibus. Mollior est huius lapidis substantia, quia sebo assimilatur; vnde nomen inuenit: cum στέαρ, apud Græcos, sebum exponatur. Est duriusculus hic lapis, coloris fusci ad rubedinem tendentis. Si supra ligna fricetur, in illis albas lineas relinquit. Ad hoc lapidis genus nonnulli terram saponis referunt.

DE GALACTITE.
Cap. XXVII.

ÆQVIVOCA.

NON est in dubium reuocandum, nomen huius lapidis esse æquiuocum, quoniam Smaragdum albis venis conspersum nonnulli Galactitem vocant. Præterquamquod Galactites Plinianus ad Morochthum Leucographiam, & Galaxiam Galeni, & Dioscoridis reducendus esse videtur, nõ ad eum lapidem, de quo in præsentia agitur. Nam Cesalpinus obseruauit hunc à Plinio inter gemmas recenseri, & vnius coloris lactei esse: cum tamen Dioscorides colorem cinereũ ei attribuat. Quapropter iure optimo dubitauit Hermolaus Barbarus, an hunc lapidem, an verò ab hoc diuersum intellexerit. Sunt tamen, qui conantur Plinium Dioscoridi hunc in modum conciliare, dicentes Plinium spectasse succum lacteum, quem de se lapis emittit, à quo nomen inuenit, quasi totus sit naturæ lacteæ, Dioscoridem verò indicasse lapidis colorem, qui prima facie nobis se se offert: est enim cinereus: sic enim lapis hic à cæteris dignosci potest. *Lib. 5. coroll.*

SYNONIMA, EORVMQVE ETYMVM.

QVONIAM hic lapis lacteum quemdam resudat succum, γαλακτίτης Dioscoridi, nempè Galactites vocatur, à voce græca, γάλα, quæ lac significat. Rhasis lapidem lactiferum indigitat. Aristoteles autem, in lapidario suo, Galaricidem, & Galatrictidem nuncupauit. Alij lactarium lapillum dicunt. Solinus scrupulum atrum succi albi indigitauit. Plinius, præter Galactitem, Galaxiam, leucogæam, leucographiam, & synephytem appellari tradidit. Quibusdam cinericius lapis dicitur, quia extrinsecus cinereum colorem præ se ferat. Item lapis lacteus, propter succum candidum, quem coti attritus reddit, vel quoniam huiusmodi succus saporem lactis habeat. Non desunt, qui letheum lapidem dixerint, quoniam præterita mala in obliuionem ducat, etymologia sumpta à lethe fluuio apud infernas sedes dilabente, cuius laticem, si quis gustauerit, vt fabulantur Poetæ, præteritorum omnium obliuiscitur. Huc respicit Lucretianum illud.

Lactarius lapis.

Lapis letheus qualis.

Quam iuxta lethes tacitus perlabitur amnis,
Supernis (vt fama est) dacens obliuia venis.

Arabibus,vt legitur, apud Bellunenſem,vocatur Hegino lebeni. Leonardus Piſaurenſis fatetur à nonnullis Graphitem,Galbatem, & Anachitem nominari, ſed hæc nomina barbara, & corrupta eſſe videntur. Germani cognominant Milchſtein, nempè lapidem lactis,noſtri ſartores, in deſignandis veſtibus, ſupra pannos illo vtuutur lingua madefacto, & lineas albas ſupra pannos ducunt, & petram Romanam appellant.

Petra Romana.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

GALACTITES ex Dioſcoride, & Galeno,vt re ipſa eſſe dignoſcitur, cinerei eſt coloris,& ſæpè etiam nigri; ſapor huic ineſt dulcis, qui non ita affatim in morochtho perſentitur,quę pariter dulcedo ſe ſe offert in Melitite lapide, eſt tamen, ad mentem Galeni, Galactite dulcior: nam hic lapis, de quo agimus, ſi teratur, ſuccũ album ad lactis ſaporem reddit.Quod Marbodeus exprimit his verſibus.

Hunc lapidem cinerei ſimilem, Galactida dicunt.

Et paulò inferius.

Lactis dat ſuccum tritus lactiſq́, ſaporem.

Cap.17. Aetius, ſermon primo, Galactitem Morochtho conſimilem colorem, ſubuiridem habere, lacteumq; ſuccum remittere, & leucographide albiorem eſſe ſcribit. Præterea Soljnus in Polyhiſtore, atrum ſcrupulum ſucci albi eſſe tradit. Georgius Agricola, qui in hac cognitione maximè excellit, voluit eſſe lapidẽ, qui ex ſaxo calcario naſcatur; colore cinereo,& attritus ſuccum lacteum, & dulcem reddat. Habet inſuper hic lapis hoc à natura inſitum,vt mẽtem perturbet,ſi diù in ore detineatur, cuius proprietatis non fuit ignarus Marbodeus, dum cecinit hunc in modum.

Cap.12.

Vbi ſeruetur.

Sed turbat mentem, ſi quis in ore liqueſcat.

Demum tritus cum aqua cuſtoditur in pyxide plumbea, propter vim glutinoſam, qua potitur:vnde cognoſcimus maximam cum plumbo habere conuenientiam. Item temperatas habet primas qualitates,propter dulcedinem, vt author eſt Galenus.

DIFFERENTIÆ.

Lac Lunæ quid ſit. IN hoc lapidis genere nonnulli reponunt illum lapidem, quem Geſnerus lac lunæ appellauit,& in altiſſimorum quorumdam montium Helueticorum ſpeluncis reperiri aſſeruit, vt Stochornij, in Ditione Bernenſium, & Palatini Lucernenſium. Nam in ſpecu quodam per ſummum montem, fornici adhærens naſcitur. Subſtantia eſt quædam fungoſa, friabilis, alba leuiſſima, quam fungum petreum, vel agaricum ſaxatile appellat Boetius. Incolæ lingua germanica Monmilch, nempè lac Lunæ cognominant. Eſt enim ſubſtantia alba, & fungoſa, ex qua talis lapis concretus eſſe videtur: ſi tamen nomen lapidis meretur. In aqua locatus ei colorem lactis impertitur, inſipidus eſt, & abſq; morſu ſiccat. Nulla in eo inuenitur aſperitas, ſed totus cum ſaliua mandentis liqueſcit, præſertim ſi fuerit mollis: nam aliquando craſſus etiam, & aſper inuenitur; ſed tunc immaturus,& crudus eſt; ideòq; odore etiam caret:namq; coctionem,& perfectionem adeptus, aſperitatem amittit, & colore albus, pondere leuis,& odore gratus redditur. Videtur autem naturam lapidum Holoſteorum imitari, qui in Palatinatu effodiuntur, de quibus in capite de Oſteocollo verba fecimus. Quoniam autem Geſnerus huic attribuit illas facultates,quæ Galactiti competunt;idcircò Galactites Veterum appellari potuit, quando tamen lapideam duritiem adipiſcitur,nam ſi mollior ſit, potiùs ad ſpeciem margę referendus eſſet. Putat enim Anſelmus Boetius Morochthum, Galactitem,& Melititem lapides nihil aliud eſſe, niſi margam induratam, quæ lapidis ſpeciem præ ſe ferat.

Marga indurata quæ

Iam noſtra intereſt breuiter examinare illas Galactitis differentias, quas diuturno temporis tractu obſeruauimus. Primus fuit Galactites cinerei coloris, intus verò leucophæi,cum quibuſdam maculis albicantibus, qui panno affricatus lineas albas ducebat. Secundus fuit lapis leucophæus maculis nigris,& albis,& ſuccum lacteum reddede-

debat. Tertius fuit Galactites colore purpureo, subalbo, atque subuiridi in agro Bononiensi nascens, & succum lacteum edens. Quartus fuit variegatus purpureo, viridi, atque cinereo colore, instar marmoris, pariter succum candidum edens. Quintus fuit alius Galactites, instar marmoris, radians, durus, lucidus, subuiridis, maculis subrubescentibus, & luteis, & panno attritus, succum lacteum fundens. Demùm conspicati sumus lapidem Galactiti congenerem maculis albis, & cinereis obscuris insignitum ad colorem cæruleum tendentibus, sed difficulter succum reddebat.

Lapis congener Galactiti.

LOCVS.

PLINIVS, & Solinus in fluuijs Acheloo, & Nilo reperiri testificantur, sed potissimum inter calculos, quibus eorum ripæ micant. Hinc Marbodeus arripuit occasionem canendi hunc in modum.

Hunc mittit Nilus, producit & hunc Achelous.

Leonardus Pisaurensis in ijsdem locis reperiri tradit. At Georgius Agricola author est in duobus Germaniç locis produci, nimirum ad Saxonum riuos, in tractu Gosselariano, & in Heideshemio, vbi in lacteo, & glutinoso terreno tantum capit incrementum, vt magnitudinem humani capitis interdum adæquet. Præterea in alijs etiam locis inueniri credimus; cum superiùs relatum sit aliquam huius lapidis speciem in agro etiam Bononiensi fuisse effossam.

L. 5. Fossil.

VSVS IN MEDICINA, & in alijs.

INTER Hæmatitem, & Melititem, lapis Galactites mediam temperaturam possidet, veluti Galenus est author. Melitites autem, eodem teste, moderatè est calidus, vt paulò post affirmabimus. Quocirca possumus asserere Galactiti nonnihil caloris inesse, atque abstergere. Rhasis modum huius lapidis præparandi docet, dicens eum cum exigua quantitate aquæ supra alium lapidem conterendum esse, & postea in vase plumbeo seruandum: sicuti Dioscorides etiam docuit Quando igitur oculorum vlcera se se offerunt sananda, in collyrijs fæliciter adhibetur, quoniam fluxionem ad tales partes ruentem cohibet. Dentitionem puerorum de collo suspensus faciliorem reddit, quemadmodum Aetius affirmauit. Nutricibus, ex Plinio, lactis fæcunditatem præstat, quando collo Infantium alligatur. Quinimò eamdem vtilitatem ijs afferre perhibetur, si post balneum cum aqua, aut vino dulci bibatur. Præterea, iuxta mentem eiusdem Plinij, in saliuam facere, & in ore liquescens memoriam adimere traditur.

Dentitionis remedium.

Amplius Magi summis præconijs hunc lapidem extollebant, quoniam rixas, & maleficia obliuioni mandare credebant, & hominem offensum statim ad beneuolentiam reducere, in causis victorem, astutum, amabilem, & facundum efficere. Item hic lapis alligatus fæmori, cum filo lanæ ouis grauidæ, partum faciliorem reddi dicebant. Deinde tritum, & sali permixtum, & in ouili mundo aspersum, ouium vbera lacte replere, illas fæcundare, & à scabie liberare diuulgabant, hancque vtilitatem à Pastoribus Aegyptijs fuisse manifestatam asseuerabant. Verum quidem est, quòd humana scabies hoc etiam remedio curari dicitur. Hæc omnia diligenter exarantur à Marbodeo hunc in modum.

Partus vt facilis reddatur.

Quem mulsa tritum lac multiplicare bibenti
Si tamen ante cibos fuerit per balnea sumptus,
Hunc ouis ex grauidæ lana traducere filo
Pertuso, lapidem decet, & circumdare collo
Sic se portantis fæcundat vbera lacte,
Dat facilem partum simili ratione ligatus.
Ad fæmur illius, quæ parturiendo laborat.

At si

At ſi mundato circumſpergatur ouili
Cum ſale mixtus aquæ ſolis redeuntis ad ortum
Lacte replentur oues, ſcabieſq; fugatur ab illis
Præterea tantis Veteres hunc laudibus ornant.
Vt bona cuncta putent ſolum præſtare gerenti,
Quæ ſimul à reliquis cuncta virtute darentur.

DE MELLITITE.
Cap. XXVIII.
ETYMVM, ET NATVRA.

MELLITITES à Galactite tantùm ratione coloris,& dulcedinis diſcrepat, propterea ſcribebat Dioſcorides hunc lapidem Galactiti eſſe ſimilem, & Mellitum ſuccum reddere; vnde etymologiam duxit. Siue poſtea huiuſmodi ſuccus, ratione guſtus, vel ratione coloris, Mellitus dicatur. Lapis hic, Encellio teſte, noſtris temporibus, planè eſt incognitus, & præſertim in officinis. Volunt autem non ſine ratione hunc dimanare à ramentis, & abraſionibus ſaxi calcarij in lapidem cõcretis, coloreq; rufo, & flauo eſſe præditum, veluti eſt chalcitis vſta, vel auripigmentum, aut ſandaracha, vt Gorræus affirmauit. Cæterùm Georgius Agricola, cui libenter aſſentiri debemus tanquam cognitionis foſſilium peritiſſimo, hunc lapidem cinerei coloris eſſe ſcribit.

Origo lapidis.

VIS, ET VSVS IN MEDICINA.

GALENVS, Paulus Aegineta, & Aetius Mellititem calore temperato præditum eſſe, ideòq; abſtergere ſtatuunt. Dioſcorides huic aſſignat illas virtutes, & dotes, quas Galactiti ineſse aſserunt. Plinius hunc ceræ permiſcet in eruptionibus pituitæ, maculis cutaneis, & in exulcerationibus faucium commendat. Tandem in vteri doloribus, ſi ligatus in vellere applicetur, remedium minimè infrugiferum Boetius prædicat.

Lib. 9. de ſimp. med. fac.
L.26.c.19

DE MOROCHTHO.
Cap. XXIX.
ÆQVIVOCA.

GALACTITI, & Mellititi valdè affinis eſt Morochthus, qui Leucographis, & Galaxia apud Plinium vocatur. Hæc autem nomina nobis ambiguitatem pariunt, quoniam Plinius Leucographim inter herbas collocauit; ſed qualis ſit hæc herba apud ipſum non facilè conſtat; illi tamen ineſſe ſcribit illas proprietates, quas Dioſcorides, Galenus, & cæteri Authores Morochtho aſſignarunt. Non deſunt tamen, qui Plinium increpent, quoniam herbam pro lapide acceperit. Nihilominus Botanici Carduum quemdam flores luteos producentem, lacteum nuncupant, & Leucographim Plinij eſſe volunt, quia lineis quibuſdam variegatus conſpiciatur. Præterea Galaxia eſt circulus in Cælo lacteus, qui, annotante Auerroe, ex reflexione ſplendoris ſtellarum reſultat. Item Galaxia eſt lapis niger, vt animaduertit Leonardus Piſau-

Comment. 9. in meteo.

A saurensis, venis intercurrentibus sanguineis, & candidis præditus. Piscis etiam quoddam genus apud Galenum, Galaxia, seu Galexia nuncupatur, qui alio nomine Mustella, siue Lampetra dicitur.

SYNONIMA, EORVMQ. ETYMVM.

MVLTA nomina huic lapidi assignantur, quæ ad Galactitem etiam spectare pronunciauimus, propter maximam inter hos lapides cognationem. Dicitur Dioscoridi μορόχθος, Aetio autem μόροχος, fortassis à verbo μορύσσω, inquino; quoniam hoc lapide apud Aegyptios inuento linteones vtuntur, ad vestes dealbandas, vt notauit Dioscorides: est enim mollis, & facilè in liquorem soluitur: quare vicem saponis subire potest. Latini vocant Morochthum, & lapidum Aegyptiacum. Aliter dicitur Galaxias à succo lacteo, quem emittit. Pariter cognominatur
B Leucographis, atq; etiam graphis, quoniam vsum calami scriptorij præstet, dum lineas albas instar cretæ, ducat. Etenim, vt constat ex Agricola, mollis est, & candidus: vnde Leucogęa etiam nuncupatur à consimili effectu; cum succum lacteum fundat.

DESCRIPTIO.

MOROCHTHVS inter illos lapides ab Authoribus connumeratur, qui in succum resoluuntur. Nam si ad cotem affricetur, locum dealbat. Plinius Morochthum cum Galactite confundit; cum tamen Dioscorides hos inter se diuersos constituat. Namq; aliud de hoc lapide Plinius habere non videtur, nisi dicamus Meroctem apud illum esse Morochthum, quem lacte porraceo sudare scribit: quemadmodum eius Cõmentator Dalechampius animaduertit. Immò Hermolaus Barbarus, atq; Encellius idem sentire videntur. Quandoquidem maximum discrimen inter hos lapides ab Anselmo Boetio proponitur, nempè Morochthum edere lacteum succum, absq; mellis dulcedine, deinde neq; album, neq; cinereum esse: cum Galactites, vel albus, vel cinereus sit, lacteum succum absq; mellis dulcedine, emittens. At Melitites vario est colore, sed lacteum succum cum sapore melleo promit. Nitet hic lapis dum durior est, instar gemmæ, aut saponis, & lineas siccus, non autem madefactus notat.

Horum lapidum differentia.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

VARIAT colore hic lapis. Nam aliqui subuirides, nigri, & mellei coloris visuntur. Obseruantur in Saxonia, inquit Boetius, Morochthi duri, & in fossa Heldeshemiana, qui nigri sunt, & lacteum succum reddunt.

Nos conspicati sumus Morochthum colore luteo diluto, ochrę valdè similem, edentem succum eiusdem coloris. Deinde Morochthum, siue Leucographim, & lac lunare Gesneri, friabilem, & margæ speciem quibusdam, & gypsum coctum alijs, colore candido, & linguæ adhærentem, quem, vt nostra fert opinio, Morochthum verum esse credimus. Rursus alium subalbum non ita adhærentem linguæ. Item Morochthum subrubrum, durum, quem Franciscus Calceolarius Veronensis rerum naturalium peritissimus Pseudomorochthum appellabat. Vidimus quoq; Morochthum, vel Rusmam Bellonij, terram metallicam extractam à fodinis propè casam vicinam Mari maiori, quæ aptissima est ad manus dealbandas, & ad carnes reddendas molles: vnde balnea ingredientes ea vtuntur.

Lib. 3. obs. cap. 33.

Quoad locum natalem, Dioscorides in Aegypto nasci scripsit: idcircò lapis Aegyptiacus quibusdam appellatur. Georgius Agricola testatur erui in Saxonia cum terra Alfeldæ, & Andreas Matthiolus, in suis Epistolis, scriptum reliquit reperiri circa Bononiam, vbi vulgò venditur.

VIS,

VIS, ET VSVS IN MEDICINA.

PRÆTERMISSO linteonum vſu, in veſtibus dealbandis, pronunciabimus cum Aetio Moroxum eſſe expertem omnium qualitatum, quia non adſtrictionem, non exterſionem, neq; mordacitatem in guſtu exhibet. Hæc omnia Aetius ex Galeno decerpſiſſe videtur. Hoc tantum habet à natura inſitum, vt citra omnem mordacitatem exſiccet: quocirca cum cerato admiſcent, & ad vlcera cicatrice claudenda adhibent in corporibus mollibus. Eumdem quoq; Ophthalmicis præſidijs permiſcent. Id etiam Rhaſis in libro de nominibus Arabicis, affirmat. Quantò autem mollior eſt, & qualitatum magis expers, tantò moderatior, & mitior euadit. Quinimò, iuxta ſententiam Pauli Aeginetæ, dolorem magis lenit.

Inſuper, Dioſcoride Authore, excreantibus ſanguinem prodeſt. Cum autem non exſiccet vehementer, non aſtringat, non abſtergat, & non mordicet, ſi bibatur in aliquo liquore, Cæliacorum, & veſicæ dolores ſedat. Pariter explet vlcera caua, deſtillationes ſupprimit, immò vlceribus diſepuloticis valdè opitulatur.

DE THYITE.
Cap. XXX.
SYNONIMA, ET ETYMVM.

HERMOLAVS Barbarus putat hunc lapidem nuncupari Thyitem à voce græca θυία, quæ mortarium ſignificat: cum fortaſſis olim mortaria ex hoc lapide fabricarentur. Alij opinantur hunc lapidem ab Hippocrate Aconem fuiſſe cognominatum; cum ἄκονή ſit cos, & Cotes olim ex tali lapide fiebant. Dubitant etiam aliqui, num lapis hic ſit ille, quem Itali *Verdello* nuncupant, in quo aurum frictione examinatur. Inueniuntur in quibuſdam fluuijs lapides virides ſuccum lacteum emittentes, qui à Thyite Dioſcoridis legitimo, & ab illius prærogatiuis recedere minimè videntur.

Verdello quid ſit.

LOCVS, DESCRIPTIO, & vſus in Medicina.

THYITES, referente Dioſcoride, in Aethiopia generatur, colore ſubuiridi, ſimilitudine Iaſpidis, & ſuccum lacteum dilutum reddens, qui maxima acrimonia eſt inſignitus: ideòq; tenebras vexantes oculorum pupillam expurgat. Quamobrem Galenus id obſeruans, ſcriptum reliquit, ob hanc facultatem acrem, fæliciter adhiberi ad purgandum, & abſtergendum quicquid pupillam, abſq; phlegmone, infeſtat. Idcircò in cicatricibus recentibus adhibetur, quas facilè attenuare poteſt. Quinimò & pterigia, nempè vngues oculorum, niſi fuerint admodum duri, hoc præſidio tolluntur.

A

DE SPONGITE. Cap. XXXI.

ÆQVIVOCA.

CVM Spongites inter illos lapides reponatur, qui succum lacteum emittunt, operæ pretium fuit, illius quoque historiam hoc in loco recensere. At animaduertendum est Spongitem ambiguitate laborare, cum hac voce, non solum denotetur lapis nascens in meatibus spongiarum, quem in præsenti capite sumus examinaturi, sed etiam quicumq; lapis multis foraminibus peruius, ad instar spongiæ: Etenim nuper præ manibus habuimus Tiburtinum spongiosum, quod nomen partim à loco, nempè
B ab Agro Tiburtino, partim à forma spongiæ, acquisiuit: quapropter Spongites appellari potuit. Cum autem esset multis foraminibus refertus; nihilominus in aqua mersus, fundum petebat, & hac ratione eius grauitas dignosci poterat. Tandem hic lapis ab aliquibus nominatur Thecolitos, quę vox est etiam ambigua; propterea quòd lapidem etiam Iudaicum denotat. *Lapis Tiburtinus spongiosus.*

SYNONIMA, ET ETYMVM.

PRIMITVS vocatur Spongiæ lapis; cum à spongijs originem ducat: Item spongites ob eamdem rationem. Paulus Ægineta Spongiam lapidem nuncupat. Quibusdam dicitur Cysteolithos, ob facultatem illam, quam possidet frangendorum vesicæ calculorum, aut quoniam in foraminibus spongiarum, tanquam in Cysti generetur. A nonnullis etiam, ob prædictam virtutem, appellatur Tecolithos,
C nempè liquefaciens lapidem, à verbo græco τήκω liquefacio, siue attenuo, necnon à voce λίθος, quæ lapidem denotat: vnde fit τηκόλιθος, & vertitur à Latinis Tecolithus, non autem Ticolithus, vt nonnulli perperàm scribunt: nam Plinius hoc nomine à quibusdam lapidem in spongijs nascentem insigniri retulit. *Tecolithus.*

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

TRADVNT Authores huiusmodi lapidem non esse cognitu difficilem; immò cunctis hunc esse notissimum statuunt: cum rarissimæ sint spongiæ, quæ huiusmodi lapidibus careant. Hic quodammodò naturæ spongiosæ videtur esse; quandoquidem, more pumicis, leuis est, item candidus, & friabilis, necnon in succum lacteum facilè soluitur. Cum autem in meatibus spongiarum inueniatur, dicendum est ex aqua marina, tanquam ex causa materiali prodire. Hæc enim aqua in
D foraminibus spongiarum concrescens, varias adipiscitur figuras, iuxta formam loculamentorum, in quibus residet. Quamobrem non est mirandum, si Gesnerus salsum saporem inesse huic lapidi affirmet.

DIFFERENTIÆ.

LAPIDES huius generis passim in spongijs marinis inueniuntur; cum ibi tanquam in matrice nidulentur. Colore sunt albicantes, variasq; sortiuntur figuras, quas credimus dimanare à varietate cauitatum, quę in spongijs deprehenduntur. Namq;, iuxta figuram meatuũ spongiæ, consimiles etiã formas nanciscuntur.

Nos quinque diuersas huius lapidis figuras obseruauimus, & has omnes delineari curauimus; quemadmodum in sequenti tabella numeris distinctæ conspiciuntur. Cæterùm si rectè huiusmodi lapides meditemur, faciem quodammodò Alcyonij habere comperiemus.

Spon-

Spongitis quinque differentiæ hactenus obſeruatæ, & delineatæ.



A

VSVS IN MEDICINA.

QVONIAM hic lapis facultatem extenuandi sine caliditate insigni possidet, propterea Dioscorides cum vino huius puluerem in lithiasi propinat, idemque Matthiolus, & Mylius affirmare videntur. Etenim inualuit opinio apud omnes ferè Medicinæ authores, calculos vesicæ auxilio huius lapidis diminui posse. Galenus tamen id negat, quoniam in solis renum lapillis diminuendis spongitem efficacem prædicat. Quinimò illum tantummodò spongitem celebrat, qui ex Cappadocia aduehitur; cum præsertim hic in lacteum succum soluatur. *Lib. 9. de simp. med. fac.*

DE GYPSO. Cap. XXXII.

B

SYNONIMA, ET ETYMVM.

APVD multas nationes hoc genus lapidis idem ferè nomen sortitur. Primitùs Græcis vocatur Γύψος fortassis, quoniam γύπαι sint lustra, & domicilia subterranea, quæ commodiùs fieri possint, vbi gypsum generatur, aut quia, in eruendo hoc lapidis genere, tales in montibus parentur cauitates, quæ ferarum lustra esse possint. Hinc Latinis dicitur Gypsus, & etiam Gypsum. Arabibus vocatur Gepsen, & Giepsem. Pandectario Igetim, & Clastrũ speculare. Italis Gesso, Gallis Plastre, Germanis Gypss, Hispanis Yesso.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

C PLINIVS, & cum illo multi Authores scribunt Gypsum rem calci cognatam esse, eiusq; venas per saxa calcaria vagari. Discrepant tamen ab inuicem, quoniam Calx humore aliquo extincta insignem calorem acquirit, Gypsum autem nequaquam. Est autem duplex eius genus, fossile vnum, alterum factitium. Fossile natiuum à terra effoditur, summa tamen tellure, est autẽ res similis ferè nitro, latis quandoq; venis. Factitium paratur, & coquitur ex lapide albo alabastriti simili, cuius lapidis venæ, ad mentem Encelij, reperiuntur in saxis, Ienæ, in Germania, & ad syluam Hirciniam. Videtur autẽ lapis hic esse quasi medulla saxi indurata, & species Aphronitri, aut Gypsi veri, aut lapidis Calaminaris. Præterea Gypsum factitium paratur ex lapide illo sciffili speculari, qui lapis omnium optimus est, vt testatur Plinius, in Agro Bononiensi, & præsertim in Collibus Vulgo Sancti Raphaeli nuncupatis, vbi plurima illius copia effoditur. *Gypsum duplex.*

D

GENVS, ET DIFFERENTIÆ.

PLVRA Gypsi sunt genera, ad mentem Plinij, quæ colore, splendore, atq; figura discrepant. Primum est cãdidum, quod plerumq; multis in locis candidissimum generatur, vt scribit Agricola. Northusæ, & Hildesheimi, vbi quamsimillimum ebori conspicitur, ibi quoq; in candido cinereum prouenit. Cinereum nigris maculis interstinctum in Misena ad Salam effoditur. Cinereum tantum Northusæ producitur. Misena quoq; subrufum, & viride gignit.

Præterea Gypsum, ratione nitoris, varias sortitur differentias, nam aliud, stellarum instar, radiat, & præsertim illud, quod glebæ figuram habet. Aliud ad modum marmoris splendet, vt Heldeshemium in candido cinereum, & quod subrufum est Misenæ. Aliud translucet, quale interdum ex Gallacia affertur.

Quoad figuram, Gypſum alia ſortitur diſcrimina. Namq; aliud eſt globoſum, quale eſt Miſenum ſubrufum, & cinereum, nigris maculis inſignitum aut conſtat ex cruſtis, quale eſt cinereum, quod Northuſæ eruitur. Aut, inſtar Salis Ammoniaci, fiſſum eſſe videtur, quale Miſenum, candidum, atq; viride obſeruatur. E

Figura variat.

Quatuor Gypſi genera reperiuntur in Italia, ſcilicet duo diaphana, & totidem opaca. Primum genus tranſparentium eſt ſimile fragmentis aluminis, aut potiùs alabaſtri, & vulgò vocatur *Cipollato*, quaſi, cæparum inſtar, conglobatum. Conſtat enim ex ſubtiliſſimis ſquamis: ſibi innicem copulatis. Alterum genus eſt ſquamoſum, & nigro ſali, atq; albo alumini ſimilius eſſe videtur.

Illa verò Gypſi duo genera, quæ non ſunt diaphana, ſed opaca, ſimilia ſunt Cretæ, valdèq; ſerrata, vnum tamen albicat, atq; palleſcit, aliud quemdam ruborem cum pallore admixtum habet: Quod rubrum eſt, tenacitatem participat, & in Agro Ariminenſi potiſſimùm prouenit, eſtq; adeo durum, vt marmor, aut quoddam Alabaſtri genus eſſe videatur. Cum autem omne Gypſum plerumq; duriſſimum ſit, nihilominus in Thuringia, inter Northuſam, & Eldericum oppidum, & in Saxonia, in tractu Hildeſemio reperitur molle, & ſaccharo ſimile, & potiùs ſpeciem terræ, quàm lapidis præ ſe ferre videtur. Quandoquidem ita eſt friabile, vt digitis facilè in puluerem reducatur. Eſt etiam in Gypſo, quod flos appellatur. Veteres Chymiſtæ argentum viuum gelu conſtrictum, nempè ſpiſſatum, etiam condenſatum Gypſum vocabant. F

Flos Gypſi.

LOCVS.

IN Apennino Italiæ monte paſſim multæ Gypſi venæ obſeruantur, ſed præſertim in Agro Bononienſi in Collibus Sancti Raphaelis vulgò dictis, necnon in vniuerſa Hetruria. Plinius ex lapide coqui in Syria, & Phœnice, ac Thurijs retulit, Deinde ex terra, & quidem ſumma eius cute parari in Cypro idem Author diuulgat. Copioſa eſt Gypſi Aetolia circa Thymphem; vnde, Tymphaciũ Gypſum appellatur.

Naſcitur præterea in multis Germaniæ locis, vt Georgius Agricola teſtificatur, & potiſſimùm in montibus Miſenæ, qui ſunt ad Salam, apud Saxones, in Heldeshemio vltra montem Mauritij, in Hircinia Sylua Stolbergi. Item apud Chattos, inter Aldedorphum, & Eſchuegam oppida, non procul ab arce Pilſteino. Rurſus apud Turringos Northuſæ, vbi multi Gypſei montes conſpiciuntur, & apud eoſdem ad Gotham, vbi eruitur à monte, quem Sebergum cognominant. Reperitur etiam apud Gallecos citerioris Hiſpaniæ populos. Rurſus in Thæſalia, in Mauritania Ceſarienſi, vbi portus ab eo nomen gypſariæ inuenit. G

TEMPERATVRA, & præparandi ratio.

H

Lib. 9. de ſimp. med. fac.

NATVRA Gypſi frigida eſt, & ſicca, habetq; naturam conglutinandi, conſtringendi, & præfocandi, propterea Authores non ſine ratione venenoſum eſſe arbitrantur. Galenus, ratione communis facultatis terrarum, & lapidum, quæ deſiccandi virtutem poſſident, hoc adiunctum, ſcribit habere Gypſum, quòd facultatis ſit emplaſticæ, quia lapideſcit maceratum. Quocirca commiſcet ijs medicaminibus, quæ ſanguinis eruptioni accommodantur. Deuſtum non æquè emplaſticam virtutem habet. Cæterùm tenuiorum eſt partium, & valentius deſiccat; immò repercuſſiuum facit Galenus medicamentum, præſertim ſi oxicrato maceretur.

Gypſum factitium.

Gypſum factitium ſic præparant. Partes integras montium perforant terebra, ad craſſitiem brachij humani, longitudine quinque cubitorum, quibus perforatis puluerem pyrium includunt, & foramina obſtruunt, rurſuſque aliud foramen exſtruunt; figura quadrata, tres dodrantes, longum, & latum vnum; quod ligno rotundo occludunt, ne pyrius ille puluis vento auferatur, deinceps appoſito igne

in

A in principio ligni, in quo canaliculus est eo puluere plenus, maximo strepitu, atque fragore accenditur, & tunc montium partes destruuntur, & rumpuntur, quorũ fragmenta fornacibus imposita, spatio diei naturalis coquuntur, & deinde in Gypsum conteruntur, & seruatur ad vsum; nam dum recens est aquæ immersum facilè lapidescit, sed seruatum ad diuturnum tempus vix coit, & vnitur.

VENENVM, ET MEDELA.

DIOSCORIDES, & Auicennas scripserunt Gypsum reponendum esse in genere venenatorum præfocantium; ideòque propter hanc vim præfocantem, & admodum exsiccantem, humidum cordis humani absumere traditur. Hinc aquæ thermales mineram gypsi lambentes tanquam venenatæ à potu arcentur. Præterquamquòd venenatum esse gypsum multa Antiquorũ exempla demonstrant.
B In primis testificatur Plinius C. Proculeiũ Augusti Cæsaris familiaritate subnixum, vrgente stomachi dolore, potato Gypso, mortem sibi conscisse. Rursus Manuel Imperator Constantinopolitanus, Cuspiano authore, Conrado tertio Imperatori exercitum ducenti per Bosphorum inuidens, commeatus sufficientes pollicitus, Gypsum in pollinem redactum farinæ permiscuit: vnde Conradus, re infesta, domum reuerti coactus est. Simili fraude Ludouico Francorum Regi persuasit per deserta Syriæ copias ducere; itaq; inopia rerum afflictus est exercitus, & re infecta, per Seleuciam, Antiochiam petens, tandem Palestinam ingressus est, magno labore, & damno, multis fame, atq; morbo consumptis. Iure igitur olim lege sancitum est, vt Gypsarius à vicinis ædibus distaret vnius tecti, fenestris in gypsarium caminum prospicientibus, ad ortum vergentibus; vel Septentrionem octo cubitis, & quatuor ad Occasum, vel Meridiem; tanta enim in Gypso qualitas venefica fuit constituta. *Vis gypsi venefica.*

Hausto igitur Gypso, talia sequuntur symptomata, nempè labiorum, linguæ, totiusq; corporis pallor, tussis vehemens, singultus frequens, partium principum læsio,
C scilicet amentia, & obliuio, deinde inflammatio, necnon cerebri, & totius corporis exsiccatio. Subsequitur etiam linguæ asperitas, dolor stomachi, tensio hypocondriorum, colica difficultas, angustia anhelitus, alui stipticitas, & tandem syncope. Hæc autem signa non semper omnia, sed aliqua ex prædictis in Patientibus obseruantur.

Hæc affectio difficilem admittit curationem, quando altas egit radices. Quapropter si Gypsum recenter fuerit sumptum, & adhuc tunicis ventriculi hæreat, vomitus est prouocandus. Sin ad intestina descenderit, clyster est præscribendus. Hæc tamen medicamina parentur ex butyro, oleo, mucilagine, pinguedine, atq; alijs huius generis, quæ ad caliditatem, & humiditatem declinant. Alioquin paranda erunt enemata ex diagridio, & colocyntide præparata, habita tamen ratione symptomatum, quæ cardiaca medicamenta expostulant. Dioscorides origanum, & eiusdem decoctum probat. Plinius laudat oleum in aqua mulsa, & lac asininum, quod venenum Gypsi hebetare testatur. Rhasis decoctionem maluæ cum melle, & exigua olei portione prima vice præscribit, postea aquam cineris vitis, & ficuum, cum dulci vino, & aquam hordei per multos dies idem præstare diuulgat. Conciliator, in Tractatu de Venenis, Gypsi Bezaar statuit esse stercus muris tritum, & pondere vnius drachmæ potum, quod Muscerdam appellare solent. *Medela gypsi.*

DENOMINATA.

QVATVOR pituitæ differentias superuacaneæ Medici constituunt, quarum prima tenuis est, & aquea, qualis plerunq; ad modum aquæ è naribus stillat. Altera muco est similis, quam calor corporis ex tenui ad modicum lentorem reducit, vt muci consistentiam acquirat. Hæc si, virtute caloris, tantam crassitudinem adipiscatur, vt in partibus concluſa possit adhærere, vitrea appellatur, & hæc est pituitæ tertia differentia. At si ex concretione, & concoctione ita durescat, vt in duritiam lapidis, vel gypsi vertatur, quarta emergit species pituitæ,

Gypſea pituita. quæ gypſea nuncupatur. Hanc Fernelius ſæpè in pulmonibus, & in articulis digitorum repertam fuiſse ſcribit.

Gypſophyſon herba. Secundam ſpeciem Symphiti petrei Ioannes Thalius, in Hircinia ſua Saxonothuringica, γυψόφυσον vocat, quoniam radice ſua ſaxa, è quibus aquę Gypſum lambũt, adeò arctè amplectatur, vt circa ſe nihil ferè terræ obtineat.

A Gypſo deducitur gypſatus: ideòq; apud Ciceronem in Epiſtola ad Trebatium, huiuſmodi nomen legimus. Hinc Petrus Victorius huiuſmodi verbum ex Medea Ennij depromptum fuiſſe arbitratur: ibi enim hæc leguntur. *Habet quibus illa manibus gypſatiſsimis perſuaſit, ne ſibi vitio illæ verterent, quod abeſſet à patria.* Neq, quidquam apud Euripidem reperitur, vnde fabula expreſſa eſt, quod oſtendat manus, vel partem vllam corporis Medeæ hoc, vel illo colore fuiſſe tinctam. Quamobrem Petrus Victorius ex illis verbis Ennij colligendũ eſſe putat, eum indicaſſe pulchritudinem, & candorem corporis fuco, & induſtria acquiſitum; nam Gypſi candor eſt eximius. Id docet etiam Plato in Phœdone, vbi inducit Socratem fabulã exponentem. Cæterum Iacobus Greuinus Ciceronẽ, pro manibus gypſatiſſimis, venenatas intellexiſſe ſcribit.

Li.20.var. lec.cap.13.

VSVS IN MEDICINA.

Lib.2.trac. 2.cap.284. AVICENNAS Gypſum lapidem laminoſum, album, & tranſparentem eſſe dixit. Quinimò inhærens ſententiæ Dioſcoridis, & Galeni, natura frigidũ, & ſiccum eſſe conſtituit: quocirca proprietatem, & operationem glutinandi, & ſiccandi in ipſo vigere retulit, & commendat illud in affectibus à Dioſcoride, & Galeno memoratis. Etenim Dioſcorides Gypſum præſcribit in ſputo ſanguinis, & in copioſo ſudore cohibẽdo, ſed potiſſimùm in emplaſtris, quoniam in medicamentis internis viſcera obſtruens mirandum in modum lædit. Idem repetit Galenus: deinde addit Gypſum combuſtum non æquè emplaſticã vim poſſidere, ſed tenuiſſimarum eſſe partium, & valentius exſiccare: nam, propter aduſtionem, maiorem vim exſiccandi acquirit. Pariter in libro Galeno attributo de ſimplicibus medicamentis ad Paternianum, leguntur hæc verba. *Gypſum lapidis genus eſt ſimile vitro, cuius optimum eſt, quod venas habet latas, & lucẽtes, & hac ratione paratur in Clybano miſſum, nam, vt calx, ſit cãdidum, & vires acquirit, quas & terra Samia; & amplius ſtipticas, & refrigerantes: vnde illitum fronti, ſanguinis fluxũ reſtringit, potatũ verò in Dyſentericis, & Cœliacis, omne profluuiũ ſiſtit.*

Gypſum in emplaſtris.

VSVS IN VARIIS.

Li.36.cap. 24. CVNCTIS notiſſimum eſſe credimus fabros murarios ad fabricas ædificiorum Gypſo vti. Plinius in albarijs ſigillis ædificiorum adhibitum fuiſſe, & coronis gratiſſimũ diuulgauit; cum tamen Vitruuius in his Gypſum prohibeat. Legimus enim Antiquos nectendorum, & geſtandarum coronarum adeò fuiſſe curioſos, vt, quo tempore terra negat flores, ramenta cornuum in florum ſpeciem Gypſo, & alijs coloribus tingerent: quemadmodum, noſtris temporibus, pẽnis auium, lignorum ramentis, chartis, & ſerico artificioſè diſſectis, atq; vario colore tinctis, vernos flores mentiantur. Laudatur etiam Gypſum propter tenacitatem ad vaporaria conclauium. Diodorus Siculus narrat à quodam Syro Babyloniæ rege hortum penſilem in gratiam pellicis ſuæ fabricaſſe, cuius lateres cocti duplici ordine gypſo erãt conſtructi. Romani crates luto, ſpatio tridui, contuſo oblinibãt, & poſtea calce, & gypſo veſtiebant, varijſq; picturis exornabant. Gypſum purius ad fabricam ſtatuarum, & aliorum albiſſimorum ornamẽtorum confert. Lyſiſtratus Sicyonius Frater Lyſippi fuit primus, annotante Plinio, qui Gypſo imaginem hominis è facie ipſa exprimeret. Fuit etiam apud Veteres Gypſi vſus in fabricis deſignandis, hocq; manifeſtum eſt apud Strabonem de Alexandro Rege; namq;, cum Architecti ambitum vrbis Alexandriæ Gypſo deſignarent, &, aduentante Rege, defeciſſet, qui farinam operarijs diſpenſabant, partem illis præbuerunt, qua vias in plures diuiſerunt, atq; id in bonum omen acceptum fuit.

Li.3.cap.4.

Præ-

A Prætores Romani edictum, ex quo, anno suo, ius dicturi erant, in Albo, nimirum in tabula gypsata, & in loco publico proponebant, vt omnibus cognoscendi esset potestas. Si quis verò Album, nempè tabulam gypsatam corrupisset, proculdubiò puniebatur, quia maiestas Prætoris contemnebatur. Hæc igitur tabula gypsata vocabatur Album, vnde Seneca inquit. *Index ex turba Selectorum, quem census in Album, & equestris hæreditas misit.* Hinc locus prouerbio factus est: non eras in hoc Albo, nimirum non eras in hoc numero. Hoc Album Pyctarium etiam dicebatur, vt in Alexandro Cæsare Lampridius notat, vulgò matrix, & matricula. Similiter illa tabula dicebatur Albũ, in qua acta singulorum annorum litteris mandabantur à Pontifice Maximo, proponebaturq; domi eius, vt potestas esset Populo cognoscendi, & annales maximi nominantur, vt author est Cicero.

Albũ quid apud Veteres.

Lib. 3. de benefic.

Lib. 2. de Orat.

Veteres quoq; vsi sunt Gypso, in dealbandis armis, quandò noctu hostes aggredi volebant, vt comilitones ab Aduersarijs dignoscerent. Authores sunt Pausanias, & Herodotus, qui Phocenses quingentos homines elegisse scribunt, qui, noctu, oblitis B Gypso corporibus, & armis dealbatis, Thessalos aggressi sunt, ingentemq; eorum cædem factam fuisse memorant. Quandoquidem ea specie territi, quid diuinitùs, per noctem sibi accidisse, non autem hostium astutia inuenisse interpretabantur. Alij oraculum ipsis editum esse scribunt terram possessuros, viq; ad id tempus, quo Corui albi facti fuerint. Id de Iphiclo narrat Athenæus, qui venatus Coruos, illos Gypso ob itos dimisit, & hac ratione Regni factus est compos. Inoleuit etiam consuetudo apud Romanos, vt pedes seruorum suorum Gypso tingerent, aut creta, quæ ex longinquis regionibus aduehebatur; & sæpè tales serui, Plinio referente, honoribus prętorijs fuerunt decorati. Id confirmans Tibullus dixit.

Pedes gypsati qui.

Nota loquor, regna ipse tenet, quem sæpè coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Græci, pro Cymolia terra, in vestibus poliendis, temporibus Theophrasti, Gypso Tymphacio vtebantur. Oraculum vetus redditum quandoq; intelleximus, quod & Piscatoribus fuit percelebre, scilicet vinum esse in mari demergendum. Id signifiC cabat marinam aquam esse vino affundendam, quoniam vinum incorruptum defæcatum, & purum reddat. Neq; hoc à veritate alienum esse videtur, quoniam, nostris temporibus, vinum turbidum, impositione salis, clarescit. Qui à mari erant remoti hoc opus Gypso consequi putabant, si tamen prius exuserint: probabatur præcipuè ex Zacintho. Ad rem, recensetur ab Athenæo Dionysij fuga ad mare, quoniam ibi suauius fiat vinum. Vina Gypso condita apud Africanos fuisse testatur Plinius. Id confirmare videtur sententia Arbitri, in Satyra, quando inquit: Allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, in quarum ceruicibus erant pittacia hoc titulo exarata: *Vinum falernum annorum centum.* Quapropter Iulius Alexandrinus collegit vetustatem vino conciliari ex gypso solitam, propter exsiccantem eius facultatem. Etenim siccissimum est Gypsum, deinde vis adstringendi in illo est insignis: quapropter robur, atq; vim addere potest substantiæ vini, ne tam citò flaccescat, & dissoluatur. Hodie quoq; adstringendi facultate aluminis rupei vinorum corruptioni occurrunt. Olim mala oblinibant cera, aut incrustabant Gypso. Hoc indicauit Plinius his verD bis. *Mala verò generosissima eadem ratione crustant Gypso, vel cera, quæ nisi maturuerint, incremento calicem rumpunt.*

Li. 35. cap. 17.

Vinũ gypso conditum.

Li. 15. cap. 17.

Martyrum sanguinem Gypso colligi solitum, referente Nouarino, pronunciauit Sanctus Gaudentius Episcopus scribens ad Neophytos, dum ait: *Post istos, habemus Geruasium, & Prothasium, atq; Nazarium beatissimos Martyres, qui se ante paucos annos, apud vrbem Mediolanensem, Sancto Sacerdoti Ambrosio reuelare dignati sunt, quorum sanguinem tenemus Gypso collectum, nihil amplius requirentes.*

Tract. 17.

DE SELENITE.
Cap. XXXIII.
ÆQVIVOCA.

Lib.4.

NE cum planta eiuſdem ferè nominis, neuè cum multis alijs lapidibus, Selenites noſter confundatur, iuremeritò, antequam eius hiſtoriam aggrediamur, nominis ambiguitatem explicare decreuimus. Selenites igitur, teſte Dioſcoride, in antiquis herbarum nomenclaturis, quibuſdam appellatur Chamæeiſſos, necnon Chamæleuce, hedera ſterilis, & terreſtris, alijſq; terræ corolla. Euſtathius, pro Selenite, F vt animaduertit Hermolaus Barbarus, alium quoque lapidem intelligit, qui alio nomine Aſterius, ſiue Lychnites vocatur, naſcens in Thracia. Huius conditionis fortè fuit lapis, cuius icon in tabella ſub numero 2. repreſentatur. Vidimus alium lapidem, cuius icon numero 3. conſpicitur, figuræ oualis, qui gemmam orientalem, Heliotropium, nuncupatam æmulabatur. Erat tamen naturæ Iaſpidis, colore viridi obſcuro, & Lunæ corniculatæ effigiem, iuxta vtramq; partem, referebat, colorq; figuræ lunaris rubeſcebat. Quapropter Iaſpis Selenites fuit appellatus. Sub numero 1. pingitur alius lapis nomine Tuberites Selenites; proptereaquòd, & Tuber terræ, & quodammodo Lunæ falcatæ formam exprimat. Sub numero 4. & 5. Lapis pronè, & ſupinè delineatur, qui Achates Selenites fuit cognominatus. Coloris erat albi, & ſubferruginei, & iuxta alterum latus figura oculi apparebat, quibuſdam lineis ambientibus ità circumdata, vt quodammodo effigies cæleſtis Iridis in eo appareret. Præterea, iuxta alterum latus, vt ſub numero 5 conſpicitur, erat forma corniculatæ Lunæ: quinimmò, inter duo cornua Lunæ, lapis maculam albicantem habebat. Hac de cauſa hic etiam G lapis Selenites fuit cognominatus: cum Græcè σελήνη Lunam ſignificet. Cæterùm de varijs Selenitis differentijs hactenus memoratis hoc in loco non agimus, ſed de illo tantùm, cuius ſynonima, naturam, & prærogatiuas paulò inferius explicabimus.

Heliotropium gemma.

SYNONIMA, EORVMQ ETYMVM.

SELENITES, de quo in præſenti capite ſumus acturi, non fuit nominatus, quia Lunæ imaginem contineat, ſed quia, vt inquit Dioſcorides, media nocte reperiatur, cui tempori Luna præeſſe dicitur, ſic etiam Dalechampius animaduertit. Selenites à Luna nomen obtinet, quoniam, ipſa decreſcente, vel accreſcente, augeatur, vel minuatur, à Romanis olim Lunaris gemma vocabatur, nam ab ipſis Selenites inter gemmas collocabatur. Iſidorus Selenitem latinè lunarem interpretatur, proptereaquòd interior lapidis candor vnà cum Luna creſcere, atq; deficere dicatur. H Galeno, & nonnullis alijs Græcis Aphroſelinos vocatur, quaſi ſpuma Lunæ. Aetius σπεκλάριον, καὶ διαφανὲς à ſplendore nuncupat. Plinius Specularem lapidem, & Selenitem indigitat, quia perſpicuus ſit, inſtar ſpeculi. Quamobrem Stephanus Aqueus Specularem appellari voluit, quia vitreis orbibus plumbo iunctis, inſtar vitri, imponatur.

Spuma Lunæ.

In com. ad Plin. li. 19. cap. 5.

Comarin quoq;, & Cupholithon à ponderis leuitate aliqui indigitãt: etenim κοῦφος leuis exponitur. Apud Chymiſtas, teſte Hermolao Barbaro, Argyrolithos, quaſi lapis argenteus nominatur. Alijs Aſterius, & Lychnites appellatur, ſed perperàm, vt ſuperiùs notatum fuit in æquiuocis: namq; his nominibus diuerſi lapides à Selenite intelliguntur. Apud Iacobum Syluium, in vnguento marciato, lapis vitri, axungia vitri, & gypſum lucidum cognominatur. Non defuerunt etiam, qui Speculum Aſini, & Glaciem Mariæ nuncupauerint. Hoc enim nomen quidam Germanorum huic lapidi impoſuerunt, quia candida huius cruſta magnam cum glacie ſimilitudinem habeat.

Speculum Aſini.

Glacies Mariæ.

Etenim

1 Selenites Tuberites.
2 Asterius fortè Eustathij.
3 Selenites Iaspis.
4 & 5 Achates Selenites pronè, & supinè.





Etenim cum Iulianus Cęſar id in glacie fluuij Sequanæ animaduertiſſet eam ſimilem lapidi Phrygio eſſe aſſeruit: ſic enim lapidem hunc ſpecularem vocabat, quia in Phrygia reperiretur. Vocatur etiam Alumen Scaiolæ, nõ quod ſit Alumen, aut quidpiam ſimile, ſed quod in Scaias, nimirum in cruſtas, & ſquamas facilè diuidatur. Tandem Marbodeus Gallus hunc nominari Sanctũm lapidem, aſſeruit his verſibus.

Alumen Scaiolæ.

Lunares motus, & menſtrua tempora ſeruat,
Creſcit enim Luna creſcente, minorq; minuta
Efficitur, tanquam cœleſtibus anxia damnis:
Idcircò Sanctus lapis à pleriſq; vocatur.

Auicennas hunc lapidem vocat Hagiar Alchamar, nimirum, vt eius Interpretes vertunt, lapidem Lunarem, vel quia ſeruet motus Lunares, vel quia, vt nonnulli volunt, noctu, inſtar Lunæ, luceat. Nunquam tamen vidimus Selenitem, neq; alium lapidem noctu vnquam lucentem, & quamuis lapis ille illuminabilis, de quo paulò inferius mentionem faciemus, in tenebris radiet; nihilominus id non naturaliter, ſed arte præſtat lapis.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

ALBERTVS Magnus ſcriptum reliquit hunc lapidem in quodam teſtaceorum genere naſci, in India, Perſide, & Arabia. Hinc nonnulli exiſtimarunt tales lapides eſſe Margaritas, quoniam, teſtimonio Garziæ ab Horto Proregis Indiæ Medici, plenæ inueniantur, creſcente Luna, & poſt pleniluniũ captæ cum tempore minuantur, & decreſcant, & viciſſim, ſi ante hoc tempus prehendãtur, in eodem ſtatu permaneant, deinde quia candidæ, & leues ſunt, in eis corniculatæ Lunæ imago apparet. Id autem prouenire putamus à ſphærica figura, quæ propter vmbram, & reflexionem, talem imaginem reddit. Cum autem à nemine Veterum, neque etiam à Plinio Margaritæ, Selenitis nomine, inſigniantur aliam gemmam pro Selenite, ab Antiquitate intellectam fuiſſe non dubitamus.

Li. 3. c. 17. Encellius multis rationibus probare nititur Selenitem eumdem eſse cum lapide Arabico Dioſcoridis: cum tamen diuerſis capitibus, tanquam diuerſos lapides deſcribat Dioſcorides. Georgius Agricola diligentiſſimus Foſſilium inueſtigator, Arabicum lapidem, ex quo fit gemma Arabica, quæ, ad mentem Plinij, Eburi eſt ſimillima, candidum marmor ebori ſimile eſse ſcripſit, necnon vocari etiam lapidem coralitium, quoniam iuxta flumen Coralium in Phrygia reperiatur. Selenites verò lapis candidus eſt, teſte Dioſcoride, translucens, atq; leuis. Plinius ex candido translucere, melleo fulgore radiare, Lunæq; imaginem continere, & reddere diuulgauit. Bartholomæus Anglicus, Plinium ferè ſecutus, Lapidem Perſicum eſse dixit, inſtar herbæ, virentem, cuius color Iaſpidi eſt ſimilis, & nitere in eo candidam quandam maculam, quæ ſuo fulgore effigiem Lunæ reddit.

Lib. 5. cap. 159.
Li. 16. cap. 92.

Eſt autem Selenites, ſeu ſpecularis, lapis Gypſo cognatus: namque, inſtar Gypſi, & aliorum lapidum, qui ſuccum reddunt, ex lapide calcario generatur, cum permixtione paucæ aquæ. Quandoquidem, veluti humana induſtria, ex lapide ſpeculari Gypſum reſultat: ità, Natura interdum operante, vt ſcribit Agricola, ex Gypſo lapis ſpecularis emergit. Encellius lapidem Selenitem, quaſi humorem terræ concretum eſse voluit, qui non reſoluitur, ſed, inſtar cryſtalli, glaciatur: quocirca Germani hunc lapidem Mariæ glaciem nuncuparunt. Apud nonnullos cæleſtis quidam ros eſse dicitur, qui ad claritatem Lunæ poſitus, tanquam ſpuma apparens in lapidem dureſcat, & propterea Aphroſelinos nuncupatus fuit. Fert hic lapis calores Solis, atq; hyemis iniuriæ reſiſtit, ſed imbrium adeò eſt impatiens, vt ſi magna etiam moles ipſis ſit expoſita, facilè corrumpatur. Tandem lapis, inſtar cryſtalli, pellucet, & in tenuiſſimas bracteas ſcinditur, quæ vulgari charta ſunt tenuiores.

Aphroſelinus quid ſit.

DIF-

DIFFERENTIÆ.

MVLTÆ huius lapidis reperiuntur ſpecies, quæ, ſubſtantia, colore, & figura diſcrepant. Ratione ſubſtantiæ, durus, & mollis inuenitur, nam molliſſimus in Cappadocia prouenit. Quidam durus eſt, & à molli non differt ſpecie, ſed ſola tantùm duritia: quapropter in cruſtas facilè findi non poteſt. Vterq; tamen ex eadem conſtat materia: vnde ſi aduratur, in Gypſum vertitur. Vterque leuis eſt, ſed leuior eſt mollis.

Ratione coloris, alius totus candidus, aut niger, aut ex dimidia parte candidus, & ex dimidia niger conſpicitur, qualis eruitur Hanoberæ in Germania, propè Cœnobium Franciſcanorum, vt ſcribit Agricola. Vel eſt candidus, ſed vel propter nigras maculas ophitæ eſt ſimilis, & talem fuiſſe Aegyptium author eſt Theophraſtus, quem lapidem Arabicum Dioſcoridis Encellius eſſe putauit. Aut in candido mellei eſt coloris, qui rarò inuenitur. Aut denique candidus plerumq; translucet. Omnes verò alij aut minus translucent, aut ſunt obſcuri cum ſplendore. *Color Selenitis.*

Ratione figuræ inter ſe diſcrepant: nam alibi ſunt longi, alibi breues, alibi quadrati, vt in Miſena ad Salam, & in Italia Bononiæ, ſic Plinius teſtatur. Cruſtæ ſelenitis longæ ſunt in Hiſpania, in Thuryngia, & in Cappadocia, ſed Plinius nunquam quinq; pedum longitudine ampliores inuentas eſſe retulit. Omnes iſti lapides naturaliter quadrati in Agro Romano effodiuntur. Albertus magnus tres tantùm huius lapidis ſpecies conſtituit: vnam, inſtar vitri, lucidam, ex qua feneſtrę fiunt, alteram tanquam atramentum nigram, tertiam citrinam, quam vel Arſenicum, vel Auripigmentum nominari aſſeruit. Cæterùm quamuis Arabes Arſenicum, vel Auripigmentum natiuum ad cruſtas ſpecularis lapidis comparauerint: nihilominus, cum ſit citrinus lapis ſpecularis, non eſt dicendum cum Alberto errante, Auripigmentum ſpecularis lapidis eſſe ſpeciem: nam lapis hic pinguedine Auripigmenti caret, & nulla ſimilitudo præterquam in cruſtis obſeruatur. *Auripigmẽtum eſt pingue.*

Reliquum eſt, vt proponamus huius lapidis differentias, quas pertractauimus. Primo obſeruauimus Selenitem colore albo diaphanum ex monte Sancti Raphaelis territorio Bononienſi effoſſum, in quo figura cæleſtis arcus conſpiciebatur, & facilè in laminas findebatur. Rurſus alium pulchriorem in Cypro erutum conſpicati ſumus, figura trigona, tres digitos, altum, quadrantem, longum, in quo forma pariter cæleſtis Iridis quatuor in locis elegãter expreſſa viſebatur. Color autem lapidis flaueſcebat. Huius icon in ſequenti tabella repreſentatur.

Inſuper nobis fuit communicatus Selenites candidiſſimus, non ſciſſilis, neq; pellucidus, aliquem tamen ſplendorem emittebat: quinimò alius fulgidus, ſed non tranſparens, qui difficulter findebatur. Pertractauimus quoq; alium durum, & obſcurum, necnon alium album, qui per longitudinem facilè frangebatur, ſed, iuxta tranſuerſam partem, ſciſſus in puluerem redigebatur. Demum dono accepimus Selenitem, tetragona figura, in Agro Romano effoſſum (talis enim figuræ ibi ſemper inuenitur) Bononienſi Seleniti alioquin ſimilem, cuius iconem legentibus conſpiciendam exhibemus.

Selenites Cyprius cum arcu cæleſti.



Selenites figura tetragona in Agro Romano effoſſus.



LOCVS.

HODIE hic lapis multis in regionibus producitur. Plinius olim ex Hiſpania tantùm citeriori habitum fuiſſe teſtatur, nec in ea tota generari ſcripſit, ſed tantùm intra centum millia paſſuum circa Segobricam vrbem. Iam verò in Cypro, Cappadocia, & Sicilia gignitur: quinimò nuper inuentus eſt in Africa. Omnes tamen huiuſmodi ſpecies Selenitis non ſunt Hiſpanicis præferendæ, quia ampliſſimæ quidem ſunt, ſed obſcuræ.

In Italia, Bononiæ, vbi murorum pars ex eo fuit conſtructa,& adhuc in fundamentis creber reperitur. In Gallia non ita frequẽs. In Saxonibus Germaniæ populis apud Heldeshemium paucus inuenitur. In Thuringia ad ſecundum lapidem à Northuſa, in Steigera valle copioſus eſt. Mons etiam ille, in quo Steitrum arx Vicelebrorum munita, & nobilis extructa eſt, hoc lapide abundat. In Miſnia ad Salam hic lapis eſt rarus. Dioſcorides in Arabia produci ſcripſit. Naſcitur etiam in Phrygia, vnde Phrygius lapis appellatus fuit, vt antea explicauimus.

Phrygius lapis qualis.

VSVS IN MEDICINA.

QVAMVIS virtutem huius lapidis, præter Dioſcoridem, cæteri, quod ſciamus, Græci non memorauerint: nihilominus Arabes eaſdem celebrant facultates huius lapidis, quas Dioſcorides illi aſſignauit. Verùm licèt hic lapis cum Gypſo maximam habeat cognationem, itaut Gypſum ſit eius caput; attamen illius vſus in medelis eſt præclarus, cũ Gypſi vſus dubius ſit,& venenatus, cum, teſte Dioſcoride, vi ſtrangulandi potiatur. Dioſcorides igitur vnàq; cum illo Rhaſis, & Auicennas, ramenta Selenitis in potu comitialibus exhibenda eſſe iubent; immò eadem in vino auſtero propinata Dyſentericis auxiliari diuulgant. Id autem apud Germanos, quotidianõ experimento, comprobatum eſſe Encellius tradit, dummodo quantitate auellanæ hic lapis ſumatur. Tempore creſcentis Lunæ Phthiſicos etiam iuuare perhibetur. Id Georgius Pictorius Villinganus, in Pantopolio, ſentire videtur ſic canens.

Remedium morbi comitialis.

Nec Selenitem fas eſt omnino tacere
Lunares motus qui retinere ſolet.
Creſcit enim Luna creſcente, minorq; minuta
Efficitur, Phthyſicos is lapis atq; iuuat.

Vtuntur eodem ad ſiccandas hæmorrhoides, & ad dentifricia, vt Plinius monimentis mandauit. Rhaſis præterea hunc laudat ad vrinam cohibendam. Puluis huius lapidis combuſti vlceribus fiſtuloſis inſperſus breui tempore carnem generare dicitur.

Hæmorrhoidũ medela.

VSVS IN VARIIS.

ISIDORVS vſum lapidis ſpecularis inſignem in ædificijs, & coronis gratiſſimum eſſe pronunciauit. Duplex autem eius vſus inſtituitur, nam crudus pro cemento, & coctus, vel vſtus, pro calce adhibetur. Quoniam autem perſpicuus eſt, & facilè in cruſtas tenues finditur, antiquitùs vices vitri explebat, veluti etiam hodie, vbi frequentiſſimus habetur, ad claudendas ædificiorum feneſtras. Vnde ſpeculare, ſiue ſpecular, ſiue ſpecularium vocatur genus feneſtræ pro admittẽda in ædificium luce, & excludendis iniurijs pluuiæ, atq; ventorum. Fiebant autem Hyeme huiuſmodi feneſtræ, & Aeſtate auferebantur. Immò nunc quoq; in Italia, & præſertim Bononiæ, vbi magna, huius lapidis copia effoditur, brumali tempore in Officinis Mercatorum eſt in vſu, nam feneſtras ex charta concinnant, & eis laminas Selenitis inſerunt, & ſic à frigoris iniuria ſe defendunt, & prætereuntem etiam populum cognoſcunt. Ideò Martialis ſic cecinit.

Lib. 19. cap. 10.

Hy-

Hybernis obiecta notis specularia puros
Admittunt Soles, & sine fæce diem.

Georgius Agricola prodidit templum Diui Corsuici in Saxonia,& alterum Merseburgi in Turingia huiusmodi specularia habere. Ab hoc lapide specularia etiam vocabantur tegumenta illa, quibus ambulationes in hortis tectæ erant. Ideò Iuuenalis sic scripsit. *L.5.fossil.*

Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Antiquitas etiam rosas specularibus defendebat, & Columella ostendit cucumeres fieri præmaturos, si vasis maioribus rotulæ subducantur: hac de causa Tiberio Cæsari, toto ferè anno, Cucumis oblatus fuit. Palladius iubet cælam olearem, contra frigus, esse specularibus muniendam, vt Lunam admittat. Eodem quoque modò Plinius aluearia olim ex speculari lapide facta memorat, vt apes intus laborantes spectarentur. Nostra etiam ætate fuerunt, qui alueos ex hoc lapide struxerunt, vbi quantum, singula quaq; die, apes erant operatæ, egregiè conspicari quisq; potuit. *L.21.c.14.*

Neq; silentio inuoluendum est, quòd Andreas Baccius monimentis mandauit, de vsu specularium lapidum in Thermis, quem vsum Seneca summoperè detestatur. Perlucentem huius lapidis testam ante thermas collocabant, ex cuius perspicuitate reflexa, nudorum corpora, qui intus lauabantur, maiora, & quasi gigantea specie apparebant, quam rem postea Persius in Satyris risit. *L.7.ca.14.*

Insuper hunc lapidem mulieres tanquam amuletum gestabant, vt Dioscorides testificatur, & huiusmodi lapis arboribus ligabatur, vt eas frugiferas redderet. Item fuit huius lapidis vsus, apud Antiquos, ad condienda vina, quod confirmauit Martialis, quando cecinit.

Condita perspicua viuit vindemia gemma,
Et tegitur fœlix, nec tamen vua latet.

Gaudentius Merula Selenitem lapidem argenteo filo circumdatum,& de collo suspẽsum, Luna, Taurum, vel Cancrum subeunte, effectus lunares producere scripsit. Rursus hic lapis validus esse traditur, in conciliando amore, quod Marbodeus Gallus testatus est inquiens. *Lib.4. memor.c.21.*

Dicitur esse potens ad amorem conciliandum.

Alij retulerunt, decrescente Luna, ab hoc lapide miros emergere effectus, nam in os immissus prius, à quo futura negotia excogitantur, an debeant fieri, necne, quid faciendum sit, insinuat, nam si fieri debeant, adeò menti imprimuntur, vt nullo modo deleri possint, & nisi debeant peragi, statim ab animo euanescunt, quæ nos nugamenta esse opinamur.

DE MAGNETIDE, SIVE TALCO. Cap. XXXIV.

ÆQVIVOCA.

ANTEQVAM à familia Gypsi recedamus, historiam Talci recitare decreuimus, cum hic lapis, & Gypso, & Seleniti lapidi valdè sit affinis. Hunc Theophrastus Magnetidem appellauit, non tamen intelligendo illum lapidem ferrum allicientem, cuius suo loco meminimus, sed illum, qui argento valdè assimilatur. Verùm antequam exordiamur, ambiguitatem nominis, quæ omnium errorum, teste Aristotele, mater est, declarare debemus. Quandoquidem quibusdam significat hic lapis Samium *Samius*
astera, quibusdam terram Samiam Dioscoridis,& tandem nonnulli lapidem specula- *Aster.*
rem intellexerunt.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

HOC nomen (Talk) apud Mauritanos ſtellam ſignificare dicitur: hac de cauſa huiuſmodi lapis quibuſdam ſtella terræ appellatur, quoniam, inſtar ſtellæ, argenteoq; nitore ſplendeat. Putant aliqui eſſe Argyiodamantem Veterum, quia violentia ignium reluctetur. Aliqui, vt notat Gentilis, terram ſtellam, & ſtellam terræ, lutum ſamium, & ſtellam ſamiam, Talci ſynonima eſſe exiſtimarunt. Theophraſtus, & Georgius Agricola Magnetidem nuncuparunt. Conſtantinus Robertus, in ſupplemento ſuæ linguæ latinæ, Phengitem nominauit. In expoſitione vocabulorum arabicorum pro Talco, Schifferd, Cutfer, & Schisfer legitur, Germanicè dicitur Talck, Italis Talco.

Stella terræ.

Magnetis.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

HIERONYMVS Cardanus Andream Bellunenſem fortaſſis ſecutus, qui in expoſitione vocabulorum arabicorum, pro Talco, Selenitem vertit, Magnetidem, annotante Iulio Scaligero cum Scaiola, quæ nil aliud eſt, niſi lapis ſpecularis, confundit. Itaq; clariſſimus Scaliger Cardani opinionem explodens, Auicennæ authoritate fretus, Talk eſſe Samium Aſtera tradidit, & à Scaiola, ſiue Selenite, differre, quoniam Scaiola in ſpeciem Gypſi, aduſtione, vertatur, vt nos etiam, ex Plinio, ſuperiùs demonſtrauimus, cum Talcus nonniſi violentiſſimo igne in calcem redigatur. Præterea nihil viſcidi in Scaiola obſeruatur, & Galenus Aſterem Samiũ viſciditate ſua collyrio præfert. Huius tanti viri argumenta ſi ponderentur, atq; rectè conſiderentur, veriſſima aliqua ex parte apparent: nihilominus, pace eius, non Aſter Samius eſt Talcus, vt illè putauit, neq; etiam terra Samia, vt voluit Pandectarius: propterea quòd Talcus contactu linguæ, nunquam, modo glutinis, adhæret, attritu contumax eſt, nec, cotis inſtar, prædurus. Præterquamquòd Talcus non eſt cruſtoſus, ſed potiùs ſquammoſus, translucidus, vt vitrum, & leuis, & nonniſi magno labore, & diutino igne, ad mentem etiam Scaligeri, comburi poteſt. Immò neq; id per ſe fieri poteſt, niſi quibuſdam admixtis, quod Samio Aſteri non conuenit; cum facilè, ex ſententia Dioſcoridis, inſtar Eretriæ terræ comburatur. Prædictis addere poſſumus, quòd Talcus tanquam Gypſum ſtrãgulat, cum tamen Aſter Samius perinde atq; terra Lemnia aduerſus venena, & ictus ſerpentum venenatos ſummoperè valeat.

Talci conditiones.

Magnetis ergo, ſeu Talcus lapis, vt noſtra fert ſententia, nihil aliud eſt, quam materia pellucida, tenuiſſimis foliis compacta, inſtar vnionum clara, atq; ſplendẽs, igniq; reſiſtens Lapidi ſpeculari aſſimilatur, item Schiſto, à quo diſcrepat non ſolum colore, ſed etiam quia non in rectas laminas findatur: flexiles enim ſunt, & vario modo complicatæ, & hic ex tenuiſſimis laminis argenti, æmulis conſtat, & neque funditur, neque comburitur, neque colorem amittit: quapropter ex hoc ellychnia complicata parantur, vt de Amianto lapide ſuperiùs explicatum fuit.

DIFFERENTIÆ.

VARIVS in hoc lapide color obſeruatur: is enim alijs eſt argento ſimillimus quales frequenter reperiuntur; alijs color eſt ferreus, quales lapides nonnunquam Miſenæ ex Goldecrona, authore Agricola, effodiuntur. Hæc duo genera modò cum terra rubra, modò cum lutea, modò cum alia alterius coloris permiſceri ſolent. Alius habet colorem plumbeum, alius colorem mixtum ex argenteo, & plumbeo. Præterea aliud diſcrimen in hoc lapide notatur, quoniam quidam in tenuiſſimas partes findi poteſt, alius nequaquam, veluti eſt ille, qui craſſis conſtat cruſtis, coloris plumbei, vel argentei.

Colores variÿ Talci.

Nos

Nos varias ſpecies vidimus, quas hoc in loco recenſere non pigebit. Primus fuit Magnetis in tenuiſſimas laminas fiſſilis, more ſpecularis lapidis, ſed ipſo tenacior, colore argenteo, nitidus, atq; diaphanus. Secundus fuit ſciſſilis argenteus, ſplendidiſſimus, valdè tenax, in ſubtiliſſimas, & tenuiſſimas bracteas redactus. Hic apud Geſnerum Magnetis Liuonicus nominatur: ex hoc enim apud Polonos, atque Liuones fiunt laternæ: immo hic concuſſus ſtrepitum edit non ſecus, ac bracteæ illæ, quæ ex Orichalco, ad ornamenta coronaria, parantur. Amplius conſpicati ſumus hunc ſciſſilẽ plumbei coloris, ex quo menſæ, & tabulæ ſcriptoriæ, necnon tegulæ tectorum, in vtraque Germania, fabricantur. Talis lapis apud Geſnerum Magnetis Orosbachius cognominatur. Fuit etiam nobis communicatus Magnetis in cruſtas inæquales ſciſſilis, colore, primo intuitu, plumbeo, qui, iuxta alteram partem, habebat cruſtas aſperiuſculas, ad inſtar corticis arborum, flaueſcebat ab vna parte, quaſi aureo colore, & ab altera, argenteo, venis quibuſdam intercurrentibus cæruleis, quamuis, prima facie, totus lapis plumbeus appareret. *Magnetis Orosbach.*

LOCVS.

INVENITVR hic lapis, teſte Agricola, in multis Germaniæ locis, v. g. in fodina Miſenæ Goldecrona, quæ ad quintum lapidem diſtat Marceburgo, & in altera, iuxta Sletum oppidum. Reperitur etiam in Bohemia, Vuildeſterni, in Francis Miltebergi, & in regione Liuonum copioſus. Liuonia eſt regio ſita inter Pruſſiam ad meridiem, & Ruſſiam ad Boream, ſubdita Regno Polonico. Quinimmò qui habetur hic Bononiæ ex hac regione aduehi dicitur. Quoddam genus cruſtoſum, & fragile, annotante Anſelmo Boetio, inuenitur in colle petræ ſanctæ, quod ignis non conſumit, & aliqui Galaicon Plinij eſſe opinantur.

VSVS IN MEDICINA.

AVERROES hunc lapidem eſſe frigidum, & temperatè ſiccum ſcripſit, minus tamen, quàm aliæ terræ, atq; luta. Andreas Matthiolus, non ſecus ac Gypſum, ſi poterur, ſtrangulare affirmat. Commendatur in medicina, quia aſtringit, ſanguinem retinet, abſceſſus mamillarum, & teſtium prohibet, Dyſentericis vtiliter infunditur. Deinde ad ſputum ſanguinis, fluxum menſium, & hæmorrhoidarum, cum aqua plantaginis exhibendum eſſe, multi diuulgant. Ioannes Guinterus Andernacus efficaciſſimum ex hoc lapide conficit oleum. Recipit enim libram Talci, catino imponit, & in luculento igne, ſpatio horarum quatuor, candefacit: deinde refrigeratum fornaci, in qua panis coctus ſit, immittit, & frigeſcere modicè permittit, poſtea exemptum oleo oliuarum humectat, & fictili imponit, &, per deſcenſum, oleum diſtillat, quod perutile commendat ad vlcera putrida, & ſordida curanda. *Comment. in Dialog. 7. de vet. & nou. med.*

VSVS IN VARIIS.

EX cruſtis tenuiſſimis huius lapidis, qui argenteum colorem præ ſe fert, in regione Liuonum laternæ, vt, ex ſpeculari lapide, feneſtræ fiunt, quia ignem non ſentit. Huius puluerem hodie Profeſſores Halchemiæ cum ære permiſcent, & illud album, ad inſtar argenti, reddunt. Hunc etiam puluerem figuli cacabis ſuis inſpergunt, vt illis argenti nitorem, & ſplendorem concilient. Illud verò genus huius lapidis, quod eſt argentei coloris, ad plumbum vergentis, tabulis menſarum eſt aptiſſimum, quia craſſas habeat cruſtas. Quocirca huiuſmodi tabulæ ſordibus fædatæ, non tantùm aqua, ſed etiam igne facilè purgantur. *Laternæ Liuonicæ.*

Demùm, pro mangonio mulierum, ex hoc lapide oleum varijs modis elicitur. Nonnulli puluerem Talci cum viuis cochleis ollæ immittunt, vt Talcum deuorent, vbi deuorauerint, vnà cum teſtis vitro imponũt, & ab illis aquam ad prædictum vſum diſtillant. Ioannes Baptiſta Porta alia ratione huiuſmodi oleum parat. Talcum contuſum, & in puluerem redactum forti ollæ committit, addito operculo, deinde ferreo filo *Oleũ Talci.*

omnia ligat, figulari creta illinit, triduo inſolat; & tandem in fornace vitraria collocat, poſt quatriduum, vas exemptum frangit, &, ſi in calcem abierit, ſeruatur, ſin minus, labor repetitur, donec in albã calcem perfectè tranſierit, quæ poſtea ſuper marmor porphyreticum extenditur, & in loco humidiſſimo locatur, donec in liquorem ſoluatur.

DE LAPIDE ILLVMINABILI. Cap. XXXV.

CVM hic lapis crudus primo aſpectu rude Gypſum referat, & in calcem redactus aliquoq; coniunctus liquore, noctu, ſeu in loco obſcuro, lucem reddat; hunc locum inter alios lapides promereri videtur. Vocatur Illuminabilis, quia non actu, ſed potentia lumen recipiat, aliter Phoſphoros, nempè ferens lumen, necnon, ob eamdem rationem, lapis Luminaris dicitur, quoniam certa ratione præparatus, & lumini expoſitus, illius ſplendorem ita alliciat, ſuæq; ſubſtantiæ communicet, vt, ſi in loco tenebroſo ex pyxide depromptus exponatur, conceptum lumen, atq; ſeruatum, ad inſtar viui carbonis, ſpargat.

Quamuis autem à viris eruditis, & rerum naturalium indagatoribus lapis hic in territorio Bononienſi, & præſertim in monte Paderni inuẽtus fuerit: hinc tamen non fit, quin in multis etiam alijs locis metalliferis reperiri nequeat, v. g. in multis Germaniæ locis, vbi frequentes Foſſilium fodinæ obſeruantur. Nuper repertus eſt in foro Claudij, Tolfa vulgò nuncupato, vbi Aluminis rupei mineræ ſunt frequentes, qui lapis, referente Kircherio Ieſuita, in libro de Arte Magnetica, gaudet omnibus illis conditionibus, quæ lapidi montis Paderni aſſignatæ fuerunt.

Quomodo paretur.

Hic igitur lapis, vt effectum luminoſum pariat, in furno ad id conſtructo, in calcem redigitur, calx cum albumine oui, vel aqua communi, vel oleo ſeminum lini compingitur. Cæterùm, ſi poſt primam calcinationem, deſideratum effectum non conſequatur, opus calcinationis toties repetitur, donec lapis optatum effectum promat. Itaq; G lapis ſic præparatus in pyxidibus ad id fabricatis imponitur, & quando effectus eſt oſtendendus, tunc maſſa in pyxide contenta diurno Solis ſplendori, vel, obtenebrato Sole, diurnæ luci, & ſi tempus fuerit nocturnum, luculento igni, aut facibus accenſis exponenda eſt. Quandoquidem ex his omnibus, breui quadrantis horæ ſpatio, lucem concipere poteſt; deinde pyxis ſtatim clauſa in locum obſcurum defertur, mox, eadem recluſa, lucem, inſtar viui carbonis, diffundit. Lumen autem non eſt perpetuum, ſed pro bonitate lapidis, aut abundantia concepti luminis, modò plus, modò minus durat, ſed duratio nunquã horam excedit: etenim lux hæc paulatim, virtute euaneſcente, extinguitur. Notandum etiam eſt hanc vim concipiendi luminis in hoc præparato lapide non perennare, ſed veluti effætam diuturnitate temporis euaneſcere, fortaſſis, quoniam hæc vis per ſubtiliſſimos, & igneos halitus calci permixtos paulatim expirat. Alia non addimus de hoc lapide, quoniam Ouidius Montalbanus in omni genere ſtu- H diorum exactè perfectus, necnon Mathematicarum in Patrio Bonon. Gymnaſio Profeſſor celeberrimus, in Epiſtola quadam familiari ad Maiolinum Biſſaccionum Galatij Comitem, & Fortunius Licetus litterarum omnium eminentiſſima cognitione nobilis, Philoſophicæ doctrinæ olim in Bononienſi Archigymnaſio Profeſſor eminẽs, in libro Litheoſphoro, & doctiſſimus Kircherius Ieſuita, in Volumine de Arte Magnetica, naturam effectus, & cauſas huius lapidis opulentiùs enarrarunt.

De

De Lapidibus à varijs locis nomen inuenientibus, & primum

DE LAPIDE PHRYGIO. Cap. XXXVI.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

CVM ordo inter hos lapides ad libitum inſtitui poſſit, prima fronte de Phrygio lapide agere decreuimus, tum quia multis doctis viris eſt incognitus, tum quia in Officinis, ſub alio nomine, ſeruatur. Dicitur Dioſcoridi, & Plinio Phrygius lapis, non quia in illa regione naſcatur, cum à Cappadocia, vt notat Dioſcorides, originem ducat, ſed quoniam primùm apud Infectores Phrygios in vſu fuerit. Hodie Pharmacopolæ lapidem Lyncis nominant, & poſtea lapidem Lyncis cum Lyncurio confundunt, quia illum ex vrina Lyncis in terra concretum eſse crediderunt. Id autem fabuloſum eſse, ſuperiùs, ad mentem Dioſcoridis, & Plinij, demonſtrauimus. Item veteres Græci non modò concretum Lyncurium lapidem, ſed Succinum appellarunt, de quo in anteeedenti libro ſermonem habuimus. Demùm ridiculum etiam eſse exiſtimamus, quod Amatus Luſitanus ſcripſit, nempè hodiernum lapidem Lyncis officinarum eſse quamdam Electri ſpeciem, cum cœcus etiam eſse hunc lapidem aſſeueraret.

Cur phrygius dicatur.

DESCRIPTIO, & Differentiæ.

LAPIS, qui ſub nomine lapidis Lyncis, in officinis circumfertur, teſtibus Georgius Agricola, & Fuchſio, viris in profeſſione Foſſilium peritiſſimis, proculdubiò eſt ille, quem Dioſcorides, Galenus, & Plinius Phrygiũ nuncuparunt, quoniam omnes conditiones, & notæ lapidis Lyncis ei competunt. Plinius glebam pumicoſam eſse ſcripſit, cum ſapore mixto adſtrictioni, & mordacitatis nonnihil participat, quæ notæ in Lyncis lapide vulgò dicto obſeruantur. Optimus habetur, teſte Dioſcoride, colore pallido, modicè grauis, nõ ſolida corpris compage, intercedentibus albis ſegmentis, vt contingit in Cadmia.

Cõditiones huius lapidis.

Huc aliqui referunt Ageratum lapidem, quo Galenus olim Coriarios vſus fuiſſe teſtificatur, cum digerentis, & aſtringentis ſit facultatis, quamuis guſtu euidentem acrimoniam, aut aſtrictionem habere non videatur. Nos obſeruauimus lapidem Phrygium verum, qui linguæ adhærebat, necnon lapidem Phrygium quorumdã Nuperorum nigricantem, qui potiùs ad excrementum quoddam metallicum accedere videbatur. Demùm pertractauimus lapidem Lyncis officinarum, ſeu Lyncurium perperàm, nempè lapidem Phrygium Agricolæ, & Fuchſij fungos producentem, qui modicè grauis erat, intercedentibus albis ſegmentis.

Ageratus lapis.

VSVS IN MEDICINA, & alijs.

HACTENVS maximo errore ducti ſunt illi Medici, qui Phrygio lapide, pro Lyncurio, ſeu Lyncis lapide vſi fuerunt, ad calculos confringendos: quādoquidem Dioſcorides huius facultatis non meminit, qui lapidem hunc tam crudum, quàm vſtum aſtringente, & expurgante facultate potiri retulit: quapropter in vlceribus commendauit, & ambuſtis cum cerato mederi voluit. Errant ergo, qui hunc lapidem ad vrinam eliciendam, & ad lapides in renibus, & veſica comminuendos, vtilem eſſe opinantur. Pariter in vnguento aureo Nicolai Myrepſici, quod in Lithiaſi maximè commendatur, pro Lapatho, vt textus græcus habet, cuius radices, in lapillis veſicæ, commendantur, ad mentem Dioſcoridis, latini codices legunt lapidem Lyncis. Hic fortè lapis ab imperito Librario, ob ſimilitudinem litterarum, cum voce Lapathi, aut à Sciolo quodam inſertus eſt, quia calculoſis mirificè conferre crediderint. Quapropter quando in compoſitionibus Lithiaſi vtilibus, lapidis Lyncis nt mentio, non eſt ſumendus lapis Lyncis, qui re vera eſt Phrygius, ſed Lyncrurum Dioſcoridis, & aliorum Græcorum, quod eſſe Succinum, ſuperiùs demonſtrauimus: namq; mirificam, in attenendis lapillis, virtutem obtinet, vt Veteres teſtantur, & Nuperorum experimento comprobatur.

Lithiaſis remedia.

Li. 36. cap. 19. Plinius ſcriptum reliquit tingendis tantùm veſtibus lapidem Phrygium eſſe vtilem, ſed non rectè id tradere videtur, dum, ad hoc peragendum opus, lapidem vrere, & vino extinguere opus eſſe voluit: quandoquidem Galenus id in hoc lapide eſſe neceſſarium iudicat, quando ad vſum medicum trahitur, illius verba ſunt hæc. *Phrygio lapide ſemper vtor vſto, & ad putredinoſa quidem vlcera, aut ipſo per ſe, aut cum aceto, aut vino mulſo, aut poſca. Ad oculos autem aridum facio medicamentum, quod multi iam à me acceperunt, miſceo ad ipſum etiam alia quædam, ſed de hoc in compoſitorum pharmacorum tractatione dicetur, nunc ſatis eſt hoc de viribus eius dixiſſe, quod vehementer ſiccat, habens etiam quid aſtrictionis cum mordacitate coniunctum.* Modus autem adurendi huius lapidis pro vſu medico deſcribitur alibi à Galeno his verbis. *Vritur lapis Phrygius in minutas partes confractus, vt maior tamen ſit nuce, quæ Pontica quibuſdam, ab alijs nux parua dicta eſt. Modus vrēdi idem, qui in alijs eſt, lapide in ollam nouam coniecto, deinde ollula forinſecus luto obturata, operculum perforatum, vel in ſolo vertice, vel, quod melius eſt, etiam circa alias plures partes, imponimus, quò per ipſa foramina fuliginoſæ, & fumoſæ eorum, quæ vruntur, exhalationes facilius efferātur, poſtquam verò totus lapis ignitus factus fuerit, tunc ſanè ollulam in purum quoddam vaſculum euacuare oportet, butyrumq; infundere non vetuſtum, & circumagitare partes vſti lapidis, donec omnes extinguantur, atq; tunc ceſſare, & ſic rurſus eaſdem in ollulam coniectas vrere, rurſuſque prunis candefactis ab igne ollulam imponendo, vt nihil fumoſum in ſe habeant, ventillationem etiam eaſdem excitare conuenit, vt citius vſtio perfruatur: deinde cum iam ignitæ fuerint, lapides, & nulla amplius fuligo effertur, rurſus eoſdem eximere oportet, & vino falerno extinguere, aut aliquo alio fuluo, & odorato, quale eſt Arminium, & Lesbium. Deinde rurſus in ollulam conjectos tertiò vrere, & poſtquam ignitus fuerit lapis, rurſus extinguere melle Attico non multo. Reddetur enim pharmacum non aridum, ſed viſcoſitate aliqua præditum. Cæterùm pluribus diebus trita, & præleuigata in promptu habere oportet, itaut in tenuiſſimum ſint redacta pulucrem ſubſcripta, æris vſti, piperis albi, malabatri ana vnc. I. ſtiby drach. I. ſem. miſce lapidis vſti lib. I. & poſteaquam omnia fuerint leuigata, & reponere medicamentum velis, adjice opobalſami ſyriaci vnc. I. ſ. ſit verò opobalſamum tenue, & pellucenti compage, non craſſum, quemadmodum ſolet in vaſis circa fundum conſidere, & ſpiſſari: quod enim ita craſſum eſt, aridatem pharmaci impediet. Porrò vſus ipſius ad ſolas palpebras competit cum ſpecillo inducti, vt plurimum tamen ſufficit circa ſolam infernam palpebram ſpecillum inducere.* Hactenus Galenus. Breuiorem tamen vrendi rationem aſſignat Dioſcorides dicens vrendum eſſe vino optimo perfuſum viuis carbonibus, qui aſſiduè ſollibus perflentur, donec mutato colore rufeſcat. Rurſus docet lapidem extractum eodem vino eſſe reſtinguendum, idq; ter eſſe repetendum, ſed diligenter monet obſeruandum eſſe, ne lapis minutim confringatur, & in fuliginem abeat.

Lib. 4. cap. 5. κατὰ τόπους.

Vſtio lapidis Phrygij.

Vſtio ad mentem Dioſc.

Præter

A Præter vsum medicum, Dioscorides scribit olim in Phrygia Infectores hoc lapide fuisse vsos, & Plinius tingendis tantùm vestimentis vtilem esse tradit. Nam deterſoria facultate pollet, & propterea vestes, sordibus exemptis, commodiùs tincturam bibunt.

DE LAPIDE ARABICO.
Cap. XXVII.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

B HIC etiam lapis à regione nomen inuenit (quamuis, quis sit, non satis adhuc constet) vnde Dioscoridi, & Galeno Arabicus, Plinio Arabus, & Alijs Arabius nominatur. Encellius, vt superius etiam monuimus, lapidem hunc cum generibus lapidis specularis confundit, cuiæquiuocatio nominis, vt credimus, erroris occasionem præbuit: nam Dioscorides Selenitem lapidem in Arabia generari scripsit; deinde lapidem hunc, de quo in præsentia habetur sermo, lapidem Arabicum vocat: hinc fortassis Encellius vnum, & eumdem lapidem esse suspicatus est. Ianus Cornarius Arabicum hunc lapidem ex genere Corneolorum esse credidit. Georgius Agricola candidum marmor esse, & ebori simile prodidit, necnon nuncupari lapidem coraliticum, quoniam iuxta flumen coralium Sangarium etiam nuncupatum in Phrygia reperiatur, & Arabicum, quia in Arabia, ex quo fit gemma Arabica Plinij. Verumtamen colorem carnis non habet, à quo nomen lapilli Corneoli, seu potiùs Carneoli meruerunt. Præterea quamuis Georgius Agricola hunc lapidem marmor appellet, nos tamen inter lapides communiter dictos hunc recensere voluimus; cum etiam Plinius id præstitisse videatur, qui in descriptione huius lapidis, ne tantillum quidem à verbis Dioscoridis recedit, nisi quòd simpliciter Ebori similem esse dicit, Dioscorides ἐλεφαντοσπίλῳ, hoc est eboris maculæ assimilat, vel vt alij malunt, ebori macu oso, nec alia Plinio videtur esse Ara-
C bica gemma, quam ebori simillimam esse tradit, & hoc esse verum videretur, nisi abnueret duritia.

Corneoli lapidis etymum.

Lib. 36. ca. 21.

Lib. 37. ca. 10.

DIFFERENTIÆ.

QVANDOQVE conspicati sumus Arabicum lapidem candidum, & ebori ita similem, vt vix ab eo discriminari posset. Alium quoq; vidimus subcinereum solo colore à superiori discrepantem. Alium habuimus ex Hispania valdè friabilem, qui fortassis combustus fuit, alioquin nullam cum Arabico habebat similitudinem. Item alium, cuius icon hoc in loco repræsentatur, lucidum in aliqua

D

Lapis Arabicus.

parte

parte apparentem, colore ſubalbo, & videbatur ſimilis ebori maculoſo: vnde aliqui E
crediderunt eſse lapidem Arabicum Dioſcoridis, ſed experientia fuiſset comprobandum, an huiuſmodi lapis tritus, & hæmorrhoidibus tumidis inſperſus, illas exſiccaret, quam vim peculiarem huic ineſse lapidi Dioſcorides aſseruit.

VSVS IN MEDICINA.

GALENVS exſiccantem, & extergentem huic lapidi facultatẽ aſſignat. Dioſcorides verò huius cinerem dentifritijs perutilem eſse ſcribit. Præterea addit puluerẽ huius lapidis exſiccare hæmorrhoidas, quæ ad mentem etiam Plinij, hoc eodem ſanantur, addita linteorum lanugine, necnon linteis ſuperimpoſitis.

Lib. 9. de ſimp. med. fac.

DE LAPIDE ASIO. F
Cap. XXXVIII.

ÆQVIVOCA.

CVM hic lapis non ſolùm Aſius, ſed etiam Sarcophagus ab Authoribus nominetur, aduertendum eſt, hoc nomen æquiuocatione laborare, nam Sarcophagus, authore Nonio, eſt ſepulchrum, & apud Græcos, σαρκοφάγος eſt nomen adiectiuum: exponitur enim carniuorus, quocirca apud Ariſtotelẽ ζῶα σαρκοφάγα, animalia carniuora dicuntur: hinc poſtea σαρκοφάγος nuncupatus fuit hic lapis, quia, Dioſcoride annotante, carnem exedere dicatur. Etenim σαρξ caro exponitur.

Lib. 5. cap. 142.

SYNONIMA, ET ETYMVM. G

GRÆCIS dicitur λίθος ἄσιος, & ασσιος, quapropter Latinis Aſius, & Aſſius lapis nominatur. Arabibus vocatur Alager Aſos, vt apud Auicennam legitur Rhaſis lapidem Corbiſericum appellare videtur. Itali Petram Aſſiam vocant à loco, in quo naſcitur. Alioquin cognominatur Sarcophagus ab effectu, quem præſtat, dum carnes, teſte Dioſcoride, exedit. Horum vocabulorum varietas tantam Plinio peperit difficultatem, vt, in illius deſcriptione, parùm ſibi conſtare videatur. Tribus igitur in locis, de hoc lapide, diuerſis ferè nominibus, pertractauit: etenim vbi Aſium lapidem deſcribit, eumdem penitùs indicare videtur, quem Dioſcorides, & Galenus intellexerunt. Verùm in principio illius loci, inquit, in Aſſo Troadis Sarcophagus lapis ſciſſili vena ſcinditur, quibus verbis indicare videtur. Sarcophagũ alium eſse lapidem, quam illum, quem poſtea Aſium nominat: Sarcophagum enim inter mi- H
racula recenſet. Sed poſtea palam inter Sarcophagum in Aſſo naſcentem, & Aſiũ lapidem diſcrimen videtur collocare, cum de vtroq; ſeorſum agat. Sic Hermolaus Barbarus Plinium ſecutus in eũdem errorem incidit, dũ Aſſium lapidem, ab Aſio diſcrepare ſcripſit. Nos autem Sarcophagum lapidem eũdem cum Aſio lapide aduerſus Plinium aſſeuerantius dicimus, quandoquidem ipſum deceptum eſse putamus, quoniam, apud illos Authores Græcos, ex quibus ſua tranſcripſit, Aſſium lapidem in Aſſo naſcentem legit, & rurſus apud alios Aſium, cum .ſ. ſimplici, ſcriptum obſeruauit: hinc diuerſos eſse lapides exiſtimauit. Vnum autem, & eumdem eſse lapidem varijs nominibus inſignitum inde colligimus, quoniam neq; Dioſcorides, neq; Galenus, neq; cæteri Græci mentionem Sarcophagi ſeorſim fecerunt. Quod autem Aſius lapis, & Sarcophagus ſint ſynonima, Dioſcorides manifeſtè oſtendit, quando corpora Defunctorum ab Aſio lapide abſumi ſcripſit: καὶ σορὸι, inquit, σαρκοφάγοι γινονται, hoc eſt, loculi Defunctorum carnem abſumentes ex illo fiunt. Hic autem Dioſcoridis locus mirè ab Interpre-

Li. 36. cap. 12.

Lib. .. ap. 16.

Li. 36. cap. 17.

tibus

A tibus fuit corruptus: quapropter Matthiolus se primùm hoc modo interpretatum fuisse gloriatur; cum tamen ante ipsum Ianus Cornarius, eadem ratione, hunc locum exposuisset: quamuis Galenus horum loculorum non meminerit, quoniam tãtummodò illa assignauit de hoc lapide, quæ ad rem medicam conducere videntur. Celsi etiam testimonio, nostram possumus stabilire sententiam, qui scripsit hunc in modum. *Lapis etiam, qui carne mexedit, quem Sarcophagum Græci vocant, excisus sic, vt pedes capiat, demissos eos, cum dolent, retentosq; ibi leuare consueuit, ex quo in Asia lapidi Asio gratia est.* Quibus verbis Celsus manifestè ostendit Sarcophagum esse Asium lapidem. Plinius etiam vim aduersus Podagram habere scripsit, quam virtutem Dioscorides eidem assignauit. Sed tamen ab Asio lapide Sarcophagum discrepare Plinius putauit, quia Assium diuersum ab Asio esse crediderit, cum apud Græcos quandoq; per .s. simplex, quandoq; per duplex, scribatur. Idcircò cõcludendum est Asium lapidem, & Assium cum Sarcophago vnum, & eumdem esse, necnon Asium, vel Assium à loco natali, & Sarcophagum ab effectu nominandum esse.

Lib. 5. cap. 24.

Podagræ remedium.

B

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

LAPIS Asius probatur ille, qui colore sit pumicis, leuis, fungosus, friabilis, sciscilis, habens venas lutei coloris ad imum penetrãtes. Vocatur autem lapis tantùm, propter colorem, & substantiam lapidis, nam sua duritia lapidem non æmulatur. Cum autem leuis sit, & fungosus in illius superficie quoddam instar farinæ volatilis residet, & flos Asij lapidis appellatur: Hic linguæ admotus leuiter mordet, & gustui salsedinem communicat, colore nonnunquam albo, & interdum ad luteum vergente; hunc colorem Plinius pumici rufo similem esse dixit. Hic flos siccatur, & lauatur, & varios in Medicina habet vsus, & Suca vocatur à Serapione. Hunc florem petræ, & Aphronitrum vnum ferè, & idem esse. Encellius retulit, & substantia paululum differre: inquit enim si resoluitur igne est flos Asiæ petræ, & non vritur, si non resoluitur, est spuma nitri. Hæc species in Turingis Ienæ reperitur, quę plurimum respõdet flori Asiæ petrę à Dioscoride descriptæ. Hinc Aphronitum in Asia colligi, & in C speluncis distillare Isidorus tradidit, optimumq; esse, si minimè fuerit ponderosum, & maximè friabile, colore ferè purpureo. Huic Asiæ petræ similem esse Adarcem Dioscorides pronunciauit. Galenus verò conijcit florem Asiæ petræ ex marino rore produci, qui primum lapidi insideat, deinde a Sole exsiccetur, & hoc modo, & Maris, & lapidis naturam participet. Auicennas quoq; ex rore maris nasci, superueniente tamen imbre, asseruit.

Flos Asij lapidis.

Suca quid sit.

DIFFERENTIÆ.

D HVIVS generis, authore Plinio, in Lycia sunt saxa, & in Oriente, quæ Viuentibus alligata, eorum corpora erodunt. Mitior autem est in seruandis corporibus, nec absumendis, Chermites Eberi simillimus, in quo Darium conditum fuisse Plinius retulit. Encellius, authoritate Serapionis, qui diuersas species proponit floris Asiæ petræ, scripsit, alium esse colore albo, qui reperitur circa Ienam; alium esse rufum, siue rubescentem, qualis est propositus à Plinio; alium esse pumici similem, qui ad colorem croci declinat, & est flos Asiæ petræ Dioscoridis.

Li. 38. cap 17.

Hodie vix dignoscitur lapis Asius. Matthiolus circa Tridẽtum in fodinis Chalcanthi inueniri opinatur. Etenim ibi obseruatur lapis, instar pumicis, spongiosus, frangibilis, & venis luteis insperſus. Pariter alij dicunt nasci in Ilua, vbi alumen fossile, & Chalcanthi vena eruitur, colore candido, instar Sacchari, venis quibusdam luteis, gustu subastringente, & modicè linguam vellicante, hunc Germanorum Tophum esse nonnulli credunt. Ibidem quoq; alius sine maculis nascens obseruatur, fungosus, habens superficiem Sali similem, sed lapidosam, & insipidam: hunc legitimum esse opinantur. Quinimò prædictis durior ibi inuenitur, venis in profundum se intersecantibus, qui in farinam candidam soluitur, aliquantulum acrem, quæ flos Asiæ petræ nominari

Tophus Germanorum.

Sarcophagi differentiæ, ſiue Aſij lapidis.

1



2



3

minari potest. Hic autem flos, si sit luteus, nonnisi à lapide maculis luteis referto dimanat, cuius sapor est etiam efficacior. Omnes igitur illi lapides, qui Alumen, Nitrum, & Salem in se continent, necnon leues, & spongiosi sunt, iure optimo pro lapide Asio vsurpari possunt; cum prædicta mineralia in illis contenta habeant illas facultates, quæ Asio lapidi ab Authoribus assignantur.

Nostra modò interest, vt recensеamus illas differentias, quas temporis tractu, obseruauimus. Itaq; primùm vidimus Asium lapidem verum, & genuinum lapidi Asio à Dioscoride descripto respondentem, cuius icon in tabella sub numero 3. conspicitur: quandoquidem sub numero 1. & 2. apparent icones lapidum ad naturam Asij lapidis accedentium. Præterea conspicati sumus alium superiori simillimum, quibusdam argenteis scintillis radiantem. Item pertractauimus alium luteum ex montibus Tridentinis erutum, qui colore tantùm à cæteris discrepabat. Tandem vidimus lapidem huius generis, colore luteo in vna tantùm parte refertum, cum Chalcantho admixto, & scintillis argenteis micantem.

LOCVS.

PLINIVS in Asso Troadis, Stephanus, ex sententia Alexandri Cornelij, in Asso Mysiæ generari tradidit, quæ Mytelenorum fuit Colonia. Idem in Lycia quoq; Asson posuit, alteram sublimi, & inaccesso loco. Item pratum in Lydiæ campestribus, quæ Cilbrina cognominantur, propè Caystrum amnem: item in Epiro alteram ignobilem. Habetur etiam in Aeolide ad Hellespontum, ciuitas hoc nomine, quam Plinius intellexisse videtur; quando Assum Troadis nominauit; namq; Asos, per simplex s. in Creta est oppidulum: hinc nata videtur esse discordia inter Authores ex eo, quod supra Aeolida, vt inquit Plinius, & partem Troadis in Meditetraneo Mysi tenuerunt, & totus is tractus Mysia quondam appellabatur. Cum autem id oppidum, quod Assos dicitur in Troade Asiæ regione situm sit, parùm refert, si in Asia regione, aut in Asso oppido generari diuulgemus.

Encellius hunc lapidem in Germania etiam prouenire testatur, & in eius superficie nasci florem illum, & sallam lanuginem specie nitri, quæ flos Asiæ petræ Dioscoridi nuncupatur, qui de eius natali loco nihil pronunciauit, nisi quòd ab Asia regione Asius lapis cognominetur.

VSVS IN MEDICINA.

NON infrugiferum est remedium ad podagras, authoribus Dioscoride, atque Plinio, pedibus inditis in vase ex hoc lapide cauato, dolor enim lenitur. Quinimò huic affectioni lapidem hunc tota sua substantia resistere, Nuperorum Authorum experimento, comprobatur. Præterea omnia crurum vitia versantium in his lapidicinis, sanantur; cum in omnibus alijs metallis crura vitiẽtur. Parantur quoque pulueres corpora erodentes, vt ait Dioscorides, & luxuriantem carnem, & corporum crassitiem absumunt, quando vice Nitri in balneo sparguntur. Verùm quoniam rarus admodũ est iste lapis, & exoticus, Gagates, vel Sal Ammoniacus crematus, eius loco, à Galeno, in Succedaneis, substituitur: vterque enim abstergendi, expurgandi, dissipandi, reprimendi, & eliquendi carnes vim possidet. *Crurũ vitia vbi sanentur.*

Florem huius lapidis ad quædam efficacem Plinius prædicauit, Dioscorides verò præstantiorem dixit, si mixtus ari Cyprio in mammarum vitijs adhibeatur. Præterea pici, aut resinæ additus strumas discutere dicitur. Rursus cum melle Phthisicis lingendus præbetur. Vlcera vetusta ad cicatricem perducit, excrescentia erodit, & ad bestiarum morsus est perutilis. Tandem ex hoc flore petiæ, cum lomento fabæ, pro Podagricis cataplasma paratur. *Strumarũ remediũ.*

VSVS IN VARIIS.

FIEBANT olim ex hoc lapide Aſio arcæ illæ Sarcophagæ, ſiue ſepulchra carniuora, quæ Dioſcorides manifeſtè videtur appellaſſe σορους σαρκοφάγους, in quibus mortuorum corpora imponebantur, vt citò conſumerentur. Hoc autem opus peragebatur intra quadrageſimum diem, teſte Plinio, cum omnia membra, exceptis ſolis dentibus, conſumerentur. Mutianus quoque, referente eodem Plinio, Strigiles, quibus, in balneis vtebãtur, ad fricãda corpora, ex hoc lapide fieri memoriæ prodidit.

Lib. 36. ca. 12.

DE SCYRO LAPIDE. Cap. XXXVIII.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

PLINIVS à Scyro inſula, quæ in mari Aegæo eſt ſita, nomen huic lapidi impoſuit, quam inſulam Homerus in Odyſſea Συρίην nuncupauit. Quapropter Albertus fortaſſis, authoritate Iſidori fretus, Scyrum lapidem Syrium à Syria, vbi reperitur, indigitauit. Cæterum cum Plinius nihil de hoc lapide ſcribat, quàm quòd integer aquæ innatet, & comminutus mergatur, exiſtimamus lapidem hunc vnum, & eumdem eſſe cum illo, quem Tyrrhenum antea vocauerat, nam illum integrũ fluctuare, & comminutum in aqua mergi ſcripſit. Quamobrem, cum pumices id præſtent, qui laudatiſſimi, eodem Plinio authore, in Scyro inſula reperiuntur, Scyrus, ſiue Syrius lapis, atq; Tyrrhenus, noſtra ſententia, erit pumex. Tyrrhenum quoque pumicem appellaſſe videtur Reuſnerus in libro Emblematum, quando cecinit.

Lib. 36. c. 12.

Lib. 2. cap. 18.

Lapis Scyrus, & Tyrrhenus idẽ.

Lib. 1.

Sit quamuis grandis, lapis integer innatat vndis
Tyrrhenus fractus ſcidit, & ima petit.

Theophraſtus hunc lapidem Alcyonium vocabat, quia ex ſpuma maris concreſcat. Vitruuius Chiſterim, pumicem pompeianum, & ſpongiam dixit, vel quia tanquam ſpongia lapis hic ſit fiſtulis plenus, vel quia è maris ſpuma quandoq; coaleſcat: vnde Latini ſpumicem pro pumice olim pronunciabant. Pumex in genere maſculino plerumque effertur: nihilominus etiam, iuxta genus fæmininum, inflectitur apud Catulum ad Cornelium.

Cui dono lepidum nouum libellum
Arida modò pumice expolitum.

Apud Cælium Rhodiginum pumex vocatur lapis non lapis, ſicuti vir non vir eſt Eunuchus, & lignum non lignum eſt ferula. Virgilius pumices ſaxa liquefacta indigitauit, ſic canens.

Flammarumq; globos liquefactaq; voluere ſaxa.

Pariter, apud Græcos Authores, varia nomina huius lapidis leguntur: vocant enim κισσηριν, κίσηριν & κισηρίον, nempè poroſum ἀπὸ τοῦ κίος nimirum ab illo vermiculo, qui frumenta perforat, & aliter dicitur Curculio ex Erucarum minimarum genere, in frumento noſcitur, & in Papilionem abit: quapropter veluti ab hoc animante frumenta perforãtur, ita pumices à natura excauãtur: vnde exeſos hos lapides vocauit Ouidius.

Nomina græca pumicis.

Eſt ſpecus exeſi ſtructura pumicis aſper.

Alij vocarunt hunc lapidem κατακέκαυμενον, nempè deuſtum, quoniam in locis ignitis proueniat, & inueniatur. Pariter apud Arabes varia ſortitur nomina: dicitur enim Fauechi, Fanechi, Famechi, Fanich, Fanoch, Faunoch, Fenich, & Fenix Rhaſi. Pandectario lapis Vulcani, & lapis de Barche, ſeu Barchin, nam Barchen eſt Libyæ ciuitas. Pariter eidem dicitur Pupex, & Speraton. Italis Pomice, Germanis Bimſſtein, Gallis Pietra Pomice, Hiſpanis la Pietra Eſpomia.

Lapis Vulcani quis.

DE-

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

NON debet Pumex, authore Galeno, inter metallica recenseri, neq; inter terras, neq; reduci ad quidpiam marinum, neq; etiam ad lapides, quia non concedent esse lapides, cum omne genus lapidum in aqua locatum demergatur, & Pumices aquæ innatent, hac de causa ad genus lapidum non erunt referendi. Hanc difficultatem poterimus soluere, asserentes Pumicem integrum, propter meatus, qui sunt aeris receptacula, aquis innatare, tamen redactus in puluerem, instar aliorum lapidũ, demergetur. Deinde quamuis Pumices, ob insignem raritatẽ, qua profectò à natura lapidum degenerant, aquæ supernatent, & lapides nuncupari nequeant; attamen duritia sua, lapides reuera vocantur. Cæterùm ex quanam materia originem ducant, variæ Authorum fuerunt opiniones. Alij Pumices ex terra constare, & inueniri in fodinis Aluminis, & Sulphuris existimarunt. Alij in littore maris, ex littorali arena integrari putarunt, alij, quorum opinio exploditur, maris spumam esse crediderunt. Verùm Pumex nil aliud est, quam spuma quædam, & fex lapidum liquefactorum, quemadmodum scoria est excremẽtum metallorum, idcircò cæteris lapidibus leuior existit, & meatibus multis refertus, vnde rimosum Pumicem Claudianus appellauit.

Materi pumicis qualis.

Pumicis igitur substantia est admodum rara, atq; arida, vt iure meritò ἄγονος dici possit. Quamobrem Virgilius de eo, in Aetna, sic cecinit.

Cætera materies, quæcumq; est fertilis igni
Vt semel accensa est, moritur, nec restat in illa
Quod repetas, tantum cinis, & sinè semine terra est.

Plinius Pumicem candidũ, & minimè ponderosum probabat, necnon aridũ, & spongiosum, & eum, qui facilè teri posset. Hæc autem omnia ex Dioscoride transcripsit, qui tamen hoc addidit, Pumices etiam scissiles esse eligendos, quorum sectione nonnullos inhorrescere Aristoteles scripsit.

Sect. 3. Embl. 35.

DIFFERENTIÆ.

VARIETAS Pumicum sumitur à colore, pondere, mollitie, & duritie. Color in quibusdam est albus, quos Plinius, atq; Dioscorides elegerunt. In alijs cinereus color obseruatur, qui mediũ locum obtinent. In alijs est niger, veluti est Pumex Aetneus, teste Theophrasto, qui cũ niger sit, nihil aliud quam adustionem significat; quandoquidem si rursus torreatur, totus, ad instar carbonis, in cineres dilabitur; de hoc Virgilius, in Ætna sic cecinit.

Sed genus hoc lapidis certissima signa caloris,
Quod nullas adiunxit opes, & languit ignis.

Rursus Pumicum alij sunt leuiores, alij grauiores, quales sunt plerumq; nigri: quemadmodum albi, & cinerei leuiores. Quamquam tamen omnes leues, & rari sint propter varios meatus, qui aerem in se continent. Deinde alij sunt molles, manibusq; in arenam facilè teruntur, quales Theophrastus in Syro reperiri tradidit. Alij plerumq; sunt semper asperi, quorum vsus est maximus, vt inferius demonstrabimus.

Encellius monimentis mandauit se inuenisse circa flumina Germaniæ, & præcipuè ad Albin, & ad Promontoria illa vetera Marchiæ, lapides pallidos, raros, spongiosos, & Pumici similes, sed adhuc graues, quos credidit esse prima Pumicis rudimenta, & Pumices nondum calore excoctos; quinimò prodidit se igne periculum feciſſe, an eorum pondus diminueretur, & aliquantulum diminutum esse obseruauit.

Pumicis rudimenta.

Iam Pumices à nobis visos recensebimus. Primò spectauimus Pumicem album, leuem, spongiosum, mollem, non multis foraminibus refertum, & aliquantisper radiantem. Deinde vidimus marinum lapideum perforatum, figura cerebri, & Paretonium æmulantem, colore pallido. Rursus cinereum figura silicis, valdè leuem, nullis ferè meatibus refertum. Item conspicati sumus cinereum, leuem, valdè asperum, sapore salso, atq; acri præditum. Iterum habuimus alium colore vario, maiori ex parte nigricantem, & aliquantulum rubescentem. Tandem alium subcinereum, partim etiam album, multis foraminibus plenum.

LOCVS.

INVENIVNTVR Pumices in locis, qui olim arſerunt, vel hodie etiam conflagrant, ex terra, vel lapide excocti, & ad eam figuram, quam videmus, redacti, veluti in Veſuuio, & alijs montibus Campaniæ, in Aenaria, in Sicilia circa Aetnam montem. Cæterùm laudatiſſimi ſunt Pumices, teſte Plinio, in collibus Myſiæ regionis aduſtis, in Aeolijs inſulis, ſed præſertim in Melo, & in Scyro, vnde Scyri lapidis nomen ſibi vendicarunt. Effodiuntur etiam, vt teſtatur Agricola, ad Confluentiam Germaniæ oppidum ita appellatum, quoniam illuc Rhenus, & Meſella confluant, nimirum in Germania inferiori, in tractu nobilis Oppidi, quod ab aquis nomen traxit.

Scyrus Inſula.

DENOMINATA.

SAXA ſerie annorum eroſa ex ædificijs pumicoſa vocantur. Item ſaxa aliquo artificio parata, ad inſtar Pumicis, vt imaginem ſpeluncarum reddant, quas Vulgus Muſea, vel Muſaica appellat, pumicea, vel pumicoſa etiam appellantur. Quapropter apud Latinos pumicoſum dicitur, quod Pumicis naturam, vel ſimilitudinem gerit, nempè foraminibus peruium, & cauernoſum: hinc pumicoſa terra apud Plinium nominatur. Item apud Ouidium, in Faſtis, molæ nuncupantur pumiceæ, non quòd è Pumice fierent, ſed quia ſcabræ, & aſperæ, inſtar Pumicis, eſſent, ſic igitur canit.

Lib. 6. Faſtor.

Et quæ Pumicas verſat aſella molas.

Pariter apud Græcos κισσηρώδης exponitur proximè accedens ad Pumicem. Alioquin pumiceum dicitur, quod ex Pumice conſtat, vel quod ad ſimilitudinem Pumicis aridum eſt. Hinc dimanat verbum, *pumicare*, nimirum Pumice aliquam rem aſperam læuigare, & polire; vnde pumicatum exponitur Pumice politum. Quinimò *repumicare* eſt denuò pumice polire, hinc oritur repumicatio, quæ, teſte Plinio, de arboribus dicitur.

Nos in præſentia lapides delineatos exhibemus conſpiciendos, quos vel pumiceos vocabimus, quia aridi ſint, ad ſimilitudinem Pumicis, vel indigitabimus pumicoſos, quoniam cum ſint rari, & cauernoſi, naturam, vel faciem Pumicis æmulantur. Primò deſignatur lapis Tyburtinus pumicoſus, immò inſtar ſpongiæ perforatus, & ſecundo loco Spondylites pariter pumicoſus: hic enim lapis ſpondylum conchilij genus imitatur.

Spondylus animal ex genere Cõchiliorum.

Rurſus effigiatur pulcherrimus lapis tetragona figura, inſtar pumicis, foraminoſus, qui re vera pumiceus, & pumicoſus appellari poteſt.

Lapides etiam illi foraminoſi, qui ad ornandas fontanas colliguntur, forſan pumices appellantur. Vulgus autem Tartaros nuncupat.

1. 2. Lapis Tyburtinus pumicosus.
3. 4. Spondylites pumicosus.





Lapis pumicoſus tetragona figura.



A

EPITHETA.

HIC lapis à forma, à pondere, à scabritie, & à substantia, varia sortitur epitheta. Primitùs, cũ foraminibus sit refertus, cauus, latebrosus, multicauus, exesus, & cauernosus appellatur. Sic .n. Virgilius, Propertius, Claudianus, & alij Poetę Pumicẽ nuncuparunt. Propertius vsus est hoc Epitheto, quando cecinit.

Pendebant q; cauis tympana pumicibus.

Et quamuis Turnebus notauerit Propertium hoc in loco non intellexisse Pumices, nempè lapides illos raros, & summæ leuitatis, sed saxa potius in formam antri dependentia, nihilominus locus Propertij ostendit, in veris etiam Pumicibus esse cauitatem. Ratione superficiei, scaber, & asper, ratione ponderis, leuis, & tandem ratione materiæ, ex qua constat, Pumex fragilis, & aridus nuncupatur. Hinc nonnulli, propter hanc ariditatem, vt Virgilius, bibulum indigitarunt, quoniam semper

B fitire videatur, vnde ortum est illud prouerbium apud Plautum. *Aquam à Pumice postulas.* Profertur autem hoc adagium in illos, qui aliquid petunt ab illis, quod non habent. Nihil enim Pumice siccius inuenitur: quamobrem Plautus alio in loco dixit. *Pumex non æquè est aridus, atq; hic senex.* Huc quoq; respexit Ripa, in prima parte Iconologiæ, quando, ad significandam Inopiam, vel egestatem, Anum macilentam cum ramo salicis in dextra, & Pumicem in sinistra manu effigiauit: quandoquidem salix inter plantas, & Pumex inter lapides sterilitatem nobis insinuant.

In Aulul.

Adagium de Pumice.

VSVS IN MEDICINA.

PVMEX in medicina, iuxta sententiam Plinij, possidet virtutem extenuandi, & exsiccandi; dummodò tertiam vstionem passus fuerit: ter enim torretur puro carbone, & toties vino albo extinguitur, deinde lauatur vt Cadmia, & siccatus in loco minimè vliginoso seruatur. Puluis medicamentis ophthalmicis permiscetur, & eorum vlcera leniter purgat, cicatrices explet, atq; emendat. Quidam, post

C tertiam vstionem, refrigeratum potius, quàm restinctum Pumicem ex vino terere malunt. Additur etiam malagmatibus, & verendorum vlceribus confert, necnon in dentifricijs commendatur.

Theophrastus tradit potores in certamine bibendi præsumere huius lapidis farinam, sed nisi immenso potu impleantur, periclitari, totamq; refrigerandi naturam esse, vt musta feruere desinant, Pumice addito. Apud Theophrastum, Eudemus Chius, post septimam veratri potionem, vomitum cohibuit, primùm, sumpto Pumice conspersо acri aceto; deinde eodem Pumice diluto, & macerato in mero. Verùm hæc apud Theophrastum hodie aliter sic leguntur. *Eudemus Chius bibens Helleborum non purgabatur, & aliquando dixit se vna die viginti duas potiones sumpsisse in foro sedentem ad vasorum instrumenta, & ante crepusculum non surrexisse, tunc autem abijsse, lauasse, & solito more cænasse, & non reuomuisse: verùm hic auxilio quodam instructus retinuit. Pumicem enim acri aceto insperſum bibisse se dixit post septimam potionem, & rursus posteà ex vino eodem modo. Esse enim Pumicis adeò vehementem vim, vt, si quis in dolium feruens immittat,*

D *feruorem sedet, non solum in præsens, sed etiam in totum; nimirum resiccantem, & suscipientem flatum, & hunc dissipantem.* Hactenus Theophrastus. Non igitur simpliciter ad Potores decertantes Pumex pertinet. Sunt tamen nonnulli, qui præferentes Plinij lectionem, iuxta illum, Theophrastum emendandum esse censent, sed eorum sententiam, breuitatis studio, nunc discutere nolumus.

Dẽtifritia ex quibus constent.

Lib. 9. hist.

Galenus Pumicem addit medicamentis carnem generantibus, & dentes extergẽtibus. Dioscorides, vt vsus huius lapidis in medicina rectus sit, modum præparandi docet. Vritur ergo, ad mentem Dioscoridis, Pumex hunc in modum. Prunis obruitur, vt candefiat, extractus vino odorato extinguitur, deinde idem opus repetitur, & tertiò candefactus per se refrigerari permittitur, & posteà ad vsum reponitur. Nam vim acquirit astringentem, extergentem, & purgantem ea, quæ pupillis oculorum tenebras offundunt. Dentibus tritus affricatur, & ad pilos abolendos idoneus est. Hippocrates inter cætera medicamenta impetigini vtilia Pumicem enumerat.

Vstio pumicis ad mentem Dioscor.

Lib. 9. de morb. mul.

VSVS IN VARIIS.

PVMICES olim fœminis, & Plinius, ſuis etiam temporibus, viris fuiſſe in vſu retulit, præſertim ad corpora læuiganda. Vnde Martialis idem de puero ſcribit.

Sit nobis ætate puer non pumice lævis,
Propter quem placeat nulla puella mihi.

Illæ igitur fœminæ, quæ pumicibus, necnon pſilothris, & volſellis pilos detrahebãt, ſtrictiuellæ olim fuerunt nuncupatæ, veluti incoctæ, quæ nimio calamiſtrorum vſu pellem adurebant. Pariter homines effœminati, & molles, qui ſimili artificio capillos criſpant apud Strabonem κεκυρισμένους, & apud Plinium ſecũdum pumicati dicuntur, quia Pumice ſe glabros, & læues reddant. Hodie quoque vtimur pumicibus ad læuiganda corpora in balneis, & præſertim ad abſtergendas pedum ſordities; qualis mos Priſcis etiam fuit familiaris. De hoc Ouidius ſic canit.

In Epiſt.

Lib. 1. de art. amãdi.

Nec tua mordaci Pumice crura teras.

Immò ad talem vſum laudabantur potiſſimùm Pumices in Melo, atq; Inſulis Aeolijs collecti. Scribit præterea Plinius, authoritate Catulli, Pumicis vſum fuiſſe ad libros compingendos, qualis mos ad noſtrum vſq; ſæculum penetrauit: quamuis hodie alia ſcribendorum, & compingendorum librorum ratio ſeruetur. Galenus etiam ſcriptoribus Pumices vſui fuiſſe ſcribit, ad calamos temperandos: quandoquidem Pumices abradunt, & ſua aſperitate læuigant. Simili ratione Librarij Pumice vtuntur: etenim primò ſuperfluitates inſtrumentis ferreis abſcindunt, & ſi quid aſperi remanſerit, Pumice poſtea auferunt.

Fiebant etiam Muſea ex Pumicibus, atq; tophis, ad repreſentandam ſpecus, vel antri effigiem, id teſtimonio multorum Poetarum comprobare poſſumus. Claudianus ſic canit.

Rimoſam patriam, delectaq; Pumicis antra
Defendunt.

Lib. 1. metam.

Tale fuit illud antrum pulcherrimè ab Ouidio deſcriptum. Fingit enim ex Pumicibus, & tophis à natura fuiſſe fabricatum, in quo lauacrum Dianæ conſpiciebatur. Canit igitur hunc in modum.

Cuius in extremo eſt antrum memorabile receſſu
Arte laboratum nulla, ſimulauerat artem
Ingenio natura ſuo; nam Pumice viuo,
Et leuibus tophis natiuum duxerat arcum.

Reperiuntur huiuſmodi ſpecus ex Pumicibus, atque tophis conſtructi in multis Italiæ, & aliarum regionum locis, qui magnis Principum impenſis fabricati fuerunt. Hoc opus Veteres, teſte Plinio, Muſea, aut Muſaica appellabant. Hoc inuentum quidam Agrippæ acceptum referunt. Horum ædificiorum Artifices Caſſiodorus, & Iuſtiniani leges Muſearios nuncupant, quamuis nonnulli Muſcarios legant. Ammianus Marcellinus Muſicium opus nominat. In Vitis Cæſarum, quas ab Adriano Iulius Capitulinus, & alij cõplures ſcripſerunt, pictura de Muſeo nominatur; quamuis mendosè, de Muſco legatur.

Præterea obſeruauimus apud varios Authores, præter ſpeluncas illas, quæ ex Pumicibus erant conſtructæ, tecta ædium, immò & totas ædes Pumicibus fuiſſe exoruatas. Idcircò de Catane, ſeu Catania Siciliæ vrbe, ſcriptum eſt, quod ex cineribus incendij Aetnæ montis, hoc eſt ex Pumicibus quondam exornata fuit. De Tectis poſteà ex huiuſmodi lapide conſtructis, & ornatis, habemus Virgilium ſic canentem.

Poſtquam eſt ad thalami pendentia Pumice tecta
Peruentum.

Ouidius pariter ſcribens ad Liuiam hæc habet.

Lib. 8. metam.

Strictaq; pendenti Pumice tecta ſulit.

Rurſus alibi canit hunc in modum.

Pumice

A *Pumice multicauo, nec leuibus atria tophis*
Structa, subit.

Multa alia in hoc genere supereſſent recenſenda, ſed, breuitati ſtudentes, ad Tophum lapidem Pumici valdè familiarem ſermonem conuertimus.

DE TOPHO.
Cap. XL.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, Etymum.

B NOSTRA intereſſet proſequi hiſtoriam eorum lapidum, qui à quodam particulari loco nomen habent, verùm, quia Tophus cum Pumice maximam habet ſimilitudinem, & in ijſdem operibus, in quibus Pumex, adhibetur, operæ pretium eſse duximus de illo prius nonnulla exarare, vt deinde ad noſtrum inſtitutum reuertamur. Tophus Græcis πῶρος dicitur per ῶ: nam πορος per ο, varias alias apud eoſdem Græcos ſignificationes ſortitur. πόρος ἀπὸ τῦ πειρειν, hoc eſt tranſire, quandoquidem tranſitum ſignificat: vnde ἄπορος apud Plutarchum exponitur tranſitum non habens, & metaphoricè homines vocantur ἄπόροι, qui ad tales anguſtias, & difficultates redacti ſunt, vt inde ſe explicari nequeant. Quandoq; hoc vocabulum indicat viam, quemadmodum Suidas, & Heſichius exponunt. Dēnotat etiam meatum, & canalem, Plinius aliquando vertit fiſtulam. Præterea πορος, vt inquit Gorræus, ſignificat id, per quod aliquid influit, ſiue ſpiritus, ſiue aer, ſiue humor,
C ſiue excrementum fuerit: quapropter nerui oculorum ab Herophilo πόροι nuncupati fuerunt. Pariter meatus, per quos cibus in ventriculum ſubit, vel ab eo egreditur, necnon per quos chylus in iecur diffunditur, πόροι appellantur. Inſuper exigua illa foramina per totam cutem diſperſa, quæ totius corporis perſpirationem moliuntur, πόροι dicuntur. Sic πορῶν μεσός apud Ariſtotelem legitur, nempè huiuſmodi meatibus, & foraminibus plenus. Dicitur quoq; πόρος apud Thucididem, vt exponit Scholiaſtes, ora maritima, dicens πόρον ibi vocari τὰ ἐμπόρια, cum in huiuſmodi locis frequens in mari ſit tranſitus, vnde cibaria, & merces aduehuntur. Interdum πόρος, addito vocabulo, χρημάτων, interdum etiam omiſſo, rei, aut pecuniæ quærendæ rationem ſignificat. Cicero vias pecuniæ appellat, inquiens, *omnes vias pecuniæ norunt, diuerſo tamen conſilio illi pecuniam quærebant.* Alicubi ipſa pecunia πόρος nominatur, nonnunquam pro quæſtu, item pro reditu, & prouentu, vectigali, quandoq; pro auxilio, vel etiam vtilitate, ac emolumento, immò pro exercitu apud Dionyſium Halicarnaſſeum vſurpatur.

Oculorum nerui pori dicti.

In Epiſt. ad Q. fratrem.

D Cæterùm vocabulum πῶρος apud græcos Medicos morbus eſt articulorũ, qui fluxione tentantur, cuius morbi curam Alexander Trallianus diligenter ſcripſit. Inſuper Græcis πῶρος callus dicitur, qui nihil aliud eſt, quàm corpus durum, ſiccum, & album oſſa fracta coniungens. Hæc vox etiam ſumitur pro ſubſtantia quadam craſſa, lenta, & dura, quæ præter naturam concreuit in modum calli, veluti ſæpè contingit in articulis, & aliquando in pulmone: hic ab oſſium callo diſcrepat, nam vnus eſt naturæ opus, alter verò eſt morbus, quem nonnulli πώρωσιν indigitant, cum cauſam, & generationem præter naturam habeat. Quemadmodum igitur πῶρος apud Græcos denotat illos morbos, quos recenſuimus, per metaphoram proculdubiò à Poro lapide, ſic Latini eoſdem morbos tophos appellant: quinimò Nuperorum nonnulli, pro λιθιασι Tophum vertunt: cum tamen in veſica non ſemper tophi, nempè lapides friabiles, ſed marmorei plerumq; calculi generentur. Plinius quoque meminit Tophorum, qui in viſceribus cornigerorum animantium naſcuntur, de quibus ſuo loco ſermo eſt habitus. Encellius Pumicem nigrum nominari tophum aſſeruit.

Morbus articularis.

Callus.

Gal-

Gallicum vulgus, authore Ruellio, Conferuam Plinij, Tofam muſci, quaſi muſco- E
ſum aceruum appellat. Nautæ in fluminibus verſantes, fluuialem ſpongiam Tophũ
cognominarunt, quia, ob foramina, faciem ſpongioſam præ ſe ferat. Hactenus de
æquiuocis.

Synonima Tophi.

Nuncupatur ergo hic lapis apud Plinium Porus, & Tophus fortaſſis à verbo græco τύφω accendo; namq; ab incendijs tanquam Pumex procreatus eſſe videatur. Oppiano dicitur τρητος λίθος, Herodoto πωρινος λίθος. Italis Tufo, e Tuuo, Hiſpanis Piedra areniſca, Gallis Toffeau, Germanis Toffſtein, Belgis Thuntſtein.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

PORVS, ſiue Tophus lapis eſt mollis, ideòq; ob mollitiem fragilis, item ſcaber, rarus foraminibus, atq; meatibus patentibus refertus: quandoquidem partes huius lapidis in omnibus locis coniunctæ, atq; continuatæ non obſer- F
uantur, ſed multus aer ei interiectus eſt. Etenim tales meatus à natura fiunt, quando, in primordio generationis, humor cum terra non ſatis permixtus eſt, ſed ipſum diuerſæ partes terreni tanquam vaſa quædam coercent, atq; continent. Quemadmodum viciſſim lapides compacti, & ſolidi producuntur, quando humor vbiq; in terram penetrat, eiq; probè permiſcetur. Cauſam mollitiei huiuſce lapidis Albertus ſuperfluæ humiditati non æqualiter terreno permixtæ aſſignauit: hac de cauſa Tophum igni admotum non liqueſcere, ſed in cinerem abire aſſeruit. Liquefit autem igni Tophus, ſi aceto perfundatur, vt Leuinus Lemnius annotauit; nam illi liquori vis ignea, atq; conſumens ſubeſt, quæ ſolida quæq; depaſcitur, atq; conterit.

In lib. de lapid. cap. 4
Lib. 4. de occult. nat. mirac. c. 14
Lib. 36. ca. 17.

Color huius lapidis plerumq; eſt albus, aut terreſtris, vel talem ſortitur colorem, qualem Pumex, vt Albertus teſtatur. Plinius candore, & duritia marmori Pario ſimilem eſſe ſcribit. Albertus perſcrutans coloris cauſam, retulit Tophum lapidem generari ex terra, cui aqua permixta ſpumam edit, atque digeſtionis opera, albus euadit. G

DIFFERENTIÆ.

DVÆ huius lapidis ſpecies obſeruantur, vna eſt, quæ πῶρος Græcis, & Plinio Porus nominatur, plerumq; colore, & duritia marmori Pario ſimilis, vt Theophraſtus optimè animaduertit. Ad hanc ſpeciem referunt Tophum, qui ſerra dentata tanquam lignum ſecatur: quamuis omnia Tophorum genera, minimo etiam inſtrumento, iuxta ſententiam Alberti, ſecari poſſint. Altera Tophorum ſpecies eſt, qui in ſpeluncis ex ſucco ſtillante propter frigus concreſcunt, qualis eſt ille, quem Hydrolithum vocamus. Talis enim ſedimento aquæ in canalibus fontium concreſcere ſolet. Huius quoq; generis ſunt lapides illi, quorum meminit Geſnerus in libro Foſſilium. Hi oriuntur in fiſtulis, per quas thermæ ducuntur, vt in Badenſibus; item in tubis aquæductuum oriuntur, vt Beichlingi, eodem Geſnero H teſte. Verùm huiuſmodi ſpecies cæteris Tophis ſunt ſolidiores.

Topho Thermarũ.

Variant præterea Tophi colore, duritia, atq; mollitie. Color plerumq; illis ineſt albus. At Tophi in Campania nigrum, & rubrum colorem ſortiuntur. Rurſus Tophi non ſemper ſunt duri, licèt Plinius duritia, marmori Pario aſſimilauerit: plerumq; enim in puluerem facilè comminuuntur.

Poſſumus huc referre lapidem, qui frequẽs reperitur in Agro Romano: eſt enim ſpongioſus, grauis tamen, aſper, foraminibus modò paruis, modò maiuſculis refertus, colore primum ſubflauo, poſteà leucophæo, aquam imbibit, quæ deinde paulatim guttatim ſtillat, quaſi à lapide exprimatur. Hunc vocant Spromum, fortaſſis ab exprimendo, quia aquam hauſtam quodammodo exprimere videatur. Hic in fontibus artificioſis, quos Nymphęa vocant, ſua aſperitate, inter Tophos, atq; Pumices pulcherrimum præbet ornamentum.

LO-

LOCVS.

INVENITVR, teste Agricola, apud Francos populos, circiter Coburgum Thuringiorum, & in ipsa Thuringia, illum enim Helba fluuius defert. Nascitur etiam in Ditione Manesfeldēsi, & ad Hircinīam syluam Stolbergij, & in Dextro monte Saxoniæ. Item reperitur in multis Regionibus Italiæ, vt in Vmbria, in Piceno, & in Campania. Ambrosius Leo author est, Tophum altissimum dumtaxat vnum inuentum fuisse in illo Agri Nolani angulo (Nola est celebre oppidum Campaniæ) qui ad ortum æstiuum excurrit, verumtamen non extare, aut adeò extuberare, vt verruculæ aliquæ supra solum appareant: quandoquidem infra est pressus, & cæteris campis æquale dorsum præstat, quod nihilominus terrenum vomere facilè scinditur, atq; feracissimum est. Quinimò hic lapis, vt idem Author testatur, Pago nomen dedit, quod Tophinum appellatur. Strabo inter Caras, & Nyseum agrum, qui est trans Meandrum vsq; in Cibyrensem, & Caballēsem, scribit scaturire aquas, quæ non paruam admirationem pariunt, nam adeò facilè in Tophum durantur, vt qui deducunt aquæductus, integra septa ex illo aquis conficiunt.

Lib. 1.

Lib. 13. *Geogr.*

VSVS.

OLIM Aegyptij Topho lapide, in diuulsis ædificijs, tanquam septo vsi fuerunt. Sic Isidorus fundamentis aptum esse ait, mortalitate (alij legunt mordacitate) atq; mollitie, sed ædificijs inutilem, quoniam ab æstu maris fricetur, & imbribus verberetur. Georgius tamen Agricola scriptum reliquit, & quotidiana experientia docet, huiusmodi lapidem non solum fundamentis, sed etiam integris ædificijs esse idoneum. Etenim Manesfeldenses muros, & propugnacula, solis tophis, extruunt. Murorum, & turrium fabrica Nolanæ vrbis, in Campania, non ex quadrato lapide, sed ex tophis constructa est. Quinimò in Pago illo Nolano, quod paulò ante Tophinum nominari diximus, altæ parantur lapidicinæ in vsum fabricæ Nolanorū: sic enim Ambrosius Leo in descriptione huius vrbis retulit.

Li. 19. *cap.* 10.

Li. 1. *ca.* 6.

Carceres Romæ primùm ex ligno, & topho lapide fuerunt fabrefacti, & postea marmoreis à Claudio Imperatore permutati: Senis multæ sunt turres, quæ nullo alio nituntur fundamento, quàm tophi lapidis, ex quo mons subtus ex eo lapide constat. Huius etiam opera Cementarij parietes incrustant, & cisternas conficiunt. Quinimò, inter cætera lapidum genera, hic vnus fornicibus, quos Itali *Volti* nuncupant, aptissimus à peritis Architectis elegitur. Præterea quem vsum præbeat structuræ specuum, atq; antrorum ex antecedente capite licet colligere, namq; cum Pumice miscebatur, vt ex Ouidio colligere licet canente.

——— nam Pumice viuo
Et leuibus tophis natiuum duxerat arcum.

Plinius alium vsum huius lapidis longè à prædicto diuersum recensuit, narrans ab Authoribus expeti, & à Virgilio non improbam pro vitibus: canit enim Poeta hunc in modum.

Nam ieiuna quidem cliuosi glarea ruris,
Vix humiles apibus casias, roremq; ministrat,
Et Tophus scaber, & nigris exesa chelydris
Creta.

Quo in loco Virgilius inter alia, quæ ad culturam vitis requiruntur, tophum etiam lapidem enumerat. Ioannes Baptista Porta author est, tophaceam terram generare illud genus trifolij, quod ab odore, quem spirat, Asphaltites, siue bituminosum nominatur, ideòq; mons ille tophaceus Neapoli imminens, à Galeno Trifolinus fuit nuncupatus propter copiam huius Trifolij, quod ibi frequens nascitur.

Trifolijs Asphaltitis.

DE

DE LAPIDE INDICO NEPRITHICO. Cap. XLI.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

IAM ad noſtrum inſtitutum reuertentes, Indicum Iapidem nephriticum examinabimus, qui ita nuncupatur partim ab effectu, quem præſtat, dum mirandum in modum nephriticis opitulatut, partim à loco natali, nam cum primùm in noſtris regionibus fuit obſeruatus, ex India,& præſertim ex noua Hiſpania deferri cæpit. Quamuis hodie in nonnullis etiam Hiſpaniæ locis, necnon in Bohemia inuenia- F
tur. Apud Geſnerum lapis oripendulus nuncupatur, quoniam creditur eſſe ille, quem nobiliores Braſilienſes,cum in publicum prodeunt,labijs ab adoleſcentia perforatis imponunt. Vulgò appellatur *Iſiada*, ſiue *Oſiada* ab Iſchiade,vel ſciatica,vt notat Anſelmus Boetius, quod morbi genus curare perhibetur. Aut potius, vt alij volunt, quoniam apud Hiſpanos vocetur Piedra de la Yiada, quaſi contra Nephritim valeat, vt nonnulli exponunt.

Braſilienſes eo viũtur.

Oripendulus lapis.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

HIC lapis quemadmodum, & Heliotropium ab aliquibus inter genera Iaſpidum reponitur. Prẹterquamquòd ſicuti Iaſpides varijs còloribus viſuntur: ita hic lapis varios colores nanciſcitur. Diſcrepat tamen hic ab Iaſpide, cum durior ſit, & nunquam aliquid rubedinis in ſe contineat. Deinde hic nun- G
quàm exactè poliri poteſt, quoniam ſuperficies ſemper pinguis,& quaſi oleo perũcta eſſe videtur. Rarò hic lapis duos habet coniunctos colores, plerumq; vno tantùm colore inſignitur, & talis color ſemper ex albo, & viridi ſimul mixtis reſultare videtur. Præterea, quando huiuſmodì lapis in craſſitiem etiam tenuem redigitur, admodum obſcurè tranſparet.

DIFFERENTIÆ.

SI varietas colorum diuerſas ſpecies conſtituere poteſt, proculdubiò variæ huius lapidis genera aſſignare poterimus. Etenim tales lapides ex albedine vireſcentes obſeruantur. Viriditas autem aliquando ſubflaua, & quandoque ſubcærulea conſpicitur. Plerumq; talis mixtio ex viridi, albo, cæruleo, & nigro co- H
lore reſultat, non quia hi colores omnes ſimul miſceantur, ſed aliqui tantùm. Hinc fit, vt tales lapides diuerſi coloris inueniantur. Anſelmus Boetius fatetur ſe diuerſos huius generis lapides obſeruaſſe, & præſertim vnum genus, inſtar cryſtalli; nubecula viridi refertum. Poteſt etiam varietas coloris horum lapidum inde oriri, quoniam hi lapides interdum Iaſpidi, & interdum Praſſio lapidibus adnaſci ſolent. Sæpiùs tamen ſolitarij inueniuntur, & ad tantam creſcunt molem, vt ex illis pocula parari poſſint.

Lib. 2. de lapid. cap. 209.

VSVS

VSVS IN MEDICINA.

HIC lapis Indicus nephriticus magni fit, cũ ita facilè haberi nequeat. Brachialibus inseri solet, non modò ad mulierum ornamentum, quia lapis non est elegans, sed gratia sanitatis; cum aduersus dolores nephriticos summoperè commendetur: nam ab huiusmodi effectu, & affectu nomen inuenit. Quinimò Anselmus Boetius narrat se nouisse nobilissimũ virum, qui talem gestãs lapidẽ, multos nephritide laborantes, alijs medicamentis non conferentibus, magna medicorum admiratione, curabat, nimirùm lapide brachio lateris laborantis circa corpum admoto, vbi pars interna manus initium habet: hac enim ratione lapis applicatus integros lapillos à renibus expellit, quemadmodum Nicolaus Monardes se obseruasse testificatus est in illo libello, quem de hoc lapide, Hispanico idiomate, cõscripsit. *Cura Nephritidis.*

DE MEMPHITE.
Cap. XXXXII.

SYNONIMA, ET DESCRIPTIO.

CELEBERRIMO olim Ægypti oppido Memphites lapis fuit cognominatus, vbi frequẽs reperiebatur (quãuis & Menophitis apud Bartholomeũ Anglicum legatur) hodie vix cognoscitur, cum in Europam amplius non deferatur. Nos tamen habuimus portiunculam lapidis, quæ exactè Memphiti Dioscoridis respondere videbatur. Dioscorides hunc lapidem pinguem versicolorem, & magnitudine calculorum esse prodidit. Pariter in hac portione lapidis color obseruatur ex rubro quasi ad cinereum tendens, itaut eminus castaneo colore esse videretur, cum maculis intus luteis, quarè varium lapidem vnà cum Dioscoride meritò pronunciamus. Præterea, quamuis Dioscorides pinguem esse scribat, illa verba sic exponenda esse arbitramnr, nimirum quia lapis humectatus colore rubescente tingit, non aliter atque rubrica.

Substantia est lapidis potius, quàm marmoris: namq; cultro in puluerem facilè conteritur, & quamuis Plinius eum inter marmora reponat, addit tamen omnia illa conuenire huic marmori, quæ Dioscorides Memphiti lapidi assignauit. *Li. 36. c. 7.*

VSVS IN MEDICINA.

TRADVNT Dioscorides, & Plinius hoc lapide trito, atq; illito, vnà cum aceto, sine periculo, partes stupefieri, itaut Patientes cruciatum non sentiant: hinc Albertus arripuit occasionem scribendi, hunc lapidem esse talis virtutis, vt, si teratur, & cum aqua in potu præbeatur illis, quorum partes sunt amputandæ, proculdubiò tantum inducit stuporem, vt neq; sectionem, neq; vstionem sentiant.

DE LAPIDE LYDIO.
Cap. XLIII.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

LYDIVM, atq; Heraclium lapidem à regione Plinius vocauit, qui etiam Magnetem, Heraclium lapidem indigitauit. Apud eumdem, hic lapis vocatur etiam Coticula, quia in formam cotis olim ad vſum traheretur. Apud Pindarum, atq; Sophoclem dicitur Βάσανος, quæ vox apud Græcos probationem, & explorationem ſignificat. Cæteris Grecis nominatur χρυσιτὶς λίθος, & λυδίος λίθος, tum à regione, tum ab auro, quoniam hoc lapide aurũ probetur. Quamobrem Zetzes probatoriũ, Ouidius Indicem, & Piſaurenſis Paragonium indigitarunt. Alij demum, ob eamdem rationem, hunc lapidem Chryſitida, & Chryſocomum vocitarunt. Seruius, vt annotauit Gaudentius Merula, Darium quoq; lapidem dici retulit, quoniam in Paro inſula, quæ vna eſt Cycladum, naſcatur, de quo Virgilius ſic cecinit.

Lapis Index Probatorius.

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariuſue lapis circumdatur auro.

Lib. 2. Aeneid.

Hic lapis Gallis dicitur Vne Pierre de Touche, Germanis Probierſtein, Italis Parangone, & Pietra di Tocho, Hiſpanis Toque d oro.

DESCRIPTIO, ET LOCVS.

COLORE eſt lapis hic nigerrimo, & læuore inſigni præditus, probatur autem ſi politus in halitu hominis ſudet protinus, nubemq; diſcutiat. Plinius habere modicam magnitudinem ſcripſit, nempè quaternas vncias longitudinis, & binas latitudinis non excedere. Ioannes etiam Zetzes idem teſtatur his verſibus.

Μικραὶ καὶ μέσαι εὕρηνται. Τινὲς χειροπλήτεις γὰρ
Αὗται καλοῦνται βάσανοι, βάσανοι γὰρ χρυσίου.

Hi ſic latinè verti poſſunt.

Parui, & medij inueniuntur quidam manum replentes autem
Ii vocantur probatores, probatores autem auri.

Verùm licet Plinius quaternas vncias longitudinis, & binas latitudinis ei aſſignet, & pariter Ioannes Zetzes Lydios lapides paruos eſſe diuulget: nihilominus Georgius Agricola multò maiores inueniri ſcribit, & maximos circa Viſam Germaniæ oppidum erui. Nos autem aſſerere poſſumus aduerſus Plinium ingentis molis inueniri, cum ſimulacra, & ſtatuæ ex hoc lapide confectæ Romæ videantur.

Lib. 5. de foſsil.

Temporibus Theophraſti, & Plinij, Lydius lapis in Tmolo fluuio inueniebatur. Hodie paſſim apud Germanos in riuis Heldeshemijs, & Goſſelarianis, atq; etiam circa Viſam pagum, qui, teſte Agricola, inter oppida Egram, & Eredorfum ſitus eſt.

VSVS.

AVTHOR eſt Plinius peritos his coticulis vti ad examinanda metalla, & talis vſus, ad hodiernam vſque diem, pro explorando legitimo auro, & argento penetrauit. Idem Plutarchus de herba quadam narrat, quæ eam ob cauſam Chryſopola nuncupata fuit. Hodie etiam, ad auri explorationem, nigro marmore, vel Baſalte vtuntur. Pariter in Italia quidam Artifices adhibent ſubuiridem quemdam lapidem, quem *Verdello* nuncupant. Similiter Boetius narrat paſſim, in varijs Germaniæ locis, circa flumina, lapides nigerrimos inueniri, qui expoliti Lydij lapidis vices ſupplent.

Chryſopola herba.

DE

DE LAPIDE ALDEBERGIO. Cap. XLIV.

HIC lapis nomen acquisiuit ab Aldenburgo Halsatiæ vrbe, quæ vrbs vetus Latinis nostri seculi hominibus nominatur. Duplicis est generis, vnum extra albicat, & intus est cinereum; alterum rubescit, vtriq; tamen odor violæ inest. Hunc tamen odorem Georgius Agricola non lapidi, sed musco attribuit, qui lapidibus frequēter adnasci solet, fortassis authoritate Aristotelis ductus, qui nullos lapides odorem spargere asseruit. Nihilominus nos experientia edocti, talem odorem non musco, sed lapidi adscribendum esse opinamur: habuimus enim fragmētum huius lapidis odorem violæ fundentis, in quo nulla prorsus musci vestigia apparebant, & tamen, diuturnitate temporis, talis odor euanescere debuisset, cum tamen odore esset refertus, non secus ac violis semper fuisset inuolutus, licet inter lapides diuersi generis seruaretur. Quapropter mens Aristotelis de odore lapidum ita exponenda est, vt de pluribus intelligatur.

Odor in lapidibus.

DE LAPIDE ALABANDICO. Cap. XLV.

SYNONIMA.

ALABANDICVS, & Alabandinus lapis inuenit nomen ab Alabanda Cariæ. Apud Hermolaum Barbarum Abalandicus legitur. Præterea Democrato vocatur Alabastrus. Alijs cognominatur Magnesia, & Manganese. Apud Albertum Magnosia. Deniq; alijs Pignites, & Pingnites, & species Belemnitis dicitur.

DESCRIPTIO, ET LOCVS.

COLOR huius lapidis ex rufo nigricat, perspicuus est, ad instar ignis: quinimmò secundùm aliquos, nonnullis rimulis, atq; venis dehiscit, verū Plinius horum non meminit, qui asseruit hunc lapidem esse nigri coloris, aspectu tamen ad purpuram declinantis facilè liquatur igni, & ad vsum vitri funditur. In Caria ad Alabandam nascitur, & in eadem regione, Mileti, vt Plinius testificatur.

Adhibetur ad vitra.

DE LAPIDE OBSIDIANO. Cap. XLVI.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

QVAMVIS Obsidianus lapis ab Obsidio inuentore ita fuerit nuncupatus, authore Plinio, attamen illum accepisse nomen à Regione possumus asseuerare, nimirum in qua Obsidius illum primò reperisse traditur. Quocirca Aethiopicus lapis etiā dici meruit ὀψίανος λίθος Constantino, in Dictionario suo, appellatur, & Obsius lapis apud Isidorū legitur. Hunc eumdem esse cum gemma obsidiana Plinij, arbitramur. Hieronymus Cardanus lapidem incidentem ab effectu indigitauit; quia ex illo cultri

Lib. 37. cap. 26.

olim pararentur. Sunt qui Zibriten Alberto dictum eſſe volunt, quam opinionem mi- E
nimè improbamus.

DESCRIPTIO.

ETIAMSI Georgius Agricola Obſidianum hunc lapidem Gagatis, & Thracij ſpeciem eſſe conſtituat, nos tamen ab illis diuerſiſſimũ eſſe exiſtimamus. Quandoquidem, licèt primo intuitu ſimiles eſſe videantur, exactè cõſiderantibus differentias, proculdubiò diſſimiles omninò euadunt. Gagates plerumq; eſt cruſtoſus, vt Dioſcorides optimè exarat, Thracius eſt, ſubſtantia denſa compactus, & parum ſplendens obſeruatur. Obſidianus verò ſplendet, & tranſparet. Deinde Gagates, & Thracius obtuſi ſunt, & ad ſcindendum valdè inepti; Sardus verò, & hic Aethiopicus ſcindunt quidem, ſed non eodem modo: namq; Sardus non poteſt reduci ad figuram cultrorum, atq; enſium, in quam Aethiopicus facilè formatur, quoniam Sardus in mi- F
nutas particulas, atq; in fruſta rumpitur. Præterea Gagates, & Thracius ex Bitumine indurato conſtant; Sardus atq; Obſidianus ex vitrea materia integrantur. Quocirca
Lib. 37. *cap.* 26. Plinius hunc Obſidianum inter vitri genera recenſuit; cuius verba ſunt hæc. *In genere vitri, & Obſidiana numerantur ad ſimilitudinem lapidis, quem in Aethiopia inuenit Obſidius, nigerrimi coloris, aliquando & translucidi, craſsibre viſu, atq; in ſpeculis parietum, pro imagine, vmbras reddente, gemmas multi ex eo faciunt.* Deinde ſequenti libro idem Plinius ſic ſcri-
Lib. 38. *cap.* 10. bit. *Inueniuntur, & gemmæ eodem nomine, & colore, non ſolum in Aethiopia, Indiaq; ſed in Sammo, vt aliqui putant, & in littoribus Hiſpanienſis Oceani.* Ex verbis igitur Plinianis manifeſtarium euadit Obſidianum lapidem à Gagate, & Thracio lapide maximè diſcrepare, & quamuis ſuperius in tertio libro huius voluminis vnum, & eundem lapidem eſſe aſſeruerimus, attamen ad mentem Agricolæ, & Aſſeclarum id dictum fuiſſe affirmamus

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS. G

NOS huius lapidis duplex genus obſeruauimus; licet Plinius vnius tantummodò generis mentionem faciat. Primùm genus Pliniano optimè reſpondet. Alterum genus non ita acutum, ſed obtuſius, & minus ſplendens, Sardo, aut renali lapidi valdè ſimile. Item diſcrepant ab effectu, quoniam Obſidianus Plinij, & Sardus paleas trahunt. At ſecundum genus Obſidiani à nobis obſeruatum hanc virtutem non poſſidet.

Locus natalis. Quoad locũ, Xenocrates, referente Plinio, in India, & in Sammo Italiæ, & ad Oceanum Hiſpaniæ naſci tradidit, quibus in locis gemmam Plinij eiuſdem nominis reperiri paulò ante affirmauimus. Præterquamquod in Aethiopia hunc Obſidius primum reperit, & propterea Aethiopicus dici meruit.

VSVS. H

EX hoc lapide olim fuiſſe facta ſimulacra teſtatur Plinius his verbis. *Solidas imagines Diui Auguſti capti materia huius craſsitudinis vidi, & Diuus Auguſtus pro miraculo dicauit in templo Concordiæ Obſidianos quatuor Elephantos: remiſit, & Tiberius Cæſar Heliopolitarum ceremonijs repertam ibi in hæreditate eius, qui præfuerat Aegypto, Obſidianam imaginem Menelai.* Et paulò infra. *Fit ex tinctura genere obſidianum ad eſcaria vaſa; & totum rubens vitrum, atq; non translucens Hæmatinon appellatum. Fit, & album, & murrhinum, & Hyacinthos, Sapphiroſq; imitatum, & omnibus alys coloribus, nec eſt alia nunc materia ſequacior, aut etiam picturæ accommodatior, maximus tamen honos in candido translucentibus, quam proximè cryſtalli ſimilitudine.* Hactenus Plinius. Præterea lapidem Obſidianum cultellis
Cultri ex lapide. materiam præſtare intelleximus, namq;, in hiſtorijs Indicis legitur, quòd, ob inopiam ferri, ex lapidibus cultros parant; immò & alia inſtrumenta, quæ ad cædendum apta eſſe debent. Horum imaginem lector videre poteſt in primo libro in Capite de Ferro.

DE

DE LAPIDE IVDAICO.
Cap. XLVII.

IVDAICVS lapis ita fuit nuncupatus, quia passim in Iudæa inueniatur, verùm Silesia quoq; huiusmodi genus lapidis habet. æmulatur figuram oliuæ, tener, & friabilis est, strijs, iuxta longitudinem, discurrentibus, atque ita æqualiter distantibus, vt arte cælatæ esse videantur. Colore est albo, aut subcinereo. Ab Actio nominatur lapis Syriacus, ab alijs Phœnicites, Pyrene, vel Eurrheus. Apud Plinium nuncupatur Tecolithos, quasi lapidem frangens, vel liquefaciens: nam, Τήκω, exponitur liquefacio. Hic lapis tritus, & cum aqua calida exhibitus, difficultati vrinæ medetur: necnon lapillos vesicæ, & renum frangit. *Thecolithus qualis.*

Variæ lapidis Iudaici differentiæ.



Aliqui in his lapidibus ſexum diſtinguunt, nam minores, fæminas, & maiores, maſculos appellant; inter quos aliqui ſunt longiores minimo digito: deinde minores, ad veſicæ calculum fundendum, vtiles, maiores verò, ad rerum lapillos expellendos, peraccommodos prædicant. Nos in gratiam legentium varias huius lapides icones proponimus.

DE LAPIDE SAMIO. Cap. XLVIII.

LAPIDIBVS nomen à regione ſumentibus, non eſt arcendus lapis Samius; hic ſolet in terra Samia frequenter inueniri, quæ linguæ adhæret, & alba eſt. Hoc vtuntur Aurifabri ad conciliandum auro nitorem. Facultatem habet aſtringendi, & refrigerandi, ſed candidior, & durior cæteris præfertur. Partus accelerat, & tanquam Aetites conceptum cuſtodire perhibetur. Interdum hic lapis nigricat: Quapropter à nonnullis Exhebenus, aut Ebur foſſile nominatur. De hoc plura non exaramus, cum in ſecundo libro agentes de terra Samia, nonnulla ad huiuſmodi lapidem ſpectantia expoſuerimus.

DE LAPIDE ARMENO. Cap. XLIX.

ÆQVIVOCA.

NON mediocrem vocum ſubſequentium ſimilitudo legentibus difficultatem peperit. Nam apud Galenum, Paulum Aeginetam, atque Aetium, terram Armeniam, & lapidem Armenium legimus. In Officinis Bolus Armenus, & Bolus Armena circumfertur. Cæterùm Galenus hunc, non ex propria ſententia, lapidem cognominat, ſed ad mentem illius, à quo dono accepit. Huius etiam Serapio meminit, & terram Armeniacam nuncupauit. Auicennas arabico idiomate Thin Armenan, quaſi terram Armeniam cognominat. Prædictę voces inter ſe maximè diſcrepant. Quandoquidem Bolus Armenus, ſeu Armena non eſt lapis Lazuli, vt nonnulli perperam opinantur, ſed eſt vera rubrica ſinopica Bolus verò, vel lapis, vel terra Armena omnium antiquorum Græcorum, vno excepto Dioſcoride, nihil aliud eſt, quàm terra quædam ſublutea, vel ſubpallida, quæ, iuxta ſuperficiem, teſte Galeno, lapis eſſe videtur. Idcirco qui eum dono dedit Galeno, lapidem nuncupabat. Attamen reuera terra eſt, quoniam in aqua facilè diſſoluitur more aliarum terrarum, quarum proprium eſt humiditate molliri, atq; diſſolui, quod lapidibus non contingit. Tandem aduertendum eſt, quòd Auicennas, & Serapio lapidem Lazuli cum Armenio Dioſcoridis vnum, & eundem eſſe ſtatuunt; cum tamen Græci illos inter ſe diſcriminent.

Cap. 404.

Can. 2. cap. 421.

Proprietas terrarum.

A

SYNONIMA, ET ETYMVM.

AB Armenia nomen desumpsit lapis, qui apud Dioscoridem, & Galenum dicitur ἀρμένιος λίθος, necnon ἀρμενιακὸς, quo nomine Dioscorides etiam in Euporisticis vsus est. Cæterùm in antiquo Dioscoridis Codice hoc vocabulum λίθος non inuenitur. Apud Paulum Aeginetam, & apud Aetium habetur ἀρμενιακὸν τὸ τῶν ζογράφων, ideſt Armeniacum pictorum. Ab antiquo medico Nichepso, referente Aetio, dicitur, corrupta voce, Armuthus lapis. Multi Arabes Hager Armeni nuncupant. Auicennas tamen, & Serapio lapidem Lazuli, & Mesues lapidem Armenium indigitant. Latini lapidem Armenium, vel Armenum, vel Armeniacum vocitant. Sunt quidam, qui hunc appellant Armenium colorem, qui Opandica, lapidem viridem, & quidam Molochitem, sed hi omnes valdè errant. Italis dicitur Pietra Armenia, & quando præparata est ad colorem, Verdazzuro nominatur. *Verdazzuro quia.*

B

DESCRIPTIO, ET LOCVS.

AVTHORES de colore huius lapidis, sententijs variarunt, & adhuc sub Iudice lis est. Quamobrem fortassis Arabes, vno excepto Mesue, hunc cum Cæruleo confundunt. Dioscorides Cyaneum, nempè cærulei coloris esse scripsit. Plinius verò, & Alexander Trallianus maximè viridem, communicato cæruleo, esse tradunt. Præterea Dioscorides, in textu, hunc esse lapidem non memorauit. Plinius verò esse lapidem asseuerantiùs dixit. Hæc difficultas facilè solui poterit, si verba clarissimorum Authorum diligenter ponderemus. Namq; Dioscorides, dum cyaneum commendat, non de Armeno in fodinis collecto loquitur, sed Armenum præparatum intelligit: sic enim cæruleum colorem acquirit. Hanc nostram sen-

C tentiam possumus stabilire authoritate Pauli, & Aetij, qui hoc medicamentum non simpliciter Armenium nuncupant, sed Armenium, quo Pictores vtuntur, quod cærulei est coloris, & nostris etiam Pictoribus celebratum, & vulgò nostro idiomate *Verde azuro* cognominatum. Idcircò inscriptio illa in textu Dioscoridis, semper nobis fuit suspecta: quandoquidem licet περὶ τοῦ λίθου ἀρμενίου inscribatur, nulla tamen in textu huius vocis λίθου mentio fit, sed Armenium simpliciter semper nominatur.

Lapis igitur, quem Plinius, & Alexander Trallianus describunt, coloris est virentis in cæruleum tamen inclinantis. Hinc manifestum euadit Dioscoridem de Armenio præparato verba fecisse, Plinium verò intellexisse non præparatum, sed illum, qui in fodinis colligebatur, deinde maceratione, & præparatione cæruleum colorem penitùs acquirebat. Quocirca vnum, & idem erit medicamentum, sed præparatione tantùm discrepabit. Præterea possemus etiam alio modo difficultati occurrere dicentes, cum lapis hic viridi admodum saturato sit infectus colore, vt quasi cæruleus esse videatur, non esse mirandum, si Dioscorides cæruleum appellauerit: siquidem *Difficultatis solutio.*

D Plinius, & ipse scribit distare à cæruleo, modico candore, qui hunc colorem tenuiorem reddit. Hanc nostram opinionem Auicennas confirmat, dum in Armenio lapide aliquantulum cærulei coloris reperiri scribit, Mesues quoq; medio inter viridem, & obscurum colore esse testatur. Horum atq; nostræ etiam sententiæ Georgius Agricola diligentissimus Fossilium indagator fauet, dum colorem ex viridi, & cęruleo mixtum ei attribuit. Quapropter asseuerare possumus Armenium nihil aliud esse, quàm materiam Cærulei, nondum à calore, in terræ visceribus, perfectè coctam: quemadmodum Chrysitis, Misy, & Sory sunt materia Calchanti, & Auripigmentum Sandarachæ.

Colligitur hæc materia in fodinis æris, argenti, & plumbi, sed copiosior in fodinis æris, hæcq; mollitur, & maceratur, & in Verdazurium Italis nuncupatum conuertitur, de quo egit Dioscorides, cuius notæ erunt, dum est compactum, friabile, colore intẽsè cæruleo, læuigatum, & absq; calculis. Notæ verò bonitatis lapidis sunt tales, vt sit robustus, non friabilis, habeatq; colorem viridem ad cæruleum tendentem: prætertur

Conditiones lapidis. etiam aureis maculis radians: ſiquidem qui apud Pharmacopolas ſeruatur,& quo Pictores in Germania colores parant, tum facultate imbecillior, tum etiam ignobilior habetur:vnde animaduertendum eſt lapidem hunc quandoq; adulterari,ſed vitium igne deprehenditur; nam in igne poſitus,& deinde extractus, ſi nigrum contraxerit colorem, lapidem eſſe dicemus. Sin color cæruleus magis intendatur,atq; pulchrior reddatur, indicabit illud pigmentum, de quo Dioſcorides egit,nimirum Armenij lapidis emolliti,atq; præparati. Præterea, multa cum Cyano, ſeu Cæruleo ſimilia habet: nihilominus ab illo diſcrepat, ratione loci natalis: etenim hic in Armenia gignitur, vt nomen indicat,Cæruleum verò multis in locis inuenitur. Demùm diſcrepant ſapore,nam cyanus multò eſt acrior, magiſq; aſtringẽs,itaut cruſtas etiam, ad inſtar ignis, inducat.

Ratione loci, non ſolùm in Armenia inuenitur, ſed etiam in multis Germaniæ locis, ſicuti Authores quidam Germani, quinimò, & Andreas Matthiolus tradiderunt, quam ſententiam Georgius Agricola non probat, & addit poſſe tantùm per fraudem pro Armenio ſubſtitui.

VENENVM, ET MEDELA.

Cap. 19. EMINENTISSIMVS Ferdinandus Ponzettus Cardinalis Meltiſenſis, in libro ſecundo de Venenis, inter venena metallica recenſet Armenium lapidem fortaſſis minimè præparatum (præparatus enim medicaminibus addi poteſt) eumque adeò pernicioſum prædicat, vt tertia pars drachmæ interficere poſſit. Præterea addit ſymptomata huiuſmodi venenum conſequentia: quandoquidem Patiens primum de frigiditate extremitatum conquiritur,dum ſpiritus, & calor ad præcordia retrahuntur, & niſi citò huiuſmodi venenum educatur, ſyncope, & interitus ſequitur.

Medicamenta hoc venenum expugnantia debent eſſe illa,eodem authore teſte,quæ venenum Napelli profligare poſſunt, deinde proponit Diamoſchum,& radices Capparis. Inſuper tradit,iuxta aliquorum mentem, in hoc caſu oleum Nucum dandum eſſe cum decoctione butyri, & ſeminis Napi, nimirum illius ſpeciei raparum, quæ ad colorem citrinum inclinant

VSVS IN MEDICINA.

Lib. 9. de ſimp. med. fac. SCRIPTVM reliquit Galenus poſſidere facultatem extergentem, cum modica acrimonia,& pauciſſima adſtrictione,ideoque medicamentis ophthalmicis permiſcet. Aetius eadem verba ex Galeno habet, ſed poſtea addit, ex Nicheplo antiquo medico, Armenium, quo Pictores vtuntur, ad duodecimam drachmæ partem, melancholicis, & craſſum ſanguinem habentibus opitulari. Præbet etiam pueris anthrace infeſtatis: ſic enim vomunt, namque inter vomitoria medicamenta collocatur. Præterea hoc medicamen laudat in Epilepſia,& in Mania hac ratione adhibitum: tres manipulos centaurij in quinq; hominis aquæ marinæ coquit, donec vna ſuperſit, deinde cum decocto colato Armuthei lapidis, quem Græci Armenium vocant, tertiam drachmæ partem terit, & fæliciter exhibet. Nam per feceſſum materiam educit.

Epilepſis,& Maniæ remed.

Meſue autem vires huius medicamenti, ſiue crudi, ſiue præparati calefacientes, & ſiccantes in ſecundo gradu tradit, immò cum erodat,& excreſcentes carnes cohibeat, qui effectus caliditatem ſatis inſignem demonſtrant, medium tertij gradus caliditatis excedere putat. Inſuper addit habere facultatem antiquis medicis incognitam,quoniam ventrem ſoluit: nam quemadmodum Antiqui ad Veratrum nigrum tamquam ad vltimum præſidium deueniebant, ita nos, vt teſtatur Alexander Trallianus, ad Armenium poſſumus accedere, & tres, aut quatuor ſcrupulos præſcribere. Meſue ad drachmas duas cum aliquo alio medicamento mixtum præbet. Dioſcorides huic medicamento attribuit illas vires,quas antea Chryſocollæ aſſignauerat, ſed tamen inefficaciores. Cæterùm quis dubitare poſſet, num Chryſocolla vomitum ciendi, & aluum mouendi facultatem poſſideat, quemadmodum de Armeno dictum eſt. Huic dubio reſpondere poſſumus Dioſcoridem hæc duo medicamenta inter ſe comparaſſe, quoad

Difficultas ſoluitur.

vires

A vires externas, non autem quoad vires internas. Auicennas Armeno lapidi conuenire illas virtutes opinatur, quas Græci enumerarunt, nimirum, quòd habeat vim ducendi atram bilem per secessum, quæ euacuatio hodie quoq; est celebris; cum, in Antidotario Bononiensi, pilulæ de lapide Armeno Mesuc describantur, quæ Melancholicos, & adustos humores clementer educunt. Manardus Ferrariensis hoc medicamènto morbos ab atra bile pendentes se fælici cum successu curasse gloriatur. Item Fallopius, in furore Melancholico præstantissimum ait esse medicamentum, qui, authoritate Alexandri Tralliani, præparatum semper exhibuit, & nouies, vt vult Alexander, ablutum præscripsit: quinimò addit nihil referre vtrum nouies, vel pluries abluatur, dummodò rectè abluatur, nam quantò magis abluitur, eò minori cum molestia euacuat. Verumtamen, ad prouocandum vomitum, medicamen nulla ablutione indiget. Donatus Altimarus nostræ tempestatis medicus celeberrimus aliam vim de Armenio lapide diuulgat: siquidem in febribus pestilentibus illum commendat. *Ablutio lapidis.*

Tandem nobile est amuletum, namq; si hic lapis à pueris gestetur, nocturna terriculamenta arcet: deinde à mulieribus grauidis gestatus, eas ab abortu præcauere
B traditur. Fuchsius, in defectu huius lapidis, surrogati scribit Cyanum, qui lapis vulgò lazuli dicitur, vel Chrysocollam, vel Indicum.

VSVS IN PICTVRA.

HVNC lapidem Pictores expetunt, quia illius color diutissimè durat, neq; ætate mutatur, dummodò cũ petroleo dissoluatur, est enim color pulcherrimus, & Vltramarino simillimus. Eximitur autem ab hoc lapide color hunc in modum. Tritus aquæ simplici imponitur, vt modico temporis spatio resideat; nam color grauior fundum petit. Postmodum effunditur aqua cum excrementis lapidis in aliud vas, & quod residet, si habuerit multum superflui, iterùm lauatur, proiecto inutili; quando verò in fundo residens parùm habuerit excrementi, rursus teritur exactè,
C & scutellæ vitreatæ impositò affunditur aqua limpida, in qua solutum fuerit gummi Arabicum. Mouetur aqua diligenter digitis, vt puluis lapidis non resideat. Deinde quiescendum est, per spatium dimidiæ horæ, donec ima petat color non totus; sed melior pars (nam dilutior manet in aqua) tunc aqua effunditur in aliam scutellam, quæ in fundo viliorem colorem recipiet, & seorsum seruandus est. Color autem præstantior alia aqua gummata mouebitur, atq; iterùm, per semihoram, relinquetur, vt præstantior pars coloris in fundo resideat. Aqua effusa vbi resederit, alium dabit colorem primò elegantiorem. Id opus quoties repetitur, toties diuersos colores exhibet, & posteriores prioribus pulchriores, & crassiores euadent. *Color pulchrior vt euadat.*

DE LAPIDE COMENSI.
Cap. L.

D

SYNONIMA.

IAM tempus est, vt ab exoticis regionibus ad nostras recedamus. Comum, quod instauratum Nouumcomum dicitur est, ciuitas Insubriæ, iuxta Lacum Larium, ad vigesimum quintum lapidem, à Mediolano distans, cuius territorium hoc lapide abundat: propterea Plinius hunc lapidem Comensem à Nouocomo Italiæ oppido nuncupauit. Quibusdam Lapis lebetum appellatur, quoniam lebetes vulgò *Lauezzi* ex eo fiant. Apud Hieronymum Cardanum vocatur species cotis, & apud Pisaurensem species Ophitis, & Siphini appellatur. Etenim nominat hunc lapidem Siphinum, quia in Siphno Insula vna Cycladum inueniatur. Georgius Agricola saxum Comense cinereum indigitat, nonnullis Pietra Columbina, vulgò *Couero*.

DE-

Olla ex lapide Comenſi.



DESCRIPTIO, LOCVS, & Vſus.

Lib.36. cap.22. COMENSIS lapis colore viridi eſt refertus, vt aſſeruit Plinius. Sed mirandum eſt cum Plinius ita ſimpliciter de colore huius lapidis ſcripſerit. Quandoquidem, licet viridis ſit, multis tamen venis, ſeu maculis candicantibus eſt refertus, quæ argenteis micis radiant. Subſtantia lapidis rara, & quodammodo ſpongioſa eſt: ideoq; facilè torno elaboratur. Plinij quoq; temporibus ex hoc vaſa fiebant, in coquendis cibis, vtilia. Hodie in Lombardia Itali huiuſmodi vaſa ad vſum eſculentorum, cacabis æneis, ſalubritatis gratia, præferunt.

Plurij,

A Plurij, qui est Pagus est Rhætorum egregius, vltra alpes, propè Clauennam oppidum Lacui Lario (quem hodie Comensem vocant) proximum, in monteuicino talis lapis effoditur. In Siphno pariter lapis est eiusdem generis, nisi hoc illi singulare Plinius attribuat, quod excalfactus oleo nigrescat, & durescat, alioquin natura sua molliſſimus. Horum etiam Georgius Agricola meminit, dum inquit: à fabris ærarijs ex hoc parari formas ad æs fundendum idoneas, quia ignem sustineant. Huiusmodi saxa esse apud Chattos refert in fusco cinerea, in quorum formas quoduis metallum liquidum funditur. Hoc genus lapidis in Siphno, & in Italia circa Comum excauatur, & tornatur in vasa coquendis cibis idonea, atq; vtilia, quæ ferreis circulis muniuntur. Vas huius generis hoc in loco exhibetur delineatum.

Locus natalis huius lapidis.

Huiusmodi saxa ex lapidicinis eruta statim ferro sunt excauanda, nam aeri diutius exposita indies magis durescunt. Ex his etiam mortaria Pharmacopolarum, & etiam cotes fiunt. Gesnerus Hepatitem lapidem Comensi consimilem facit, & inter argillam, & lapidem ferè medium constituit. Is quoq; tornari potest, & etiam facilius, quia mol-

Lapis hepatites.

B lior sit, & fortassis, cum nimium mollis sit, in vsum vasorum nondum venit.

DE LAPIDE PHOLADIS.
Cap. L.

HACTENVS de lapidibus nomen à loco inuenientibus dictum sit. Iam ad lapides grandiores, & ad saxa accedendum est. Itaq; huic saxo de quo in præsentia agitur, à natura Pholadis animalculi imposuimus nomen, quoniam in eo latibuletur. Etenim φωλάδαι siue φωλάδες sunt animalcula de genere biualuium ita nuncupata, quia semper delitescant. Nam φωλεύειν Græcis (pro quo etiam φωλεῖν, & φωλζεῖν dicitur) latere, vel in latebris degere significat, & φωλεὸν, teste Eustathio, dicũtur aues, reptilia, vrsæ, & aliæ animantes, quando sub terra, vel in saxis excauatis, vel

C alijs latibulis per aliquot temporis spatium, frigoris, aut æstus vitandi gratia, occultantur. Quocirca Vrsæ etiam φολάδες ab Authoribus cognominantur. Vnde hunc lapidem φωλάδιον non absurdè quispiam appellare posset: quandoquidem φωλάδια apud Hesychium, publica vocabantur ædificia, in quæ olim homines (non aliter atque hæc animalcula propter ambientis iniurias) exercitij alicuius gratia, conueniebant. Sunt qui existimant hæc animalia in saxis, vi aquæ salsæ, excauatis prouenire, alij exluto in cauernulis saxorum cumulato generari arbitrantur. Nos autem credimus vnà cum doctissimo Rondeletio, in saxorum cauernulis, vel vi, vel natura factis, aquæ marinæ appulsu procreari, atque in conchas conuerti, qnæ cauitatis, vel foraminis figuram seruant. Hic vir celeberrimus, in portu Veneris, huiusmodi saxum obseruasse scribit, in quo nullæ rimæ, neq; cauernæ sed foramina tantum exigua erant, vt vix aerem admitterent, sed in saxo ictibus mallei confracto, multæ visebantur cauitates vario situ, & diuersæ magnitudinis. Foramina habet hoc saxum plurima rotunda modò exigua modò

Natura Saxi.

satis ampla, in quibus Pholades conspiciuntur, magnitudine etiam maioris digiti hu-

D mani. Est asperum colore leucophæo, graue, foraminibus diuersis refertum, non tamen peruium.

Hoc saxum discrepat ab illo, in quo Balani latibulantur, propria substantia, & figura foraminum, nam figuram habet Balani; exterius tamen ne vestigium quidem foraminis apparet; intus tamen animalia magnitudine, atque crassitie pollicis humani occultantur. Præterea color saxi intensè est cinereus, neq; asper, vt superior, sed lęuigatus, arenario lapidi quodammodo similis. Huiusmodi saxa, in portu Anconæ, sæpè visuntur, nam aliunde illuc deferuntur. Sed dubitabit aliquis qua ratione in medio lapidis illa animalcula, nullo apparente foramine, viuere possint. Respondendum est huiusmoi lapidem in mari esse mollem itaut per poros, & exigua admodum foramina aqua marina ab animalibus attrahatur, extractum verò durescere. Rursus alia emergit dubitatio quomodo animalia ibi viuant adhuc lapide ad aliam regionem delato: dicendum est non ita induruisse, vt aer omnino prohibeatur, cuius modica attractione viuere possunt. Hæc enim animalia pauco scatent calore, & propria pituita nutriũtur.

Saxum Balani quale.

DE

DE COTE. Cap. LII.

ÆQVIVOCA.

HVIVS lapidis meminimus in Capite de lapide Comenſi, cum, ad mentem Agricolæ, ex eo fieri cotes retulimus. Quocirca neceſſarium eſſe cenſuimus, de Cote in præſenti Capite verba facere. Verùm quoniam cùm apud Græcos, tùm apud Latinos nomen huius ſaxi ambiguitatem parit, primùm æquiuocationem manifeſtabimus. Apud Hippocratem, in Adiunctis, vt annotauit Gorræus, τὴν θυίαν, nempè mortarium ſignificat hæc vox ἀκονὴ, quæ Cotem etiam indicat. Similiter legitur apud Theophraſtum. Sed ἀκονίον coticula eſt medicamenti genus, quando, ad cotem attrito duro, vel ſolido medicamento, collyria finguntur, quæ, vel in oculorum morbis, vel in alijs affectibus adhibentur. Inſuper Cos ſignificat cautem, vnde Aconitum herba nomen habet, ita dicta, quoniam in Cautibus creſcere ſoleat. Hinc Auſonius Poeta cecinit.

Lib. de rat. vict.

Aſpergit caules, & dira Aconita creat Cos.

Cæterùm ἀκονίτιον eſt æquiuocum, cum idem ſit quod ἄκονιτον, nempè nulla calce oblitum, vel, vt Plinius vertit, non picatum: licèt κονία calcem, non picem ſignificet. Item Cos, ſeu κῶς, maris Ægæi inſula eſt vna Cycladum ſuauitate, atq; dulcedine vini celeberrima, quæ ab Hercule olim direpta traditur, & κάρις nuncupata fuit, authore Stephano, & Merops à Merope Gigante: quemadmodum nominata fuit Cos à Co Meropis filia. Rurſus Cos eſt Vrbs Ægypti, necnon foſſa Corinthi, in qua fures, & fugitiui claudebantur, quæ Cous etiam vocabatur: quandoquidem Coos foſſas, & omnes ſpeluncas indigitant. Tandem Cos eſt inſula Cariæ, quam Hippocratis medicorum Principis, & Appellis celeberrimi pictoris patriam conſtituunt. Hæc Æſculapij templo, & Iunonis æde nobilitata fuit.

Cos Inſula.

Hippocratis, & Apelles patria.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

LATINI Authores hunc lapidem appellant Cotem fortè quaſi Cautem, cũ cautes ſaxum aſperum, & abruptum dicatur: aut quia antequam hic lapis redigatur ad formam cotis, ſit aſper, aut quoniam frequenti percuſſione mallei, aſper ſtudio reddatur, vt meliùs ferrum acuat, niſi velimus aſſerere ita nuncupari, quoniam in cautibus, nimirum in locis aſperis, & abruptis inueniatur, & eruatur; apud Calepinum legitur Allo, eſtque lapis rotundus, quo fabri ſua inſtrumenta acuunt, Græcis vocatur ἀκόνη, pariter ἀκονηλίτης, à voce ἀκὴ, quæ cuſpidem, & aciem ſignificat; ſiquidem inſtrumentis ferreis aciem communicat. Apud Pandectarium, pro hoc lapide, Aconelitos, Almeſen, & Aleon legitur. Rhaſis lapidem acuendi nuncupat. Italis dicitur Pietra d'aguzzare, Gallis Pierre à guiſer, Hiſpanis Aguzzadera, Germanis Vuetſtein, aut Schlypſtein, Belgis Vuetſteen.

DIFFERENTIÆ.

NEMINI non cognitus eſt lapis, quo cultri, aliaque huius generis inſtrumenta ferrea acuuntur. Verum huius plurima reperiuntur genera, quæ diſcrepant vel humoribus, quibus madefiunt, vel colore, vel duritia, vel mollitie, vel figura, vel etiam regionibus, in quibus proueniunt. Quæ indigent humoribus, ſunt quatuor genera, nimirum cotes oleariæ, quæ oleo, & aquariæ, quæ aqua irrorantur, tertium genus oleum, atque aquam ſimul expoſcit, quartum ſaliua hominis humectatur.

Cos vario humore madefit.

Ratione coloris, variæ obſeruantur differentiæ: nam aliæ ſunt nigræ, aliæ albæ, aliæ ex nigro, & albo permixtæ, aliæ virides, aliæ fuſcæ, aliæ candidæ, aliæ cinereæ, aliæ

ex

excandido, & cinereo compoſitæ; aliæ tandem luteæ, & aliæ quaſi rubeſcentes inueniuntur.

Quoad duritiam, & mollitiem varias etiam differentias ſortiuntur: quandoquidē oleares ſunt molles, ſed molliores ſunt, quæ ſaliua hominis irrigantur, vtræque ſi de manu cadant, facillimè franguntur. Cæterùm cotes aquariæ duræ ſunt, neque ita facilè rumpuntur.

Cos duplex aquaria, & olearia.

Coticula.

Pugillares ex laminis ſaxi nigri Coticulæ ſimili cum ſtylo ex eodem.





Figura. Quoad figuram, Cotes pariter ſunt diuerſæ, namq; aliæ figuram habent oblongam, aliæ latam, quæ in duas, aut in plures diuiduntur. Præterea ſunt, quæ ſpeciem fracti oſſis præ ſe ferunt, & hac de cauſa ἐνοστεοι Græcis nuncupantur.

Item differentiæ à loco natali emergunt. Germania, ad oppidum, quod ab aquis nomen accepit, Cotes olearias probatiſſimas profert. Saxonia has profert in ſecundo gradu bonitatis, & quas dat Bohæmia, tertium bonitatis gradum occupāt. Plinius Creticis primas tribuit, & ſecundum locum Laconicis, ex Taigeto monte, erutis. Aquarias Italia, eodem Plinio authore, gignit. Eiuſdem generis plurimæ, teſte Agricola, apud Germanos in Chattorum fluuijs reperiuntur. Inſuper inueniuntur in Cypro inſula ad Naxum, quas Dioſcorides commendabat; pariter ad Arſinoen in Armenia, quæ poſt Naxias, primas ſibi vindicant. Cilicia eas præbet, quæ oleo, atq; aqua madefiunt. Flamenitanas Plinius celebrat, citato loco, ex Hiſpania citeriore, quæ ſaliua humana illiniuntur. Encellius in Miſnia ſpeciem quamdam cotis erui ſcriptum reliquit, qua librorum compactores vti aſſeruit, atque aliam etiam cotis viridis ſpeciem conſtituit, quæ ocularis dicitur, quoniam ei collyria oculorum, Sieff Arabibus nūcupata affricantur. Hoc in loco exhibemus iconem Cotis duplicis aquariæ, & oleariæ: immò in eadem tabella datur effigies Coticulæ, cum lineis graduum auri, argenti, & æris; ibidemque conſpiciuntur pugillares ex laminis ſaxi nigri coticulæ ſimili, cum ſtylo ex eodem. Coticula autem ſpectat ad caput de Lydio lapide.

Lib. 36. ca. 22.

Lib. 3. cap. 78.

DENOMINATA.

L. 1. Elect. cap. 13. DECOTES nuncupatæ ſunt veſtes detritæ, quæ diuturnitate temporis, veteraſcunt, vt author eſt Feſtus, quaſi cotibus conſumptæ, & ad nihilum redactæ ſint. Cæterùm Iuſtus Lipſius mauult legere decutes veſtes, quia, tractu temporis, conſumptæ ſine flocco, & quaſi ſine cute appareant.

PRODIGIA.

Lib. 1. hiſt. Rom. TITVS Liuius, atq; Marcus Tullius Cicero monimentis mandarunt: quando Tarquinius Priſcus numerum centuriarum equitum ampliare vellet, Actium Neuium negaſſe id fieri debere, niſi conſultis auibus. Rex, inquiunt, vt artem eluderet, addidit, an diuina ex arte fieri poſſet, quòd ipſe cogitabat: cum autem reſponſum fuerit, id præſtari poſſe; tunc dixit, ſeca cotem nouacula, & tunc ille, præſente, & ſpectante populo, atq; Rege, id præſtitit. Itaq; deinceps magno in honore habitus fuit Actius quamdiu vixit, & ei ſtatua eodem loco, vbi id contigerat, nimirum in Comitio collocata fuit.

ADAGIA.

NOLVMVS præterire, quod de cote in prouerbijs dicitur. Apud Græcos legitur ἀ κοτὸν σίλιξεις, hoc eſt, cotem alis. Hoc prouerbium in eos quadrare traditur, qui edaces ſunt, nihilominus cum plures ingurgitent cibos, pingues non euadunt. Præterea in macilentiam Cotis adhuc prouerbium iactatur, quando ſignificaturi quempiam macilentum, illum pinguem eſſe tanquam cotem pronunciamus. Pariter cotibus illos eleganter comparare poſſumus, qui alios cùm doceant, ipſi tamen ſunt rudes. Hinc Horatius, in Arte poetica, de ſe ipſo id modeſtè protulit.

Ego fungar vice cotis acutum
Reddere quæ ferrum valet exſors ipſa ſecandi.

Pariter Iſocrates interrogatus, qua ratione, cum ipſe facultatem dicendi non haberet, alios bonos Oratores efficeret, reſpondit ſibi idem contingere, quod cotibus. Iſocratis autem verba à Plutarcho in illius Vita citantur.

VSVS IN MEDICINA.

DIOSCORIDES vires medicas non Coti, sed ei attribuit, quod de Cote Naxia deteritur. Paulus tamen hanc proponit distinctionem, vt id, quod de cote Naxia deteritur, vim frigefaciendi possideat, qua de causa Virginum mammas, & puerorum testiculos contrahere potest. Quod autem deteritur à Cote olearia, virtute extergendi præditum esse asseuerat; quaptopter alopecijs conuenire tradit. Cæterùm Galenus simpliciter, quod deteritur à Cote Naxia, prohibere asserit, ne Virginum mammæ ante tempus inflentur, & puerorum testes augeantur, cum refrigerandi vim habeat. Tandem Dioscorides huiusmodi materiam in potu Lienosis præbet, quia splenem absumere dicatur, & comitialibus etiam prodesse scribit.

Ad tumorem mammarum.

VSVS IN VARIIS.

PROPTER continuum Cotis vsum, cunctis innotescit hic lapis. Etenim omnes homines cote aciem cultrorum excitant, Fæniscæ falcis, Tonsores nouaculæ; Fabri materiarij serræ, & tandem omnia instrumenta ferrea ab Artificibus cote acuuntur, vt delicatior eorum acies euadat. Hinc Cupidinem sagittas suas cote acuisse scribit Horatius, dum canit.

——— ferus & Cupido
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.

Hieronymus Cardanus, ad æneos aptandos calamos, eas eligit cotes, quæ ex Oriente, & Syria aduehuntur, tenuibus quasi granulis constantes, læues, virides, duræ, & quæ oleo, non autem aqua temperantur (hæ molliores tamen sunt, licèt ille duras vocet) aqua tamen efficit, vt gladioli celeriùs aciem recipiant. Expoliuntur, & ipsi cote chalybea, & amittunt aciem quamdam tenuem, & caducam accommodandis calamis prorsus inutilem.

Lib. 13. de rer. var. ca 64.

DE LAPIDE MOLARI.
Cap. LIII.

ÆQVIVOCA.

PRIMITVS Molaris est dens maxillaris, à Molo, quia cibum à cæteris dentibus incisum molat. Item Molaris est compositio quædam medicinalis apud Galenum, ad leniendos dolores illorum dentium, quos molares vocant. Rursus molaris est lapis è mola cõcisus, vt habetur apud Ouidium, quando cecinit.

Lib. 5. de comp. med. sec. loc.

Aut comes, inquit ero, dixit, dextraq; molarem
Sustulit.

Lib. 3. Metam.

Denuò Molaris apud Aristotelem est piscis, qui ęstate parit. Deniq; Molaris est lapis, ex quo, vt refert Plinius, molæ fiunt. Cæterùm mola quoq; ambiguitate laborat, nam, præter molam, de qua in præsentia agimus, Medici vocant molam, carnem informem, atq; inanimam, in vtero muliebri, absq; semine viri, genitam. Quinimò nonnunquam mola, pro mandibula, aut maxilla, vsurpatur. Deniq; Mola, authore Festo, apud Ethnicos erat Far tostum, & sale aspersum, ità nuncupata à molito Farre, quo Hostiæ aspergebantur: qua propter adhibita in sacrificijs, sancta Mola dicebatur, vt annuit Tibullus his versibus.

Mola vteri
Mola mandibula.
Mola pro sacrificijs.

Ipse procuraui, ne possent sæua nocere
Somnia, ter sancta de veneranda mola.

Lib. 1. eleg. 5.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

LATINI molarem lapidem nuncupant, cum ex illo molæ fiant: hunc ita nuncupatum volunt à mole, ob pondus, & grauitatem: etenim moles eſt res magna, & ponderoſa à mouendi difficultate dicta. Ouidius ſaxum aſperum indigitauit hoc verſu.

Et Cereris fruges aſpera ſaxa terent.

Pyrites quid. Plinius pyritem dici etiam teſtatur, quia ex illo non aliter, quam ex pyrite ignis elici poſſit, qui Græcis πυρ vocatur, vel vt alij volunt à frumento, quod πυρον Græci nominant, quoniam id mola teratur. Quod autem ignem hic lapis ferro percuſſus ſpargat, Virgilius ſic ſcriptum reliquit in Aetna.

Quin etiam variant quædam ſine nomine ſaxa
Toto monte liquant: illis cuſtodia flammæ
Vera tenax q; data eſt, ſed maxima cauſa molaris
Illius incendi lapidis, ſic vindicat Aetnam.
Quam ſi forte manu teneas, & robore cernas,
Nec ſeruare putes ignem, nec ſoluere poſſe,
Sed ſimulac ferro quæras, reſpondet, & ictu
Scintillat calor, hunc multis circumdare flammis
Et potes extorquere animos. &c.

Græci μυλιαν, μυλιτην, μυλον vocant. Hippocrates, & Strabo λιθον μυλιον nominarunt. Inſuper apud varias nationes, varia ſortitur nomina. Italis dicitur Pietra da macine. Gallis Pietre a farie meule de moulin, Hiſpanis Coſa par Nazer muela, Germanis Das der mule iſt.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

HIC lapis omnibus eſt notiſſimus, natura ſua durus, atq; aſperrimus: quapropter Ouidius illum pumiceum vocabat, non quia, ad modum Pumicis, eſſet leuis; eſt enim admodum grauis, ſed quoniam, ad inſtar Pumicis, valdè aſper eſſet, verſus Ouidij eſt talis.

Et quæ pumiceas verſat aſella molas.

Lib. 36. ca. 18. Plinius de natura lapidis molaris hæc habet. Neq; eſt alius firmior, namque imbres, ſoles, aut hyemes non patitur, cum, in alijs diuerſis lapidum generibus, ſunt, qui & Lunam non tollerent, qui vetuſtate rubiginem contrahant, vel colorem candidum, cum oleo, mutent.

DIFFERENTIÆ.

GEORGIVS Agricola duorum generum lapidem hunc eſſe ſcribit, vnum, quod igni liqueſcit, & μυλην Ariſtoteli dicitur, quod proprium eſſe mõtis Aetnæ vt paulò ante, ex Virgilio, tradidimus. Alterum eſt, quod non liqueſcit, & μυλια Ariſtoteli vocatur: quamuis Theophraſtus, & Strabo lapidem etiam liqueſcentem μυλιαν appellauerint. Plinius quo ſdam molares molliores eſſe, & cote læuigari affirmauit, vt procul intuentibus ophitæ videri poſſint. Iſidorus quatuor molarium genera deſcribit, quorum tria colore diuerſa eſſe conſtituit, quartum fiſtuloſum, & cameris aptum tradit, illiq; colorem modò album, nigrum, & permixtum tribuit.

Lib. 19. ca. 10.

Nos varias huius lapidis differentias obſeruauimus, ſed rariores deſcribemus, nimirum maculoſum, ſubuiridem, maculis purpureis, atq; albis inſignitum, quales in acinis Mali granati conſpiciuntur, cum argenteis ſcintillis, ſed admodum paucis, deinde conſpicati ſumus alium molarem fragmenta varia calculorum, & Silicum admixta habentem, vt quaſi alijs ſaxis pregnans videretur, colore cinereo, luteo, atq; fuſco.

LO-

LOCVS.

STEPHANO, & Strabone authoribus, Nysyrus insula molaribus abundat. Præterea in Antrone Thessaliæ vrbe, secundùm aliquos, optimi eruuntur. Plinius nusquam meliores, & vtiliores, quàm in Italia generari, & in quibusdam Prouincijs omninò non reperiri scripsit Georgius Agricola, ad Mundam Saxoniæ oppidum, inueniri prodidit, quinimò, & in Misena ad Lomam arcem. Ampliùs, in Gallia, aiunt erui molares, qui nonnunquam venefica qualitate scatent, quam ex Bufonibus (vt fama est) in illis natis acquirunt.

Bufones in molaribus nati.

VSVS IN MEDICINA.

LAPIS molaris, apud Hippocratem, ad conceptionem promouendam probatur. Deinde lactis impetum prohibet, item tritus, & resinæ permixtus, pro cataplasmate, ad Cheradas duras sanandas, adhibetur. Paulus hunc lapidem molarem, loco Pyritis substituit ex Galeno, qui, ad Dysenteriam, calefacit petram molendini, & frondes Porri pinsitas cum aceto acri, superponit.

Lib. de steril.

Lib. 2. ad Glauc.

VSVS IN VARIIS.

RECENSETVR ab Isidoro molaris, inter lapides, qui varijs ædificijs construendis apti comprobantur. Cæterùm ex molari asperiori parantur molæ, ad terendum frumentum idoneæ, quam artem humano generi tam necessariam, atq; vtilem Ceres primum inuenisse traditur. Itaq; molarum varia sunt genera, quæ vel à mouentibus, vel à rebus, quas molunt, varia nomina sortiuntur, hinc habemus molas frumentarias, fabarias, & olearias, quia frumenta, fabas, atq; oleas molerent. Cæterùm quæ à mouentibus nomen meruerunt, varijs mouentur modis: quandoquidem alia ab animalibus, vt asinariæ, quia ab asinis moueantur (quorũ loco equi, & capræ fortiores surrogabantur) manuariæ, quæ ab humanis manibus, versatiles, seu trusatiles à trudendo nuncupatæ fuerunt, quas Plinius Volsinijs inuentas fuisse retulit, & spontè motas in prodigijs, quibus Plautum operam dedisse, Gellius testificatur. Hæ olim pistina dicebantur, & ad hoc exercitium famulos criminosos condemnabant: vnde Terentius dixit. *Ego te*, inquit, *in pistrinum dedam*. Insuper aliæ mouẽtur ab aqua, quales in fluminibus sunt plurimæ, vt hic Bononiæ, & alijs in locis innumeris, aliæ mouentur à vento, & harum duplex est genus, quorum vnum in eminentiori loco, aliud in nauibus supra flumina conspiciuntur.

Molarum differentiæ.

Quantam verò vtilitatem vsus horum lapidum nobis afferat, non est cur recenseamus, cum sit notissima: nihilominus ex hoc ioco magis cõstabit. Cum Rodulphus Princeps Camerinus ad Ducem Andegauensem, cum Neapolim proficisceretur, visendum in castra venisset, ostẽdit ei Dux pretiosam suppelectilem, & inter cætera lapides pretiosos: his conspectis, Rodulphus quæsiuit, quanti valoris, & quantæ vtilitatis essent. Respondit Dux magnum quid æstimari. Tunc Rodulphus addidit, ostendam tibi duos lapides pauci valoris, nimirum decem florenorum, qui mihi annuatim ducentos reddunt; & Ducem admirantem ad molendinũ, quod iusserat construi, duxit, & duos molares lapides illi ostendit, dicens eos esse, qui lapidum pretiosiorum virtutem, & vtilitatem superant.

Moluris est lapis pretiosus.

DE LAPIDE ARENARIO. Cap. LIV.

ARENARIVS, ſiue Arenaceus, ſiue Sabuloſus lapis, *Maſegno* Bononienſibus dicitur, fortaſſis, quia graue ſit inſtar molæ, quæ vulgò Macina nuncupatur. Italis vocatur Pietra Bigia. Ex arena compactus videtur lapis, nam cum primum effoditur, molliſſimus eſt, quando verò aeri diutiùs fuerit expoſitus, durior ſemper euadit: hinc Romani Tophum vocitant. Maxima vis huius lapidis eruitur in monte Agri Bononienſis, qui à Diua Margarita nomen meruit. Magnam præſtat vtilitatem, in fabricandis ædificijs, nam cum mollis primùm ſit, cuiuis operi aptatur, feneſtrarum, caminorum, & oſtiorum ornamenta præbet, quinimò integras etiam ſtatuas ex eodem conficiunt. Florentiæ palatia ex hoc lapide fabricantur, quale eſt illud Pitorum nobilis illius Ciuitatis familiæ.

Locus lapidis.

Item aliquam ſortitur differentiam; nam alius eſt mollis, alius durus, & quaſi marmoreus, alius ad flauitiem, alius ad nigredinem tendit, alius ex viridi, & cæruleo compactus videtur, qualis Florentiæ obſeruatur.

DE SILICE. Cap. LV.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

Lib. 36. ca. 18.

NOMEN Silicis latiùs patere, quàm oporteat, manifeſtum eſt ex Plinio, qui, hoc nomine, & petram, & marmor intellexit. Pariter Varro Lunenſem Silicem, pro marmore Lunenſi, indigitauit, quando huiuſmodi genus marmoris ſerra ſecari aſſeruit. Nos autem in præſentia de vero, & genuino Silice verba facimus. Aduertendum autem eſt tam in genere maſculino, quàm in fæminino efferri. Lucretius hunc lapidem, iuxta genus maſculinum, vſurpauit, quando cecinit.

Vnde queant validi Silices, ferrumq; creari.

Viciſſim Virgilius, iuxta genus fæmininum, Silicem protulit, quando cecinit.

Spes gregis, ah, Silice in nuda commiſſa reliquit.

Hic lapis ſortitus eſt nomen Silicis, vel quia in illo ignis ſileat, vel quia ictu chalybis, vel alterius ferri, ab illo ignis ſaliat. Quapropter Gratius Poeta Silicem, in libro de Venatione, lapidem viuum nominauit; & hæc eſt potiſſima ratio, propter quam πυρίτης apud Græcos vocitetur. Apud Liuium, Lapis Silex, & apud Catonem, Lapis Siliceus legitur. Germanis vocatur Kiſsling, ſed horum Alij Dornſtein nuncupant, nempè corneum lapidem, quoniam vel colore, vel duritia cornu imitetur. Hæbreis dicitur Challariſch, Italis Pietra focaia, Gallis Pierre à feu, Hiſpanis El Pedernal, ò Piedra dura.

Lapis viuus.

NATVRA, ET AFFECTIONES.

PLERVMQVE hic lapis, vt optimè annotauit Georgius Agricola, durior eſt marmore, & aliquando inſtar marmoris radiat. Cum autem ſit duriſſimum ſaxi genus, cælaturam difficulter admittit: nam ferro pertractatus diſſilit. Præterea etiam ad conſtruenda ædificia non probatur, quia calcem non bibit. Deinde eſt etiam talis naturæ, vt violentia ignis fornacum liquefiat. Demum ex Silice, ictu chalybis, vel alterius ferri, ignis elicitur: hinc Virgilius cecinit.

Et

A *Et primùm silicis scintillam excudit Achates,*
Suscepitq; ignem foliis. *Lib. 1. Aeneid.*

Etenim Silex percussus naturaliter ignem spargit, quoniam copia sulphuris redundat, quod ex illius odore colligendum est. Quoniam autem omnia sulphurea facilè inflammantur, & accenduntur; idcircò res illæ faciliùs accenduntur, quæ plus sulphuris participant, & quamuis aliqua sint, quæ pauca sulphuris portione redundent; nihilominus ita dispositа sunt, vt ignis per eorum partes facillimè sese insinuare possit. Præterquamquòd corpora sicca, & rara, quamuis quantitatem Sulphuris non possideant; attamen, ob siccitatem, aqueæ partes absunt, quæ incendium prohibere queunt: quare ignis illi pauco Sulphuri facilè copulatur: vnde postea inflammatio emergit. Quamobrem nescimus cognoscere, quàm benè Scaliger, in exercitationibus, veritatem sit assecutus, quando ex aere attenuato ignem prodire asseruit: cum obseruemus corpora collisa, etiamsi durissima fuerint, nullas scintillas spargere, nisi copiosissimum Sulphur obtineant. Itaque aerem neque motu, neq; vllo alio modo accendi posse existimamus;
B quandoquidem hæc affectio, & proprietas corporibus tantummodò mixtis, & sulphureis contingit. Aristoteles autem duobus in locis, motu aeris, aliquid inflammari retulit, dum plumbeæ cuspides telorum arcu eiaculatorum, motione aeris adeò igneſcunt, vt liquefieri dicantur. Cæterùm experientiæ hoc respondere non credimus: namq; si cuspides plumbeæ liquescere possent, multò magis plumbeæ sclopi glandes motu incalescere deberent, quæ tamen statim post scloporum displosionem, manibus pertractãtur. Præterea si motus aeris id præstaret, saltem id ceræ accidere deberet, & tamen glans cerea tormento manuali eiaculata tantum abest, vt liquescat, vt potiùs integra asserem valdè crassum penetret. Hæc de natura, & affectionibus Silicum breuiter dicta sufficiant. *Lib. 2. de Cælo cap. 7. Lib. 1. Meteor. cap. 3.*

DIFFERENTIÆ.

C PRIMITVS, si color silicum obseruetur, hic erit varius: namq; hi, coloris cornei, candidi, cinerei, fusci, cærulei, & coloris hepatici inueniuntur. Quamobrẽ illi silices, quibus viæ sternuntur, post diuturnos imbres, abluti, flaui, nigri, virides, rubri, & alijs coloribus pulcherrimè distincti conspiciuntur. In Bizentio Hetruriæ fluuio, silices inueniuntur, qui post polituram, marmor orientale repræsentant, & òb colorem variant, nam multas albicantes maculas ostendunt. Demum quandoq; silex inuenitur nigerrimus, qui lapidi Lydio congener esse videtur. Alioquin plerumque silices sunt opaci, nonnulli tamen prorsus diaphani interdum inueniũtur, quos ad formam gemmarum redactos, pro Adamantibus Bohemicis Gemmarij vendunt. Si substantia silicum consideretur, asserendum erit, alios esse liquabiles, qui plerumq; exteriorem quamdam albedinem, & luciditatem demonstrant, hosq; Aristoteles pyrimachos nuncupauit Alij verò ignibus reluctantur, & aduersus vetustatem incorrupti permanent. Quamquam superius annotatum fuerit silicem esse quoddam saxi genus durissimum: nihilominus quandoq; silices inueniuntur marmore molliores, qui cote ita læui-
D gantur, vt procul intuentibus ophitæ videri possint. *Colores silicum.*

Quoad figuram, admiranda varietas in silicibus obseruatur, cum alij lati, alij longi, alij magni, alij parui, & alij sint ramulosi ad instar corallorum. Alij varias rerum animatarum, & inanimatarum formas referunt. Alij demum diuersis lineis exornati figuras animantium, & partium eorum exprimunt, vt, in progressu huius Rubricæ, multis iconibus ostendemus. Cæterùm silices, qui in fluentis inueniuntur, ammissis angulis, ob aquæ volutationem, potiùs rotunditatem, quàm aliam figuram induunt. Vidimus silicem oculi figuram repræsentantem, & ophthalmitem nominauimus, alium referentem formam duorum testium, & Diorchitem indigitauimus. Alium habuimus, in quo figura capitis muliebris calantica induti conspiciebatur, & Anthropomorphitem appellauimus. In alio effigies Aurigæ cum curru ab vno tantùm equo tracto visebatur. Alium fungiformem cognominauimus, cum formam fungi ostenderet, & alium Triticitem, quoniam in superficie eminentias granorum tritici haberet. Oblatus etiam fuit silex forma Soleæ æquinæ, nullum tamen vestigium foraminis clauorum habebat. *Figuræ silicũ variæ.* *Triticites silex.*

Prima tabella, in qua nouem Silicum differentiæ conſpiciuntur.



Secunda tabella, in qua ſeptem Silicum differentiæ apparent.



Decreuimus igitur nonnullas icones ſilicum mirabili naturæ artificio conſtructarum ante oculos legentium repræſentare.

In prima tabella conſpiciuntur nouem Silicum differentias. Prima erat ſilex colore ferrugineo præditus, cuius inciſi lapidis medulla albicans, effigiem mulieris infantem in ſinu geſtantis exprimebat.

Ter-

Tertia tabella, in qua oſtenduntur quatuor Silicum differentiæ.





Secunda differentia primo aſpectu refert formam orbis piſcis; deinde in parte latiori, & anteriori habet effigiatũ caput Ceti maculoſi Anglici, quod animal nonnulli Pardalim maculoſum vocarunt, & apud Veteres, in rerum natura, fuiſſe crediderunt, item in eodem ſilice icon capitis cum collo canis villatici apparet: præterea totus lapis vurijs lineis eſt diſtinctus.

Tertio loco proponitur icon filicis leucophæi coloris, cum maculis nigris ad colorem ſubuiridem inclinantibus, quæ exprimunt caput cum collo cuiuſdam auis aquatilis, quæ à Plinio Onocrotalus vocatur.

Quar-

Quarta tabella cum nouem Silicum differentijs.



Quarto loco figuratur Silex cũ herbusculis: ideoq; Dendrites appellari potuit. Etenim sæpè huiusmodi lapides visuntur cum figuris Bryonis potissimùm, seu Musci. Hinc aliqui Philosophantes dixerunt id euenire posse, quoniam muscus adhærens lapidibus, suam effigiem facilè illis imprimere potest. *Cur lapis cum figura Musci.*

Quinto

Quinta tabella, in qua duæ Silicum differentiæ monſtrantur.



Quinto loco ponitur effigies Silicis albi, & figuræ oualis, vbi Natura fæturam Raiæ delineauit.

Sexto loco habetur silex colore flauo, atq; nigro, rubrisq; maculis perornatus, inter quas sunt quædam referentes caput, & thoracem monachi amicalo pontificali induti.

Septimo loco est silex coloris castanei, & leucophæi, exhibens figuram mulieris quoad caput, collum, & thoracem: alioquin multis alijs maculis erat conspicuus.

Octauo loco est alius silex cum figura humana, quæ intuentibus Iesuita esse videtur.

Nono loco, & in fine tabellæ ponitur icon silicis, qui tanquam gemma erat diaphanus, erat colore castaneo, nigricante, atq; albicante, in cuius altera parte caput mulieris, in altera verò Draco niger conspiciebatur.

In SECVNDA tabella septẽ silicũ differentię delineãtur. Primo loco habetur Silex imaginem fluuij referens: nam quemadmodum, inter gemmas nonnullæ sunt Achates effigie amnis insignitæ, pariter nõnullis Silicibus idem accidit: nam hic noster erat oualis figuræ, multis lineis refertus, itaut quædam æmularentur circulos ab aqua factos, quando quis lapidem in illam proijcit. *Secũda tabella.*

Secundo loco ponitur icon Silicis quodammodo fungiformis.

Tertio loco est Silex referens Soleam, colore erat flauo, atq; nigricante.

Quarto loco designatur Silex ferrugineus dilutus, cuius exterior cortex erat admodum tenuis, quo detracto, apparuit substantia dura, & nigra, bitumen æmulans.

Quinto loco reponitur icon Silicis, qui nobis vocatus fuit Tellinites, quia Tellinam conchæ gemis imitaretur.

Sexto loco habetur Silex subalbus, figura pedis cum vngue asinino, duplici colore insignitus, nempè albo, & corneo, quorum postremus iuxta superiorem partem pedis apparebat.

Septimo tandem loco proponimus iconem Silicis figuræ trigonæ, cinerei coloris, cum marga nigra durissima, quinimò in latere triangularis figuræ foramen valdè penetrans conspiciebatur.

In TERTIA tabella quatuor insignes Silicum differentiæ designantur. *Tertia tabella.*

Primo loco reponitur Silex, qui iuxta partem æqualem, & planam erat cinerei coloris; vbi quædam natura effigiauit lineamenta intuentibus admirationem parientia: quandoquidem figuram cymatilis vestimenti imitarentur.

Secundo loco designatur Silex foraminosus, in fluuio Sapinæ inuentus. Hæc autem foramina terebratione videbantur facta, quamuis hexagonæ essent figuræ, & domunculas apum, vel nidulamenta aliquorum Insectorum imitabantur.

Tertio loco reponitur Silex habens figuram cuiusdam auis aquaticæ: quamobrem Silex Ornithomorphites à nobis fuit appellatus.

Quarto loco delineatur Silex pariter inuentus in fluuio Sapinæ, qui ex arenis quodammodo compactus esse videbatur: ideoq; nobis vocatus fuit arenarius, cinerei erat coloris, & iuxta partem superiorem duos habebat circulos candidos, vnum tamen altero maiorem, qui mirabili quadam ratione sese intersecabant.

QVARTA tabella ostendit nouẽ Silicũ differentias cum variorũ iconibus animãtiũ. Primo loco reponitur Silex in fluẽto inuentus, colore albo, & leucophæo refertus, exhibẽs figurã Cemi, seu Idoli Indici, nisi velimus asserere galeã militarẽ ab eo repręsẽtari. *Quarta tabella.*

In secundo Silice coloris albi, & cinerei conspiciebatur caput humanum collo copulatum, & galero vittato tectum.

Tertius, qui erat coloris castanei, cum natura ludens in eo Pauonem expressérit, Pauonites fuit nominatus.

In quarto, qui erat refertus colore flauo, & castaneo, natura varijs maculis caput Bubonis, vel Noctuæ expressit, & circa latus dextrum, caput, & pedes anteriores leporis effigiauit.

In quinto est pictura naturalis, quæ refert quamdam auem nigram aquatilem prorsus æmulantem Ardeam, vbi est etiam icon capitis equini cristatum cum parte colli, & absq; auribus.

Sexta differentia dat Silicem cum rudimento capitis ceruini, & multis alijs lineis exornatum.

Septimo loco conspicitur Silex, qui totus erat albus, & niger, tribus figuris refertus. Prima erat caput equinum, secunda erat Persona, quam vulgus *Mascheram* appellat, & tertia erat effigies pedis calceati.

Octa-

Sexta tabella duas habet differentias.



Octauo loco reponitur Silex exhibens rudem quãdam, & imperfectam effigiem Elephanti, cum promuſcide, caput tamen huius animantis ceruinum videbatur. Erat hic lapis colore nigro, & caſtaneo inſignitus

Nono loco effigiatur Silex Achatis æmulus, cum tenijs candidis, colore vitreo, & tota lapidis ſubſtantia erat polita ad inſtar marmoris.

Tabella quinta. QVINTA tabella monſtrat duas pulcherrimas Silicis differentias. Primam vocamus Silicem dactylitem. Erat enim ſolidiſſimæ, & ſiliceæ ſubſtantiæ, colore cinereo, paſſim ſinubus diuerſæ magnitudinis excauatus, qui imitabantur illas cauitates, in quibus Dactyli animantes deliteſcere ſolent. Hic Silex repertus eſſe perhibetur in Valle nuncupata Valdenſe Agri Senenſis.

Alter Silex erat varijs tenijs obliquis inſignitus, quæ prorſus figuras Serpentum æmulabantur.

Tabella ſexta. SEXTA tabella duas pariter habet differentias Prima refert figuram caudæ Cancri, ſiue Aſtaci fluuialis: quocirca dictus fuit Cancrites, & iuxta omnem partem, nimirum pronè, ſupinè, & ſecundùm latus, fuit delineatus.

Ibidem conſpicitur Silex cinereus, & lucidus, multis circulis magnis, & paruis refertus, iuxta vtramq; partem, cum quibuſdam etiam maculis, & punctis, quæ omnia ab arte potiùs, quàm à Natura formata eſſe videbantur.

Tabella ſeptima. SEPTIMA tabella ſex differentijs Silicum eſt referta. Primus Silex erat colore cinereo diluto, quibuſdam refertus appendicibus, quarum quædam maiores, & eminentiores, quædam minores, & nequaquam eminentes conſpiciebantur; deinde totus Silex figuram pyralem referebat.

Secundus Silex vocatus fuit cancellatus; cum lineas partim rectas, partim tranſuerſas haberet ad ſpeciem cancellorum.

In tertio autẽ Silice, inter ſpatia cancellorũ, circuli quidam à Natura delineati ſunt.

Quarto loco conſpicitur Silex niger, qui duas lineas albas per medium decurrentes habebat.

Quinto loco apparet effigies Silicis coloris caſtanei, & albi, qui non nullis veluti faſcijs albis erat decoratus.

Sexto, & poſtremo loco figuratur Silex æmulans Amygdalum, ideoq; ſilex Amygdaliformis fuit nuncupatus.

In

Septima tabella cum sex differentijs Silicum.





In OCTAVA tabella variæ, & elegantiores formæ Nucum græcarum à Silicibus re- *Octaua tabella.*
presentantur. Prima fronte pinguntur duo Silices imitantes effigiem quarundã Amyg-
dalarum nostratium, quæ acuto apice destituuntur; ideòq; pruna, vel persica æmulan-
tur, cortice scabro, foraminibus quibusdam non tamen peruijs insignito. Huiusmodi
Silices coloris erant ferruginei, longi duos digitos, & lati pollicem.

Octaua tabella ſex iconibus decorata.



In ſecundo ordine tabellæ Silices etiam Amygdaliformes deſignantur, qui potiùs Inſecti quoddam genus referre videntur.

Quinto loco figuratur Silex forma nuclei Amygdalini, qui erat latus iuxta partem ſuperiorem, & iuxta inferiorem deſinens in acumen.

Sexto loco, & in fine tabellæ delineantur lapilli imitantes nucleos pineos ſaccharo incruſtatos. Hi producuntur à Natura in Agro Romano, & præſertim in loco *Tiuoli* nuncupato, & adeò affabre veros exprimunt, vt multos fallant. Generantur autem ex aqua Albulæ fluuij lambente ſaxa calcaria in montibus, per quos tranſit. Deponit huiuſmodi ſubſtantiam, quæ in tales lapillos conuertitur. Hi quidem lapilli ad Silices non attinent, ſed quoniam in hac tabella erant deſignati, idcircò de illis nonnulla etiam dixiſſe oportuit.

Nona tabella vndecim exhibet Silicum differentias.



NONA tabella multò plures, nempè vndecim differentias monstrat. Primo loco est Silex, qui Buphthalmites esset appellandus; nam quodammodo Rudimentum oculi bubuli refert. *Tabella nona.*

Secundo loco est Silex, qui expressam à Natura crucem fert pulcherrimam, longitudine palmi, & latitudine trium digitorum, immò, instar marmoris, radiabat. Silex subuiridi, & obscuro colore erat insignitus; crux verò erat coloris herbacei, lineis intercur-

Decima tabella quatuor differentijs referta.



rentibus nigris, quæ venuſtatem quamdam cruci conciliabant. Alia verò Silicis pars quaſdam variorum colorum maculas, nempè viridis, ſubalbi, & fuſci geſtabat.

Tertio loco delineatur Silex cum mira varietate rudimentorum arbuſcularũ, & auicularum, quæ lineamenta in generatione lapidis Natura molita eſt.

Quarto loco eſt Silex varijs lineis refertus.

Quinto loco apparet Silex cum medulla ouali, colore erat plumbeo, & naturam Pyritis æmulabatur, & per medium ſectus quamdam medullam valde denſam oſtentabat, H cum tenijs quibuſdam ſubalbis. Medulla verò, ſiue Marga erat lucidi coloris, fuſcis maculis inſignita.

Sexto loco reponitur Silex albicans figuræ ſphæricæ, faſcijs quibuſdam fuſcis inſignitus.

Septimo loco conſtituitur Silex figuræ trapeziæ, albicans quatuor tenijs nigricantibus faſciatus.

Octauo loco habetur Silex referens formam pedis.

Nono loco pingitur Silex habens figuram caſtaneæ coctæ, & à cortice nudatæ.

Decimo loco oſtenditur Silex quodammodo æmulus quinti.

Vndecimus Silex, quoad figuram, & colorem ſeptimum imitatur.

Decima tabella. DECIMA tabella quatuor differentijs eſt referta. Primo loco habet Silicem ſubalbum, cum acetabulo, & referebat quodammodò figuram Balani; in ſummitate verò cauitatem quamdam habebat ad inſtar acetabuli.

Vn-

Vndecima tabella exhibet tres Silicum differentias.



Secundo loco pingitur Silex, qui erat albus; & in ſuperiori parte duabus cauitatibus erat refertus, quarum altera erat minor, & duas orbitas, ſiue loculamenta oculorum exprimebant.

Tertio loco conſpicitur Silex corneus circulis albis inſignitus, qui iuxta partem ſuperiorem imitabatur formam pyri, cum foramine, vbi vmbilicus fructus eſſe ſolet.

Quarto loco delineatur Silex compreſſus, qui fului, & ſubalbi erat coloris, necnon mirabilis ſtructuræ, quoniam infantem faſciatum repreſentabat.

VNDECIMA tabella exhibet tres Silicum differentias. Primo loco ponitur Silex albus pumicoſus, & iuxta vtrumq; latus habebat figuras quaſi faſcias, & tenias ferruginei coloris. *Tabella vndecima.*

Secundo loco conſtituitur Silex pumicoſus paſſim foraminibus inſignitus, continẽs chamam paruam, faſciatam, & ſtriatam: quapropter credendum erit huiuſmodi chamam in hoc Silice ex putri materia fuiſſe genitam, veluti Balani inter duros lapides generantur.

Tertio loco viſitur Silex paruus, pumicoſus, atque ſpongioſus, magnitudine nuclei amygdalæ, foraminibus, & tuberculis paruis refertus.

Duodecima tabella cum duabus Silicum iconibus.





Duodecima tabella.

DVODECIMA tabella duabus iconibus insignitur. Primo loco pingitur Silex varijs lineis refertus, quæ partim nigræ, partim subalbæ erant: quapropter, ob linearum multitudinem, Polygrammatos fuit nuncupatus.

Secundo loco ponitur icon Silicis, qui colore erat præditus flaueſcẽte, maculis quibuſdam rubris, & nigris interſtinctus, & æmulabatur figuram Sculponearum: ſunt enim calcei ex lana parati, quibus Hyeme frigus arcetur.

Ter-

Tertiadecima tabella duas ostendit Silicum icones.



Tabella decimatertia.

TERTIADECIMA tabella duas ostendit Silicum icones. Primo loco monstratur icon Silicis reperti in alueo Rheni Bononiensis, in quo characteres quidam peregrini à Natura expressi visebantur, & ita eminentes, vt quodam quasi artificio sculpti viderentur. Erat coloris nigri, sed, iuxta alteram partem, cinerei Etenim Natura sæpè ludens in generatione lapidum, & præsertim Silicum, quandoq; in illis nonnulla naturalia, & interdum artificialia pingit.

Secundo loco effigiatur Silex colore subluteo refertus, &, quoad formam, imitabatur figuram cordis alicuius grandis, & potissimùm bubuli: quocirca huiusmodi Silicem, Bucardium indigitare decreuimus.

Quar-

Quartadecima tabella tribus Silicibus exornata.

I



III

Tabella decimaquarta QVARTADECIMA tabella tribus Silicibus eſt exornata. Primus Silex colore erat albicante, & cinereo, deinde pedem calceo indutum repreſentabat.

Secundus Silex referebat Impilium, genus tegumenti pedis. Hæc Impilia, vt annotauit Plinius, ex lana coacta parabantur, & Vdones apud Martialem vocabantur. *Lib. 29. cap. 9.*

Tertius Silex pariter quoddam rudimentum formæ pedis exprimebat.

Quin-

Quintadecima tabella tres icones Silicum repręsentat.





QVINTADECIMA tabella tres icones Silicum repręsentat. Primo loco habetur Silex, qui colore erat flaueſcente, cum maculis rubris, &, iuxta partem ſuperiorem, habebat formam balani, vel muſculi: idcircò Balanites Muſculites, vel Myites fuit nuncupatus; nam, iuxta partem inferiorem, formam ſoleæ imitabatur. *Quintadecima tabella.*

Secundo loco delineatur Silex æmulans figuram illius fungi venefici, qui reticulatus appellatur: quapropter hic etiam Silex fungites reticulatus fuit nominatus.

Tertio loco proponitur Silex imitans caudicem alicuius fruticis, multis tuberculis, & eminentijs inſigniti. Quare non immeritò Silex Stelechites fuit cognominatus.

Decimaſexta tabella habet effigies quatuor Silicum.



Decimaſexta tabella.

DECIMASEXTA tabella habet effigies quatuor Silicum. Primus Silex medullam oualem continens, coloris erat plumbei, & quibuſdam ſcintillis extrinſecus ita erat perornatus, vt pyritem repreſentaret, & per medium ſectus medullam quamdam valdè denſam cum aliquibus tænijs oſtendebat. Hæc autem medulla, ſeu marga erat coloris liuidi fuſcis maculis inſigniti.

Se-

Decimaseptima tabella quinq; iconibus Silicum decorata.



Secundus Silex, iuxta partem interiorem niger tanquam bitumen videbatur: quandoquidem partes interiores horum Silicum ab exterioribus valdè discrepare videntur, vt icon huius Silicis demonstrat. Propterea quod extimus cortex est coloris ferruginei, intima verò substantia colore nigro, ad instar bituminis, est referta.

Tertij Silicis interior medulla Polygrammatos appellanda esset; cum pars intima huius duriſſimi Silicis, omni ex parte, lineis tum fuscis, tum subalbidis distincta videatur, itaut Natura ludens, vel labyrintū formare, vel telas aranearū velle imitari visa sit.

Quartus Silex cinereus, & subalbus, necnon figuræ semicircularis, ipse quoq; polygrammatos appellari potest, quoniam plurimis lineis, atq; maculis fuscis erat insignitus.

DECIMASEPTIMA tabella quinq; iconibus Silicum insignitur. Primus Silex erat cornei coloris, item rotundus, & oblongus, & propterea formam Cylindri imitabatur. *Decimaseptima tabella.*

Secundus Silex tum colore, tum forma, testiculum galli æmulabatur: idcircò, iuxta hanc formam, fuit designatus.

Tertius Silex erat coloris albi, & representare videbatur aliquem fructum, instar Pistacij, nucleum continentis, qui nucleus hoc in loco delineatus, quibusdam lineis figuratus apparebat.

Quartus Silex exprimebat ad viuum figuram nuclei Pini à suo pericarpio proximo denudati: quocirca iure optimo posset nuncupari Pityidites: cum apud Dioscoridem, & Galenum πιτύδες nuclei pineæ nucis appellentur.

Quintus Silex erat subalbus, & figuram pedis induti referebat, deinde elegantibus maculis, atq; lineis erat perornatus; itaut ad viuum speciem illam marmoris ostentare videretur, quam Vulgus Brocatellum vocat.

EPI-

EPITHETA.

MAXIMOPERE cupientes omnia ad hiſtoriam Silicum attinentia exarare, facere non potuimus, quia cuncta epitheta recenſeremus, quæ Authores, & præſertim Poetæ, lapidibus huius generis attribuunt. Quamobrem, ratione materiæ, ex qua conſtant, Silices duri, validi, rigidi, & indomiti appellati fuerunt. Cæterùm, ratione loci natalis, Politianus illos nuncupauit Caucaſeos, à Caucaſo monte Aſiæ, ſupra Iberiam ad Septentrionem ſito. Deinde, ratione vſus, Silices ignei nominantur, dum chalybe, ad quotidianum vſum, ex illis ſcintillæ excutiuntur. Alioquin dicti fuerunt calcabiles; cum plerumq; ſilicibus viæ ab omnibus calcatæ ſternantur, quæ poſtmodum ſilicatæ, vulgò *Salegate* vocitantur. Demùm, apud Cælium Rhodiginum, Silices Aſarotici dicuntur, vt ipſe inquit, ab eruditis de ratione pauimentorum, quia picturatiùs elaborata Plinio Aſarota cognominantur.

Lib. 26. variar. lect. cap. 32.

VSVS IN VARIIS.

PRÆCIPVVS Silicis vſus paſſim eſt manifeſtus, cum, ad excitandum ignem, in dies adhibeatur, & Pyrodes Cilicis filius perhibetur fuiſſe primus, qui ex hoc lapide ignem excuſſerit; quemadmodũ à Promętheo, in ferula, aſſeruatum fuiſſe Plinius retulit. Secũdus vſus in fabricis obſeruatur; cum huiuſmodi lapillis, ob duritiam viæ ſternantur. Item Græci olim, apud Plinium, lateritios parietes conſtruebant, & hoc ſtructuræ genus Iſodomon vocabant. Quinimò, & calcem ex Silice, apud Catonem, fieri referunt, ſed aduertendum eſt hanc quoq; ab eodem Authore improbari; niſi velimus aſſerere appellationem Silicis, ad ſaxum calcarium tranſire, ex quo, ad fabricarum ſtructuras, calx vtiliſſima paratur. Aliter, ſi Silex aliquis in calcem crematur, à natura Silicum degenerare aſſerendum erit; quemadmodum huiuſmodi calx, rarione bonitatis, ab alia ſpecie calcis valdè diſcrepat. Obſeruauimus quidem aliquando calcem ex Silicibus elici, ſed hæc ingreditur illam miſturam, quæ, aqua, vel ſputo, accenditur, vt Vuecherius annotauit.

Lib. 7. c. 5. *Lib. 36. ca. 13.* *Lib. 3. de ſecr.*

Præterea ex Silice fabricatas etiam eſſe molas non eſt negandum: quandoquidem Plinius hos Silices nonnunquam albos reperiri tradit circa lacum Volſinienſem, ex quibus molæ Volſiniæ repertæ traduntur. Quinimò, & hodie, inter molas, ad farinam parandam, apras, quaſdam focales nominant, quæ tenuius frumentum atterunt. Item ex durioribus Silicibus formæ parantur, in quas æs funditur, necnon mortaria ad gemmas terendas idonea. Verùm hæc mortaria non ſcalpello, ſed arena, & puluere ſmiridis, aqua frequenter addita, magno labore, & diuturno tempore excauantur Inſuper Metallarij fuſis metallis Silices addunt, vt liquati prohibeant, ne metalla fuſa euaneſcant.

Nuperi quidam puluere Silicum vtuntur ad gemmas ſimulandas; immò paſtam, pro gemmis factitijs, nobiliorem prædicant illam, quæ ex cryſtallis, & Silicibus paratur; nam quando plumbum, & vitrum adhibent, paſtam molliorem, & grauiorem, conſequenterq; viliorem conficiunt. Item ad fingendum Topatium, meliorem modum eſſe tradunt, quando cryſtallo, Silicibus, & vitro fuſis aureus color conciliatur. Alios etiam lapides fictitios nonnulli componũt ex tritis Silicibus, in quibus poſtea ad libitum, vt notauit Porta, epiſtolæ includi poſſunt. Pariter in ſtatuis marmori Pario ſimilibus conſtruendis, paſtam ex puluere Silicum alborum, calce viua, & glutine conficiunt.

L. 16. magnat.

Simulatio marmoris.

Amplius Ethnici olim fœdera ferientes, ſalice vtebantur; illumq; manu tenentes precabantur; ſi ſciens fallo, qui me deſpicit, ſalua vrbe, arceq; is me eijciat, vt hunc ego Silicem. Item, ex Cardano, litteræ in Silice ſic exprimuntur. Lapis primum cera oblinitur, deinde ſtylo ita formantur litteræ, vt nudus Silex ibi appareat, & poſtea lapis, ſpatio horarum ſeptem, in aceto acerrimo mergitur, quoniam effectus ex ſententia ſuccedet.

In quibuſdam etiam Brutorum affectibus, Silicem aliqui non improbarunt, quando-

quidem

A quidem hunc tanquam amuletum, aduersus rabiem de collo animantium vtiliter suspendi tradiderunt, veluti Gratius poeta in libro de venatione his versibus exarauit.

——— *collaribus ergo*
Sunt qui lucifugæ cristas inducere Melis
Iussere, aut sacris conserta monilia conchis,
Et vinum lapidem, & circa Melite, a necti unt
Coralia &c.

Tandem quando equus est efferus, & regi non potest, exiguij, & rotundi Silices vtrique auri intrudendi sunt, nam ambabus sic inclusis auribus, equus mitis tanquam ouis redditur. Hoc autem arcanum Mizaldus cuidam Equisoni Regis Nauarræ acceptum refert. *Equus vt mitescat.*

DE LAPIDE CALCARIO.
Cap. LVI.

NOMENCLATVRA, ETYMVM, Et Natura.

CALCARIVM saxum nomen inuenit à calce, quæ ex illo paratur, ita nuncupata, quoniam in parietibus, & alijs ædificijs, lapides calcat. Huiusmodi saxum ferè vbiq; est obuium, & aliquando marmori simile inuenitur, quale est Tragense, vt Boetius notauit, quia nigris, & candidis venis insignitur. Interdum omninò album, & quandoq, fuscum eruitur. Cato Censorius, referente Plinio, calcem ex lapide vario improbabat; Alij ex albo saxo calcem meliorem, & structuræ vtiliorem prædicant. Quæ autem ex saxo fistuloso paratur, eam tectorijs tantummodò idoneam esse iudicant. Illam verò, quæ ex Silicibus conficitur, neque tectorijs, neq, ædificijs accommodari posse referunt. Tandem aliqui Treuertinum saxum, pro calce, ad parietes dealbandos commodissimum esse opinantur. Nos ex saxo calcario cinerei coloris calcem pro ædificijs, & tectorijs paramus, & ex saxo calcario albo, ad dealbandos muros, calcem idoneam, & vtilem eliciamus. *Calcis differentiæ.*

PRÆPARANDI RATIO.

IN Fornace ad hoc opus constructa, Opifices, qui Calcarij appellantur, hunc lapidem cremant, qui vstus, calx viua nuncupatur, quia ignem potentia in se contineat. Nam calor ille in calidissimo, & siccissimo sale calcis consistit, & quando illi aqua frigidissima, & humidissima additur, ob subitum contrariorum motum, statim caliditas calcis in actum deducitur. Hoc idem accidit genuino sulphuris oleo, quod, si frigidæ aquæ in vase vitreo misceatur, ita calidum redditur, vt vas manu vix contineri possit: cum huiusmodi oleum calidissimum, & siccissimum sit, quo Chirurgi ad cauteria inurenda vtuntur.

Putarunt nonnulli hanc caliditatem in calce viua excitari, propter obstructionem, & hæc fuit opinio Petri Aponensis. Alij, vt Theophrastus, scripserunt in calce ignem latitare, sed non percipi sine materia, affusa verò aqua, in actum deduci, & cum vapore exhalare. Iulius Cæsar Scaliger scriptis mandauit in calcis meatibus, consumptam genuina humiditate inesse ignem. Is, vt ipse inquit, ingressum aquæ fugiens, & se in partes solidiores contrahens, stipat se ipsum, atq; condensatione acuitur, quoniam calcis gleba, cuius semissis tantùm aqua tegitur, quanta extat extra aquam, incalescit, recepto scilicet intrò calore illo, qui exul fit. Commentator in Theophrastum de igne, Scaligerum reprehendit, cum in calce nõ accidat, vt pars habeat aquam, & pars ignem, *Li. de igne.* *Exercit. 5. sect. 9.*

nam aqua replet vſquequaque omnia foramina, neque poteſt hæc condenſatio, ſiue ſtipatio fieri tanquam in arce, & in parte penitiori. Verùm quidem eſt aliquid etiam humoris exhalare è calce vnà cum igne. Sed cauſa hoc modo non redditur. Neque concentratio eſt afferenda, cum calorem potiùs effundi, quam ad interiora ſe ſe recipere experientia doceat. Quapropter, neq; illa ignis concentratio Scaligeri alicuius eſt valoris, nam, ſtatim aqua affuſa, æqualiter per omnes partes calcis penetrat. Deinde neque fieri caliditatem in calce propter obſtructionem, concedendum eſt: quandoquidem calx oleo meliùs poteſt obtrui, &, ob id, nulla in calce caliditas excitatur. Reliquum eſt igitur, vt dicamus, calcem eſſe corpus rarum, & aquam affuſam, mox in omnes calcis partes penetrare, quàm tanquam ſibi aduerſam ignis fugiens exhalat; quoniam autem calx aliquid humidi adhuc in ſe continet, quo calx coharet, ſtatim illud aquæ affuſæ ſe ſe copulat, & corpus deſerit, ideòq; corpus calcis diſſoluitur, & in pulucrem redigitur.

Ratio, cur calx incalescat.

VSVS IN MEDICINA.

EX ſaxo calcario calx extracta, Plinio authore, vrit, diſcutit, extrahit, & vlcera ſerpentia coercet. Sed ſi aceto, & roſaceo temperetur, vlcera ad cicatricem perducit Puluis calcis cum adipe ſuillo, reſina, & melle mixta, ſtrumis medetur. Calx viua, ad mentem Galeni, cruſtam efficit, ſed extincta, temporis progreſſu, nec etiam cruſtam gignere poteſt; nam ſi aqua lauetur, mordacitatem amittit, & præcipuè ſi bis, & ter abluatur, nam, acredine depoſita, ſtrenuè, abſque mordacitate, exſiccat. Hodie lotam calcem cum oleo, & cera miſcent, & ad cicatrices obducendas vtilem prædicant. Deinde calcem aceto extinguunt, ter lauant, & cum oleo roſaceo ad formam linimenti reducunt, vt ambuſtis medeantur, quia ambuſta ſine veſtigio cicatricis ſanat, atque bullas eleuari non permittit. Chirurgi noſtræ ætatis calcem viuam ſaponi permiſcent, & cauterium potentiale vocant. Tandem Nuperi medici è calce viua parant aquam mirificæ virtutis ad fiſtulas, ad Cancrum, & ad rubedinem oculorum. Etenim recipiunt vncias tres calcis viuæ, ſeſquilibram aquæ pluuiæ, omnia permiſcent in vaſe, ſpatio tridui, deinde agitant, & permittunt quieſcere illam in dicto vaſe obturato, ſpatio horarum viginti quatuor, poſtmodum lineo colant materiam, & addunt drachmas decem ſalis Ammoniaci albiſſimi diligenter triti, & aquam per filtrum diſtillant. Alij aquam relinquunt in vaſe æneo, vt cæleſtem colorem adipiſcatur, & hæc eſt illa aqua, quàm Circumforanei in plateis ad oculorum vitia pro aqua Saphiri vendunt.

Lib. 9. de ſimp. med. fac.

Ambuſtorum remedium.

DE MARMORE.
Cap. LVII.

ÆQVIVOCATIO, NOMENCLATVRA, Et Etymum.

HOC vocabulum non ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Latinos, vel potiùs apud Italos ambiguitatem patitur. Primitùs μάρμαρος eſt nomen adiectiuum, quòd album aliquid, & candidum ſignificat, à μαρμαίρω ſplendeo; quandoquidem quæ candicant, ſplendorem quemdam ex ſe vibrare videntur. Aliter apud eoſdem Græcos μάρμαρος ſubſtantiuè etiam vſurpatur, pro marmore, de quo in præſentia agitur: namque hoc genus lapidis, ſi poliatur fulgorem quemdam ſpargit: hinc apud eoſdem Græcos legitur hoc verbum μαρμαρίζω, nempè marmoreo ſplendore niteo.

Præterea, cum apud Italos hoc lapidis genus *Marmora* nuncupetur, aduertendum eſt,

Marmora inſula.

est, quod hoc nomine, apud Vulgum designatur insula Propontides ante Cyzicum, *Marmora* dicta alio nomine Proconnesus, siue Elaphonnesus, vtroq; nomine, vt notat Plinius à Ceruis deducto. *Li. 5, c. vlt.*

Itaque Latinis vocatur marmor, & Græcis μάρμαρος ἀπὸ τῦ μαρμαίρειν, nimirùm à splendere, & coruscare. Gallicè dicitur Marbre, Italicè Marmo, & Marmora, Germanicè Marmelstein, Hispanicè Marmol, Georgius Agricola scriptum reliquit, Marmoribus singularia nomina non fuisse imposita, sed à coloribus eis insidentibus nominari, vel à regionibus, in quibus nascuntur, vt inferiùs suo loco explicabimus.

NATVRA, ET AFFECTIONES.

MARMOR lapidem valdè durum, & si poliatur, ad recipiendum nitorem valdè idoneum esse obseruamus. Politiam autem admittit ob puritatem materiæ exactè, & æqualiter concretæ: quandoquidem puritas optimam concretionem, & nitor æqualitatem materiæ concomitatur. At colorum varietas cuiuscumq; Marmoris à perfectione coctionis, in eorum generatione, dependet; quoniam synceri, & genuini colores nonnisi à perfecta coctione resultant. Namque exhalatio sicca, & ignita, vt Aristoteles animaduertit, pulueres coloratos constituit, deinde ex huiusmodi pulueribus solutis lapides simili colore decorati integrantur. Varietas igitur colorum, quæ in marmoribus quotidie obseruantur, à varietate exhalationum emergit: nam quemadmodum arenæ diuersi generis, calce admixta, in vnum lapidem ferruminantur; pariter interdum varia marmorum fragmenta, adueniente noua exhalatione, veluti calce, vnum lapidem maculis diuersis refertum constituunt. Id autem magis marmoribus, quàm alijs saxis contingere opinantur, ob tenues exhalationes, quæ intimas Marmorum partes penetrare possunt. *Lib. 3. meteor. ca. vlt.*

Inter alias Marmoris proprietates, vnam ad miracula Italiæ referendam esse Plinius scripsit, nempè Marmor in lapidicinis augeri; idq; probat authoritate Papyrij Fabiani, quem rerum naturalium peritissimum nuncupauit. Quinimò addit repleri paulatim nouo Marmore montium cauitates, vnde prima marmora cæsa fuerunt. Deinde omne ferè genus marmorum, cum primum à fodinis eruitur, mollius est, progressu tamen temporis adeò duresc it, vt vix scalpi possit. Verùm hæc proprietas cæteris etiam lapidibus communis esse solet. Hoc quidem obseruatione dignum est, quòd marmora quædam ocyus, & quædam seriùs indurantur. Postmodum nonnulla etiam sunt, quæ, diuturnitate temporis, rursus mollescunt, exeduntur, & tandem in terram resoluuntur. Insuper habent marmora hoc insitum à natura, vt substantia quandoque nodos habeat, nempè duritias clauo similes, & ferris inimicas, quæ Plinio centra appellantur; quando scribebat: in Marmore sicuti in arboribus centra identidem obseruari. *Lib. 36. ca. 15.* *Lib. 16. ca 39.*

Ampliùs marmor hoc sibi à natura comparauit, vt à multis rebus abhorreat. Primùm calcis contactu non solùm candorem ammittit, sed etiam nitor marmoris obscuris maculis fædatur: Fumo etiam inquinatur, & oleo perlinitum pallescit. Item vino nigro perfusum, tanquam indignabundum, mirabiliter lutescit. Tandem aqua ex castaneis deducta contactum ita fuscatur, atq; inficitur, vt nec etiam ubrasione, maculæ illæ deleantur. *Marmor quibus maculetur.*

Postremò Marmor, & potissimùm variatum, veluti illud, quòd Brocetellum, & pediculosum vocant, recepit hoc à natura, vt in aceto positum, ad instar lapidis Astroitis, sponte moueatur. Hocq; ei accidere existimamus, propter substantias diuersorum colorum in materia existentes; namq; acetum, cum sit tenuium partium, penetrans, aerem expellit, qui per acetum egrediens efficit, vt Marmor, vel lapis moueatur. Etenim id in multis lapidibus, varijs venarum distantijs patentibus, contingere multi obseruarunt. Quinimò Io. Baptista Porta fatetur se habuisse frustum Marmoris, quod Vulgus Codogninum appellat, & hoc in aceto mouebatur, quoniam diuersis, & varijs venis erat distinctum. *Marmor mouetur in aceto.*

DIFFERENTIÆ.

Li.26.c.1. Li.16.c.5. INTER multas, & ferè infinitas Marmorum differentias, nos in præſentia magis celebrata genera recenſebimus. Licèt Plinius mille Marmorum diſcrimina eſſe referat, & Iſidorus Marmorum colores, & genera innumerabilia eſſe prædicet. Multi Neotericòrum præcipuas Marmorum ſpecies decem, & ſeptem proponunt. Primo loco Marmor Lacedæmonium collocant, quòd eſt præſtantiſſimæ viriditatis primùm apud Lacedæmones inuentum, vt notauit Plinius. Secundo loco memorant ophitem cum maculis Serpentum, cuius duo genera, nempè candidum, necnon nigrum durum aſſignant. Tertio loco meminerunt Marmoris Auguſti, & Tiberij, cum hæc in Aegypto, principatu Auguſti, & Tiberij, reperta fuerint, quæ ab ophite diſcrepant, cum hoc Marmor maculas ſerpentinis ſimiles habeat, & Marmor Auguſtum quodammodo in vertice vndatim criſpum appareat, Tiberium verò ſparſa quodammodo canitie. Quartum apud ipſos eſt Porphirites, qui candidis interuenientibus venis, rubet, ab Iſidoro Purpurites, ob colorem purpuræ nuncupatur. Quintum eſt Marmor obſidianum, de quo inter lapides à locis cognominatos egimus. Sextum vocatur Baſaltes à voce Æthiopum, apud quos effoditur. Septimum eſt Alabaſtrites, qui circa Thebas Ægypti, & Damaſcum Syriæ probatur. Hoc etiam Marmor in Carmania eſt vtiliſſimum, in India viliſſimum, & in Cappadocia abſque nitore inuenitur. Octauum locum occupat Marmor Parium eximij candoris. Nono loco recenſetur Coraliticum in Aſia repertum candore ebori proximo. In decima ſede reponitur Marmor Thebaicum guttis aureis diſtinctum. Vndecimum dicitur eſſe Syenites, quod circa Syenem Thebaidis oritur, ex quo Reges obeliſcos Soli ſacratos fieri curarunt. Duodecimum eſt Marmor Lesbium, lucidum, cum maculis diuerſi coloris. Decimumtertium eſt Corinthium, cum varietate colorum, quod primum Corynthi fuit inuentum. Quartumdecimum eſt Marmor Caryſteum, quod eſt viride, commendatum pro illis, qui gemmas ſcalpunt, vt Iſidorus voluit. Decimumquintum eſt Marmor Luculleum, nomine à Lucullo Conſule accepto, maculis, & coloribus varium; cum ille primus ex Inſula Nili hoc genus Marmoris Romam vehi curauerit. Decimumſextum eſt Marmor Numidicum, quòd Numidia producit. Decimumſeptimum eſt cinerei coloris Marmor, ab Iſidoro Lunenſe cognominatum, Nuperi Cararienſe indigitant.

Purpurites Iſidori.

Obeliſci ex quo Marmore.

Differentiæ hactenus aſſignatæ quodammodo confuſæ eſſe videntur, cum partim à loco natali, & partim à colore deſumptæ videantur. Satiùs erit vna cum Cæſalpino, ex numero colorum, Marmora diſcriminare, & illa in candida, nigra, rubra, flaua, viridia, & maculoſa diſtinguere. Itaque inchoantes ab albis, Parium Marmor candidum pronunciamus; hoc tamen candidius eſt Marmor Liguſticum, quòd Lunenſe, vel Cararienſe à quodam Hetruriæ oppido cognominatur, ſed poſtea, quoad nitorem à Pario Marmore ſuperatur, quòd à Paro Inſula nominatur, vel, vt alij volunt, à ſculptore Agoracrito Pario, qui primus ex huiuſmodi Marmore Venerem ſculpſit. Hoc idem vocatur etiam Lychnites, cum olim in fodinis, teſte Varrone, ad lucernarum ſplendorem cæderetur. Cardanus omne candidum Marmoris genus vocat Parium, cum tamen illud tantummodò candidum nominandum ſit Parium, quòd in Paro inſula eruitur. Vulgus marmor omne candidum perperam Alabaſtrum nuncupat; cum tamen hoc nomen proprio tantùm generi, nempè Alabaſtriti conueniat. Præterquamquòd Alabaſtrum eſt vox æquiuoca, quæ, apud Authores, tum vas vnguentarium ex alabaſtrite confectum, tum quoddam Ægypti oppidũ denotat. Parij igitur Marmoris duo genera aſſignantur, quorum alterum eſt diaphanum, alterum verò opacum. Primum Phengitem Plinij eſſe volunt à voce φεγγος, quæ ſplendorem indicat; ex quo templum Fortunæ conſtructum fuiſſe Plinius memorauit, in quo etiam clauſo claritas diurna conſpiciebatur.

Venus ex quo Marmore ſculpta.

Lychnites Marmor.

Alabaſtrũ vox æquiuoca.

Candidis Marmoribus annumerandum eſt Lygdinum, quod in Arabia eruitur, item Coralitium ebori candore proximum, necnon Alabaſtrites ab Alabaſtro Ægypti oppido nuncupatus, ob cuius candorem, multa eleganter albicantia, apud Vulgum, inſtar Alabaſtri, albeſcere traduntur. Verùm Alabaſtrites aliquam parit ambiguitatem,

dum

Alabastrites maculis fluuium imitans.



dum indicat hoc genus Marmoris, & illam gemmam, quàm Vulgares Calcedonium appellant, & Græci Onichem, quia colorem vnguis referat. At Onyx quoque pro Alabastrite marmore apud Dioscoridem, & Galenum vsurpatur, fortassis propter similitudinem, quam cum gemma habere videatut. Alioquin Alabastrites, de quo in præsentia sermonem habemus, coloris etiam mellei cum maculis commendatur, vt in præsenti icone ostendimus; erat enim Alabastrites maculis fluuium imitans.

Cæterùm illud Marmor candidum, quòd in Agro Volaterrano foditur, nomine Alabastri, facilè vritur, neq; ingenti mole reperitur, est quidem materia pulcherrima candida, & translucida, tanquam Onyx, sed propter fragilitatem à natura Marmoris recedit, & à nonnullis libentiùs inter species Gypsi collocatur.

NIGRA Marmora primo comprehendunt Numidicum, quòd est liuidum, & eximio splendore radians; ex hoc primus omnium M. Lepidus Consul, authore Plinio, limina constrúi curauit. Sunt qui Numidicum colore etiam flauo reperiri asseuerent. Huc refertur etiam Tænarium à Tænaro Laconiæ Promontorio nominatum, cum ibi effodi soleat, *Marmora nigra. Lib. 36. c. 7*

Baſaltes cum litteris hieroglyphicis.

ſoleat, necnon Luculleum, quod atrum eſſe traditur. Hodie in Agro Cararienſi regione Hetruriæ, Marmor ita nigrum producitur, vt politum imagines, ad inſtar ſpeculi, reflectat. Ibidem eruitur etiam Marmor nigrum nonnullis venis candidis, & aureis inſignitum, quod aliqui *Paragone* nuncupant. Tandem ad marmora nigra refertur etiam Baſaltes eſt enim Marmor ferrei coloris in Æthiopia præſertim inuentum, quòd à voce Æthiopica *Baſal* cognominatur, quæ ferrum ſignificat; cum, quoad colorem, & duritiam, ferrum prorſus æmuletur. Huius generis ingentem molem Veſpeſianus Cæſar, authore Plinio, in templo Pacis dedicauit. Hoc in loco exhibemus iconem fragmenti huius marmoris, in cuius ſubſtantia ſcintillæ quædam, inſtar argenti, refulgebant. Erat autem litteris hieroglyphicis exaratum, quas Aegyptij ab animalibus plantis, & rebus etiam artificialibus deſumebant. Hic conſpiciuntur icones Ardeæ auis, Arcus Papilionis, ſceleti humani, & aliorum.

Rubra

Fragmenta Marmorum varia.





RVBRA Marmora varias comprehendunt ſpecies, primo loco habent Porphiritem, quem Vulgus Porfidum vocat, à voce græca πορφύρα purpura, quoniam hoc Marmor ad modum purpuræ rubeſcat; ſed quando candida puncta interueniunt, Leucoſtictos nuncupatur, à verbo στίζω, pungo, & λευκὸς albus.

Huiuſmodi Marmor foditur Serauitiæ, & in Agro Piſano, & quod minus maculoſum eſt, Porfidum Liguriæ cognominant. Ad Porphyritem, Marmor violacei coloris reducitur. Huc refertur etiam Marmor Syenites, cum aliquantiſper rubeat. Alijs legitur, apud Plinium, Stigmites, quoniam punctis nigris inquinatum appareat: etenim vox στιγμὴ punctum denotat. Vulgus nominat hoc genus marmoris, Granitum rubrum; cum antea diceretur Pyrrhopæcilos, quaſi Marmor fuluo colore variatum. Rubeſcit etiam Thebaicum aureis guttis decoratum, quòd Vulgus Brocatellum indigitat, propter ſimilitudinem telæ ex auro, & ſerico contextæ, quam Vulgares Brocatum cognominant. Hic damus tabellam cum quatuor iconibus. Prima accedit ad maculas Mar-

moris

moris Porphyretici; nam materia Marmoris erat purpurei coloris obſcuri, maculis va- E
rijs inſigniti.

Secunda icon oſtendit fruſtum marmoris à primo diſcrepantis, tantummodò ſcintillis quibuſdam, ad inſtar argenti pulcherrimis.

Tertia icon repræſentat Marmor album, & nigrum, de quo inferius verba faciemus.

Quarta icon oſtendit lapidem inæqualibus lineis exornatum.

FLAVI coloris Marmora reperiuntur,& potiſſimùm ſpecie mellis,aut terebenthinæ. Hodie Marmora huius coloris, Serauitiæ eruuntur. Id apud Antiquos erat Alabaſtrites præ cæteris commendatus.

VIRIDIA Marmora primò Lacedæmoniũ comprehendunt valdè pretioſum, hodie ſerpentinum vocatur, vt notauit Albertus, qui ſecundam ſpeciem ophitis viridem cum maculis albis conſtituit. Sunt enim in viriditate Marmoris maculæ clariores, paruæ, & frequentes, ad inſtar ophitis, & hoc genus valdè rarum eſſe perhibetur. Datur inſuper aliud genus viride varia compoſitione maculoſum, ſiquidem noſtra ætate Serpen-

Lacedæmonium marmor. tini lapides tum virides, tum alia ratione, & alio colore decorati, duriſſimi oſtendun- F
tur, ſed poſtea non ſpargunt illum odorem, quem de ſuo ophite Dioſcorides prædicabat. Demùm ad hoc genus reduci debet etiam Thyites, de quo ſuperiùs egimus inter lapides, qui ad cotem affricati, ſuccum aliquem reddunt.

IAM ſupereſt vt Marmora maculoſa examinemus. Primum conſtat ex albo,& nigro, cuius fragmentum Romæ effoſſum conſpicati ſumus, quod idem erat cum illo, ex quo fabricatæ fuerunt columnę in templo Pantheonis, quod hodie templum Sanctę Marię rotundę appellatur; & quoniam Marmor erat variatum colore albo,& nigro, id Melanoleucon indigitauimus, & huius iconem ſuperiùs monſtrauimus. Hoc autem non eſt verum Marmor maculoſum, ſed illud, quod ex albo, & nigro maculis frequentibus conſtat. Genera Ophitis multa ſunt ita dicta à ſimilitudine macularum ſerpentum, &

Ophitis differentiæ. iuxta mentem Dioſcoridis ad tres differentias reducitur. Primum eſt ponderoſum,
& nigrum, ſecundum cinereo colore, & punctis diſtinctum, tertium lineis quibuſdam
Tephriæ quid. candidis refertum. Pariter Plinius meminit Marmoris cinerei, quod Tephriam vocauit, quoniam τέφρος cinerem ſignificat: vulgò dicitur Vipera Aegypti, cum in liuido G
corpore nigræ maculæ conſpiciantur. Alium ophitem Vulgares nuncupant Granitum Syriæ, vbi puncta nigra in corpore candicante apparent, vnde color cinereus emergit: forſitan ita nuncupatum, quia maculis, inſtar granorum frumenti ſcateat. Carrariæ

Granitum cur ità dictum. effoditur Marmor nigrum lineis candidis diſtinctum, & multis alijs maioribus maculis; ideoq; inter hęc marmora Auguſtum, & Tiberium reponi debent, de quibus nonnulla ſuperius memorauimus. Aſſignatur etiam à Calepino Marmor ouatum, quia variatum ſit maculis ſpeciem oui referentibus.

Hìc ponitur tabella, cum tribus Matmoris iconibus. Primo loco apparet Serpentinus lapis verus. Secundo loco conſpicitur Marmor cinereis, & nigris maculis diſtinctum. Tertio oſtenditur ophites, vbi varia conſpiciuntur.

Repræſentamus etiam aliam tabellam quatuor Marmorum differentijs inſignitam. Primò viſitur Marmor ad formam rotundam redactum pnlcherrimis maculis, nempè albis, nigris, viridibus, rufis, caſtaneis, & flauis refertum, præterquamquòd nitore radiabat. H

Secundo loco apparet Marmor figurę oualis, lineis nigerrimis in ſubſtantia ſubalba decoratum, & huiuſmodi lineæ tum ſitu, tum varietate pulcherrimum Marmor reddebant.

Tertio loco oſtenditur Marmor cum maculis nigris, & albicantibus, quæ interdum ita exiguæ apparent, vt formam pediculorum referant: quapropter Vulgus hoc genus

Pediculoſũ marmor. Marmoris indigitauit Pediculoſum.

Quarto loco monſtratur marmor varijs, & diuerſis coloribus refertum, cum in illo color ferrugineus, niger, carneus, cæruleus, luteus, & alij refulgeant: idcircò hoc Marmor, vel Iaſpidem, vel Brocatellum imitari videtur.

Hæc Marmora maculoſa aliquando ità variant, vt ſuis maculis, & lineamentis figuras humanas, interdum Brutorum, & plantarum, & quandoq; effigies aliarum rerum repræſentent. Inchoantes à figuris humanis, varios naturæ luſus in Marmoribus oſten-

Lib. 4. demus. Gaudentius Merula, in hiſtoria Memorabilium, narrat quondam repertum fuiſſe,

Tria Marmoris maculosi genera.

1



2



3

fuisse, in Agro Placentino, Marmor alabastritem, quod politum effigiem humani capitis mortui referebat. Item Albertus Magnus refert se vidisse Venetijs, in Marmore, caput Regis diademate coronatum, & ita à Natura ad viuum effigiatum, vt omne

huma-

Quatuor maculoſi Marmoris differentiæ.

1

2



3



4



humanum ingenium, & artificium ſuperaret. Nos hoc in loco damus iconem fragmenti Marmoris maculoſi, vbi inter alias maculas, & lineamenta, quædam iconem humani capitis exprimebant, & caput pileo turcico tectum eſſe videbatur, ſed quòd magis admirandum eſt, quando hæc effigies inuertitur, aliam faciem, vertice complanato, repræſentat. Quinimò idem Marmor, iuxta partem nigram, metallis affricatum, tanquam Lydius lapis aurum, & argentum examinabat. Itaq; hoc marmor tum propter maculas, tum propter effigiem humani capitis, Ophites Anthropomorphites appellatur.

Sed

Marmor Ophites Anthropomorphites.



Sed quid de capite humano affirmamus? cum aliquando integræ hominum figuræ à natura in Marmoribus delineatæ videantur? Plinius in primis scriptum reliquit, suis temporibus, sectum fuisse Marmor in Paro insula, in cuius parte media Silenus ea forma representabatur, iuxta quam ab Antiquitate pingebatur. Scaliger quoq; affirmat frustum Marmoris fuisse dissectum, ad parietem incrustandum, quod figuram barbati senis obtulit, quem omnes spectatores ad Paulum primum Eremitam referebant, qui erectus, & storea palmacea indutus pingitur. Nos quoq; hic damus figuram Eremitæ, cum alia effigie humana in Marmore, quod Pisis in Templo Sancti Ioannis obseruatur. Habet hæc Eremitæ icon caput cucullo tectum, more Capuccinorum, longam vestem, & manum extensam, cum quatuor digitis. Ibidem alia effigies hominis conspicitur Turcam referentis, supra cuius caput campana cum pistillo eleganter, & ad viuum à Natura delineata apparet. *Exercit.* 117.

Pariter integra hominis syluestris figura olim in Marmore græco visa fuit apud Venetos, cuius genuinam iconem Clarissimus vir Prosper Alpinus ad doctissimum Vlyssem Aldrouandum misit, qualis in tabella sequenti exprimitur.

Multæ aliæ huius generis imagines in multis variarum Regionum Marmoribus obseruantur. Narrant Historiographi Marmor esse in Præsepio Bethlemico, quod figuram Monachi cucullati suis lineamentis exprimit. Rauennæ, in Basilica Sancti Vitalis, iuxta primam aram, imaginem habitu Peregrinatoris indutam in Marmore licet intueri. Pariter, in eadem ciuitate, quondàm dissectum fuit Marmor, quod iuxta vtramque partem, Monachi iconem monstrauit, cum alia figura iuxta ventrem inferiorem, & alijs duabus veluti Angelorum iconibus vtrinque positis, quemadmodum præsens tabella ostendit.

Ere-

Eremitæ icon cum alia effigie humana in marmore.

Hominis sylvestris figura in Marmore.



Præter imagines profanas, quas hactenus in Marmoribus visas exposuimus, quandoq; diuinæ etiam naturaliter pictæ in ijsdem obseruantur. Georgius Agricola recitat Constantinopoli, in templo Sapientiæ, duas esse Marmoris dissecti crustas, quarum vtriusq; maculæ cinerei coloris ita erant dispositæ, vt totam Diui Ioannis Baptistæ vestiti tergore Cameli imaginem repræsentarent, præter alterum pedem, quem discurren-

Monachi effigies in Marmore.

tes lineæ non ſatis benè exprimebant. Intelleximus etiam, quod in Cænobio Cartuſianorum Papiæ ad quintum lapidem extra ciuitatem ſito, Natura in Marmore imaginem Chriſti Seruatoris noſtri ſpinea corona redimitam elegantiſſimè delineauit. Venetijs quoq; figura Chriſti Crucifixi apparet in Marmore templi Sancti Georgij maioris eodem modo deſignata, quæ conſpici poteſt in præſenti tabella.

Na-

Naturalis Crucifixi icon in marmore.

1 Pumex perforatus, & petrificatus.
2 Molochites rudis in ſua minera.
3 Marmor cum icone Mariæ ſemper Virginis.

1



2



3



Pariter Natura non videtur fuisse voti compos, nisi iconem etiam Deiparæ semper Virginis in Marmoribus repræsentauerit. Namq; Pisis, in Marmore sito in æde athedrali, imago Mariæ semper Virginis expressa visitur Bononiæ quoq; olim dissectum fuit Marmor album, cuius vtraq; pars media, lineis quibusdam rubris. Deiparæ semper Virginis effigiem referebant. Hoc in loco sub nu. 3. damus iconem Marmoris ophitis, in quo figura Mariæ semper Virginis apparet. Hoc frustum Marmoris insertum fuit ligneo nucis instrumento, columnis Ionicis ornato, cruce lignea superposita. Huius Marmoris maculæ, & lineamenta colore erant nigro viridi obscuro, atq; diluto, & figuram semper Virginis Christum in sinu gestantis ostendebant. In eadem tabella sub numero 1. conspicitur pumex perforatus instar cribri, & petrificatus. Sub numero 2. delineatur Molochites rudis in sua minera inclusus, de quo inferius suo loco verba fient.

Sin conuertemus sermonem ad bruta, & plantas, necnon ad alia inanimata, obseruauimus etiam hęc in Marmoribus à Natura ad viuum designata fuisse. Habuimus frustum Marmoris Orientalis splendore radiantis, in quo figura Canis Molossi humi iacentis conspiciebatur: quamuis pars posterior huius animantis, ob breuitatem fragmenti marmoris, non appareret. Hoc igitur Marmor à Canis figura Cynitem appellauimus: licèt alias etiam figuras exprimeret.

Marmor Cynites.

Cynites Marmor aliud.

Felis in Marmore à Natura ſculptus.



Similiter communicatum nobis fuit Marmor effigie Canis odoriſequi inſignitum auribus pendulis, quem Canem nonnulli gallicum, alij ſagacem indigitant. Huiuſmodi autem figura Canis à maculis fuſcis repræſentabatur, vt apparet in tabella.

Quinimò felem in Marmore ad viuum à Natura inſculptum vidimus, ſicuti in hac tabella delineatur.

Reſtat etiam aliquid dicendum de auibus; cum Rauennæ, Pauonum duæ icones ſe ſe mutuò obuerſis collis intuentium in Marmore naturaliter pictæ appareant. Pariter Venetijs, in Marmore cuiuſdam aræ templi Sancti Georgij maioris, auium figuræ conſpiciuntur ita locatæ, & diſpoſitæ, veluti in tabella delineantur.

Non deſunt etiam Marmora, quæ piſces oſtendant. Primitùs Venetijs in templo Diui Ioannis, & Pauli, columna marmorea imaginem piſcis Sardi demonſtrat. Olim

Sere-

A Sereniſſimus Ferrariæ Dux habebat Marmor Parium, in quo Natura ad viuum piſcem Paſſerem figurauerat. Item Zenophanes Colophonius tradit in lapidicinis, quæ Syracuſis propinquæ ſunt, Marmora quędam erui, quę profundiſſimis venis figuras piſcium, & Phocarum exprimunt. Nos iconem Marmoris damus, quod Scombriforme appellauimus, quoniam primo aſpectu figuræ in illo delineatę, & à Natura deſignatæ, maiori ex parte Scombros referre videbantur: quamuis in huiuſmodi figuris pinnę non conſpicerentur, quibus ad natandum vti ſolent.

His addamus etiam Serpentes, qui aliquando in Marmoribus naturaliter figurati obſeruantur. Bergomi, in maiori Fano, Porphireticum Marmor ad ornamentum Baptiſterij locatum, Serpentem in ſpiram conuolutum oſtendit. Cochlearum quoq; figuras à Natura in Marmoribus expreſſas conſpicati ſumus: nam olim ex Iſtria delatę fuerunt columnę ex Marmore rubeſcente fabricatæ Bononiam, ad ornamentum arę maioris Baſilicę Diui Petronij, & in tali Marmore Natura ludẽs, lineis rubeſcentibus, & flaueſcentibus, effigiauit Cochleam, ſiue Nautilum argentinum, qui Cochlea margaritifera à B Rondeletio appellatur, quæ hoc in loco delineatur, & Marmor Nautilites inſcribitur.

Auium figuræ in Marmore.

Aliud etiam Marmor orientale ποικιλὸν delineari curauimus, quod conchulas, belliculos, vndas marinas aliaq; huius generis plurima exprimebat, vt nulla manus Pictoris ea imitari poſſet. Color illius maiori ex parte luteſcebat, & magna interuenia colore, & ſplendore conchas margaritiferas referebant, vt apparet in præſenti icone.

Inſuper decreuimus alia etiam Marmora repræſentare delineata, in quibus non vna, vel duæ, ſed plures animalium naturalis figuræ viſuntur. Htenim habuimus fragmẽtum Marmoris Orientalis tetragona figura, cuius maculæ erant purpureæ, luteæ, violaceæ, cinereæ, & albicantes. Hæ autem maculæ ſimul confuſæ figuras elegantes, & conſpicuas reddebant: cum ibi Draco, Lepus, Rubeta, & varia animalium capita, vt Auium, Leonis, Arietis, & ſimilium animantium apparerent: quapropter Marmor appellauimus Polymorphitem.

Aliud fragmentũ Marmoris varijs animalibus à natura maculatum exhibemus in alia tabella delineatum: idcircò dicitur Marmor aliud polymorphites: cum in illo effigies multæ quadrupedum, & auium intueri liceat.

Rurſus maiori admiratione tenemur, quãdo iuuemur Marmora ab Opifice Dei Natura, arbuſculis elegantiſſimè picta. Theodorus Canterus recitat ſe conſpicatum eſse imaginem Lauri in Marmore à Natura diligẽter expreſsam. Nos autem damus iconem Marmoris liuidi, & albi, in quo arbuſculæ, & herbæ tam exilibus lineis fuerunt à Natura

Marmor Scombriforme.



Marmor Nautilites.



Mar-

Marmor orientale πολίτης.

tura designatæ, vt vix oculis comprehendi possent. Deinde per lineam rectam tam eleganter constructæ, vt artificio quodam elaboratæ esse viderentur. Quoniam autem hoc Marmor arbusculis insignitur, non immeritò Dendrites vocari potest.

Aliud Marmor conspicati sumus, in quo apparebant figuræ nigricantes multæ, quæ æmulabantur arbusculas, & herbulas imperfectas, floribus, & fructibus carentes, vel potius muscos, qui plerumq; lapidibus adnasci, & adhærere solent. Quocirca nonnulli existimarunt figuram huiusmodi herbularum, tractu temporis exsiccatarum, in lapidibus,& Marmoribus impressam, remanere. Cæterùm, vt veritas huius effectus dignoscatur, diligenter obseruandum erit, an huiusmodi herbularum effigies ad intimas lapidum partes penetrent: nam si penetrabunt, proculdubiò huiusmodi imagines non ab adhærente musco originem trahent, sed à venis per materiam lapidum discurrentibus. Hic expressum datur aliud Marmor Dendrites, & in eadem tabella ostenditur lapis instar ophitis.

Su-

Vlyſsis Aldrouan

Marmor Polymorphit

Aliud Marmor Polymorphites.



1 Marmor aliud Dendrites.
Lapis instar Ophitis.





Supereſt, vt dicamus Mathematicas etiam figuras à Natura interdum in Marmoribus fuiſse exaratas: quandoquidem in hac tabella oſtendimus Marmor ad formam ſphęræ quodammodo redactum, vel potius in formam illius corporis, quod Platonici regulare nuncupant, quod ex duodecim pentagonis cõſtare perhibetur, quamuis in hoc Marmore huiuſmodi figuræ non vniformes, neq; æquales appareant, ſed prorſus inæquales, & di-

Marmor figuris Mathematicis naturaliter exaratum.



& diuerſæ,namq; ſuis terminis,atq; faſcijs varij anguli formantur: quocirca quędam figuræ trigonæ, quædam tetragonæ, quædam pentagonæ conſpiciuntur, & ſic deinceps, H vt in icone propoſita licet intueri.

Hactenus de figuris Marmorum, nunc ad differentias ab odore deſumptas mentem conuertemus, quoniam Marmor nigrum in Belgio effoditur, quod ſulphur redolet, ibidem, & aliud, quod odorem cornu vſti ſpirat. Alij narrant Marmora ſerpentina quandoque fuiſſe inuenta, quæ odorem olei ſpicini, & alia, quæ odorem violaceum ſpargebant. Nos habuimus vaſculum ex ophite Veterum fabricatum, quod fricatum non inſuauem de ſe odorem mittebat.

Aliqui fuerunt huius opinionis, hoc vaſculum fuiſſe ex illis, in quibus Romani Imperatores Theriacam ſeruabant: cum materia quoque ſimilium vaſorum, teſte Dioſcoride, aduerſus Serpentum ictus, & quæcumq; venena valeat.

Poſtremò loco, inter differentias Marmorum, debemus illud recenſere, quod alijs lapidibus aliquandò adnaſcitur, vt contigit in hoc, cuius iconem in præſentia non piguit repræſentare. Cum autem liceat Philoſophis nomina rebus illis carentibus impo-

neres

nere; placuit huiusmodi Marmor indigitare mammosum. Continetur in marmoreo lapide, colore violaceo diluto, & figuram mammæ exprimebat, & pars exterioris corporis amplectens mãmosum, erat ex materia alabastrina compacta: quamuis aliqua ex parte color ad plumbeum accederet. Alia verò pars exterior erat colore ferrugineo referta, quo colore aliquantisper ablato, color alioquin albus apparebat.

Marmor Dendrites.

Marmor mammosum.



LOCVS.

IN recenſendis Marmorum differentijs, multa loca fuerunt memorata, quæ genus omne Marmorum ad varia opera producunt. Nihilominus, vt exactam huius lapidis hiſtoriam perficiamus, breuiter alphabetico ordine, potiores marmoris locos natales exarabimus. Primitùs omittentes Agrigentinos hortos, per quos ſcatebra perennis aquæ ſpargitur, quæ tractu temporis, in marmor album durescit, laudabimus Andagauenſium montes, è quibus Marmora in dies eruuntur. Deinde in Arupeno terra Iſtriæ effodiuntur illi lapides Marmorei in Italia tantoperè commendati, qui Marmora Iſtriana nominantur.

Iſtrianum Marmor.

Brabantia, Ortelio teſte, ingentes habet lapidicinas, in quibus Marmora nigra ſubrufa, & varij coloris exciduntur, ex illiſq; circumiacentium regionum ædificia, atque templa conſtruuntur. F

Carrariæ oppidi Hetruriæ territorium copia Marmorum redundat. Id etiam Plinius intellexiſſe videtur, quando Lunenſem ſilicem terra ſecari ſcripſit: quoniam credimus ab ipſo Marmor Carrarienſe, vel Lunenſe intellectum fuiſſe. Circa Caryſtum inſulam, authore Calepino, Marmor varietate macularum inſigne reperitur, ſed ſententia Calepini, ſiue Theſauri linguæ latinæ, hoc in loco non admittitur; cum, in lexico geographico, Caryſtus ſit vrbs Euboeæ litoralis in ora auſtrali Marmoribus olim commendata: propterea authores Caryſteum Marmor aliquandò nominarunt Clios quidem eſt inſula maris Icarij, quæ ſuppeditare marmora dicitur. Ex Comenſis territorij monte quodam, Marmora alba in dies cæduntur, quæ Mediolanum, pro fabrica Metropolitana, deferuntur. Condruſſis effoditur Marmor nigerrimũ, quo, in conſtruendis Regum, & Magnatum tumulis, frequenter vtuntur. Pariter apud Congitanos integri montes ex Marmore rubro viſuntur. Tandem in Cythera inſula inueniri pulcherrima Marmora Ioannes Boterus retulit.

Caryſtos vrbs.

Hymetus eſt mons Atticæ, vbi optimum mel generatur, & ibidem, ad mentem Gualterij in Horatium, effoditur Marmor pulchritudine celebratum. Hanc ſententiam Strabo videtur ſtabilire, quando dixit; nobiliorum marmorum foſſionem eſſe penès vrbem ex ora Hymetita, & Helice. G

India proculdubiò Marmoribus non caret, cum Hiſtoriographi recitent conſtructum apud Indos conſpici templum Deo Simiarum conſecratum, cum porticu ſeptingentis columnis marmoreis ornata, quæ, & pulchritudine, & altitudine quodcumq; columnarum genus ſuperant.

Laconia multos montes habere perhibetur, in quibus Marmora pretioſa generantur. Taygetus in primis eſt mons huius regionis apud Eurotam fluuium, & Tænarium eſt Laconiæ promontorium, quæ ambo loca Marmoribus nobilitantur.

Marmora varia vbi.

In Namur traduntur eſſe montes Marmora producentes nigricantia, rubeſcentia, & inſigni colorum varietate celebrata. Deinde Numidicum Marmor, & potiſſimum maculis purpuraſcentibus variatum M. Lepidus primus Romæ oſtendit.

Prædictis addatur Paros inſula, quam Marmore candido Ioannes Boterus famoſam prædicat: immò propter copiam marmoris, quandoq; marmorea à Poetis fuit nominata, vt habetur apud Ouidium. H

Et planum Scriphon, marmoreamq; Paron.

In Sicilia ſunt alti montes, vt narrant Hiſtoriographi, in quibus non ſolum ſunt mineræ ſalis, ſed etiam fodinæ Marmorum, quæ albo, & nigro colore variant. Synada eſt ciũitas Phrygiæ habens vicum Docimum nuncupatum, vbi Marmor cæditur, quod Incolæ Docimitem, & Romani Synadicum nuncupant. Penès Syenem Aegypti vrbem, olim Marmor maculoſum fodiebatur, & quoniam igneis maculis erat refertum, Pyropæcilon cognominabant.

Lib. 1. obſer.

Thaſſus inſula eſt maris Aegei, cuius montes, & ſcopuli, vt Bellonius obſeruauit, ex elegantiſſimo, & candidiſſimo Marmore conſtant. Quinimò, vt notat Petrus Crinitus, Pixodorus fuit primus, qui in hac inſula Marmor inueniſſe traditur. Is gregem paſcẽtem cuſtodiens, & duos Arietes certatim concurrentes intuens, horum alterũ cornu lapidem

Lib. 2. de honeſt. diſcip. cap. 9.

pro-

A proscidisse obseruauit, ex qua crusta maximè candida euulsa est: hanc Pixodorus admiratus colligens, relicto pecore, ad Ephesios detulit. Id ciues ita gratum, & opportunum habuerunt, vt non modo illum diuinis honoribus cumulauerint, sed etiam ἰυάγγελον, pro Pixodoro, nominauerint. Tandem Tragurinum, authore Plinio, est oppidum Hyberniæ, iuxta quod nascitur Marmor, quod, Traguri nomine circumfertur. *Lib. 3. cap. 22.*

In Valdagno sunt mineræ Marmoris, quod Cărrarienfi valdè affimilatur. In Veronensi territorio Marmora, tam rubra, quàm alba cæduntur. Deniq; Marmore Porphyrite, & ophite Volaterranus ager abundat.

MARMORIS SIMVLANDI RATIO.

B MVLTI sunt, qui genus omne Marmoris, & quoad colorem, & quoad nitorem, aliqua ex parte simulant, sed pauci inueniuntur, qui illud, quoad duritiam, & pondus, imitari possint. Narrat Anselmus Boetius quemdam artificem olim fuisse Pragæ, apud Imperatorem, qui satis egregiè Marmor mentiebatur, atque etiam illud ponderosum reddebat, sed posteà admodum molle remanebat. Hic author cõiectat materiam huius misturæ fuisse Gypsum, & pulucrem aliorum lapidum, ponduſque cinere plumbi ei addidisse. Deinde liquorem, quo materia soluebatur, fuisse, vel aquam lactis, vel acetum, in quo caseus fuerat dissolutus, ex odore coniectauit. Quamuis intellexerit bubulum sanguinem huic misturæ fuisse additum, vt Marmor rubrum fabricarent; nam, tractu temporis, duresçit, & materiam valdè glutinat. Nonnulli banc misturam sero lactis, instar pultis, commiscent, & ei addunt colores, quos desiderant; deinde bacillo totam massam agitant, quam exsiccatam æquant, & smegmate poliunt.

Hieronymus Cardanus frusta Marmoris, vel aliorum lapidum diuersi coloris, puluere Marmoris, albumine oui, aut pice, vel alio tenaci glutine iungi posse affirmat, & hac ratione lithostrota, Constantinopoli, in æde Sapientiæ, Venetijs, in æde D. Marci, Florentiæ, in æde S. Io. Baptistæ, & Mediolani, in æde S Laurentij cõstare asseuerat. Statuas verò, & simulacra marmorea sic fingi posse diuulgat. Cortices Vlmi, & populi in aqua decoquantur, & feruenti materię calx puriſſima permiscеatur, donec formam coagaluti lactis acquirat, cui Marmor candidissimum, & tritum addatur; mistura ad formas trahatur, & in vmbra siccetur. Eodem modo vasa fingi posse, paucis impensis, testificatur. *Lithostrota ex quibus.*

Alij, ad fingendum Marmor, fragmenta silicum, & variorum lapidum, sanguinem hirci, vel bouis, vinum ardens, & fel bubulum commiscent, & formas premunt, & hac ratione Marmor mentiuntur. Alij sunt, qui aqua calida caseum contundunt addentes calcem viuam, & quoſuis colores: quinimò, ad hoc peragendum opus, solummodò Cinnabrium, chrysocollam, hæmatitem, ochram, auripigmentum, sandaracham, viride æris, ceruſſam, & similes colores idoneos esse iudicant, quia corpus habere dicuntur. Alij, loco aquæ, oleum lini adhibent, ne facticia hæc marmora ab humiditate dissoluantur. Boetius nouisse fatetur Italum quemdam in Bohemia, qui Marmor eleganter simulabat: sumebat enim silices fluuiatiles in puluerem redactos, deinde cum calce viua, & aqua glutinis pro fingendis elegantissimis imaginibus, misturam componebat. Boetius tamen opinatur salsas aquas, & acutas esse adhibendas, quæ facilè penetrare, & partes copulare possint. Postea fictitij, & facticij Marmoris superficiem feruenti oleo lini fricandam esse affirmat, ne aquam combibere possit. *Lib. 2. de lapid. cap. 282.*

Hodie quidam Artifices Bononienses sumunt illam Gypsi speciem, quam Vulgus scaiolam appellat, & in furno coquunt (leui enim coctione in albissimam calcem abit) postea hunc puluerem diligenter cribro farinario secernunt, & cum glutine, quo vtuntur Inauratores, misturam cõponunt, & additis ad libitum coloribus tabulas, vel columnas formant, pumice leuigant, & demum ferro candente, & cera fricant, deinde frictione panni gausapini (filtrum vocant) nitorem illi conciliant. Alij autem, loco ceræ, feruenti oleo lini vtuntur. *Marmor factitium Bonon.*

EPITHETA.

INTER alios lapides, Marmor varijs de cauſis, apud Authores, & præſertim Poetas, multa epitheta ſortitum eſt. Etenim, ratione propriæ ſubſtantiæ, vel potiùs ſecundarum qualitatum, purum, ſurdum, & durum appellatum fuit. Ratione coloris, candens, cæruleum, porphyreticum, & pictum fuit nuncupatum. Quoad primas qualitates, illud frigens, gelidum, & algens vocitarunt, & aliquando muſcoſum, quoniam illi in locis vliginoſis exiſtenti muſcus adhæreat, veluti multis alijs lapidibus accidere ſolet, qui interdum figuras muſci in ſuperficie referunt.

Ratione loci natalis, Marmor Caryſteum, Dalmaticum, Hymettium, Idæum, Liguſticum, Oebalium, ſiue Laconicum, Mygdonium, Numidicum, Parium, Phrygium, & Spartanum indigitarunt. Demum quatenus ad opera, & ædificia reducitur, Operoſum, Læuigatum, Coruſcum, Nobile, & Superbum cognominarunt.

DENOMINATA.

QVODCVMQVE Marmorum formam, vel duritiam habens Authores, marmoroſum vocant: deinde Marmoratum dicunt, quod ex Marmore factum, vel cruſtis marmoreis obductum eſt: ſic enim quædam pauimenta marmorata nuncupantur. Varro tamen, agens de re ruſtica, hoc nomen ſubſtantiuè vſurpauit. Poſt modum marmoreum vocatur, quod ex ſolido Marmore conſtat. Hinc oritur marmoratio, quæ ex Marmore eſt conſtructio: vnde dimanat verbũ marmorare, nempè aliquod ædificium ex Marmore erigere. At Marmorarius vocatur ille artifex, qui Marmora ſecat, atque polit. Græci quoque λατόμιον μαρμάριον vocant officinam, vel lapidicinam, in qua Marmora exciduntur. Amplius Latini veteres, authore Plinio, ſordes aurium Marmorata, quas Iuniores cerumina nuncupant: fortaſſis, quia, diuturnitate temporis, huiuſmodi ſordes, inſtar Marmoris dureſcere crederent. Demum Achantus herba, quam Officinæ Brancam vrſinam cognominant, quia eius figuram pedum anteriorum vrſi referant, olim à Romanis vocata fuit Marmoraria, quoniam columnarum, & præſertim Corynthiarum epiſtylia, effigie foliorum huius herbæ, exornarentur.

Lib. 3.

Marmorarius quis.

Marmorata quæ.

Marmoraria herba.

MORALIA.

VT rerum varietas legentium animos recreet, atque reficiat, nonnulla etiam ad moralem doctrinam ſpectantia à Marmore tamen deſumpta, explicare ſtatuimus. Cum igitur Marmor ſit lapis fortis, ſolidus, frigidus, lucidus, & pulcher, ex quo plerumq; nobiliſſimæ columnæ ad ſuſtentanda ædificia parantur: proculdubiò Marmori viros perfectos aſſimilare poterimus, qui muniti conſtantia, ſolidi, & fortes dicuntur: deinde caſtitate frigidi, charitate lucidi, & honeſtate pulchri apparent: vnde ex his fiunt columnæ, quæ ædificium Eccleſiæ ſuſtentant. Iuxta illud ſacri Codicis. *Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas, fundamenta æterna ſuper petram ſolidam.* Niſi velimus aſſerere illos homines ad Marmor durum, & frigidum eſſe comparandos, qui impietate gelidi, & obſtinatione duri nuncupantur, dum ſcalpello correctionis non cedunt, iuxta illud Iſaiæ. *Sciui enim, quia durus es tu.* Rurſus quoad varietatem colorum, Marmor ſummopere commendatur, cum aliud nigrum, aliud album, aliud viride, aliud purpureum, & aliud etiam aurei coloris inueniatur. Hæc etiam varietas in viris probis obſeruatur; dum alij ob animi demiſſionem ſunt nigri, alij caſtitate albi, alij decore virides, alij Charitate purpurei, & alij demum claritate ſapientiæ aurei reperiuntur. Tandem Marmor Parium candidiſſimum eſt; ideòq; in regalibus ædificijs libenter adhibetur. Huic Marmori virtus caſtitatis comparari poteſt; cum puritatis candore refulgeat: idcircò in ædificio Chriſti regio, atq; cæleſti præcipuum locum occupare perhibetur.

Eccleſiaſt. cap. 16.

Cap 48.

VSVS

A

VSVS IN MEDICINA.

MARMORA, quamuis duriſſima, à medicamentis non ſunt arcenda. Quinimò omnes aquæ thermales marmoreę bibi poſſunt, dummodo naturam gypſi non participent: etenim mirandum in modum refrigerant, & in aliquibus affectibus fœliciter adhibentur. Huius conditionis eſt aqua de Bora in Agro Florentino, & aqua Brandulæ in agro Mutinenſi. Pariter balneum Agnanum in Agro Piſano admodum refrigerat, quoniam ſuccum marmoreum continet: quapropter ad ſtipandum calorem natiuum adhibetur, & iuuat ſterilitatem, dummodò ab vteri laxitate pendeat. *Thermales aquæ marmoreæ.*

Marmor ſerpentinum varias in medicina exercet vires. In primis nullum venenum patitur: nam poculum ex hoc Marmore fabricatum, ſudore, venenum prodere traditur.
B Deinde huiuſmodi Marmor alligatum, dolores capitis ſedare, & Serpentum ictus ſanare dicitur Ex hoc parantur globi, qui à febrientibus contrectati, ardorem morbi mulcent, peſtilentiam, & illas affectiones arcent, in quibus exanthemata apparere ſolent. Galenus ophitem cum vino, ad calculum terendum, propinat: cum vim abſtergendi, & confringendi tanquam vitrum poſſideat. Alij in affectu colico, pleuritide, Torminibus, ventriculo refrigerato, Nephritide, & Podagra, hoc idem Marmor commendant, dum illius fragmentum ad ignem, vel in aqua feruenti calefactum, & panno inuolutum parti affectæ applicant. *Marmor in quibus morbis.*

Item Marmor candidum, & præſertim alabaſtrum ægrotantibus multum adiumenti affert. Nonnulli candidum Marmor Phreneticis alligant. Alij candidum alabaſtrum cum lacte, ad pondus ſcrupuli, Dyſentericis propinant, nam cum vehementer aſtringat, certo experimento illos ſanare traditur. Vitanda tamen eſt nimia huius medicamenti quantitas, quoniam, ad inſtar gypſi, nocere poteſt. Verùm pro emplaſtris alabaſtrum ab aliquibus exuritur Hodie crudum ceratis refrigerantibus imponitur. Vn-
C guentum alabaſtri magiſtrale in Antidotario Bononiẽſi deſcribitur, quod præter multos herbarum ſuccos, tres vncias puriſſimi alabaſtri recipit, & in quocumq; capitis dolore, & contuſionibus faciei, paſſim, & fælici cum ſucceſſu adhibetur. Præterquamquòd cum pice, & reſina exceptum, ſtrumas, & duritias diſcutit, &, cum cerato, ſtomachi dolores leuat. Immò ſi gingiuis inſpergatur, illas, breui temporis ſpatio, comprimit. Tandem aqua, in qua ſolutum fuerit alabaſtrum vſtum, ad exſiccandas oculorum lacrymas, non modicè confert. In Cypro eruitur quædam vena Marmoris, cuius puluis, in curandis vulneribus, paſſim adhibetur. Chymici quoq; Marmore vtuntur ad ſpontaneas rerum ſolutiones. *Vnguẽtum Alabaſtri.*

VSVS IN ÆDIFICIIS.

D PLINIVS tres præcipuos Marmoris vſus proponit: primum inquit attinere ad ædificia, ſecundum ad ſtatuas, & tertium ad vaſa vnguentaria; quoniam in his vnguenta diutiſsimè incorrupta ſeruari prodit. Verùm, pro ædificijs, Marmora prius ferro, & arena ſecari debent, deinde polita ad ſtructuras lautiores trahuntur. Mamurra eques Romanus, teſte Volaterrano, fuit primus, qui domum Marmore incruſtauerit. Pariter ex Marmore Hymetio quatuor columnæ fabricatæ feruntur, quę, ad ornandum atrium domus Craſsi aduectæ fuerunt, cum nondum in publico vllæ columnæ marmoreæ eſſent viſæ. Vnde poſtea, progreſſu temporis, integræ domus ex Marmore varijs in locis conſtructæ fuerunt, iuxta vulgatum carmen. *Lib. 36. ca. 4. 5. & 6.* *Lib. 27.*

Altaq; marmoreas ſurgere ad aſtra domos.

Cæterùm vſus Marmorum in fabricis multò antiquior eſt; cum Bellonius in ruderibus Troiæ, columnam è candido Marmore conſpicatus fuerit: immò addit illam partem Troiæ, quæ in loco infimo eſt, iuxta maris litus, & extenditur, inſtar duorum propugnaculorum, habere muros ex Marmore, tum albo, tum nigro teſſellatim compoſitos. Præterea templorum fabricæ potiſſimùm fuerunt Marmoreæ. Etenim ſum- *Lib. 2. obſ. cap. 2.*

ptuoſiſsimum illud Fanum Delphicum, authore Herodoto, partim ex Pario Marmore, A
partim ex Porrino conſtructum fuit.

Hinc Plinius Marmor Parium, & Porrinum valdè ſimilia eſſe collegit. Hùc reſpexit Ouidius in Epiſtolis, quando cecinit.

Et Dea marmorea cuius in æde ſumus.

His addamus aras quoq; ex Marmoribus fuiſse erectas, dum canit quidam Poeta, hunc in modum.

Marmoreas ſunt fulua canum ſimulacra per aras.

Theatrum quoq; ex Marmore fuiſse fabrefactum varij Authores recenſent, & potiſſimum Ouidius ſic canit.

Li. 2. Eleg. *Siue ego marmorei reſpexi ſumma theatri.*

Ad finem, vbi eſt copia Marmorum, ſiue nouam excitent ædem, ſiue domicilium, aliquod concamerent, ſiue pontem ſuſpendant, Marmoribus vtuntur.

VSVS IN SIMVLACRIS. B

DISCRIMEN inter ſimulacrum, & ſtatuam cadens non eſt in præſentia ponderandum, cum nullius momenti eſse exiſtimemus ſæpius enim nomina huiuſmodi apud Authores confunduntur. Scimus quidem ſtatuas eſse ſimulacra, vel imagines, quæ aliquibus defunctis antiquitùs decernebantur, vt qui iam defecerant, adhuc viuere viderentur. Quinimò viuentes etiam ſimulacris, & marmoreis, & æneis honeſtabantur, quæ in foro, & in alio loco publico collocabantur, ad perpetuum alicuius rei benè geſtæ monumentum. Quapropter adeò creuit ſtatuarum numerus Romæ, vt alter populus lapideus, vel marmoreus ibi eſse videretur, hinc Cicero aliquando dixit: omnibus vicis ſtatuæ factæ ſunt. Nos hoc in loco damus ſimulacrum ex Marmore Pario antiquiſsimum, quod erutum fuit in antiquiſsimis Romæ ruinis, vbi multæ aliæ ſtatuæ antiquæ in dies effodiuntur. Referunt enim hoc eſse ſimulacrum Lucretiæ Romanæ, quæ fuit præcipuum caſtitatis lumen, filia Tricipitini Vrbis Præfecti, & C vxor Collatini, quam Sextus Tarquinius ſtuprauit.

L. 3. de Offic.

Poſtmodum ſtatuæ marmoreæ non ſolũ Romæ, verum etiam multis alijs in locis conſpiciuntur. Aliarum etiam rerum ſimulacra ex Marmore olim fiebant: quandoquidem recitat Suidas currum ex Marmore Pario mirabiliter fabricatum, & Baccho dicatum fuiſse, quem poſtea ſacrilegus quidam abſtulit. Marmorum autem primi Cælatores, authore Volaterrano, Dipænus, & Scylus Cretenſes, apud Sicyonem vrbem Achaiæ veterem, fuerunt, vbi vena elegantiſsimi Marmoris fodiebatur.

Cælatores qui primi.

Præterea ſimulacra, quæ Idola vocantur, infinita ab Ethnicis ex Marmore fabrefacta fuerunt. In hoc ſenſu, intelligenda ſunt illa verba M. Tulij Ciceronis, in epiſtola ad Pomponium, Atticum. *Hermæ illi tui Pentelici cum capitibus æncis, me maxime delectant.* Petrus Crinitus, per Hermas pentelicos, exponit Idola, nempè Mercuriolos ex Marmore pentelico factos quos Cicero in gymnaſio collocare deſiderabat. Indi quoque multa Idola ex Marmore parabant, quemadmodum in primo capite huius primi libri monſtrauimus. Nos habuimus fragmentum Marmoris ſerpentini, vel ei congeneris, quod aliqui Pſaronicum nempè varium, D alij ſturninum, à colore pennarum ſturni, vocitant. Fortaſſis hoc ſimulacrum erat pro aliquo termino locatum, vel alicubi pro Idolo ſeruatum. Habebat veſtigium manus, & pedum ſatis euidens, & reliquum marmor figuram totius corporis longa veſte induti ſimulabat, vt in icone repræſentatur.

Lucretiæ caput cum thorace in Marmore Pario.

Mar-

Marmoreum fragmentum Idoli Antiquitatis.

Aliud fragmentum Marmoris varij, & ſturnini ad noſtras peruenit manus, & colorem habebat nigrum, rubrum,& argenteum, ſplendore Selenitidis, in quo ſimulacrum humani capitis erat effigiatum: ſiquidem hanc figuram in obeliſcis huiuſmodi Marmoris inſculpere ſolebant. Huius iconem, in gratiam legentium, hoc in loco oſtendimus.

Præter

Simulacrum humani capitis in Marmore vario.

Præter fimulacra, & Idola in Marmoribus cælata, vt oſtenſum eſt, litteræ quoq; in ijſdem olim fuerunt inciſæ, ad varias rerum memorias. Narrat Caſſiodorus, Senatus *Lib.9.c.16.* conſulta in tabulis etiam marmoreis fuiſſe inciſa. Idem Ægyptij præſtiterunt: etenim Hierogrammates eorum Sacerdotes litteras hieroglyphicas, quas ipſi ſacras appellabant, figuris Volucrum, Ferarum, & aliarum rerum etiam artificialium in Marmore cælatis exprimebant: quandoquidem huiuſmodi corporibus, & ſignis ſenſum mentis fingebant; ſed quem ſenſum, poſteà ex huiuſmodi figuris elicere poſſemus, nemo adhuc inuenitur, qui id exprimere ſciuerit. Huiuſmodi litteras hieroglyphicas in Marmore exaratas in ſequenti tabella exhibemus delineatas.

Hie-

Hieroglyphica in Marmore.



VSVS IN VARIIS.

SAXVM lęue, & politum fungi posse munere speculi, Seneca, in naturalibus quę- *Lib. 1. c. 7.*
stionibus, affirmauit. Sed hoc multò magis de læuigato, & terso Marmore asseue-
randum erit: quemadmodum Miramus, in arte specularia, obseruauit. Quam-
uis ad conficienda specula, materia vitrea magis idonea esse videatur. Itaq; ex Mar- *Ca. 3. Isag. in spec.*
more albo fiunt oua marmorea, quæ in nidis gallinarum, pro indice ponuntur. Olim
Trapeta etiam ex Marmore construebantur. Deinde mortaria multa ex Marmore tum
nigro, tum albo, tum etiam rubro parantur. Strabo autem scriptum reliquit hæc para- *Lib. 7. Geo-*
ri solere ex quodam Marmore nigro, quod ab extremis Æthiopiæ montibus defertur; *graph.*
id durum est, & operatu difficile. Hodie Pharmacopæi ex Marmore porphyretico, ad
gemmas terendas, mortaria sibi comparant; cum sit Marmor durissimum, & attritione
nihil de se remittat. Pictores verò, ad lęuiganda pigmenta, porphyretico Ægyptio, vel
Marmore serpentino durissimo vtuntur. Basaltes tamen Marmor Æthiopiæ, apud Pli-
nium, omnium durissimum pronunciatur. Nostris tamen temporibus, vt animaduer- *Basaltes*
tit Anselmus Boetius, in varijs Germaniæ locis reperitur Marmor durum, tanquam *vbi.*
Basaltes; hac de re ei congener dici potest. Etenim huius magna fragmenta è monti-
bus decutiuntur, quibus Fabri ferrarij, Bractearij, nempè qui aurum, & argentum in
folia extenuant, nec non Librarij, ad sua artificia, loco incudis, vtuntur. Amplius,
teste Plutarcho, olim Fabri ferrarij, ad cohibendum ferri fluorem in vstrina, ramentis
Matmoris vtebantur. Hodie nostri Fabri fabulo vtuntur.

Insuper narrat Possidonius Antiquitatem, loco argenteorum vasorum, quibus hodie *Vasa ex*
vtimur, adhibuisse marmorea. Quamobrem nostris etiam temporibus vrnæ quædam, *Marmore*
& nonnulla vasa marmorea ostendũtur. Quinimò etiam Abaci olim ex Marmore fabre-
fiebant, quorum meminit Quintianus hunc in modum.

Marmoreis cooperta Abacis, opibusq; referta.

Quoddam genus Marmoris, & præsertim serpentinum, subnigrum, vel subuiride,
nempè maculis albis, viridibus, & nigris variatum à Germanis summoperè commenda-
tur, & in Misnia effoditur, ex quo cochlearia, & pocula conficiunt, sed quoniam hu-
iusmodi Marmor plerumq; molle est, & humorem combibit; quapropter, vt transitum
liquoris impediant, huiusmodi vasa oleo nucis myristicæ liniunt.

DE LAPIDIBVS IN CORPORE Animantium genitis. Cap. LVIII.

ORDINIS RATIO.

ANTEQVAM ad lapides diaphanos à Natura, in sinu terræ, genitos accedamus, ordinis ratio expostulare videtur, vt prius de omnibus calculis opacis, etiam extra sinum terræ productis, verba fiant. Hi plerumq; in animalium corporibus generantur, necnon in vasis, in quibus vinum, & aqua saponis diutiùs seruantur, adhæret enim quædam materia lapidea parietibus vasorum, quam Chymici tartarum appellant; imò & de ijs, quæ sapidescunt, & vulgò petrificata dicuntur, cum hæc quoq; opaca conspiciantur. Itaq; hoc in capite, de calculis omnium animantium agetur, præter Bezaar, & Bufonitem, de quibus seorsim sermo habebitur. Postmodum de fæce vini siccata, & de Petrificatis verba fient, vt tandem ad lapillos, qui naturam gemmæ participant, & in calce libri ad veras gemmas examinandas, & ponderandas accedamus.

GENE-

GENERATIO.

LAPIDES in Animalibus, immò in omnibus ferè corporis partibus præter naturam generari poſſe, varijs obſeruationibus, & iconibus, in progreſſu huius Capitis oſtendemus. Idcircò valdè admiramur Ariſtotelis ſententiam, qui in *Sect. 10. probl. 39.* Problematibus, aſſeruit, ex Animantibus ſolum hominem calculo laborare, & huius effectus rationem anguſtiæ meatuum aſſignat, dum materia terreſtris in vaſis vrinæ deſtinatis diù retinetur, & paulatim in calculum vertitur. Hac poſtea ratione fultus Alexander mulieres rarò calculis laborare affirmauit; proptereaquòd à Natura amplis vaſorum meatibus donatæ ſint. Non poſſumus igitur aliter tutari Ariſtotelem, niſi pronunciemus ipſum de frequentiori fortaſsis generatione lapidum deſſeruiſse, quæ magis in homine, quàm in alijs animantibus in dies obſeruatur. Vtcumq; ſit, Medici ferè omnes cauſam materialem calculi ſtatuunt eſſe materiam lentam, & viſcidam, quæ *Cauſa lapillorum.* à calore partium paulatim in lapidem denſatur. Hi autem remotiores tantùm cauſas, relictis proximis, inueſtigant: quandoquidem calor internus non eſt in cauſa cõcretionis materiæ lapideæ, ſed potiùs ipſa materiæ diſpoſitio ad id apta, non diſsimilis ab illa, quam in generatione lapidum terreſtrium requiri affirmauimus.

Itaq; ad mentem Anſelmi Boetij, aſſerendum erit, quòd materia, ex qua calculus in animalibus producitur, eſt humor ſuperfluus ab alimento ſeparatus, qui conſtat ex aqua ſimplici, & materia terreſtri, quæ materia terreſtris, pro natura alimenti, varia eſt; namq; vel eſt craſſa, & difficulter liquabilis, vel eſt tenuis, & facilè liquabilis. Craſſa, inſtar luti, ex terreſtribus alimenti portionibus à Natura in minimas particulas reſoluitur; liquabilis eſt diaphana inſtar ſalis communis, & in aqua diſſoluitur, quæ poſtmodum, iuxta diuerſas ſalium differentias, multiplex eſſe perhibetur. Talis igitur hu- *Humor cauſa lapidis qualis.* mor ex terra, aqua, & ſale conſtans, dum à Natura per meatus ad id deſtinatos non expellitur, & in viſceribus diù moratur, obſtructiones producit, ex quibus varij morbi reſultant; & quando humidum aqueum ab ipſo, vel quoad totum, vel quoad partem, recedit, tunc in lapidem conuertitur; nam terra illa in minimas partes ſoluitur ob ſalem ibi remanentem, qui illi copulatur, propter inſitam illius proprietatem; niſi magna humoris aquei copia diluatur. Quandoquidem, vt gignatur lapis, non eſt neceſſarium, vt omnis humor recedat: ſufficit enim, vt maior illius pars euaneſcat. Hic autem ſal vnà cum terreſtri materia non in homine, neque in alio animali generatur, ſed ab alimentis dimanat: etenim prius alimento inſidet, cum ſal ſit naturæ quaſi balſamum, poſtmodum inhæret humori, qui prouenit ab alimento, deinde ſanguini permiſcetur. Quando autem fuerit ſuperfluus, ab excretrice facultate valida ſeparatus, per ſudores, & vrinam, quæ guſtu ſemper eſt ſalſa, truditur, ad inſtar illius færulenti ſanguinis, qui in vrinis hypoſtaſim conſtituit, & calculis materiam præbet.

Itaq; ad generationem lapillorum, in Animantibus, concurrunt imbecillitas facultatis concotricis, & expultricis, necnon copia terreſtris materiæ, & ſalis in humido ſoluti: hæc enim duo beneficio humidi copulata facilè glutinantur, & generant materiam valdè ſimilem fæci ficcatæ vinorum, quam Chymicis Tartarum vocari notauimus. Hic poſteà lapis, iuxtà quantitatem adiuncti ſalis, durior, vel mollior euadit. Nam quò plus ſalis habet, eò magis materia terreſtris dureſcit. Non tamen maxima quantitas ſalis minorem materiam terreſtrem poteſt in lapidem cogere: quandoquidem, in hoc *Sal inſtar glutinis.* opere, proportio quædam certa vtriuſq; requiritur. Sal enim glutinis vices in generatione calculi, præſtat, quando proportionatæ quantitati humoris terrei copulatur, & dureſcit. Hinc colligendum eſt lentam, & viſcidam materiam non eſſe veram materialem cauſam lapillorum: dicendum quidem eſt concurrere, cum multum terrei contineant; ſed non poſſunt procreare lapidem, niſi lentor, & viſciditas ab acrimonia, & tenuitate humoris ſalſi exedatur, & abſumatur; & quamuis videamus lutum, & argillam, materias alioquin viſcidas, ope caloris fornacum, in lapidem dureſcere: nihilominus aſſerendum erit id argillæ, & luto non ſine beneficio ſalis, accidere, quem terra quæuis in ſe continet. Deinde etiam ſi calor fornacis tanquam cauſa efficiens argillæ lapideſcentis conſtituatur: attamen hæc comparatio ad generationem lapidum in Animan-

mantibus non est trahenda Quandoquidem lutum quamdiù manserit humidum in lapidem transmutari non potest, sed solum quando humiditas à calore consumpta fuerit; sed in animalibus, lutosa materia humori copioso est permixta, qui à calore imbecilli partium animalis nullo modo absumi potest. Restat igitur, vt, præter calorem, aliud quidpiam assignetur, quod lapidem efficiat. Idcircò, pro causa formali, occultã quamdam in partibus Animantium dispositionem, ad lapillos generandos, esse statuemus. *Causa formalis.*

DIFFERENTIÆ.

CVM in omni ferè Animantium genere lapides generentur, primùm de illis agemus, qui humano in corpore producuntur Etenim Schenchius, non in vna solum parte hominis, sed in omnibus, necnon etiam in venis, lapillos gigni, & genitos fuisse asseuerauit. Quinimò hi tantam in figura sortiuntur varietatem, vt vix iconibus comprehendi possint. Inchoantes igitur à capite, affirmamus hanc fuisse doctorum virorũ sententiam, nempè in cerebro calculos posse produci, & productos fuisse. Hanc sententiam Brasauolus in Commentarijs ad Aphorismos Hippocratis, Andreas Lacuna in Cõmentarijs ad Galenum; Hollerius & alij multi Authores stabiliunt. Verùm inter cæteros Ioannes Kentmanus, in libro de Calculis in corpore humano genitis, narrat, suis temporibus, fuisse hominem, qui in cõtinuum, & in dies ingraueſcentem capitis dolorem incidit; huncq; ab esu Mori contraxisse affirmabat. Hic tandem omnibus præsidijs incassum adhibitis, obijt: & aperto cranio, inuentus est in cerebro lapis magnitudine, & figura Mori, colore cinereo obscuro, & delineatur in tabella prima. Huic valdè similis lapillus, nostra etiã ætate, repertus est in humano cerebro, sed cum esset admodum paruus à prædicto designato discrepabat.

De lapidibus in ore genitis varij Authores differuerunt. In primis Ioannes Langius recitat se curasse Canonicum Ratisponensem abscessu tonsillarum laborantem, quo emollito, tandem, ingenti excitata tussi, calculum gypseum expuit. Item Auenzoar tradit, in lingua natum quandoq; esse lapidem, qui sermonem Patientis impediebat. Demùm Ioannes Kentmanus meminit cuiusdam Patientis, qui diuturno tumore, doloris tamen experte, sub lingua vexabatur; qui tandem, consilio Chirurgorum, emollitus extrinsecis malagmatibus, & intrinsecis gargarismatibus, apertus, vnà cum sanie calculum edidit, qui baccam lauri sine cortice æmulabatur, coloris spadicei, & iustæ grauitatis. Huius icon in prima tabella conspicitur. *Li. 2. Epist. med.*

Sed maiori admiratione tenemur, cum scripserit Hollerius, suis temporibus, fuisse mulierem, quæ, spatio quadrimestri, vrinæ insigni ardore laborauerat, & post obitum, aperto cadauere, calculos in corde cum nonnullis abscessibus repertos fuisse, vesica tamen, & renibus intactis. Immò ex thorace, vehementi excitata tussi, reiectum fuisse lapidem magnitudine auellanæ, & duritie lapidea Paulus Aegineta obseruauit; idque multò euidentiùs Alexander Trallianus affirmauit. Deinde hanc veritatem prodidit Gesnerus, nimirum Monspesuli, in disecando cadauere cuiusdam iuuenis, lapides in substantia pulmonum fuisse obseruatos Lapides autem pulmonum à Paulo memorati fuerunt asperi instar Tribulorum, & horum icones in secunda tabella monstrantur. *Lib. 1. cap. de palp. cord.*

Lapides quoq; in hepatis substantia coagulatos Ioannes Kentmanus recensuit, quorum vnus erat insignis magnitudinis; quandoquidem ouum dimidiatum adæquabat, totusq; angulis scatebat, colore liuido refertus, quoniam ex phlegmate, & humore melancholico constabat, huius pariter icon in secunda tabella apparet.

Circa lapides stomachi, & intestinorum, primùm Gesnerus monimentis mandauit calculos rotundos, duros, & colore albos à perito quodam Anatomico, in humano stomacho fuisse obseruatos At generari lapillos in intestinis docuit Galenus, vbi de syncope verba facit. Nam cum mulier Romana, & syncope, & torsione intestinorum afflictaretur, tandem clystere adhibito, calculum magnitudine oui, cum multa sanie, egessit, & ab ægritudine liberata est. Pariter Ambrosius Pareus ægram diù torminibus molestatam memorauit, quæ, frequentibus adhibitis clysteribus, calculum crassitie pilæ palmariæ eiecit. Itaq; in humanis intestinis lapides tam magni, quàm parui generantur, & quandoq; absq; vllo dolore excernũtur, nisi angulosi, & asperi fuerint; tunc enim *Lapides stomachi.* *Lib. 24. chirurg.*

Tabella prima, in qua quatuor differentiæ lapillorum oſtenduntur.

1 Lacrymæ Cerui in lapidem duratæ.
2 Lapis inſtar Mori in cerebro hominis inuentus.
3 Lapis concretus in tumore ſub lingua.
4 Lapis in tumore cruris detentus.





Secunda tabella, in qua ſub numero 1. 2. 3. & 4. lapides Pulmonis delineantur.

Rurſus ſub numero 1. & 2. lapides hepatis deſignantur.

Sub numero 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Calculi veſicæ felleæ figurantur.





maxima vellicatione Patientes torquent. Horum icones, ad mentẽm Ioannis Kentmani, in tabella octaua delineantur. Vbi 3. in calce tabellæ oſtendit lapillos inteſtinorum, quales ſingulis menſibus, à quodam Patiente excernebantur. B. oſtẽdit iconem alterius lapidis ab alio excreti, per aluum CC indicant lapidem per medium ſectum. DD. denotant foramen triquetrum. Quinimò veluti lapides producuntur in inteſtinis, pariter in vtero generantur. Etenim ſcripſit Hippocrates fuiſse mulierem diuturno dolore, circa vterum tentatam, quæ poſtmodum lapidem aſperum ab ore vteri manantem, ceſſante omni dolore, peperit. *L. 5. Epid.*

Iam ad humanam cyſtim fellis ſermo eſt conuertendus, in qua lapilli ſæpiùs à Natura fabricantur. Ex Ioanne Kentmano habemus inuentos quandoq; eſse in receptaculo fellis calculos magnitudine adæquantes fabas, lentes, auellanas, & interdũ Iuglandes, quorum alij erant rotundi, & alij anguloſi, horumq; quidam pentagoni, aut heptagoni, aut octagoni, vel pluribus angulis referti: etenim quò plures ſimul coaceruantur, eò maiori angulorum copia abundant, exterius flaui ſunt coloris, & fracti ad colorem ſubpuniceum inclinant, cum circulis ſe inuicem ambientibus. Quinimò idem Author addit, anno quinquageſimo primo poſt ſeſquimilleſimum, duos calculos ſupra viginti in veſica fellea cuiuſdam humani cadaueris fuiſse obſeruatos, quorũ minimi piſis erant ſimiles, maximi verò fabis reſpondebant; omneſque ſeptem, octo, & pluribus angulis erant præditi. Huius generis lapillorum ſeptem icones in ſecunda tabella repræſentantur.

Nos obſeruauimus in receptaculo felleo hominis calculum magnitudine ceraſi ſubſtantia pingui, & friabili fuſci coloris, pars autem interior erat caua inſtar Geodis; vnde veriſimile eſt humorem quoque bilioſum ibi contineri. Talis lapillus pingitur in tertia tabella. Item alius apparet in tabella quarta ſub numero 2.

Tertia tabella, in qua alius lapis veſicæ fellis monſtratur.

1 Lapis integer.
2 Lapis apertus.
3 Particula illius.

Varietas lapillorum.

De generatione lapillorum in renibus, non eſt cur aliquis dubitet, cum quotidiana experientia id doceat. Præterea narrat Dalechampius nouiſse hominem, qui per abſceſsum lumborum, qui iam in fiſtulam degenerauerat, multos calculos in renibus genitos excreuiſse. Immò nullæ ſunt partes in homine, quæ maiorem lapillorum diuerſitatem pariant, quàm renes; in quibus procreantur calculi molles, duri, magni, parui, lati, anguloſi, rotundi, coloribus albi, pulli, flaui, ſpadicei, & nigri, & interdum ita varij, vt pingi nequaquam poſſint.

Cæte-

A In nona tabella delineatur magnus lapis, teſte Ioanne Kentmano, extractus à rene dextro Principis Federici tertij Saxoniæ Electoris: vbi A. indicat calculum. B. demonſtrat foramen eroſum, per quod vrina fluxit. Ibidem effigiatur lapis Amygdaliformis, quoad magnitudinem, formam, & colorem, ſignatus littera C. hunc mulier peperiſſe, & inſigni dolore liberata fuiſſe dicitur.

Quarta tabella.

1 Calculus veſicæ.
2 Alius lapis cyſtis fellis.
3 Lens petrificata.

1

2

3

Cæterùm ſi renes hominis tentantur lithiaſi, proculdubiò veſica quoq; eodem affectu ſæpiùs vexatur. Siquidem in quarta tabella ſub numero 1. delineatur lapis extractus à veſica mulieris, colore erat ſubalbo, figura globoſa, & aliquantulum oblonga, & quodammodo Echinum æmulari videbatur. In eadem tabella ſub numero 2. pingitur alius lapis veſicæ fellis hominis. Sub numero 3. oſtenditur icon lentis petrificatæ, de qua ſuo loco verba fient.

Geſnerus quoq; exhibuit figuras varias lapidum veſicæ, quæ in tabella quinta conſpiciuntur. Vbi ſub numero 1. effigiatur lapis veſicæ minimè aſper, ſed admodũ læuis, ſub numero 2. figuratur lapis aſper racemum vuæ imitans, ſub numero 3. ponitur icon lapidis renum, quem illis adnatum fuiſſe coniectat.

Quinta tabella.

1 Lapis veſicæ læuis.
2 Lapis veſicæ aſper.
3 Lapis renum.



Sexta tabella cum calculo humanæ veſicæ.



Septima tabella cum iconibus magnorum lapidum veficæ.





Verùm

Verùm lapides multò maiores in veſica vrinæ quandoq; obſeruati fuerunt. Erenim E
Clariſſimus vir Claudius Bettus Mutinēſis Philoſophicæ, & Medicæ facultatis Doctor, qui in Academia Bononienſi Philoſophiam ordinariam ſummo cum honore profitebatur, ſpatio multorum annorum, affectu nephritico torquebatur, & in illius veſica, poſt obitum, inuentus eſt lapis ſolidus, vnciarum ſeptem, colore ferrugineo, multis tuberculis refertus; hunc doctiſſimus vir Vlyſſes Aldrouandus delineari curauit, iuxta formam, quæ oſtenditur in ſexta tabella.

Lib. 24. chirurg. Prædicto, & deſignato lapide maiorem oſtendit Ambroſius Pareus, & figuræ magis admirādæ. Hunc è veſica cuiuſdam Piſtoris, anno ſeptuageſimo poſt ſeſquimilleſimum, manu Orchitomi erutum fuiſſe narrat. Talis autem exprimitur in tabella ſeptima, vbi quoq; delineantur tres alij lapides, ad mentem Ambroſij Parei, qui pariter à veſica humana extracti fuerunt, & omnes craſſitiem oui gallinacei æquabant, colore albi, omneſq; ſimul duodecim vncias pendebant. Horum vnus malleo fractus, alium in medio caſtanei coloris continebat; quorum omnium icones in tabella ſeptima oſtenduntur.

In tabella octaua pinguntur lapides ſub numero 1. & 2. in veſica hominis durati, & F
varijs litteris notati. A. latus dextrum calculi. B. ſiniſtrum indicat. C. erat cuſpis in meatum vrinæ porrecta. D. erat pars latior in veſica.

Ibidem ſub numero 4. oſtenditur lapis ex veſica humana erutus magnitudine ceraſi, cum appendice in ſuperiori parte, qua fortaſſis veſicæ infixus erat, colore vario, nempè albo, nigro, atque cinereo erat refertus.

Lapides articulorum. In articulis quoq; laborantium arthritide ſæpè lapilli generantur, qui rupta cute, prædíti duritie inſigni egrediuntur. In tabella nona ad calcem delineantur calculi variæ magnitudinis, qui ab extremitatibus digitorum cuiuſdam laborantis chiragra exierunt.

Demùm in abſceſſibus lapides etiam fuiſſe genitos multi Authores confirmant. Quinimò Ambroſius Pareus narrat, anno quinquageſimo octauo poſt ſeſquimilleſimum, quemdā Sartorem tumore iu genu laboraſſe, quo aperto, lapillus durus craſſitie amygdali, albus, & læuis exiuit. Item in vlceribus, & vulneribus quandoq; calculi gignuntur. Etenim Ioannes Rentmanus recitat hiſtoriam cuiuſdam adoleſcentis tredecim G
annorum, lithiaſi laborantis, qui ab imperito Orchitomo cæſus fuit: ideòq; per meatum
Lapides vulnerum. ferro apertum, diuturno tempore, vrina ſtillauit, & materia quædam in duritiem lapidem circa labia vulneris coaluit. Huius lapidis icon litteris A. B & C. notatur, & habetur in tabella nona. A. indicat calculum pueri. B. partem latiorem lapidis intra veſicam. C. partem lapidis circa vulnus

Idem Author narrat aliam hiſtoriam cuiuſdam bombarda vulnerati, circa veſicam: quocirca ſpatio trimeſtri, vrina, relicto canali ordinario, per vulnus carne, & cute ab ictu vſtulata, manauit; interim materia quædam glutinoſa parietibus foraminis adhæſit, & lapidem generauit, iuxta formam delineatam in tabella nona litteris notatam AA. indicant ſubſtantiam carnis, & cutis puluere pyrio vſtulatæ, quæ materiam lapidis circumdant. B. deſignat materiam duratam in calculum, C. ſignificat meatum, per quem vrina fluebat.

Reliquum eſt, vt accedamus ad examen lapillorum, qui in cæteris animantibus gene-
Lapides Auium. rantur. Primum igitur de calculis auium ſermo habebitur. Hiſtorici referunt eſſe quam- H
dam ſpeciem Mergi Indici, in cuius ventriculo lapis permagno æſtimatus ab Indis reperitur, ideòq, hunc tanquam gemmam ſuis Idolis offerunt. Tradit etiam Albertus Ma-
Quandro. gnus in cerebro Vulturis interdum naſci calculum, qui, nomine Quandri, circumfer-
Alectorius. tur. Alectorius lapis in galli ingluuie procreari dicitur, ita nominatus, quoniam ἀλέκτας Græcis gallus vocatur. Nonnulli affirmant hunc præſertim in ventriculo galli caſtrati oriri ſolere: immò addunt Caponem lapillum hunc perfectum geſtantem nunquam bibere. Hanc opinionem de gallo caſtrato confirmat Marbodeus his verſibus.

Ventriculo galli, qui teſtibus eſt viduatus,
Cum tribus ad minimum factus ſpado vixerit annis.
Naſcitur ille lapis, cuius non vltima laus eſt.

Sunt, qui non in Capone, ſed in gallo ſeneſcente inueniri lapidem tradunt, Alberto teſte, qui poſtmodum, lapide ſub lingua detento, ſitim ſedari, & geſtantem gratioſum, & audacem reddi perhibet. Georgius Agricola rarò in ventriculis gallorum, & ſæpiùs in ieco-

Octaua tabella cum varijs Calculis in humano corpore genitis.

Primi quatuor ſunt lapides veſicæ.
Reliqui ſunt lapides inteſtinorum.



Nona tabella cum quinq; differentijs calculorum in varijs partibus humani corporis genitorum.





A iecore eorum lapillos generari prodidit, coſque, qui interdum in ingluuie reperiuntur, vel lupini, vel fabæ formam habere, coloris vel cinerei, vel candidi, vel fuſci, vel cryſtallini, ſed obſcuri, cum venis aliquando ſubrubris, Hieronymus Cardanus huiuſmodi lapillos in ventriculo gallorum generari poſſe noluit, cum hic locus ſit valdè capax, humorq; ibi colligi, & concreſcere haudquaquam poſſit. Nihilominus egregius vir Calceolarius in ſuo Muſæo ſeruabat lapidem Alectorium forma triangulari, quem Ioanni Baptiſtæ Portæ Neapolitano acceptum referebat. Sequitur lapis Chelidonius, de quo canit Marbodeus hunc in modum. *Li. 7. de ſubtil.*

At Chelidonius lapis eſt, quem gignit hirundo,
Ventre gerens pretium, quo digna ſit ipſa necari.

Lapilli hirundinum, authore Agricola, figuram habent globi dimidiati, intus caui admodum læues, colore diluto, & quandoq; maculis inſignito: quapropter horum duas ſpecies eſſe opinatur. Hæc Agricolæ ſententia à veritate non recedere videtur; quandoquidem Natura in ſinu terræ interiori producit conſimiles lapillos ijs, qui in B Animantibus generantur. Id manifeſtamus in hac tabella, in qua delineantur lapilli ex montibus effoſſi valdè ſimiles calculo reperto in ingluuie hirundinis ſeneſcentis. Figura chelidonij foſſilis erat hæmiſpherica, colore flauo, ſuperficie plana, & lapis duplo maior erat lapide hirundinis, veluti ſub numero 1. & 2. oſtenditur. Nam ſub numero 3. & 4. figuratur lapis Chelidonius verus, minor foſſili, colore tamen, & figura ſimili. *Chelidonius lapis.*

1.& 2. Lapis Chelidonius foſſilis.
3.& 4. Lapis Chelidonius Animalis.

Antonius Mizaldus monimentis mandauit, diſſectis ante Plenilunium pullis Hirundinum, ex prima fætura, duos in eorum ventriculis inueniri lapillos, quorum vnum concolorem, alterum diſcolorem conſtituit; hoſque antequam terram attingant, includendos eſſe in aluta Bucculæ, vel Cerui, & brachijs, aduerſus Epilepſiam, alligari aſſeruit. Chelidonius appellatur hic lapis; quoniam χελιδονες Græcis Hirundines vocantur. Sed quidam Scholiaſtes Marbodei, ſimilitudine nominum, fortè deceptus, quæ Plinius de Chelidonia herba narrauit, ad Chelidonium lapidem perperàm tranſtulit. His addamus, quod in Columbis lapilli interdum inueniuntur, propterea horum icon inferius oſtendetur.

In quadrupedum Animantium genere multi ſunt, calculum generantes. Primitùs in angulis maioribus oculorum Cerui, nonnunquam lacrymæ, ad inſtar lapidum, concreſcunt, quorum icones ſuperius in prima tabella viſuntur, & aduerſus venena commendantur. Immò Amatus Luſitanus huiuſmodi lapides peſte correptis, magna cum vtilitate, præſcribit Lynx eſt Animal quadrupes, ſed in viſceribus non generat lapidem, quoniam ex animalis vrina concreſcere traditur. Hæc autem opinio aliàs refutata fuit. Caymanus eſt prægrandis Lacertus, in cuius ſtomacho oriuntur lapides fluuiorum calculis ſimiles, quos Indi, & Hiſpani, ad exterminandam febrem quartanam, temporibus febrientis alligant. Hyænam quoq; Plinius, & Albertus Feram quadrupedem eſſe *Lapides quadrupedum.* *Cerui lapides.*

VO-

volunt, in qua lapidem ad multa vtilem naſci tradunt: vnde Marbodeus ſic cecinit. E

Tollitur ex oculis lapis exſtollendus Hyænæ.

Item ex teſtudine Indica haberi lapidem multi memorant, quem humorem cryſtallinum oculi prædicti animalis eſſe volunt: hinc Marbodeus ſic ſcripſit.

Indica teſtudo lapidem mittit Chelonitem.

Chelonites De hoc lapide legendum eſt caput duodecimum huius quarti libri. His additur, quòd in equorum inteſtinis quandoq; orti ſunt lapides. Olim equus cuiuſdam patritij Veronenſis per aluum egeſſit lapidem prædurum, magnitudine ſuperantem ouum, altera parte depreſſum. Nos duos tophos in interaneis equorum genitos obſeruauimus, quorum icones hoc in loco repræſentantur.

Lapis equi.

Tophus in inteſtino equi genitus.



Sed quid erit dicendum de Bobus? in quorum corde lapidem nominandum Bucardium inuentum fuiſſe nonnulli viri fide digni Geſnero retulerunt? Nam illi globi ad formam pilæ in ſecundo ventriculo Boum inuenti, non ſunt lapides, ſed tophi nigricantes ex pilis, & pituita denſati, quos Cardanus oua Vaccarum appellabat. In renibus Taurorum quandoq; lapilli rubentes, & velut aurea tunica cooperti obſeruantur, oblongi, plani, & variæ formæ. Annis elapſis, quidam Lanio Bononienſis nobis monſtrauit renem Vaccæ plenum calculis cinerei coloris, vbi vnus grandis, & quinquaginta parui calculi conſpiciebantur. Deinde in felle Boum naſcitur etiam lapis, quem Syluaticus Maſatium interpretatur. Quocirca Bellonius narrat, apud Turcas, iugulato Boue, & ablatis interaneis, fel diligenter obſeruari, num habeat lapidem, quem Arabes Hazaczi nomi-

Lapis fellis bouis.

Li. 3. obſer. cap. 46.

Maſatius lapis.

1. Tophus alius equinus.
2. & 3. Calculi inuenti in cysti fellis Boum.
4. Calculus in Columbo inuentus.

1

2

3

4

nominant, cuius vires ab Auicenna recensentur. Præterea addit Bellonius à Iudæis in illis regionibus versantibus permagnò æstimari huiusmodi lapidem, quàm à Turcis, cum hi Iudæis sint saniores: namq; Iudæi plerumq; malo colore sunt præditi, & regio mor-

bo identidem laborant, nullumq; præſentius remedium, quam hunc lapidem aduerſus huiuſmodi affectionem inueniunt. Hunc poſtea lapidem non in omni felle Bouis, ſed in decimo quoque reperiri Bellonius tradidit. Huius icones in antecedenti tabella ſub numero 2.& 3 oſtenduntur. Nam ſub numero 1. pingitur alius tophus equinus,& ſub numero 4 delineatur calculus in columbo inuentus. Hunc lapidem cyſtis fellis Bouis nonnulli Alcheron vocant,& naribus indunt, vt viſum acuant, & humorem ad oculos deſcendentem cohibeant. Item hoc, Lentis magnitudine, ſucco Betæ permixto,& naribus limitis, Epilepticum paroxiſmum arcere impoſterum profitentur.

Lapis Columbi.

Ampliùs cum, inter quadrupedes, domeſtici potiſſimùm Sues calculis renum, & veſicæ afficiantur, facere non poſſumus, quin hoc in loco aliquas horum lapidum differentias aſſignemus. Quandoquidem horum alij ſunt læues, alij verò aſperi, & fructum Mori, vel Arbuti imitantur. Itaq; quatuor differentiæ in hac tabella delineatæ conſpiciuntur.

Calculorum Suis quatuor differentiæ.



Lapis Malacenſis.

Li.1. Hiſt. Indic.

Pariter in Pam regni Malacenſis verſatur Sus ſpinoſus, ſiue Hiſtrix, cuius cyſtim felleam quidam lapis aliquando replet, à loco natali animalis nuncupatus Malacenſis: coloris eſt purpurei dilutioris, guſtu amarus, & lubricus tanquam ſapo. Hunc, teſtibus Garzia, & Cluſio Incolæ, quoad virtutem, lapidi Bezaar præferunt, qui frequens in illis regionibus inuenitur. Immò Ferdinandus Lopes meminit lapidis magnitudine Auellanæ, nati in capite Animalis, quod Indi Bulgo falcald indigitant; additque, in expugnandis venenis, virtutem lapidis Malacenſis, & Bezaar ſuperare. Circumfertur

etiam

A etiam quidam lapis oualis figuræ, veluti delineatus est sub numero 4. huncque in fronte Asini syluestris oriri referunt, vt nonnulli versus Marbodei, vel incerti Authoris Marbodeo tamen ascripti explicant hunc in modum.

Frons Onagri, vel frons asini plerumq; tumescens
Fert lapidem quandoq; suum, qui pota venena,
Atq; venenatos fertur compescere morsus.

Ludouicus Dulcis hunc Asinium, vel Asininum lapidem vocat, quia ab Asino syluestri eruatur. Mollem esse, colore albo ad citrinum tendente, & figura plerumq; ouali, magnitudine nucis iuglandis, cum quibusdã scissuris non penetrantibus prædicat. Postmodum duo huius genera constituere videtur, quia vnum maxillarem, & alterum cephalicum appellat. Ab hoc postremo capiti impositio, dolores sedari, & epilepsiam sanari perhibet. A maxillari verò, quoniam in maxilla reperiatur, lassitudinem prohiberi, venena superari, cum vino febrem quartanam pelli, in verminatione commendari, & in morsibus anguium mirandum in modum extolli docet. Sed dubitamus, B quòd hic Author lapidem Bezaar describere, ciusq; virtutes magnificare voluerit. *Lapis asininus.*

Lapis Asininus.

4



Serpentes à lapidibus non sunt immunes, quoniam Coluber fluuiatilis lapidem eructare dicitur, qui, teste Hollerio, Hydropicis alligatus eos liberat. Pariter Draconites, vel Dracontia est lapis, qui in cerebro Draconum nasci fertur. Sed ad maiorem D horum lapidum intellectum, legentes ad Volumen Serpentum à nobis compositum relegamus. *Lapides Serpentum*

Inter cæteras Animantes præsertim aquaticæ, aliæque aquosa, & humida loca frequentantes lapidibus identidem scatent. Primùm nascuntur lapides in capite piscium Asellorum, quorum icones positæ sunt pagina 145. Pariter, apud Plinium, Cinediæ sunt calculi, vel gemmæ, quæ in cerebro piscium eiusdem nominis inueniuntur. Mizaldus etiam memorat lapidem in Carpione nasci triangularem, qui tritus, & naribus inditus hæmarrhagiam cohibere traditur: cum facultate astringenti potiatur. Item Perca est piscis habens lapillum, qui tritus, & in aliquo liquore haustus calculos humanos extra corpus trudere fertur. Locustæ fluuiales calculis non carent, necnon conchę, quæ nuncupantur margaritiferæ: hinc Marbodeus canebat. *Lapides piscium.* *Lapis Asellorum.* *Cinædia.* *Lapis Carponis.*

Tollitur è conchis species memoranda marinis
Vnio dictus ab hoc, quòd ab vna nascitur vnus. *Vnio lapis.*

In multis alijs etiam Conchilijs lapilli sæpius inueniuntur: namque historiam supe-

Lapis Auratæ piſcis.

1. 2. & 3. Lapides Coruuli piſcis.
4. 5. Lapis Vmbræ piſcis.
6. 7. Lapis piſcis Dentalis.

A rius cuiusdam ex India redituis recitauimus, qui Vlyssipone, duobus lapidibus ex quodam Conchiliorum genere crutis affectos peste liberabat, dum aquam infusionis horum lapillorum Patientibus propinabat. Verum quidem est, quòd in capite Chrysophus, nimirum Auratæ crescit lapis albus osseam materiam imitans, in cuius medio rima quædam longa apparet, veluti icon in hac tabella ostendit.

Multa sunt alia piscium genera, quæ in capite calculum satis durum, & candidum gerunt Hunc licet intueri in pisce Coruulo gibbosum, iuxta partem exteriorem, & habentem tuberculum quemdam cum appendice eminentem, iuxta partem interiorem. Deinde ab hoc lapide non multum discrepat lapis Vmbræ piscis, cum durus, & candidus vterq; sit. Discrepant tamen, quia iuxta partem superiorem, lapis Vmbræ piscis est aliquantulum bifidus, vt icon in tabella demonstrat. Verùm lapis Dentalis piscis longè maior est, quàm sit lapis Vmbræ, & Coruuli. In parte gibbosa rimam habet veluti cauitatem. Extrinsecus autem, iuxta partem superiorem, est serratus: immò in parte interiori squamas habere videtur. Hi omnes lapides in præsenti tabella designantur.

B Tiburones, vel Tuburones sunt pisces forma marini Vituli, & mari Indico familiares, in quorũ capite lapides magni terni, & quaterni inueniuntur. Habuimus frustum, huius lapidis longitudine quatuor digitorum, crassitudine duorum, forma oblonga, instar Cucumeris satiui, aliquantisper gibbosi. Lapis resectus ostendit talleolas rotundas, candidas instar Eboris, substãtiæ tamen magis solidæ, & durioris, figuræ ferè ouatis, cum circulis quibusdam crebris se mutuò includentibus, & ambientibus, veluti in arborum quarumdam tunicis conspicitur, quæ ex varijs sibi inuicem supercrescentibus crustis augentur. Substantia est duritiei siliceæ, vt inde quidquam abradi nequeat, deinde hunc lapidem tres libras interdũ penderè nonnulli obseruarunt. Hoc in loco duas damus icones, quarum prima ostendit frustum huius lapidis. Secunda monstrat lapidem alterius formæ integrum, necnon per medium sectum. Cæterùm animaduertendum est nonnullos Authores memorasse lapidem Manati animalis, tãquam discrepantem à lapide Tiburonis. Carolus tamen Clusius hunc cum lapide Tiburonum ab Authoribus confundi asseuerat; itaut nulla differentia inter hos obseruetur. Puluis huius lapidis, ex sententia Anselmi Boetij, ad Nephritidem, & vrinæ difficultatem, necnon ad renum, & vesicæ calculos deturbandos vtilissimus commendatur.

Tiburones pisces.

Lapis Manati.

Virtus lapidis Tiburonis.

Frustum lapidis Tiburonis piscis.



Lapis Tiburonis piſcis alter integer, & per medium ſectus.



Inſuper in capitibus fluuialium Cancrorum duos lapillos, tanquam duos globos dimidiatæ figuræ inueniri Georgius Agricola retulit, quos ad prouocandam vrinam adhiberi docuit. Etenim Cancri tam maiores, quàm minores duos oculos lapideos, & immobiles habere feruntur. Hi candidi ſunt, & figuræ hemiſphæricæ, & proportione quadam cryſtallinis reſpondent; itaut quodammodo ſemina cretici Seſeleos æmulari videantur. Sed quod magis mirandum eſt, ſi ponantur in ſucco Limonum, mouentur de loco ad locum tanquam animantes, neq; à motu ceſſant, donec, liquore ſparſo, egreſſi fuerint, more lapidis Aſterij, de quo inferius verba fient. Horum lapillorum icones hic repræſentantur. G

Lib. 6. de nat. foſſil.

Lapilli Cancrorum maiores, & minores.

Præ-

A Prædictis addi potest Limacites, nimirum lapis in Limace nudo inuentus. Quoniam autem duas huius lapidis differentias habuimus, has omnes pronè, & supinè delineari curauimus. Itaq; sub numero 1. pars simplicior apparet, cum nullam habeat notam ⟶. Sub numero 2. designatur pars inuersa, quæ litteram B. repræsentare videtur. Sub numero 3. pingitur altera differentia, quæ exiguis lineis insignitur. Sub numero 4. eiusdem differentiæ pars altera figuratur etiam tanquam cauitatem habens. Hos calculos ex nudo Limace fuisse extractos nobis relatum fuit. *Limacites.*

Lapidis duæ differentiæ ex nudo Limace pronè, & supinè pictæ.



Pariter in capite Limacis hortensis quidam lapis albus reperitur nonnullis eminentibus lineis, colore albo, & liuido decoratus instar gemmæ. Illius forma minorem fabam repræsentare videtur. In hac tabella pronè, & supinè designatur, & quoniam Limax hortensis vocatur Cochlea, placuit hunc lapidem indigitare Cochlitem.

Cochlites, nempè lapis Limacis hortensis.

Fabam

Fabam quoque nonnulli lapilli rotundi, & depreſſi in litore maris inuenti eleganter E
referunt. Altera facie lęuiter ſunt excauati ad modum acetabuli, vel ad ſimilitudinem
Vmbilici marini. vmbilici humani: qua de cauſa vmbilici marini, vel Vmbiliculi, &, corrupto nomine,
Belliculi nuncupantur. Alijs Fabæ marinæ dicuntur; cum Fabæ figuram habeant, & in
litoribus maris inueniuntur. Læues ſunt, & perpoliti, colore candido, maculis flauis, &
Faba marina. iuxta alteram partem, plani, & minus nitentes, cum lineis nigricantibus ad imaginem
Cochleæ circumductis. Subſtantia horum lapillorum, cum ſit veluti oſſea, & candida,
indicat natam eſſe ex animalibus, & præſertim cum in litore maris reperiatur. Theo-
dorus Gaza hos lapillos vertit vmbilicos, cum apud Ariſtotelem Cochleæ dicantur:
quandoquidem figura turbinis demonſtrat eſſe ex genere Cochlearum, quarum teſta
non extra animal, ſed intus condita ſit: veluti contingit Limacibus humentia loca fre-
Lib. 2. de orat. quentantibus, quarum teſtæ iconem ſuperiùs exhibuimus. Horum quoq; meminit Ci-
cero, quando ſcripſit: Lelium, & Scipionem, cum ruri degerent, conchas, & vmbilicos,
ad Caietam, & Lucrinum, legere conſueuiſſe. Itaq; in gratiam legentium quatuorde-
cim horum lapillorum differentias repræſentamus. F

Quatuordecim Belliculorum, ſiue Vmbelicorũ marinorum differentię.



1. & 2.

1. & 2. Pars exterior colore miniaceo, & albo, cum in altera parte color nigerrimus, & ruber esset.

3. 4. Pingitur pronè, & supinè, in tertio loco est pars exterior colore etiam albicante, & rubro diluto, intus verò lineis nigricantibus, & castaneis cum Voluta lutea.

5. Hic est pictus in parte prona versus animal, vbi Voluta apparet alba cum reliqua pars tota sit conspersa maculis rubescentibus.

6. 7. Hic est totus albus iuxta partem interiorem, exterius verò rubescit, & albicat.

8. 9. Hi sunt exigui albicantis, & rubescentis coloris: nonus tamen totus candidus cum Voluta.

10. Huius pars exterior partim albicat, & iuxta partem interiorem totus albescit, cum Voluta.

11. 12. Hi sunt admodum parui, & albi iuxtà vtramq; partem.

13. 14. Hi sunt minores, quàm sint sub numero 9. 10. & toti candicantes.

DE LAPIDE BEZAAR.
Cap. LIX.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

CVM de hoc lapide nulla (quod sciamus) apud Græcos, aut Latinos esset mentio, sed tantummodò Arabes, & nonnulli authores nuperi huius meminerint. Idcircò in hac historia exaranda horum vestigia sequemur; quorum aliqui referunt circumferri hoc vocabulum Bezuaharth apud Arabes, quod illud omne significare solet, quod vitam conseruare potest, & quoniam lapis, de quo in præsentia agitur, omni venenorum generi vitam destruenti mirandum in modum reluctatur, idcircò hic lapis nomen Bezaar promeruit Hinc postea omnia medicamenta alexipharmaca, Bezaartica fuerunt appellata. Alij opinati sunt lapidem hanc apud Arabes Pazar, & Pazan dici ab Hirco eiusdem nominis, qui talem lapidem producere perhibetur, & hæc eadem vocabula apud Persas, & Carrasones in vsu esse pronunciant. Nonnulli Authores scribunt Arabibus vocari Hazar, Persis Bezar, & Indis Bazar. Cum Hæbrei, & Chaldæi Belzuar appellent: Quandoquidem, apud ipsos, Bel Dominum significat, & Zuar venenum, quasi velint insinuare, hunc lapidem esse dominum veneni, cum omne veneni genus ab hoc lapide superari tradatur. Nobis semper magis placuit etymologia à vocabulo indico deducta, nimirum à Bazar, qua voce Indi Emporium, & Mercatum significant, quasi hic lapis antonomasticè emporeticus, & mercatorius dicatur: vnde fortè dimanauit vocabulum apud Italos, & præsertim apud Bononienses, *Bazarare*, quod mercari significat. *Bazar.* *Bazarare.*

DESCRIPTIO, ORTVS, & Natura.

MVLTI rerum naturaliũ Indagatores scriptis mandarunt Bezaar nil aliud esse, nisi lacrymam Ceruorum, quæ in rotundum lapidem paulatim conuertitur. Hæc autem sententia nõ est à veritate prorsus aliena, quandoquidem huiusmodi lacrymæ induratæ in rerum natura obseruãtur, & aduersus venena valere cõpertum est. Quapropter Cardanus aliquando damnabat Scribonium Largum, qui prodiderit lacrymam Ceruorum in lapidem duratam in Sicilia fuisse repertam: cum constet, in Paly Indiarum regione solitam inueniri: quamobrem nos in tabella prima Capitis antecedentis, harum lacrymarum lapidescentium icones dedimus. Nihilominus hæc lacryma non est lapis ille, de quo in præsentia verba fiunt. Andreas Bellunensis, citante *Locus, in quo lacrymæ cerui lapidescunt.*

te Monarde,ex Taphtaſi Arabe,hunc lapidem eſſe metallicum profitetur,& inſtar aliorum lapidum, à proprijs venis erui; eiuſdemq; ſententiæ, teſte eodem Monarde, fuit Serapio, qui de hoc lapide verba faciens ait. *Vena huius lapidis reperitur in Syria, India & orientalibus regionibus.* Latinus tamen Serapionis textus,ex interpretatione Nicolai Mutoni viri doctiſſimi, nulla venæ facta mentione, hæc habet ſimplicia verba. *Inuenitur maximè in Syria, India, & Oriente* Verùm vtriuſq; opinionem eſſe erroneam, nonnulla animalia Indica oſtendent.Etenim noſter hic lapis ex tunicis modò craſſioribus,modò tenuioribus conſtat,vt contingit cæpis quinimò in centro portio herbæ,vel fragmentum alicuius feſtucæ inuenitur,quæ baſim huic lapidi præbuiſſe videntur. Ad rem Anſelmus Boetius narrat Rodulphum Secundum Imperatorem in ſuo Chymiliarchio ſeruaſſe Bezaar, ex quo poſtea poculum confici iuſſit,& in illius meditullio herbæ valdè redolentes inuentæ fuerunt,circa quas Natura cruſtas ſuperinduxit. Nos quoq; legitimum Bezaarem paulò maiorem Corylo obſeruauimus, qui per medium ſectus ſex incruſtationes circulares oſtendebat, accommodatas inſtar tunicarum cæpæ; itaut alternatim albę,& fuſcę conſpicerentur:harum media,tanquam in centro ſita albeſcebat, magnitudine lentis rotunda, & exterior circumferentia ſubalba, & lucida erat.

Naſcitur huiuſmodi lapis, ad mentem Chriſtophori Acoſtæ,qui Indicorum ſimplicium hiſtoriam conſcripſit, in ventriculo animalis Hirco ſimilis,colore rufo, acutiſſimi auditus, & agilis inſtar Cerui, itaut, iuſta ratione,Ceruicapra appellari poſſit. Ante aliquot annos incertum fuit, qua ratione, & in qua parte huius animalis lapis Bezaar generaretur, ſed hodie, atteſtantibus illis, qui animantes huius generis ſecuerunt, innotuit produci hunc lapidem in receptaculo quodam inſtar faſciæ ventriculo adhærẽte,in quod herbæ decerptæ primùm ingeruntur,antequam ruminatæ in ventriculum tranſmittantur. Itaq;materia huius lapidis erit ſuccus viſcidus, & terreſtris variarum herbarum, quæ dum aromaticæ, & ſalubres fuerint, virtutem huius lapidis augere feruntur. Id manifeſtum Indis eſſe cognoſcimus, dum lapides horum animalium in planis locis degentium tanquam ad medicamina inutiles nihili pendent. Verùm quando lapides eruti fuerint ab animalibus in montanis locis verſantibus, tunc in magno pretio habentur, non ſolum,pro venenis expugnandis, ſed etiam pro varijs affectibus,qui G medicamentis reluctari ſolent.

Itaq; lapis Bezaar naturaliter eſt lubricus, tactu mollis, & in potentia mediocriter calidus. Rhaſis atteſtatur hunc lapidem eſſe mollem, abſque vllo ſapore,& cum colore vini, ad citrinitatem, & albedinem inclinare. Deinde experientia aliam huius lapidis proprietatem docuit,quia nigreſcunt dentes eorum,qui huiuſmodi puluerem ſumunt: idcircò Patientes cauere debent, ne dentes hoc medicamento contangantur, puluere cum cochleari in fauces impoſito. Hinc colligendum eſt huiuſmodi lapidẽ facultate deleteria non carere,quam omnia alexipharmaca participare ſolent.

Facultas deleteria.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

SI loci natales, figura, magnitudo, & color huius animalis conſiderentur, necnon animantes, in quibus generatur, proculdubiò non paucas huius differẽtias comperiemus. Primitùs, quoad locum, duo genera huius lapidis conſtituuntur, nempè alterum Orientale, quod ex Aegypto, Perſia, India,China,Cataro,& vicinis regionibus affertur. Alterum eſt Occidentale, quod ex America, & regionibus Peruanis aduehitur. Bezaar orientalis in Animante ſimili Hirco naſci traditur, cuius cornu,& vngulæ imaginem Carolus Cluſius in annotationibus ad Nicolaum Monardem exhibuit. At Bezaar occidentalis naſci fertur in animali carente cornibus, & in montibus Peru frigidis verſante. Præterea Bezaaris orientalis cruſtæ, quoad partem interiorem, & exteriorem eiuſdem coloris apparent. Sed lapis Bezaar occidentalis cruſtas exteriores plerumq; habet nigras, vel fuluas, vel cinereas, minuſque ſplendidas, cum internæ ſint ſubalbæ, & veluti ex fibris compoſitæ. Carolus Cluſius, in ſuis Annotationibus ad hiſtoriam Aromatum, tres differentias Bezaaris occidentalis proponit, quarum icones hoc in loco damus. H

Hi lapides iuxta naturalem magnitudinem deſignati,renes animalium quodammodo

Variæ Bezaaris lapidis differentiæ.



Be-

Bezaaris veri fragmenta.



doimitari videntur. Quinimò Fragoſius, referente Cluſio, prodidit ſe intellexiſſe à viris fide dignis, huiuſmodi lapides à renibus quarumdam Caprarum Arabiæ fuiſſe erutos, & præſertim Arabiæ fælicis: nam viliores lapides ex inſula Vaccarum ad Septentrionem magis vergente aduehuntur. Itaque tres differentiæ à Cluſio propoſitæ in hac tabella ſub numero 1. 2. 3. pinguntur, Quandoquidem ſub numero 5. delineatur Be-

zaar

A zaar colore cinereo, & nigricante ad cinereum tendente, & idem lapis sub numero 4. ostenditur, ablato cortice, vbi circuli purpurascentes conspiciuntur.

Præterea color in Bezaare mirandum in modum variat; cum alij lapides huius generis sint spadicei, alij mellini, plurimi sunt coloris cinerei, sed maiori ex parte colorem viridem nigrescentem ostentant. Hic damus iconem fragmenti Bezaaris genuini, cuius color extrinsecus erat niger, maculis quibusdam albicantibus interstinctus; cum, iuxta partem interiorem, esset coloris albi ad cinereum tendentis. Cauitatem quamdam in medio habebat, in qua fortassis aliquid continebatur. In eadem tabella prima facie apparet icon fluorum ex saxo, de quibus postea suo loco agetur.

Ratione formæ, & magnitudinis, huiusmodi lapides, vel sunt rotundi, vel oblongi, alij ossibus dactylorum assimilantur, alij figuram oui palumbini habent, alij renes capreolorum, & alij formam castaneæ æmulantur. Omnes tamen sunt obtusi, & in cuspidem minimè desinunt. Gesnerus, quoad figuram, & magnitudinem, in suo libro de lapidibus, tres differentias horum lapidum, cum quatuor fragmentis, proposuit,
B quas ex lapidibus Bezaaris Ferdinandi Augusti Imperatoris delineari iussit, & nos has easdem icones hic representamus, vt legentes miram horum varietatem obseruent Postremæ tamen figuræ in fine huius tabellæ designatæ habent naturalem oui formam, quarum altera nonnullas habet lineas, altera verò ijsdem lineis caret, à Nuperis lacrymæ Ceruorum appellantur, hasq; Bezaari lapidi, quoad virtutes, æquiparant. Sed de huiusmodi lapillis in antecedenti capite verba fecimus, & genuinas icones exhibuimus.

Formá huius lapidis.

Bezaaris Gesneri tres differentiæ.



Denique si differentiæ huius lapidis ab Animalium varietate hunc generantium petantur; proculdubiò multò plures differentias inueniemus. Quandoquidem, iuxta relationem Fonsecæ ex Hispanico Idiomate in Italicam translatam, sex Animalis spe-

cies apud Indos verſantur, in quibus tales lapides producuntur Primum Animal apud E
Indos Occidentales Hirco anniculo eſſe ſimile, & Tarugam vocari ſcribit, cornibus fe-
rè ceruinis, & villoſis, necnon cauda breui, more Ceruorum. Horum maiorem lapi-
dem duas vncias pendere retulit, coloris mali inſani ad viridem tendentis, figura varia;
cum alij lapides formam oliuæ, alij caſtaneæ, & alij paruum ouum referant. Additq;
huiuſmodi Animantes paſcere herbas ſuauiter olentes, & nonnullos peruos lapillos, fe-
ſtucas, & paleas deuorare, quæ omnia poſtmodum, cæſis Animalibus, in lapide Be-
zaare inueniuntur. Quinimò hic Author opinatur lapidem Bezaarem ab huiuſmodi
herbis, feſtucis, & calculis deuoratis virtutem recipere, & ſuã ſententiam hac obſerua-
tione ſtabilire nititur; quandoquidem incruſtationes Bezaaris centro, conſequenterq;
calculis, herbis, & feſtucis deuoratis propinquiores, maioris virtutis, & efficaciæ eſſe
feruntur. Secundum Animal eſt Africæ, & Indiæ Orientalis, hocq; Gazellam nuncu-
Animalia Bezaaris quot. pari tradit, forma Caprę, lana ſubtiliſſima, abſque cornibus, & cauda ceruina, cuius
lapides coloris oliuæ apparent. Tertium Animal nominari Vicugnam ſcribit, & in
locis montanis verſari, lana rubicunda, & alba, & forma ferè Cameli; cuius lapis non F
admodum commendatur. Quartum Animal magnum inſtar Iumenti Guanacan cogno-
minari tradit, lapidemque producere, plerumque magnitudine oui gallinacei, colo-
ris cinerei. Quintum Animal vocari Ceruum aſſeruit, cuius lapides tres vncias pende-
re ſolent. Sextam ſpeciem Animalis diuulgat eſſe formæ Guanacani, in qua lapides
parui inſtar auellanæ, inueniuntur, ſed nullius valoris eſſe affirmat.

His expoſitis, animaduertendum eſt nonnullos alios lapides, nomine Bezaaris cir-
cumferri. Annis anteactis, à quibuſdam oſtendebatur quidam lapis, ſeu potius terra,
nomine Bezaaris mineralis, & terræ Samiæ reſpondere videbatur, & linguæ tenaciter
adhærebat: Immò, multorum Medicorum experimento, compertum fuit febribus mali-
gnis mirandum in modum reſiſtere. Olim etiam quidam lapis nomine Bezaaris albi, do-
ctiſſimo viro Vlyſſi Aldrouando communicatus fuit, ſed colore, & figura à legitimo
Lapis Bezaar albus. Bezaare diſcrepabat. Hoc nomen fortaſſis apud illos promeruit, quoniam aduerſus
venena valeret. Doctiſſimus tamen Aldrouandus huiuſmodi lapidem Piſolitho con-
generem eſſe iudicauit; cum Piſolithus ſit lapis ex multis calculis rotundis compoſitus, G
figura Piſorum. Verum quidem eſt, quòd iſte Bezaar albus non habet rotunda illa
corpuſcula, quæ Piſum referre ſolent: nihilominus habet paruos orbes rotundos, in
quibus fortaſſis aliquando grana illa Piſis ſimilia manſerunt. Color autem huius lapi-
dis ad cinereum inclinabat: quamuis, nomine Bezaaris albi, circumferreretur. Icones
in ſequenti tabella delineantur.

BEZAARIS ADVLTERATIO, & Electio.

SCRIPTORES rerum Indicarum referunt multos lapides Bezaares in illis re-
gionibus adulterari, itaut ex centum, qui ab India, tàm Orientali, quàm Occi-
dentali aliò feruntur, vix decem legitimi inueniri poſſint. Modos autem, quibus H
hi lapides ſimulantur, non libenter aſſignare debemus, ne fraudis occaſio Impoſtori-
bus præbeatur: nihilominus, vt vitium detegatur, facere non poſſumus, quin aliquid
de adulterio huius lapidis in medium afferramus. In primis nonnulli affirmant hanc
fieri poſſe impoſturam, dum pro genuino Bezaare, tophi ab equis excreti monſtran-
tur, qui maximam ſimilitudinem cum legitimo Bezaare habent, horum Tophorum ico-
L.9.ca.61. nes in antecedenti capite expreſſimus. Deinde Ioannes Euſebius Ieſuita, in hiſtoria
naturali, aliquorum Venatorum Orientalium induſtriam narrat, qui mirabili artifi-
cio ex Simijs lapides conficiunt, quos poſtea pro Bezaare venditant. Itaq; hi, certo anni
tempore, ad venationẽ Simiorũ accedunt, non vt eos occidant, ſed vt ſagittis exilibus, &
minimè penetrãtibus leuiter eos ſaucient, quos deinceps non inſectantur. Interim glans
Bezaar Si miorum. lapidea ex cruore vulneris intra corpus Simiorũ concreſcit, itaut ſinguli tot lapillos gi-
gnãt, quot vulnera à Venatoribus receperũt Sed cum Venatores iã maturos eſſe lapides
nouerunt, rurſus ad venationẽ, & necem illorum Simiorũ reuertuntur. At Chriſtophorus

Acoſta

Lapis Bezaar albus.

1

2

3



Lib.2.hiſt. Ind. Acoſta diuulgat Impoſtores Indos creta, calce ex cinere oſtreorum, & ſanguine hir- E corum ſimulare lapides legitimo Bezaari valdè ſimiles. Intelleximus etiam, quòd, in Braſilia, lapidem Bezaarem magnitudine oui anſerini mentiuntur, cum reſina, fructu Crunacinæ, & radice Dracenæ, quam Luſitani Contrayeruam indigitant. Huiuſmodi lapis iuxta ſuperficiem flaueſcit, intus verò cinerei coloris eſſe perhibetur. Nonnulli tamen affirmant Bezaarem occidentalem vario colore intus,& extra eſſe refertum hac de cauſa minus adulterari poſſe. Quinimò vitium facilè deprehenditur: quandoquidem calefactus molleſcit, & præſertim ferro cãdenti perforatur,quod in legitimo Bezaare præſtari non poteſt. Præterea hi lapides vitiati, ſi frangantur, in meditullio, neq; paleas, neq; cauitatem, neq; aliquid aliud habent.

Electio Bezaaris. In eligendo hoc lapide legitimo, & genuino Medici, & Pharmacopæi admodum cauti eſſe debent. Etenim occidentales ſubcinereo colore ſunt referti, neq; vt orientales ita nitent, cruſtis etiam craſſioribus integrantur. Deinde illi maximè probantur, qui è rauo, ſeu nigro colore apparent virides, & quorum puluis ſubuiridis conſpicitur. Matthiolus tamen flaueſcentes magnificauit. Item extolluntur, qui, prima cruſta F ablata, inferiorem nitentem oſtendunt, & in meditullio ſunt concaui, vbi arena lapideæ ſubſtantiæ ſimilis inuenitur, & pariter ſi locati in aqua, vel linguæ applicati, nihil arenoſi relinquant. Etenim his notis inſigniti tanquam ſynceri, & orientales eſſe traduntur. Sed aduertendum eſt ſplendorem cruſtarum non eſſe indubitatum genuini Bezaaris ſignum, ſed obſeruare debemus, num ſemen, vel granum aliquod ſit in meditullio lapidis, ſuper quod Indi Bezaarem formare ſolent, ex qua nota lapides adulterinos conijcere debemus. Alij verò ad cognitionem,& electionem veri lapidis, calce in aqua diſſoluta, lapidem imbuunt, quæ ſi paulò poſt flaueſcat, inde legitimum Be-

Indorum modus. zaarem eſſe arguunt. Indi tamen huiuſmodi lapides flatu probare dicuntur. Nam Bezaarem manu compreſſa continent, per quem ſi flare poſſint, eum adulterinum eſſe pronunciant. Alij creta linunt cartham, deinde ſupra fricant lapidem, & ſi linea frictionis appareat viridis, tunc lapidem eſſe legitimum arbitrantur. Nullum tamen certiùs probationis indicium eſt, quàm ſi venenum Animanti exhibeatur,& poſtea,oblato Bezaaris puluere, euadat. Solebant quoq; alio experimento genuinum Bezaarem G deprehendere, ſine quo Emptores lapidem recuſabant. Filum toxico illinibant (erat autem apud illos ſuccus radicum Hellebori albi) deinde huiuſmodi filum acu per pedem, vel aliam partem Canis traijciebãt, relicto in vulnere filo, donec grauia ſymptomata accederent, quia tunc puluerem huius lapidis cum aqua propinabant. Namq; ſi lapis erat genuinus,animal tali præſidio euadebat,ſin ſecus, hunc lapidem tanquam adulterinum reijciebant. Sed Garzias ab Horto fatetur, quòd hodie hoc experimentum à mercatoribus recuſatur.

VSVS IN MEDICINA.

FACVLTAS manifeſta in hoc lapide nulla alia, niſi exſiccandi, & ſudorem prouocandi eſſe perhibetur At vires occultæ Bezaaris plurimæ eſſe feruntur. Puluis enim huius lapidis intrinſecùs, & extrinſecùs adhibetur, & aduerſus ve- H nena, nullum præſtantiùs remediũ inueniri poſſe autumant. Luſitani ad pondus trium granorum hordei, pro expugnando omni venenorum genere, cum aqua florum citri, vel aqua Lamfæ, quæ ex floribus Aurantiorum habetur, fælici cum ſucceſſu propinãt.

Aqua Lãfæ qua. Pariter hic lapis annulo incluſus, ſi frequenter ore fugatur, venenum per ſudorem expellere traditur. Quando autem venena vehementiora fuerint, octo, vel decem grana cum vino erunt præſcribenda, & hauſtus bis, & ter erit repetendus. Ad exterminandum Napelli, & Arſenici virus, quod truculenter in corpus humanum ſæuire ſo-

Ad venena let, hunc lapidem tanquam auxilium præſtantiſſimum Matthiolus extollit. Rhaſis quoque teſtatur bis efficaciam huius lapidis in veneno Napelli ſuperando, vidiſſe, quam operationem neque in theriaca, neq; in alia antidoto obſeruauit. Deinde in-

Lib.4. Memor. ictibus animantium venenatorum puluis Bezaar vtiliter inſpergitur Notat Gaudentius Merula hunc lapidem eſſe Iouium, cui ſi Scorpio fuerit inſculptus, Luna ſignum Scorpionis peragrante, ictibus Scorpionum reſiſtere. Quinimò hic lapis elegans

medi-

medicamentum præmuniens euadet, si, ad arcenda venena, authore Anselmo Boetio, huius duo grana cum vncia vini, vel aqua Cardiacæ manè hauriantur. Item si lapis brachio sinistri lateris alligetur, vt cutim contangat, venena arcere perhibetur, & cor tueri, ne ab aliqua veneni specie, vel ab aere pestilenti Patiens lædatur.

Amplius, in febribus malignis, Anselmus Boetius octo grana huius medicaminis, cum aqua acetosæ, Patientibus quotidie propinat, donec vel sudore, vel vrinæ profluuio ægrotantes meliùs se habeant. Immò Patientem, horæ spatio, ab omni alia potione arcet, ne virtus lapidis hebetetur, & illius actio impediatur. His additur, quòd, apertis febrium pestilentium carbunculis, hic puluis vtiliter inspergitur, quoniam eorum virus exsugere creditur. Similiter, in profligandà febre quartana, adhibetur: quandoquidem si illa prorsus non expugnetur, illius tamen symptomata mirandum in modum mitigantur. Hinc quidam de lapide Bezaar eleganter sic cecinit. *Febrium malignarũ remedium.*

Tristibus haud tantùm est lapis iste medella venenis,
Verùm, & pestiferas depellit corpore febres.

Cum verminatio ab insigni putredine dimanet, hinc fit, quod in hoc affectu Bezaar cum aqua graminis, vel cardui benedicti commendetur. Nicolaus Monardus, in simili affectu, lapidem hunc magnificat, quia innumeros Patientes se liberasse asserit Recipit igitur drachmas duas herbæ Lumbricorum, quam Anselmus Boetius Tanacetum interpretatur, drachmam seminis Santonici, drachmam semissem cornu Cerui vsti, necnon Portulacæ, & Carolinæ, item dimidiatam drachmam lapidis Bezaaris Peruani, & ex his omnibus puluerem præparat, cuius dosim, pro ætate Patientis, augendam, & minuendam esse affirmat. *Vermium remedium.* *Herba Lũbricorum quæ.*

Insuper, in multis alijs affectibus, hic lapis ab Authoribus commendatur. Primùm cum aliquo conuenienti liquore, à granis quatuor, ad grana decem, omnibus ægritudinibus cordis opitulatur, & potissimùm in cordis palpitatione, cum aqua melissæ quotidie præscribitur. In epilepsia eliminanda, infantibus, cum lacte ad pondus granorum duorum, & adultis cum aqua Lilij conuallium, vel Peoniæ, vel Tiliæ, ad grana octo, vel decem exhibetur. Demùm Arabum lepram, siue Græcorum elephantiasim, omne scabiei genus, pruriginem, impetiginem, & reliqua cutis vitia sanat. *Epilepsiæ remedium.*

Postremò Indi, ad iuuentutem conseruandam, & ad omnia membra roboranda, bis in spatio annuo, præmissa generali totius corporis purgatione, decem grana huius lapidis, magna cum vtilitate, spatio quinque dierum, manè hauriunt. Deinde pharmacis vehementer purgantibus aliqua grana Bezaaris addunt, ne maligna eorum qualitas corporibus officere possit, hac enim ratione absq; noxa, & dolore, medicamentum operari asseuerant. Cæterùm si aliquis obijciat Bezaarem non præstare in medicina, quod multi Authores pollicentur: respondendum est hunc lapidem non semper genuinam haberi. Præterquamquòd dosis Bezaaris orientalis debet ad quinque grana ascendere, dosis verò occidentalis ad duodecim, & grana plura, augenda est. His addamus summum huius lapidis pretium, quod est in causa, cur medicamentum suas vires exercere nequeat. Id ex historia quadam Zacuti Lusitani colligitur, qui retulit fœminam quamdam febre maligna fuisse correptam, sæuissimis associata symptomatibus, inter quæ hoc fuit admirandum, dum spatio tridui sexaginta duos vermes per os excreuit, & ex contagio omnes famiiares eodem affectu fuisse correptos, & omnes eos perijsse, quibus pauca Bezaaris quantitas fuit exhibita, Dominam verò, cum magnam illius dosim, nimirum singula vice drachmam hausisset, licèt periculosiùs cæteris ægrotaret, euasisse; atq; eadem etiam quantitate sumpta, multos alios Patientes fuisse curatos. *Cõseruatio Iuuentutis.* *Dosis Bezaaris.*

DE BVFONITE.
Cap. LX.
ÆQVIVOCA.

SEPARATIM, & non in capite de lapidibus Animalium, de hoc lapide ſermonem habere decreuimus, tum quia æquiuocatione non ſpernenda laborat, tum etiam quia varias huius lapidis icones exhibemus, quæ longiori explicatione indigere videntur. Itaq; nullum eſt nomen lapidis, quòd maiori ambiguitate inuoluatur, quàm lapis hic Bufonis, qui à Scaligero, & alijs Authoribus, confi&to nomine, Bufonites appellatur. Siquidem hoc idem nomen Butonem in lapidem tranſmutatum indicare poteſt. Id autem facilè contingit Bufoni,& alijs Animantibus circa aquas ſucco marmoreo imbutas verſantibus; namq; Animantes his aquis imbutæ facilè lapideſcunt, vel ab aquis ramenta marmorea, vel lapidea ducentibus ita incruſtantur, vt lapideæ appareant. Pariter Bufonites appellandus erit lapis, qui à Natura ludente ad effigiem Bufonis formatus fuerit. Huius conditionis fuit lapis ex materia arenaria conſtructus, qui caſu in montibus Bononienſibus fuit repertus,& vocatus rubetarius lapis rubetites; cum eodem nomine nuncupetur etiam lapis in capite Bufonis ortus, nec nõ Bufonites, cum formam Bufonis, ſeu Ranæ rubetæ imitetur. Mirabilis enim eſt Natura, dum ex tali materia formar, qui diverſas ſpecies rerum animatarum referunt. Non huius lapidis hic repræſentatur, & inſcribitur Bufonites, ſeù Rubetites; quamuis figuram quoq; Bubonis, ſeu Sphingis animalis poſſit æmulari.

Bufonites, ſeu Rubetites.

A Alioquin Bufonites significat etiam lapidem quemdam fossilem varijs in locis inuẽtum, qui lapidi in capite Bufonum orti assimilatur, quem in Rubrica differentiarum memorabimus. Tandem Bufonites erit lapis genuinus Bufonis, qui hoc in loco examinabitur, & aliter à Cardano vocatur Chelonites, non tamen est Chelonites, de quo in capite duodecimo huius quarti libri egimus, sed ita dictus ob cauitatem, qua lapis hic operimentum Testudinis superius refert, quæ χελωνη Græcis nominatur. Item dicitur Batrachites, quia in Rana rubeta, nempè in rubetis victitante inueniatur. Batrachites tamen ambiguum est vocabulum, cum Lobelius in obseruationibus, quamdam herbam Batrachitem indigitet, quia ab eius flore figura Ranæ repræsentetur: Etenim βατραχος apud Græcos Ranam significat.

Bufonites fossilis.

Batrachites lapis.

Batrachites herba.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

B VFO est Rana terrestris nimiæ magnitudinis, quæ cum inter vepres, & rubos sæpè versetur. Rubeta etiam appellatur. In huius igitur capite lapis quidam nasci perhibetur, & paulò inferius in hac historia ostendetur, qui Bufonites, & Batrachites nuncupari potest: quandoquidem græcè βατραχος Rana exponitur Hunc, apud aliquos, cognominari etiam Chelonitem Hieronymus Cardanus asseruit; qui postea taxatur à Scaligero tanquam linguæ græcæ imperitus; cum nesciuerit Chelonitem ad testudinem, & non ad Bufonem pertinere: etenim χελώνη græcè Testudo est. Sed, vt veritatem fateamur, hoc in loco Cardanus immeritò reprehenditur: quoniam Chelonites est nomen æquiuocum, veluti in Rubrica antecedenti annotauimus. Significat igitur primò lapidem ad testudines attinẽtem; de quo in capite duodecimo huius libri egimus: deinde spectat etiam ad Bufonitem, dum hic lapis in capite Bufonis ortus, concauus sit ad formam superioris testę Testudinis: quocirca non immeritò Chelonites appellari poterit. Apud Mylium hic idem lapis Myexis vocatur, quasi Bufonites, & Rubetarius; quoniam μυξος Bufonem indicat. Alberto Magno dicitur Burax; huncq; à Bufonibus erutum aliquando viridem, & quandoq; imagine Bufonis insignitum vidisse fatetur. Aliter idem Albertus, & Euax lapidem Nusæ indigitant. Hinc varia nomina barbara apud Authores dimanarunt; cum alijs lapis Noseth, alijs Nisus, & alijs Botrax cognominetur. Præterea multi fuerunt huius opinionis, Bufonitem esse illum lapidem, quem Marbodeus Gagatromeum, & Pandectarius Gagatronicam gemmam nominarunt. Amplius Crapundina à multis dicitur, quoniam Galli Crapaudine vocitant: etenim Crapaul apud ipsos Bufonem significat. Germani, annotante Gesnero, Arrottenstein, quasi lapidem Bufonis appellant. Italis Pietra del Rospo dicitur.

Myexis lapis.

Borax Botrax lapis Nusæ idem

Crapundina.

ORTVS, ET FORMA.

HERMOLAVS Barbarus, in Corollario, monimentis mandauit, lapidem hunc, ad mentem Recentiorum, in capite Ranæ terrestris haberi, qui gestatus ad dolores Ilium conducit. Quapropter narrat huiusmodi animal super panno puniceo esse collocandum, quo colore mirandum in modum delectatur. Sic enim lapideum capitis onus deponit, sed addit citò esse auferendum, alioquin ab eodem animali absorbetur. Ioannes Baptista Porta, & ipse lapidem in capite Bufonum generari asseuerat, sed non eximi ea ratione, quam Hermolaus Barbarus proposuit: ait enim Bufones verberibus ad iram concitatos, & inflãmatos lapillum euomere. Rationem eximendi huius lapidis ab Hermolao propositam risu dignam esse affirmamus, quemadmodũ, in libro de Quadrupedibus ouiparis, scripsimus. Brasauolus asseuerantius dixit se in capite huius Animalis lapidem inuenisse, qui potiùs ad materiam osseam, quàm ad lapideam accedebat: hac de causa cauum animalis cranium esse existimauit.

Lapis hic est cranij.

Est igitur hic lapis, instar mediæ auellanæ, licèt horum nonnulli figuram lupini, & minimi formam lentis habeant. Demum alij sunt formæ oblongioris, vt in Rubica differentiarum ostendemus. Albertus Magnus ex palpitante Bufone extractum lapidem,

figura

figura oculi, quaſi cærulea, fuiſſe refert; additq; ſuis temporibus ſimilem lapidem figura Bufonis inſignitum conſpectum fuiſſe. Ceſalpinus quoq; notauit hunc lapidem ſubalbum, & nigrum eſſe, in quo interdum icon ranæ rubetæ obſeruatur. Cum autem alius lapis metallicus, & foſſilis huic ſimillimus inueniatur, diſcrimen cognoſcetur, quoniam hic os caluariæ cum ſuis venis refert, &, iuxta conuexam ſuperficiem, quibuſdam notulis, inſtar macularum Aſterij lapidis, eſt præditus, quæ notæ maculis pellis Bufonis ſimiles apparent. Chriſtophorus Encellius ſe habuiſſe narrat huiuſmodi lapidem forma mediocris fabæ nigricantem, maculis liuentibus decoratum. Cum igitur varij colores, ſeu notæ ad modum Aſterij lapidis illi inſint. Hinc aliqui coniectant à Gagatromeo Marbodei non eſſe diſcrepantem, quem diuerſicolorem ſic appellauit.

At diuerſicolor, quem dicunt Gagatromeum,
Pelli capreoli ſimilis lapis eſſe refertur.

Color Lapidis. Anſelmus Boetius hunc lapidem Aſteriæ obſcuriori aſſimilat, quia fuſcis maculis decoretur, & colorem ſtellaris lapidis habeat. In hoc tamen ab inuicem diſcriminari ſignificat, quia color cineteus ad rubedinem inclinet. Præterea hunc lapidem eſſe conuexum inſtar oculi, & iuxta alteram partem eſſe planum, aut concauum prædicat: hac de cauſa ad lapidem ſtellarem eum reducit, huiuſque ſubſtantiam quaſi vitream duriſſimam, nitentem ſine conſpicuitate conſtituit, partique internæ quid ſaxeum attribuit, quòd à Natura loci natalis dimanare affirmat; quia cum lapidem hunc, Animalis lapidem eſſe non crediderit, nomine huius lapidis, metallicum, ſiue foſſilem intellexit. Neq; hoc à veritate recedere videtur, vt in Rubrica differentiarum exponemus.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

DVO genera huius lapidis ab Auctoribus proponuntur. Ad primum genus Brontiam, Ombriam, & Chelonitem reducunt, & lapides Bufonis maiores vulgò vocitari tradunt. In ſecundo genere collocant illos minores lapides, qui, magnitudine, vnguem humanam non excedunt, & à Gemmarijs, pro lapidibus Bufonum oſtenduntur, haſque omnes ſpecies in agris inueniri Boetius docuit, dùm non crediderit ſimiles in Animalibus generari. Quamobrem, apud hunc Authorem, huiuſmodi lapides metallici, foſſiles, ſiue minerales nuncupari poſſunt. Hi poſtmodum, quoad colores, ſunt varij; cum alij colorem meſpili, alij cinereum, & alij albeſcentem referant. Alij, in medio, oculi figuram habent, alij circulo albo, vel nigro ſubtiliſſimo exornantur. Iſti omnes ſunt adeò ſimiles natis in Animalibus, vt, his ſpretis, mercatores, & Gemmarij foſſiles tantummodò afferant, & offerant. Hi in ſcopulis maris Galliæ, Sardiniæ, & inſulæ Maioricæ naſcuntur. Scopulis malleo ferreo percuſſis, fruſta quædã veluti incruſtationes parietum cadunt, in quibus huiuſmodi lapilli tanquam nodi in ligno apparent, nitentes ad modum Aſtrorum, qui poſtmodum collecti, in Hiſpaniam, Poloniam, & alias regiones deferuntur. Intelleximus quoque, quòd hodie in nonnullis Germaniæ locis reperiuntur. Item Geſnerus tres differentias figura, & magnitudine, diſcrepantes aſſignat, cauam, & conuexam ſuperficiem habentes. Prima icon in tabella maiorem, & oblongiorem lapidem oſtendit. Tertia icon monſtrat lapillum minus cauum, huncque nomine caluariæ Bufonis Hieronymo Cardano acceptum refert.

Locus natalis.

Hinc colligendum eſt horum lapidum aliquos eſſe ex capitibus Bufonum erutos, qui ad oſſeam materiam accedere videntur, quales etiam in capite Cyprini piſcis, & aliorum Animantium inueniuntur. Quoniam autem Bufones, iuxta regiones, in quibus naſcuntur, variæ formæ, & magnitudinis obſeruantur: pariter lapides in his Animalibus geniti, quoad figuram, & magnitudinem, aliquam varietatem ſortiri poſſunt. Quamobrem hic proponimus tabellam conſpiciendam, in qua ſeptem horum calculorum differentiæ, quamuis ſint octo figuræ deſignantur.

Sub numero 1. & 2. delineatur lapis à Bufone, ſeu Rubeta orientalis regionis erutus, cuius figura erat hexagona: Siquidem tetragona figura exiſtens in medio, dum, iuxta partem ſuperiorem, & inferiorem, in acumen deſinit, neceſſariò ſexangulam formam conſtituit. Coloris erat albicantis concaua, & vacua interna parte, & ad lapillos oſ-

ſeos

Bufonites, seu Batrachites triplex Gesneri.



seos potiùs attinere videbatur, licèt, ob duritiam, materia lapidea appareret. Præterea cum esset figuræ ouatis, aliqua arte vel scalpello figuram hexagonam acquisiuit. Lapis enim satis crassus erat, itaut facili artificio poliri posset. Nos autem ducti sumus in hanc sententiam, quoniam partem internam, & causam ouatis figuræ conspeximus, cum tamen pars conuexa esset sexangularis: quocirca illa pars caua, & ouatis procul dubio fuit illa, quæ animalis cerebrum continebat, & pingitur nu. 2.

3. effigiatur Bufonites, vel Batrachites alter orientalis, figuræ pariter hexagonæ, & paulò minor altero, coloris erat cinerei ad ferrugineum inclinantis concauus, vt alter erat: quamuis huiusmodi lapides non à Natura, sed ab arte repleti ferè semper obseruentur, vt melius, & diutius conseruentur. Etenim in illa cauitate Cerebtum Animalis substantiæ mollis, & corruptibilis continebatur: quapropter, ad arcendam ab osse putredinem, donec lapidesceret, mistura aliqua exsiccante os repleri necessarium fuit. *Mistura in lapide.*

4. Figuratur lapis, quem placuit appellare Batrachitem rotundum, vt à superiori orientali distingueretur. Nemò fuit, qui primo aspectu contemplans hunc lapidem, non dixerit cranium alicuius animalis fuisse: Lapis erat concauus substantia aliqua lapidea repletus, vt materia ossea durior euaderet. Color lapidis erat albus, maculis quibusdam cinereis, insignitus.

5. Lapis hìc non multùm differt à quarto; quamuis sit paulò minor. Coloris erat albescentis ad subcinereum tendentis. Nitebat, vt superior, cuius pars concaua erat imbuta duriori mistura.

6. Hic à cæteris discriminatur, cum paulò minor esset: coloris erat castanei, exterius nitebat, & tota cauitas erat repleta mistura ex cera, & styrace parata: veluti ex pertractatione, & odore cognoscebatur. Hinc manifestarium euadit, fuisse cranium Animalis, quòd huiusmodi balsamo conseruabatur. *Mistura qualis.*

7. Ostenditur Batrachites nobis dictus orientalis, figuræ ouatis, & oblongæ, omnique prorsus angulo carens; hinc manifestè cognouimus similes osseos lapides artificio aliquo fieri hexagonos, vt in primis figuris huius tabellæ sub nu. 1. 2. & 3. collocatis apparet. Neq; figuram hanc ouatem, & oblongam admirari debemus; quoniam fortassis huiusmodi animalia illarum regionum diuersam à nostris formam sortiuntur consequenterq; cranium minimè rotundum habebunt.

8. Batrachites, seu Bufonites est ex nostris Bufonibus extractus, figura hemicicli, cõcauus, instar aliorum, sed varijs maculis, & coloribus decoratus, nempè rubro, castaneo, cinereo, & albicante colore, quapropter versicolor à nobis fuit nuncupatus.

Bu-

Bufonitarum, ſeu Batrachitarum ſeptem differentiæ, cum prima differentia ſub numero 1. & 2. pronè, & ſupinè pingatur.



Nos, vt veritatem inueſtigaremus, multos Bufones necauimus, & eorum crania extraximus, quæ, licèt tunc non eſſent dura, tractu tamen temporis, lapideam duritiem acquiſiuerunt. Id autem rebus multis mollibus contingere ſolet, quæ, temporis diuturnitate, euadunt lapideæ. Rursùs aliam repræſentamus tabellam, in qua duæ icones aliæ exprimuntur, quarum prima oſtendit Batrachitem colore ſubnigro, qui admodum paruus erat. Altera monſtrat alium grandiorem, quem diligenter contemplati, venimus in hanc ſententiam, hunc eſſe potiùs lapidem Chelidonio foſſili congenerem, vt in capite quinquageſimo octauo huius libri contemplari licet.

Ba-

Batrachites colore subnigro.
Batrachites alter, seu Chelidonio lapidi congener.

MORALIA.

NONNVLLA ad morum integritatem attinentia ex natura, & affectionibus huius lapidis elicere possumus. Hic enim in primis nascitur in capite Bufonis, & in illo extracto interdum effigies eiusdem Animalis apparet, & aduersus venena mirandum in modum extollitur. In hac doctrina Diabolum tanquam Bufonem, & hominem tanquam lapidem pronunciare poterimus, quandoquidem homo in capite Bufonis, nempè Diaboli esse dicitur, quando in statu criminoso, vel in delitijs mundi versatur. Sed, si contingat, vt inde extrahatur, & ad pænitentiam reducatur; tunc optimus euadit lapis ad exterminandum peccati venenum: sicuti habetur in sacro codice. *Vbi abundauit delictum, ibi superabundauit, & gratia.* Dummodo semper in ipso effigies Bufonis conspiciatur, nimirum memoria præteriri habitus criminosi, penicillo amaræ contritionis delineata in ipso appareat. Iuxta illud Isaiæ. *Recordamini prioris sæculi.* Sic enim elegantia morum incontaminatorum conseruabitur, & refulgebit. *Ad Rom. 5.* *Cap. 46.*

VSVS IN MEDICINA.

IN varijs affectibus lapidem hunc minimè infrugiferum iudicabimus, & potissimùm in venenis expugnandis: quandoquidem, poculo præsente venenato, non solùm hic lapis colorem mutare, sed etiam sudore virus prodere perhibetur. Verùm, in veneno hausto dissipando, & superando, integer lapis deglutiendus est, quoniam, superata veneni malitia, integer deijcitur, & ablutus ad alias vices recuperatur. Michael Mercatus narrat ab hoc lapide gestato, venenata præsente materia, cutim aduri; quocirca ad hanc vtilitatem percipiendam, eum annulo perforato inserunt, vt, accedente veneno, cutis calefieri possit. Leuinus Lemnius addit, solo huius lapidis contactu, partes à venenatis bestijs vulneratas liberari. Quamobrem quando ictibus Crabronum, Vesparum, Apum, & aranearum, membra tumefiunt, & inflammantur, lapide partibus admoto, non solum dolor mitescit, sed etiam tumores, & inflammationes dissipantur, & pænitùs soluuntur. *Ad ictus venenatorũ*

Insuper aliæ quoq; sunt affectiones, quibus hic lapis opitulari traditur. Primum in annulis gestatur, quamuis sit ingrati coloris, quoniam à Gemmarijs tanquam amuletum ad Nephritidem celebratur: gestatus enim generationem calculorum prohibere fertur. Alij hunc aduersus epilepsiam gestant. Alij ad tollendas vertigines, calanticæ dormi- *Ad Epilepsiam.*

dormituri imponunt; vt cutim capitis contangat. Demùm ægritudinibus ſtomachi, & etiam febribus multò eſſe adiumento diuulgant. E

DE FÆCE VINI SICCATA, ſiue Tartaro. Cap. LXI.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

PERÆ pretium eſſe duximus, examinatis lapidibus in quouis Animãte genitis, nonnulla etiam exponere de illis, qui in vaſis producuntur, & potiſſimùm de fæce illa ſiccata, & in lapidem verſa, quam vinum facit, vnde fex à faciendo nomen deduxit. Hæc autem à multis Nupe- F rorum Tartarus, & quandoq; etiam Tartarum vocatur. Hoc autem nomen æquiuocationem pati videtur; nam primò ſignificat locum profundiſſimum Inferorum, ita nuncupatum ἀπὸ τῦ ταράττω, ideſt perturbo; cum apud infernas ſedes omnia perturbata eſſe ferantur; vel potius ἀπὸ τῦ ταρταρίζειν, nimirũ à tremore frigoris, cum huiuſmodi profunda loca Sole careant Hæc autem etymologia noſtro lapidi tartareo aliquo modo accõmodari poſſe videtur, dum in profunda vaſorum parte cõcreſcit, & ibi naturam lapideam acquirit. Atrianus fluuius eſt apud Ptolemeũ, nunc vulgus Tartarum vocat, & Tacitus, hoc tractu, Tartarum habet. Alij hunc lapidem nuncupãt Tarrum per duplex R: etenim Tarum Dioſcoridi eſt Agallocum, ſiue lignum Aloes. Item Tarum appellamus quoddam tophi genus ex aqua concretum. Hinc nos lapidem hunc potiùs Tarum, quam Tarrum dici poſſe credimus: nam quemadmodum Tarum ex aqua, ita Tartarus ex vino in lapidem concreſcit. Diodorus Euchionthes, in ſua Polychimia, modò Crepinum, modò Tartarum, modò Taſum, quaſi Tarum vocitat. Paracelſus maiorem Anthon dixit, Germanis vocatur Vuenſtein, G quaſi lapis vini. Italis varijs nominibus inſignitur, nimirum Taſo, Gomma, & Alume, & Grepola di botte, ouer Tartaro.

Tartari etymum.

Tartarus amnis.

Tarrum, & Tarũ quid.

DESCRIPTIO, ET DIFFERENTIÆ.

TARTARVM cuicumq; notum eſſe credimus, ideòque, in exaranda deſcriptione, diù verſari, erit ſuperuacaneum. Eſt enim vini fæx circa partes dolij indurata pertinaciùs ſæpè illi inhærens, valdè ſolida, quæ tantò melior celebratur, quantò magis cæleſti colori aſſimilatur, dummodò habeat intermixta quædam quaſi grana aurea. Hic lapis eſt duorum generum, albus ſcilicet, & ruber, ſed albus ad omnia efficacior prædicatur.

VSVS IN MEDICINA, Et alijs. H

TARTARI natura calida, & ſicca in tertio gradu eſse perhibetur, virtutemq; attenuandi, conſumendi, expurgandi, & laxandi poſſidet. Quapropter Ioannes Manardus, inter purgantia medicamenta à Meſue prętermiſſa, Tartarum repoſuit. Quinimò Matthiolus hanc ſententiam confirmans alui deiectionem puluere Tartari citari poſſe affirmat. Item experientia hoc docet, nam vncia Tartari in iure gallinaceo ſumpta aluum ſine moleſtia deijcit.

Leniens medicina.

Iodocius, in Enchiridio medico, non ſolum enarratas fæcis vini qualitates confirmat, ſed etiam illius puluerem, addito maſticis modico, ad aluum ſoluendam, & ad vlcera detergenda commendat his verſibus.

Vrit,

A *Vrit, & abstergit, constringit, siccat, & exest,*
Et ventrem, admixta malitce, sumpta mouet.
Hinc oleum liquido cum sulphure cuncta potenter
Vlcera, detersis sordibus, atra domat.

Immò alijs purgantibus medicamentis additur, vt Senæ, Polypodio, & Epithymo, vt facultatem eorum purgantem adaugeat. Fuchsius addit puluere Tartari ingratum Senæ saporem ita obtundi, permixto tamen modico Cinnamomi, vt facilè à quouis Patiente sumatur. Nostris temporibus Medici non puluere Tartari, sed, illius cremore, alui deiectiones moliuntur. Cremor autem paratur hunc in modum. Tartari puluis cum aqua in vase vitreato ampli oris ad ignem feruefit, quoniam, refrigerata materia, in superficie aquæ fit veluti quædam glacies, quæ collecta à Pharmacopæis Crystallus, & Cremor Tartari appellatur. Huius duæ drachmæ in aliquo liquore sumptæ, aluum, absq; molestia, soluunt. *Cremoris Tartari præparatio.*

Præterea ex hoc Tartaro oleum varijs modis extrahitur ad plures morbos commen-
B datum. Andernacus recipit libras quatuor Tartari in puluerem redacti, & ampullę curuatæ, vel etiam erectæ, & argilla obductæ indit, deinde apposito recipiente amplo, iuxta iuncturas, diligenter lutato, subdit ignem per gradus, donec nulli amplius spiritus appareant, tunc, refrigeratis vasis, liquor exemptus infunditur ampullæ vitreæ erectæ, & in balneo calente colligitur, & aqua ab oleo separatur. Item ex cineribus, vel arena iterum à crasso sedimento euocatur, & oleum aurei coloris, ad curanda vlcera, præsertim ex lue venerea orta, efficacissimum prouenit. *Oleũ Tartari.*

Iosephus Querzetanus, in Sclopetario, non tantum oleum, verùm etiam salem ex Tartaro elicit. Tartarum crudum in puluerem redactum ponit in Retorta, cum suo recipiente, subijcit ignem per gradus, qualis ad aquam fortem conficiendam adhibetur. Magna copia spirituum alborum producitur, qui in aquam, & in oleum crassum, & fætens conuertũtur. Oleum illud per infundibulum separatur, & ad vsum seruatur. Cæterùm salem Tartari extrahit à fæcibus in retorta relictis, quas Chymici caput mortuum
C appellant, easq; in aqua calida dissoluit, deinde bis, vel ter filtrat, posteà ad ignem, per euaporationem aquæ, coagulat, & sal in fundo vasis remanet, qui denuò dissolutus, & coagulatus crystallinus euadit. Hic sal crystallinus in vase vitreo collocatus, & per aliquos dies in cellà vinaria, vel in alio loco humido seruatus intra paucos dies in oleum resoluetur, quod ad delendas faciei maculas, & vlcera detergenda, alijs medicamentis non cedit. Idem Author aliud oleum, Tartaro, sibi comparat, quod balsamum Tartari nuncupat, cuius vtilitatem immensam diuulgat. *Sal Tartari.*

Oleum Tartari pro tergenda, & eruganda facie, ad mentem Petri Argellatæ, sic paratur. Sumit fæces lateribus dolij adhærentes, nimirum Tartarum album potius, quàm nigrum, & in puluerem redactum aceto macerat, postea panno lineo inuoluit, necnon stupis humefactis, & sub cineribus ponit, spatio tridui, exemptum scutellæ parumper inclinatæ imponit, vnde humor quidam subrufus distillat. Alij Tartarum vini generosi tritum linteolo inuoluunt, & aceto albo acri madefaciunt, & sub cineribus calidis reponunt, vt nigrescat; iterum terunt, & in vase inclinato octidui spatio seruant in loco frigido, donec in oleum resoluatur. Alij affirmant satiùs esse Tartarum calcinatum manicæ Hippocratis imponere, & in loco frigido collocare, donec in vas subiectum oleum fluxerit. Sunt, & varij alij modi distillandi Tartarum, & ex illo alia magisteria fabricandi, de quibus Lectores ad Thesaurum Euonymi, ad Penotam, ad Mylium, & Libauium relegamus. Valet huiusmodi oleum ad omne genus scabiei, & impetiginis, & cutim albam, claram, & iuuenilem reddit. Antonius Mizaldus, ex authoritate cuiusdam matronæ fucorum peritæ, refert, hoc remedio, ferrum emaculari, & detersa omni rubigine, eximium splendorem ei conciliari, additq; faciei lentigines deleri, & fædas omnes pustulas, quæ frontem, & mentum deturpant, breui temporis spatio, emendari. Euonymus obseruauit nonnullos illo vti, ad manantia capitis vlcera, ad quæ vtiliùs esse putamus illud, quod cum Nitro paratur, Cuprum quoque, & Argẽtum dealbat, & maculas panni linei delet. Demùm additur coloribus, vt illos splendidiores reddat. *Centur. 3. memor.*

DE LAPIDESCENTIBVS.
Cap. LXII.

LAPIDESCENTIVM RATIO.

VT finem hiſtoriæ lapidum opacorum imponamus, nonnulla etiam de lapideſcentibus exponere decreuimus; quoniam circa hanc materiam quæſtiones duæ inſignes breuiter ſunt agitandæ. Prima ſpectat ad modum, quo varia, in terrarum orbe creata, alterius naturæ à lapide, tractu temporis, in naturam lapideam tranſmutari poſſint. Altera pertinet ad illa oſtreacea, teſtacea, & conchilia, quæ in varijs montibus ſaxea obſeruantur: nimirum an illic genita, an verò aliundè illuc translata fuerint.

Quoad primum, Seneca cenſuit plura in aquas proiecta lapideam ſubſtantiam adi-
Lib. 3. nat. quæſt. cap. 20. piſci, quoniam eorum corporibus paulatim limus circumfundatur, & adeò allinatur, vt res eo comprehenſa facilè in lapidem dureſcat. Vitruuius id euenire opinatus eſt,
Lib. 11. Architec. c. 3. quoniam ſuccus lapideſcens aquas, quibus permixtus eſt, ad inſtar coaguli, ſpiſſet; itaut æſtus Solis illos facilè cogat, & in lapidem duret. Georgius Agricola hunc effectum refert in ſuccum, qui ex commiſſuris, & venis ſpeluncarum dimanat, qui ante-
Lib. 2. de nat. ſubter. quam cadat, paulatim in lapides denſatur. Quinimò res illas omnes conuerti in lapides aſſeruit, quæ huiuſmodi ſuccum lapideſcentem combiberint. Hieronymus Cardanus
Lib. 2. de ſubtil. ſcriptum reliquit, vel æſtu percoquente, vel cogente, & ſolidante gelu, aquas ſolideſcere; additque à colliſione fluctuum ſpumam generari, quæ ſalſugine, & frigiditate ſalſuginis vicem ſubeunte, vnà cum tenuiori arena ſpiſſeſcere, & naturam ſaxeam acquirere.

Falloppius noſtræ ætatis vir egregius cauſam prȩcipuam huius affectus aſſignat ſuc-
In lib. de foſſil. co, nempè humori cuidam elaborato cocto ex materia lapidea genito, aquiſque permixto, quiſi aquæ fuerit diligenter mixtus, rem, quam penetrat, durat in lapidem. Sin fuerit cum aqua confuſus, rem cortice tantùm ſaxeo obducit. Hunc autem ſuccum Author triplicem eſſe ſtatuit: vnum impurum, & alterum purum, & limpidum, qui ficcã exhalationem ſi comprehenderit, intrans aliquod corpus, illud in nobilem lapidem, vel gemmam tranſmutat. Tertium aſſerit eſſe illum ſuccum, qui à nonnullis plantis marinis appetitur. Tandem ſuccum impurum in quacumque terra generari prodidit, & propterea obſeruamus ſemina lapidea in lithoſpermate, & alijs plantis produci, cum vbiq; terrarum talis ſuccus impurus reperiatur. Matthiolus non valdè recedens à recitatis opinionibus, cauſam huius tranſmutationis diuulgat eſſe lutum, cui plus tenacis terræ, quàm aquæ videtur ineſſe: His addit ramenta ſaxorum, quæ ab aquis fluentibus abraduntur, quorum ſuccus ingrediens corporum cauitates, ibiq; quieſcens, tanquàm lapis duratur. Quamobrem Petrus Penna, & Mattheus Lobellius amnes, & riuulos memorant, in quibus pali lignei immerſi, menſtruo ſpatio, lapideſcant, priſtinam tamen formam, & ſuperficiem retinentes. Vnde Albertus Magnus, & ipſe aquas
Lib. 1. de miner. eſſe in cauſa lapideſcentium affirmauit, dum ligna in illis diù morantia ſaxeam naturam acquiuiſſe obſeruauerit. Quinimò pronunciauit etiam aquas pluuias in montibus Pyreneis, iuxta quaſdam montium partes, duritiem lapideam adipiſci.

Theophraſtus Paracelſus mucum quemdam in Torrentibus adhærere ſaxis aſſeuerauit, qui tandem denſatus, in lapidem tranſmutatur. Alibi verò idem Author monimentis mandauit hanc lapideam coagulationem, virtute ſpiritus ſalis, fieri: cum aliquando obſeruare liceat ex liquore ſalſo maris, & ex illius ſpuma cum tenuiſſimis ſordibus multa agglutinata in lapides concreſcere. Hinc Auicennas, referente Alberto Magno, pronunciauit Animantia quandoque tota in lapides, & præſertim ſalſos tranſformari; nam ſicuti terram, & aquam, ita & Animantes materiam lapidum eſſe voluit; quæ dum in locis virtutem ſaxificam poſſidentibus verſantur, tunc facilè in lapides cõuer-

A uertuntur. Cum autem hæc facultas saxifica sit valida, & quodammodo terreum in humido ducat, hinc non est mirandum, si saporem salis generet. His rationibus nixus fortè Diuus Augustinus (annotante Mercuriali in varijs lectionibus) asseuerantius dixit, *L.6.c.1.28.* conuersionem vxoris Loth in statuam salis, partim supra vim naturæ, & partim secundùm naturæ ordinem fuisse: quasi salis succus humano corpori sit insitus. Idcircò addit Diuus Augustinus, in enarrandis mirabilibus sacræ Scripturæ, ab Omnipotenti rerum omnium Gubernatore portionem salis, quæ erat in abditis partibus corporis ad illius ambitum eductã fuisse; quasi moles corporea vxoris Loth ex siccitate salis saxeam duritiem contraxerit: Verùm an huiusmodi sal in humano corpore reperiatur, necne non est præsentis loci disputare.

Ex his allatis sententijs, quænam sit præferenda, proculdubiò ambigimus; cum omnes aliqua ex parte probandæ esse videantur. Nihilominus nos cum Boetio asseuerabimus, ad hanc transmutationem requiri idoneam dispositionem, tum ex parte Patientis, nempè rei transmutandæ, tum ex parte Agentis, nimirum efficientis, vnà
B cum sua materia, qua tanquam proximo instrumento vtitur. Primitùs rei transmutandæ dispositio talis esse debet, vt corpus penetrabile habeat, itaut omnes partes etiam penitiores proprio, vel agentis humido madefieri possint, deinde vt humiditas propria, vel aduentitia ab huiusmodi corpore affatim segregari queat. Præterea Agens, siue calor sit intensus, siue remissus, debet habere humidum actu, vel potentia Patienti, vel sibi adiunctum, & materia Agentis sit spiritus, vel quidpiam acutum, vt partes corporis alterandas etiam magis intimas penetrare possit. Rursus materia Agentis constare debet ex partibus terrestribus adeò tenuibus, vt in aquam proiectæ, & exhalationibus permixtæ diaphaneitatem, nimirum perspicuitatem non impediant. Prædictis omnibus addenda est virtus assimilatrix materiæ insidens Agenti, quam nonnulli vim saxificam indigitant. *Cõditiones lapidescentium.*

Insuper notandum est, quòd quemadmodum Natura varias res, & potissimùm ligna reddit saxea, ratione superiùs exarata, ars quoque in omnibus Naturæ æmula, idem præstare nititur. Quamobrem in Germania, vt animaduertit Gesnerus, impo-
C nunt lignum Alni cuiusuis magnitudinis in labia illa ampla ænea, in quibus Lupulus, pro Cereuisia paranda, coquitur. Cum autem lupulus abundè coctus fuerit, lignum eximunt, &, per triennium, arena, vel sabura, in cellarijs obruunt: nam postea inde exemptum in lapidem duratum inueniunt, & ex illo parant Cotes, quas postmodum ad acuenda ferramenta adhibent.

Quoad secundam quæstionem, nimirum vndenam tanta testaceorum, & Conchiliorum copia dimanauerit, quæ in montibus quibusdam lapidea inuenitur. Circa hoc tres præcipuæ afferuntur sententiæ, quarum quænam sit præferenda, diligenter inquirendum est. Prima fuit illorum, qui existimarunt huiusmodi Conchas, & plu- *Prima opinio.*
ra huius generis illuc reducta fuisse, quo tempore, montes à diluuijs aquarum superati fuerunt. Hæc opinio non prorsus admittenda esse videtur, quoniam olim terra, & montes non à Mari, sed ab immodicis imbribus, nimirum Cæli inundationibus fuerunt obruti. Præterquamquòd non in omnibus montibus, sed in quibusdam horum similia testacea lapidea obseruantur.

D Secunda sententia fuit illorum, qui arbitrati sunt Conchilia, & alia huius generis testacea in montes à Mari fuisse iactata; quoniam hos montes à mari factos esse asseuerarunt; dum olim arena in cumulos vnà cum his Conchilijs coaceruata fuit: quandoquidem, vbi nunc montes conspiciuntur, antiquitùs mare fluctuasse pronunciarunt, quo postea paulatim recedente, huiusmodi arenarum cumuli cum testaceis, nimirum montes cum insulis detecti fuerunt. Idcircò, mare recedente, & solo lapidescente, Conchilia ibi relicta in lapides concreuisse tradiderunt: siquidem, vbi nunc est arida, ibi olim fuisse mare Aristoteles testificatur. Vnde Ouidius accedens ad hãc opinionem cecinit hunc in modum. *Secunda opinio.*

——*vidi factas ex æquore terras,*
Et procul à mari Conchæ iacuere marinæ. *Li.15.metam.*

Tertia sententia, quam magis probamus, fuit illorum, qui voluerunt Testacea Con- *Tertia opinio.*
chilia, & alia huius generis ibi absq; vlla difficultate progigni posse, vbi humor, vel liquor ad horum generationem idoneus inuenitur: immò, quando non erit aptus ad produc-

ducendum animal, teſtam tantummodò generari affirmarunt. Quid enim vetat, quo- E
minus interdum liquor ſalſus in ſaxis reperiatur, vt ex illo animalia marina viua reſul-
tent, ſi locus, & humor id expoſtulent; ſin ſecus teſtæ tantummodo, & conchæ in lu-
cem prodeant. Quocirca nulla debemus teneri admiratione, quando huiuſmodi te-
ſtacea in montibus inueniuntur, quæ poſtmodum ex natura loci in lapides tranſmutan-
tur. Quinimò, facta diligenti obſeruatione, nonnulla iuxta vnam partem lapidea, &
iuxta alteram adhuc terrea vidimus. Hinc cognoſcendum eſt, quod terra illa paula-
tim à Natura formatrice in Conchilia conuertitur. Rurſus, apertis huiuſmodi mon-
tium Conchis, nihil referens viſcera animalis conſpicati ſumus; nàm ſi illic animal ſta-
bulaſſet, aliqua viſcerum rudimenta apparerent (loquendo tamen de illis conchis, quę
in montibus lapideſcunt) namque in Conchilijs è Mari extractis, & lapideſcentibus ali-
qua partium internarum rudimenta cõſpiciuntur. Deinde turbinata Conchilia in mon-
tibus generari arbitramur ex fumoſa exhalatione cauernis incluſa, quæ exitum quæ-
rens, & non inueniens, ad inſtar turbinis agitatur, & iuxta varium illius agitationis
motum, varia quoque Conchilia turbinata, quoad figuram, procreantur. Hanc no- F
ſtram ſententiam poſſumus ſtabilire authoritae Goropij viri celeberrimi, qui ſimilia
teſtacea ex humore ſalſo etiam extra mare produci obſeruauit. Refert enim, apud Bra-
bantas populos, in terreno vadis marinis reſpondente, conchilia multa inueniri, cum
terra illa temperaturam quamdam liquoris marini participet. Rurſus idem Author mo-
net, poſtquam quibuſdam in locis Antuerpiæ fodiendo terrenum, aquam inuenerint,
ibi eſſe quamdam cruſtam circiter duos pedes craſſam, & alicubi tenuiorem, ex con-
geſtione Conchiliorum factam, qualis in noſtris montibus interdum obſeruari ſolet;
itaut in nullo vnquam maris littore tanta Concharum congeries inueniatur, vt poſſimus
aſſerere, vndis recedentibus marinis, eam ibi relictam fuiſſe. Quocircà addit Goro-
pius, ſi hæc teſtacea à mari ortum duxiſſent, proculdubiò adhuc ſimilis congeries in li-
toribus maris Zelandiæ, Hollandiæ, & Flandriæ obſeruaretur. Inſuper Goropius, ad
Pectines vbi rari. maiorem huius ſententiæ confirmationem, narrat Pectines Teſtaceorum ſpecies in lito-
ribus Flandriæ ita raros eſſe, vt à Mari Galaico, pro monſtris illuc afferantur; & tamen
in foſſis Antuerpiæ, horum copiam, ad inſtar montis conſpici, itaut qui ſimilia legere G
cupit, huc, & non ad littora proficiſcitur; additq;, non magis aſſerendum eſſe, hic fuiſ-
ſe Mare, quàm in lapidicinis Megarenſium, ex quibus lapis conſtans ex denſata con-
gerie Concharum effoditur, qua de cauſa ipſum Conchida appellatum fuiſſe memorat.
Quinimò aliquando in lapidem ita ſolideſcit, vt ex eo ſepulchrum Carys Phoronei fi-
lij fabricatum fuiſſe Pauſanias tradiderit. Idem quoque Author magis hanc opinio-
nem roborat his verbis: Cum tota Græcia varijs promontorijs in mare excurrat, &
in multis confinijs mare admittat, nullibi tanta Concharum copia, quàm Megaris in-
uenitur.

LOCA, IN QVIBVS RES facilè lapideſcunt.

H

Lib. 36. ca. 17. PLINIVS, ex ſententia Mutiani, aſſeruit, vbi de virtute Sarcophagi lapidis ver-
ba facit, ſpecula ſtrigiles, calceamenta veſtes, & ſimilia huic lapidi addita, &
illata, in naturam lapideam ſolideſcere, quòd ſi veritati accedit, maxima ad-
miratione dignum eſſe iudicabimus. Cæterùm in hac Rubrica aquas ſuccum lapideum
vehentes, ordine alphabetico, recenſebimus, in quibus res locatæ, vel lapideſcunt, vel
cortice ſaxeo veſtiuntur.

Loca inchoanti ab A. Itaque in Alſatiæ finibus propè Refordiam, non longè à Scaphuſia, agri leguminoſi,
nempè Fabis, Piſis, & ſimilibus lapideis referti viſuntur, quæ legumina ab irrigatione
aquarum, in lapides duruiſſe feruntur, ſed hoc adhuc incertum eſt. Boccacius qui-
dem, de fluuijs, hanc veritatem narrat, quòd in Aprutio eſt amnis nauigabilis,
Crocanus, vel Crocallus nuncupatus, in cuius vndis ligna, vel folia arborum poſita
lapideo cortice induuntur. Idem Author recitat, per Apuliam fluere Sarnum,
cuius aqua frondes, paleas, & ligna recipiens, paucis diebus cruſta ſaxea veſtit.

Item

A Item propè Auernorum Hergobiam fons est limpidus, qui succi lapidei tantam vehit copiam, vt Accolæ pontem ex illo substructum, & aquæ cursum impedientem, ligonibus, & malleis, diruere quotannis cogantur.

Bononiensis ager similibus aquis non caret: nam propè villam Albergati viginti milliaria à ciuitate distantem, fluit paruus amnis, circa cuius ripas plantæ interdum lapideæ obseruantur. In Britannia magna, spelunca est ad Decuernam sita, in quam quicquid aquarum fluxerit lapideam naturam acquirit.

Campaniæ Plinius attribuit fluuium Silarim vltra Surrentum, qui non solùm virgulta incisa, sed etiam folia in lapides transmutat. Vnde Silius Italicus huc respiciens cecinit hunc in modum. *Lib. 2. cap. 103.*

Nunc Silaris quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt
Duritiem lapidum mersis insolescere ramis *Li. 8. Pun.*

Cappadociæ lacus inter Mazacan, & Tyaran vrbes, gaudet hac proprietate, vt partem Arundinis in eo demersam in lapidem duret, parte extra aquas existente immuta-
B ta. Circa Cassandriam, terra excisa cuiuslibet magnitudinis, & in mare proiecta, lapidea extrahitur. In Cepusio Daciæ, authore Agricola, è quadam scatebra aquę haustæ, & in vrceos transfusæ, spatio vnius noctis, in lapidem abeunt. In Chelmensi tractu, rami pineæ arboris dissecti, & in terreno iacentes, annuo spatio, in saxa vertuntur. Cicones sunt populi Thraciæ lacum Bistonidem incolentes, apud quos flumen decurrit, in cuius vndis res lapidescunt. De hoc Ouidius sic cecinit. *Li. 4. de ortu subter.*

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera; quod tactis inducit marmora rebus. *Lib. 5. Metam.*

Pariter in Cincia, quædam fontana scaturigo est, cuius aqua terram in saxa transformat. Colchidis lacus Huius nuncupatus eamdem facultatem saxificam possidet. Item in Colossis fluuius obseruatur, in quo lateres mersi, lapides extrahuntur. Ex Plinio quoq; in Cyzicena regione, terra excisa cuiuslibet magnitudinis, & in mari demersa, saxeam duritiem adipiscitur. *Lib. 35. ca. 13.*

Non procul à Francofurto, siue Helenopoli ciuitate Germaniæ celeberrima, ad Viadrum, scaturigo perennis conspicitur, in cuius aqua rami, folia, cortices, ligna, carbones, ossa, & Conchæ lapideam naturam acquirunt. Item, ex Leandro historico, in Foroliuiensi territorio, è monte Mauro scatebra limpidæ dimanat aquæ, in qua frondes, ligna, & herbæ lapideo cortice obducuntur.

In Gallia, propè mænia oppidul: Veronei, fons est perennis scaturiginis aspectu iucundissimus, cuius aqua à mola aquaria, cui inseruit discedens, & descendens in substratum lutum, proxima quæq; in lapides abire cogit. In Gnido fonte, spatio trimestri, terra in lapidem durescere perhibetur. In Gothorum tractu, scatebra fonticuli fluit, quæ res in lapidem conuertit. Huius autem rei periculum Fridericus primus, referente Alberto Magno, fecisse traditur, immissa in hoc fonte chirotheca, cuius dimidia pars in vndis mersa duruit in lapidem, alia parte sub specie corij, extra aquas, remanente.

Hetruria inter hæc loca connumeranda est, quoniam Leander, in descriptione Italiæ, memorat ad Senam Torrentem in Hetruria, è saxo quodam fontem erumpere, cuius in aqua quicquid mersum fuerit, spatio quindecim dierum, lapideo cortice vestitur. Fallopius verò non fontis, sed tantummodò illius Torrentis meminit, qui succum lapideum confusum habet; ideòq; immersa in illo, lapidea crusta obducit: quandoquidem, ob frigiditatem, succus ille lapideus non exactè aquis permisceri potest: vnde addit idem Fallopius; in eodem territorio Senensi, apud castellum Rancolanum, duos esse fontes calidos succum lapideum permixtum habentes: idq; inde colligit, quoniam aqua horum fontium, vt vicinis molis aquarijs famuletur, per quosdam transit canales, qui iuncis, & alijs herbis ita replentur, vt certò tempore illos expurgare necesse sit. Illæ autem herbæ ex canalibus in terram proiectæ, omnes lapidescunt, quoniam in illa morantes aqua, succum illum lapideum vnà cum aqua mixtum attrahebãt, & aqua erat impedimento, ne succus ille suum effectum produceret; sed extra aquam, recedente humido aquæ, succus ille lapideus in herbis existens solidescit. In Heracleotico tractu, penes Perperenam vrbem, fons aquas limpidas fundit, quæ terram irrigantes, eam in petram conuertunt. In Hilchesemio non aqua, sed terra aluminosa *Herbæ lapideæ quales.*

lignum quernum in lapidem tranſmutat, vbi etiam nonnulla Animantium oſſa in lapi- E
dem mutata inueniuntur. Hybernia quoq; habet lacum, cuius fundum, ſi aliquid te-
tigerit, tranſit in lapidem.

In Iauæ plaga citeriori, referunt Hiſtoriographi, flumen, ſiue torrentem eſſe, cui
iniecta ligna, lapideam duritiem induunt. Islandia inſula eſt ſita in Aquilonari regio-
ne Europæ, Occidentem ſpectans, admodum ſterilis, & glacialis, fontem habens, cu-
ius aqua quodcumque fumigat, ad lapideam naturam reducit. Italia multis abundat
Aquæ in Italia qualis. aquis huius generis: namq; in illius finibus, à ripa lacus Larij ad Alpes Rheticas, de-
currunt riui ſaxificam vim poſſidentes. Item Ariſtoteles in Mirabilibus, ſcripſit, apud
Cumas in Italia, quemdam amnem fluere, in quo demerſa primùm pullulant, deinde
lapideſcunt. Præterea in Italia ſunt lacus Velinus, & Albula, ſiue Tyberis, quorum
aquæ ſucco lapideo affluunt, vt ſuo loco exponetur.

L. 13. Geograph. Apud Laodiceam, atteſtante Strabone, aquæ fluuiorum lapideſcunt, & in Lucenſi
agro, iuxta Conuallem dictam pagum, prægrandes columnæ ex aquis ſtillantibus pau-
latim concreſcunt. F

In Marchia Taruiſana, vt notat Leander in Hiſtorijs, fons mirabilis ſuper viam
Fornij viſitur, cuius aqua frondes, ligna, & herbas in ſaxa transformat. In Miſnia,
propè Scheleabergam arcem, eſt piſcina, in cuius aquis ligna, cortices, & folia in la-
pides durantur. In Morauia ad amnem Douernam, antrum eſt, in quo aqua ſtillans,
tractu temporis, candidiſſimũ lapidem producit, & niſi certo annorum curriculo, hu-
iuſmodi lapis eximeretur, iam totum antrum eſſet obſtructum. Item, in comitatu Neo-
grad, ſpecus eſt ingens, de cuius vertice aquæ ſtillantes quaſdam veluti hominum ſta-
tuas lapideas formant. Deinde ab Oropo ad Aulidem vſque quicquid terrarum à ma-
ri alluitur, in ſaxum mutatur.

Propè Pariſios, ſex leucis, fons vberrimam fundit aquæ ſcatebram, quæ facilè in la-
pidem conuertitur. In Patauino agro, balnea Aponitana ſuccum lapideum partici-
pant. Boccacius agens de lacubus, Velinum lacum in Piceno collocat, qui lignum
quodcumq; recipiens, breui temporis ſpatio, cruſta ſaxea amplectitur. In Piſano agro,
Lib. 1. hiſt. Pol. & præſertim in antris quibuſdam Sancti Iuliani, prælongæ ſtiriæ ex concreta aqua re- G
ſultant. In Poloniæ Sepuſia, riuum eſſe, ſcribit Cromerus, ex arduis montibus deſcen-
dentem, cuius guttas in talem duritiam verti aſſerit, vt ex illis parentur fulcra canales
ſuſtentantia, per quos riuus ad moles aquarias ducitur. Demùm in Pyreneis monti-
bus, multa loca memorat Albertus, in quibus aquæ pluuiæ in lapides ſolideſcunt.

In Saxonia Fetslebi, & in Turingia, vrnæ fictiles, in quibus cineres cadauerum olim
fuerunt conditi, nunc lapideæ eruuntur: immò ibidem non longè à Northuſa, cinis vr-
narum, ob loci naturam, ferè lapideus inuenitur. Sicilia quoq; multa habet loca, in
quibus varia lapideſcunt. In primis, iuxta Aetnam montem, riuus coloris lutei fluit,
qui hac proprietate gaudet, vt terram alluens, eam vertat in talem duritiam, quæ nec
etiã ferro cedat. Pariter in litoribus Meſſanæ, vbi ſal ex aquis marinis ſiccatis fabrica-
tur, arenæ, & glareæ ſimul iunctæ, authore Facello de Sicilia, in lapides agglutinantur.
Demũ ſtygias aquas inter lapideſcentes recenſendas eſſe, Plinius, & Agricola affirmãt.

Tyburtinus ille lapis Romæ tam frequens, alumine Albulæ fluuij concreſcit. Pari-
ter Tybur ciuitas Latij habet Anienum flumen, vulgus Teueronem vocat, cuius aqua H
ramos arborum ſaxeos reddit.

Veronenſis ager qualis In Veronenſi agro pars quædam montis finitima agro Vicentino, & vergens ad Au-
ſtrum, ſterilis eſt, & cinereo colore referta, quoniam ſulphureum, & ſalſum ſaporem
refert; vbi plantæ, & alia multa in lapidem durata obſeruantur. Non procul à Vienna
Allobrogum, aqua limpidi fontis potum ſuauem, & ſalubrem Viatoribus præſtat, ſed
proprio ſucco lapides generat, dureſcentibus ijs, quæ in illius alueum proijciuntur.
In Vngaria flumen alluens comitatum Barſiæ, à parua ſcaturigine erumpit, deinde pau-
latim aquam in ſubſtantiam ſaxeam vertit. Ibidem varijs in locis alij fontes conſpi-
ciuntur, quarũ aquæ cum paululum fluxerint, lapides euadunt, ex quibus Incolæ ædes
Domus ex aqua vbi fiant. conſtruunt, & poſtmodum domos ex aqua fabricatas ſe habere ænigmaticè iactitant.
Demùm apud Volaterras, vt notat Leander Hiſtoricus, ex radicibus cuiuſdam collis
Fonticulus dimanat, cuius aqua quicquid madefactum fuerat, breui temporis ſpatio,
ſaxea cruſtà tegitur.

DIF-

A

DIFFERENTIÆ.

TACERE non possumus, in hac Rubrica, quod nobis maximam admirationem mouet, nimirum, quòd omne rerum genus, siue ex familia Animalium, siue Vegetabilium, siue Fossilium fuerit, operante Natura, in lapideam duritiem transmutari possit. Inchoantes igitur ab Animalibus, meminimus legisse apud Auicennam, quandoque Animalia secundùm se tota in lapides, & præsertim salsos transformata fuisse. Legimus quoq; in Tabula Asiæ Cornelij de Iudæis, accidisse in Tartaria propè Samogedes, vt nonnulli homines pascentes armenta, & greges, in saxa mutarentur, pristina forma nunquam diminuta, veluti hodie etiam visuntur, quemadmodum in tabella I. pinguntur.

B

I. Tabella, in qua visuntur Homines, & Iumenta petrificata.

Ioannes etiam Boterus meminit statuarum lapidearum hominum, pecorum, & Camelorum in Orda regione Tartarorum, penès sinistram partem fluminis; quæ olim vera Animalia fuisse feruntur. Sed Cornelius de Iudęis hoc fuisse prodigium pronunciauit. Nos autem, qui naturalia perscrutamur, ad Animalia in lapideam duritiem naturaliter conuersa, sermonem conuertere debemus. Itaq; olim in Agro Veronensi inuentus fuit Cuniculus naturę prorsus lapideę, excepto capite, in quo vestigia pilorũ adhuc conspiciebantur. Albertus etiam Magnus narrat, ingentem arboris ramum, cum auibus in nido cubantibus, impetu sæuientis procellæ, reuulsum cecidisse in proximum mare Dacicum, non procul à ciuitate Lubicensi, & naturam saxeam acquisiuisse, nido etiam, & auibus in substantiam lapideam solidatis. Neque admiramur, quoniam nos quoq; conspicati sumus examen Apum, vnà cum cellis hexaxonis, & melle, in lapideam formam mutatum. *Lib. 1. Miner. cap. 7.*

II. Tabella est illa, in qua damus iconem Vermis marini, qui in tubulum conuersus obduruit, instar lapidis. Hic autem in agro Puteolano inuentus fuisse perhibetur substantiæ duræ, & quasi diaphanæ. Ibidem pingitur Cicer colore pallido, substantiæ pariter lapideæ, de quo postea suo loco verba fient.

Sin ad partes Animalium lapidescentes, seu lapideas iam factas animus dirigatur; varias huius generis admirari poterimus. Vidimus cranium integrum naturę lapideæ in Agro Veronensi erutum; item cor petrificatũ figura acuminata, cum foramine, per quod

aspera

II. Tabella, cum Verme marino petrificato.

A aspera Arteria ad cordis ventriculos ingreditur, cum trunco in parte superiori, quo à reliquis partibus pendebat. Admirati etiam sumus in Musæo Calceolarij Veronensis integrum Arietis caput cum cornibus, auriculis, mento barbato, & maxillis in lapidem transmutatum, pariter, & caput piscis petrificatum. *Cranium lapideum.* *Cor petrificatum.*

III Tabella exhibet iconem spinæ cuiusdam piscis in lapidem conuersæ, quæ ad nostras manus peruenit.

III. Tabella cum spina piscis petrificata.

4

C Rursus, in Musæo Calceolarij Veronensis diligentissimi rerum naturalium perscrutatoris, conspicati sumus integrum pedē humanum saxeæ naturæ, qui nisi diligenter inspiciatur, à tibia recenter separatus esse videtur. Immò Romæ, apud quemdam studiosum rerum naturalium, pes Vituli petrificatus seruatur. Amplius inter cætera petrificata, terram sanguineis guttis aspersam vidimus lapideam, & sanguis adhuc rubicundissimus apparebat. Inter partes Animantium, illę facilè lapidescunt, quæ magnam cum saxis habent conuenientiam, vt ossa; cum, ex sententia Aristotelis, in habentibus symbolum facilis sit transitus. Olim Bononiæ in quadam Latrina, tibia equi in lapidem mutata fuit inuenta. Tota autem erat lapidea, excepta medulla, quæ adhuc parùm mollis erat, & quòd magis admirandum fuit, non ingratum odorem spirabat. Pariter, cum olim, orto bello, opifices in metallorum fodinas Lydiæ, circa Pergamum, confugissent, earum ostium ab hostibus fuit obstructum, vbi omnes perierunt. Sed, post longum temporis interuallum, apertis rursus metallorum fodinis, inuenta sunt cadauerum ossa lapidea, vnà cum vasis ad vsus humanos illuc delatis, quia succum lapideum combiberunt. *Tibia equi petrificata.*

D IV. Tabella monstrat nonnulla ossa petrificata, quæ ad nostras manus peruenerunt. Primùm est pars inferior ossis sepiæ facta saxea, secundum est aliud os in saxeam naturam mutatum, & crystallina crusta inæqualiter obductum, veluti Lector in figura potest intueri.

In locis subterraneis agri Perusini multa ossa, & præsertim dētes lapidei effodiuntur, quos Vulgus asserit esse dentes maxillares Elephantorum, qui, vigente bello, ex Carthagine illuc ducti, & ibi mortui fuerunt. Hinc huiusmodi dentes, diuturnitate temporis, naturam lapideam adepti sunt. Olim apud Imperatum Neapolitanum maxilla Elephanti petrificata seruabatur.

V. Tabella exhibet maxillam petrificatam, quam obseruauimus, & delineari curauimus.

VI. Tabella repræsentat dentes delineatos pariter lapideos Elephanti, & Bouis sub numero I. dens designatus, fuit maxillaris, quasi bifidus, cum quatuor figuris pileum æmulantibus, in quibus quædam concauitates obseruantur, quæ, ad vsum retinendi,

à Nu-

IV. Tabella cum oſsibus petrificatis.





à Natura fabricatæ fuiſſe videntur. Sub numero 2. Alius dens pariter petrificatus pingitur, qui in omnibus priori eſt ſimilis præterquàm in parte inferiori, vbi appendices viſuntur, quæ radices dentium referunt, quibus dentes fortaſsis capſulæ inſeruntur.

Sub

V. Tabella cum maxilla petrificata.



Sub numero 3. & 4. figurantur dentes maxillares Bouis similiter lapidei, figuræ ferè tetragonæ, & crassitudinis pollicitaris. Sed dens sub numero 3. delineatus radicibus quatuor breuioribus erat refertus. Dens valdè albus, & lucidus erat, & iuxta partem superiorem inequalis, quia habebat quasdam cauitates cum asperitatibus, quibus dens etiam Elephanti erat refertus.

VII Tabella exhibet iconem alterius dentis lapidei, qui, quoad figuram, Elephantis fuisse videtur, nam valdè assimilatur illis, qui, in prima facie antecedentis tabellæ, expressi fuerunt. In hac eadem tabella conspicitur delineatus fungus Diorchis, & Strobilites fungiformis, de quibus suo loco agetur. Erat enim hic lapis talis formæ, vt pineum fructum, & etiam fungum imitaretur.

VIII. Tabella exhibet delineatos dentes etiam Equorum in saxeam naturam transmutatorum, qui ad nostras manus peruenerunt, & cinerei erant coloris.

IX. Tabella delineatum habet dentem petrificatum cuiusdam belluæ marinæ, quem, exactis annis, quidam rerum naturalium inuestigator nobis impertitus est: idcircò hunc rectum pingi curauimus, veluti apparet in icone.

VI. Tabella cum dentibus lapideis Elephanti, & Bouis.

1



2



3

4

VII. Tabella cum figura dentis lapidei Elephanti.



Præter oſſa, & dentes, quæ facilè in naturam lapideam conuertuntur, illa etiam animalia, quæ teſtis, conchis, & cruſtis teguntur, maximam cum lapidibus conuenientiam habent; cum, propter cruſtarum, concharum, & teſtarũ ſiccitatem, facilè, temporis diuturnitate, lapideſcant. Horum autem magna farrago in mari verſatur. Inter hæc recenſentur Pectines, Chamæ, Conchæ, Cochleæ, Turbines, Purpuræ, Strombi, Trochi, Spondyli, Muſculi, Dentali, & Cancri. Horum igitur omnium teſtas, conchas, & cruſtas petrificatas obſeruauimus. Primùm inchoantes à Pectinibus, monemus, quòd Pecten petrificatus Pectinites, vel Ctenites appellatur: nam κτείς græcè Pecten dicitur, & κτένες ſunt Animantes marini, qui Pectines, vel Pectunculi nominantur. Diuerſæ horum ſpecies figurantur, qui petrificati in Bononienſibus noſtris montibus, & alijs etiam locis inuenti ſunt. Primus fuit Pectinites læuis albus, cum ſuis auribus abſque coſtis, atque ſtrijs, lineis tamen aliquibus per tranſuerſum erat exornatus. Pariter alius Ctenites à nobis repertus fuit in montibus vtrinque auritus, cum valuis iunctis, quarum teſta ſuperior, iuxta aures, erat caua, ibiq; nullæ ſtriæ, atq; coſtæ videbantur, inferius autem coſtas, & ſtrias euidentes habebat cum aliquibus lineis per ttanſuerſum ductis

VIII. Tabella cum dentibus lapideis Equi.





IX. Tabella cum dente Belluæ petrificato.



X. Tabella cum Hippoctenite.





XI. Tabella cum Pectinite minore.

1



2



XI. Tabella repræsentat delineatum Pectinitem minorem cum vtraq; valuula. Quoniam Pecten minoris magnitudinis pariter in lapidem duratus cum vtraq, valua nobis fuit communicatus, ideò diligenter fuit delineatus, vt apparet in hac tabella sub numero 1. & 2.

XII. Tabella cum alijs Pectinibus petrificatis.





XII. Tabella oſtendit Ctenitem ſubnigrum. Hunc quoq; obſeruauimus coloris ſubnigri, ſolidatum pariter in lapidem, vt repręſentatur in hac tabella ſub numero 1. cum hac inſcriptione, Pectinites, vel Ctenites ſubniger. Namq; ibidem ſub numero 2. plures Pectines ſimul cum terra obdurati in lapidem, delineantur, & Pectines petrificati cognominantur.

XIII. Tabella, in qua est Ctenites cum Cochlite.



XIII. Tabella exhibet figuram Pectinis iuncti cum Cochlea, & quoniam erant lapideæ naturæ; ideò curauimus delineari, & insigniri hoc nomine, Ctenites, cum Cochlite.

XIV. Tabella exhibet delineatas Chamas in lapidem transmutatas. Nam veluti in Chamis veris, & viuis, admiranda varietas conspicitur; Pariter in lapidescentibus eadem diuersitas obseruatur, quæ varijs iconibus hoc in loco repræsentatur.

1. Chamites erat durus, crassus, & quasi marmoreus, cum nonnullis lineis ductis per transuersum testæ.

2. Chama erat lapidea, sed læuis, cum ex materia puriori esset genita, & nullis lineis erat exornata: quamobrem, propter læuitatem, Chemalites appellari potuit.

3 Chama erat rugosa lapidea, cum strijs, & eminentijs euidentibus in circumferentia testæ ductis vsque ad medietatem Chamæ. In parte autem superiori, huiusmodi striæ, & costæ non apparebant, vt figura id clarè demonstrat.

4. Chamites erat cum quibusdam lineis per transuersum ductis, & in medio terram cineream lapideam comprehendebat. Cortex valdè crassus erat, lineæ transuersales latitudinem costæ amplectebantur, cum nonnullis paruis longitudinem testæ exornantibus.

5. Chamalites oblongus dicitur, cum esset Chama læuis, oblonga lapidea, quoad vtramque testam, cum linea tanquam appendice eminenti, quæ testam superiorem ab inferiori diuidebat. Colore subferrugineo diluto erat insignita.

6 Chamalites asper vocatur: etenim erit Chama aspera lapidea, cum eminentijs per transuersum ductis, diuerso ordine à multis alijs: quandoquidem costæ illæ erant denticulis refertæ deorsum tendentibus, quæ testam visu pulcherrimam reddebant.

XIV. Ta-

XIV. Tabella, in qua Chamites varius conſpicitur.



XV Tabella exornatur alijs ſex chamis lapideis, quæ iuxta numeros explicantur.

1. Chama læuis erat lapidea, variata cum lineis iuxta longitudinem, & latitudinem teſtæ ductis; coloris erat cinerei, & ambæ teſtæ terram ſaxeam claudebant.

2. Cha-

XV. Tabella cum alijs Chamis lapideis.



2. Chamites fasciatus vocatur, quoniam Chama erat lapidea lineis eminentibus per transuersum ductis, veluti fascijs cincta. In parte interna conspiciebatur terra lapidea cinerei coloris, à qua facilè testa separari poterat.

XVI. Ta-

XVI. Tabella cum decem differentijs Chamarum petrificatarum.



3. Chama eſt altera pariter lapidea, quæ iure optimo appellari poteſt Chamatrachites, cum teſtas aſperas haberet exornatas lineis per trāſuerſum ductis, necnon ſtrijs longitudinem decorantibus. Quinimò eminentiæ tumidiores, & ſtriæ latiores, quàm in alijs viſebantur. Amplius teſtæ, iuxta vtramque partem, circumferentiam habebant ſerratam: quocirca valuæ pectinatim copulabantur.

4. Chama erat lapidea, cum ſtrijs, & eminentijs æqualibus, quæ veluti nodis, ſiue tuberculis paruis contextæ apparebant.

5. Chama erat lapidea depreſſa, & quaſi, iuxta vnam partem, ſeſſili, &, iuxta alteram partem, concaua. Habebat faſciam per medium albam, ſed intermedium faſciæ lineis paruis, & copioſis decorabatur. Deinde materia lapidea erat repleta.

6. Chama lapidea, parua, rugoſa erat, eminentias, & ſtrias ferè æquales habebat. Inſuper illæ eminentiæ, ad inſtar Selenitidis, radiabant.

XVII. Ta-

XVIII. Tabella exprimit lapidem cum Chamis striatis.



XVII. Tabella exhibet delineatas Chamas simul copulatas, & factas lapideas in vno lapide. Quinimò in hoc eodem lapide cauitas etiam testarum apparebat. Huiusmodi Chamæ nostras Chamas asperas, tum figura, tum magnitudine imitabantur.

XVIII. Ta-

XVIII. Tabella cum ſaxo Chama aſpera prægnante.



XVIII. Tabella habet delineatum ſaxum, quod fractum dedit Chamam aſperam, quæ niſi ibi genita fuerit, diuturnitate tamen temporis, in ſaxeam naturam tranſmutata fuit.

XIX. Tabella cum duplici Concha petrificata.



Sin accedamus ad Conchas; harum quoq; nonnullæ inueniuntur petrificatæ. Meminimus obseruasse in montibus nostris Bononiẽsibus Concham pectinatam lapideam, colore albo refertam, vtrimq, auritam, cum strijs exterioribus copia linearum insignitis, quemadmodum etiam & costæ, inter quas quædam erant quaternis, & quinis lineis ab imo ad summum insignitæ. Pars verò Conchæ, quæ Animal complecti solet, materia lapidea erat repleta.

XIX. Tabella habet Conchas lapideas; quoniam, apud Gesnerum, Concha Cylindroides Rondeletij describitur, quæ petrificata ad nostras peruenit manus: quapropter illam delineari curauimus. Quinimò in hac Tabella non solùm Concha Cylindroides maior, sed etiam alia minor designatur, quæ similiter lapidescens inuenta fuit. Huiusmodi duæ Conchæ erant substantiæ durissimæ, & colore rubicundo præditæ.

XX. Tabella cum Purpurite.

XXI. Tabella cum Cochlea petrificata.



XX. Tabella repræſentat Purpuritem. Hæc materia lapidea ita fuit nuncupata, quoniam cumulum,& maſsam Purpurarum referebat cum quadam materia cretoſa,& gypſea. Immò in hoc acerno conſpicitur etiam Turben cum materia arenoſa concreta, & in lapidem tranſmutata. Hæc maſsa in Agro Bononienſi reperta fuit, & præſertim in loco vocato *Pradalbino*. Memoratur autem Purpurites hoc in loco, quoniam Purpura inter genera Concharum ab Authoribus recenſetur.

XXI. Exprimit Cochleam petrificatam, in noſtris montibus inuentam. Hic lapis erat coloris ſubalbidi, & iuxta partem externam dabat propriam Cochleæ figuram, vt icon in Tabella demonſtrat, ſed materiam lapideam in parte interna continebat.

XXII. Ta-

XXXII. Tabella cum quadam ſpecie Oſtrei petrificati, & operculis Cochleæ lapideis.



XXIII. Tabella cum Vmbilicorum petrificatorum congerie.



XXII. Tabella oſtendit icones cuiuſdam ſpeciei Oſtrei petrificati, necnon imagines nonnullorum operculorum Cochleæ marinæ, quæ pariter naturâ lapideâ ſunt adepta.

XXIII. Habet expreſſam congeriem petrificatam, Vmbilicis marinis referram, pronè, & ſupinè delineatam. Cæterùm huiuſmodi Vmbilici marini in hac congerie à Natura agglutinati, magnitudine, erant inæquales, quemadmodum etiam ſubſtantia, & colore erant ab inuicem diſcrepantes.

XXIV. Tabella cum quinque differentijs Turbinum petrificatorum.

XXIV. Tabella habet quinque differentias Turbinum petrificatorum delineatas. Sunt enim Turbines Conchæ, quæ formam habent in imo acutam, & in ſummo latiorem, quemadmodum in figuris propoſitis licet intueri.

XXV. Tabella cum differentijs Strombitum.



XXV. Tabella ostendit Strombos varios in lapidem transmutatos, qui nobis olim fuerunt communicati. Quoniam autem erant lapidei, Strombites fuerunt nuncupati. Sunt enim varij in spiram reuoluti, & in acutum desinentes, quorum partim longi, & partim breues existunt, & tredecim iconibus in hac Tabella demonstrantur.

XXVI. Tabella cum Trochite, & Spondylite.



XXVI. Repreſentat icones Trochorum, & Spondylorum petrificatorum. Trochus enim eſt Animal marinum, cuius teſta æmulatur trochum, quo pueri luſitant. Quoniam autem hi à nobis delineati, erant lapidei, idcircò Trochites nominantur. Pariter Spondylus apud Plinium eſt genus marini animalis, cuius teſta nodum, vel vertebram ſpinæ animalis imitatur, quam Græci Spondylum, vel Spondylium appellant Verùm quoniam hi in Tabella delineati, erant lapidei, idcircò Spondylites cognominantur.

XXVII. Tabella cum Musculite.

XXVII. Tabella ostendit figuram Musculi marini lapidei non striati, magni, & coloris albicantis, cuius substantia erat saxea, & valdè densa. Est autem Musculus animal marinum, vt Plinius annotauit.

Tandem inter Ostracea recensentur quædam habentia substantiam osseam, & in figura imitantia formam dentium longiorum Canis cum foramine. Vnde existimare oportet animal in illis delituisse oblongum, veluti in Penicillis marinis animantia stabulare obseruamus. Hæc, ob figuram dentium, Dentales appellantur. Tales autem in montibus non ossei, sed lapidei inueniuntur. Alij sunt Dentales huius ferè generis, qui Entalij, & Antalij apud Vulgum Pharmacopæorum nominantur. Sunt autem Tubuli ossei, veluti Dentales, colore albo, forma tereti, striati, cum lineis transuersalibus, & inæqualibus, quorum alij maiores, alij minores conspiciuntur, & ad Penicillos illos marinos referri possunt. Hi pariter lapidei in montibus quandoq; reperiuntur. Tantem memoranda etiam sunt crustacea, quæ, & ipsa facilè in petrã conuertuntur. Narrat Rondeletius se vidisse apud Iacobum Rhegium Lugdunensem Chirurgum, Vrsum marinum, nempe Cancrum heracleoticum in lapidem transformatum. Hoc autem opus

Lib. 18. de Aquat.

I. Tabella cum Peucite.

opus inde dimanaſſe opinatus eſt, quoniam ſpuma, & aqua marina animali corporata, illud in lapidem exſiccarunt. Hæc autem ſententia veritati conformis eſſe videtur; cum ſuperiùs explicatum fuerit multa cum arenis, & ſpuma maris, agglutinata duritiem ſaxeam adepta fuiſſe.

His animaduerſis de animalibus, iam ad plantas accedendum eſt, quæ, & ipſæ interdum ſucco lapideo imbutæ, ſaxeam formam induunt. Plinius memorat multos frutices circa inſulas Troglodytarum in lapidem mutatos. Item Theophraſtus aſſeruit in ſinu Heroo cognominato, ad quem deſcendunt Aegyptij, Laurũ, Oleam, & Thymum non viridia, ſed lapidis ſpecie, extra pelagum imminere, viridibus tamen folijs, & germinibus. Carolus Cluſius, in Exoticis, deſcripſit, & delineauit plantam totam ſaxeam ab ipſo obſeruatam, pedalis ferè altitudinis, in multos ramos diuiſam, foliaq; æmulabantur formam foliorum Abrotoni fæminæ, & breuibus tubulis, inſtar minutiſſimorum foliorum, conſtabant. Idem Author, in capite ſubſequenti, delineat aliam plantam ſaxeam facie Hippuris, ſeſquipedem longam, in grandes ramos diſtributam. Hanc ex orientali Oceano delatam fuiſſe pronunciauit: vbi in ſcopulo eiuſdem maris nata eſſe

Lib. 13. *cap. vlt.*

Lib. 1. *hiſt. plant. c.* 7.

Lib. 6. *c.* 7.

fere-

II. Tabella cum Peucite altero.



ferebatur, cuius scopuli fragmentum adhuc in parte infima retinebat. Nos quoq; habuimus plantam saxeam, nempè Lithophyton ramis compressis, absq; folijs colore ferrugineo. Item vidimus aliam plantam huius generis, similiter lapideam, ramis pariter compressis, sine folijs, natam in mari supra materiam gypseam. Itaq; Lithophyta varia in multis tabellis delineata ante Legentium oculos repręsentamus.

Tres

III. Tabella cum Peucite fractis folijs.

Tres primæ Tabellæ oſtendunt plantas petrificatas Pinum æmulantes; ideòq; Peucites appellantur. Neq; hoc nomen quis admirari debet; nam quamuis πίτυν Piceam, & πίτυς Pinum apud Authores multos indicent. Nihilominus hoc inde natum eſse opinamur, quoniam Theodorus Gaza, in interpretatione græcorum vocabulorum, hæc nomina confundit. Theophraſtus tamen Piceam πίτυν, & Pinum πεύκην vocat. Quamobrem non immeritò hæ plantæ ſaxeæ Pinum imitantes Peucites cognominantur.

Cæte-

IV. Tabella cum Buxite, & Telephite.



Cæterùm saxificam facultatem magis admiramur, quando plãtas etiam tenellas durat in lapidem. Harum multæ ad nostras manus peruenerunt, quæ proculdubiò lapideæ fuerunt, quemadmodum in sequentibus tabellis delineantur.

IV. Tabella ostendit Buxitem, nempè ramum Buxi petrificatum: sic enim voluimus appellare, cum, iuxta præceptum Aristotelis, liceat Philosophis imponere nomina, vbi non sunt. Hunc ramulum in lapidem transmutatum, & in Sicilia inuentum, propter similitudinem, quam habet cum Buxo, Buxitem, vel Pyxitem indigitauimus. Substantiæ erat albæ, fortassis, iuxta succum lapideum, ex quo concretus erat. In eadem tabella, secundo loco effigiatur Telephites, cum referat figuram foliorum Telephij herbæ, quam Botanici Fabariam à foliorum similitudine vocãt. Etenim folia sunt crassa, & aliquantulum curuata. Hæc planta saxea apud Siculos pariter inuenta fuit.

V. Ta-

V. Tabella cum Lithoxylo, oſſe Mali Perſici, Androſace, & Corallina petrificatis.

V. Tabella oſtendit Lithoxylon, quòd Geſnerus, in libro de lapidibus, depinxit, & particulam arboris in ſaxum tranſmutatam appellauit, cuius imago in primo loco huius Tabellæ cernitur. Nam ſecundo loco, ad mentem eiuſdem Geſneri, datur icon lapidis oſſi Mali Perſici ſimilis. Ibidem tertio loco delineatur Androſaces proferens fungulos, & quarto loco conſpicitur Corallina, quæ plantæ facilè euadunt ſaxeæ. Quandoquidem Theophraſtus prodidit, in mari rubro, cum aqua redundauerit, fungos iuxta mare natos à Sole in ſubſtãtiam lapideam verti; idemq; aſsequi veritatem in Corallinis, quæ facili negotio lapideſcunt.

VI. Tabella cum Origanite, Cynorhodite, & Cisſite duplici.



VI. Tabella continet Origanitem, Cynorhoditem, & Ciſſitem duplicem. Prima res petrificata, & in hac Tabella effigiata vocatur Origanites, quia fuerit ſurculus, cum foliis Origani, in lapidem mutatus, & in Sicilia repertus. Secundo loco figuratur ſurculus Cynorhodi; nimirum roſæ caninæ. Hic pariter lapideus apud Siculos fuit obſeruatus. Tertio, & quarto loco delineantur folia Hederæ lapidea, fortaſſis in lapideſcentibus aquis concreta. Cęterùm hæc duo folia ab inuicem diſcrepare videntur, quoniam folium poſtremo loco pictum neruos crebriores habeat.

VII. Ta-

VII. Tabella cum Arundinite, & Caule fœniculi petrificato.



Hactenus de plantis, & folijs in lapidem tranſmutatis actum ſit. Iam accedere oportet ad partes plantarum, & præſertim ad Caules, quos petrificatos obſeruauimus.

VII. Ta-

A VII. Tabella monstrat duas icones, quarum prima refert Arundinem, seu frustum eiusdem. Secunda icon ostendit caulem fæniculi. Arundo igitur primo loco effigiata erat nodosa,& intus perforata,& in lapidem transmutata; idcircò Calamites,vel Arundinites nuncupatur, cum sit simulacrum illius Arundinis, quæ olim vegetabilis fuit. Quamuis fieri etiam possit,vt Natura in proprijs mineris Arundines etiam lapideas generet: Hoc fragmentum ex internodio,& cauitate, Arundo Vallatoria, seu Phragmitis fuisse videtur, quæ natura sua gracilis est, cum colore albo ad flauitiem tendente.

Altera icon repræsentat caulem fæniculi in lapidem duratum, cum foramen, nodos, venas, & neruos habeat, quæ omnia in vegetabili caule fæniculi obseruantur. Verùm non debent aliqui hæsitare, an hic caulis reuera fuerit conuersus in lapidem, quoniam Natura lapideas etiam plantas, & caules formare potest, cum plantas, quæ vegetabilia sunt perfectiora, generare possit. Quapropter, in hoc casu, argumentum à maiori ad minus probandum, & admittendum est.

VIII. Tabella cum Caule petrificato.

VIII. Tabella iconem caulis petrificati exhibet. Fuit olim nobis communicatus caulis, sed incognitæ plantæ, petrificatus: referre tamen videtur figuram ramuli fistulosi, & caui alicuius plantæ ferulaceæ. Ramulus hic erat compressus; an verò talis compressio naturalis fuerit, vel per accidens, difficulter cognosci poterat.

IX. Tabella paleas ostendit petrificatas. Prima icon indicat stipitem habitum ex montibus Vicentinis, nomine paleæ petrificatæ. Quandoquidem, circa illum montem, lacus conspicitur, cuius aqua res lapideas reddit: nihilominus non videtur aliqua species paleæ, ob crassitiem; cum nostræ paleæ non tam crassæ appareant. Præterea palea est glabra, & læuis: hic autem caulis est scaber, & inæqualis. Quamobrem, vt nostra fert opinio, hic caulis ad stipitem lapideum, vel Stelechitem reducendus esse videtur. Quamuis autem Stelechites, vt plurimum cauus non sit, asserendum erit hoc frustum stipitis, vel bacilli, hanc cauitatem accidentalem acquisiuisse. Aut etiam fieri potuit, vt hic stipes à Natura, absq; vlla transmutatione, genitus fuerit.

Sub numero 2.3.4. Paleæ genuinæ petrificatæ designantur: cum ex magnitudine, cortice, figura, & foramine tales esse colligendum sit. Hæc enim omnia, has veras fuisse paleas, demonstrant. Deinde duæ simul copulatæ, & petrificatæ conspiciuntur. Pariter aliæ maiores, & aliæ minores apparent. Tandem addamus, quod nihil prohibere potest, quin natura absq; petrificatione, talia generare potuerit.

IX. Tabella cum paleis petrificatis.



Poſtremò maiori admiratione teneri debemus, dum res etiam tenellæ, vt fructus, & fungi lapideſcant. Habuimus enim fungum lapideum abſq; pediculo, ex Cairo allatum, circumferentia ferè ſeptem palmorum, ſalſo ſapore, & colore flaueſcente: nam in mari propè Cairum, multa in lapides ſolideſcunt.

Tubera etiam terræ quandoq; lapidea conſpicati ſumus, quæ ita imitabantur genuina, vt, ſola ponderis grauitate, ab illis diſtinguerentur. Radix Zinziberis contorta, & petrificata olim in Muſæo Calceolarij Veronenſis conſpiciebatur. Varij etiam fructus petrificati viſi ſunt, nempè Prunum, Glans, Amygdala, Nux myriſtica, Oliua, Acinus vuæ Damaſcenæ, quam Vulgus Zibibum appellat, necnon ſiliqua Pœoniæ vna cum ſeminibus, vt in vndecima Tabella oſtenditur.

X. Ta-

X. Tabella cum fructibus petrificatis.





X.Tabella repræſentat fructus petrificatos,veluti Amygdalam,Prunum,Oleam, acinum vuæ Damaſcenæ, & Nucem myriſticam: nam figura in ſecundo loco Tabellæ delineata indicat lapidem naturalem, qui oculum bubulum repræſentabat. E

Varia quoq; ſemina frugum, & leguminum petrificata inueniuntur. Piſa, & Lentes lapideæ formæ in Muſæo Calceolarij Veronenſis ſeruantur, quæ partim pluribus coaceruata granis, partim, iuxta ſingula grana, viſuntur. Immò quemadmodum reperiuntur lapides, in quibus ſaxea Piſa includuntur: pariter Lens ſaxea quandoq; in lapide, tanquam in ſua matrice, comprehenditur. Item, annis præteritis, communicatum nobis fuit ſemen lapideum, nomine ſeminis Platani Indicæ, coloris ſubferruginei. Sed, ſemine hoc accuratè conſiderato, tandem venimus in hanc ſententiam eſſe Cicer petrificatum, vel quid ad formam Ciceris, à Natura progenitum. Niſi velimus aſſerere, ab Indica Platano talia gigni ſemina, qualia in noſtro Lithoſpermate producuntur. Denique frumentum etiam petrificatum obſeruauimus, quòd fortaſſis aliunde delatum, in fundo nauis, ab aqua ſalſa irrigatum, in lapidem tranſmutatum fuit. Tale viſum fuit, anno nonageſimo primo poſt ſeſquimilleſimum: nam, vrgente penuria annonæ, ex longinquis regionibus Triticum per mare fuit vectum: quare in vno, & F
eodem ſacco quædam grana ſemiputrida, & quædam lapidea viſebantur, dum eius partes interiores naturam gypſeam erant adeptæ.

Cæterùm, inter plantarum partes, & arborum, nulla eſt, quæ citiùs lapideſcat, quàm arboris truncus. Quando igitur nobis offertur lignum petrificatum, diligenter inueſtigare oportet, an corticem, medullam, & alias conditiones habeat, quibus verum lignum gaudere ſolet: quandoquidem ex his cognoſcemus illud olim verum fuiſſe lignum, quod nunc lapideam formam eſt adeptum. Sin prædictis conditionibus carebit, id non lignum, ſed quid à Natura ſtipiti ſimile productum fuiſſe iudicabimus. Quando igitut lignum Quercus,vel aliqua eius particula in ſaxeam naturam mutabitur, Dryites vocabitur, ſi Fagus, Phegites, ſi Alnus, Cletrites, ſi Abies, Abietites, vel Elatites, & ſic de alijs arboribus dicendum erit. Hæc autem nomina prædictis lapideſcentibus imponuntur, vt meliùs, & rectiùs illorum varietas diſcriminetur.

Cõditiones Ligni.

Li.3.Epiſt. Si ſumamus exordium ab Abiete, Matthiolus ſcriptum reliquit, repertum eſſe à Foſſoribus, in quadam montis fodina, integram, & ingentem Abietis arboris caudicem totum lapideum factum, cortice non immutato, præterquam in colore. Vnde coniectat Matthiolus olim hunc montem profundam habuiſſe voraginem, in quam Abies illa deciderit, quæ, diuturnitate temporis, lapideam naturam acquiſiuerit. Huius caudicis portio delineatur in hac Tabella I. G

I. Tabella cum Abietite Matthioli.

4

Item, in tractu Elbogano, ad oppidum, quod à planitie Falconum nomen habet, inuentæ ſunt permagnæ Abietes lapideæ naturę vnà cum corticibus, in quorum rimis Pyrites concreuerant.

Dryites

A Dryites est portio trunci querni petrificata, quam conspicati sumus circumferentia trium cubitorum, & altitudine duorum, cuius superficies adeò fulgebat, vt lucidissimam gemmam imitaretur. Huius effectus causam inde nasci credimus, quoniam ex succo lapideo puro, claro, & quasi gemmeo, exhalationi siccæ permixto, duruerit in lapidem. Ante aliquot annos, in valle Ioachimica, referente Gesnero, Fagus cum trunco, ramis, & folijs, altitudine septuaginta vlnarum supra centum, lapideæ naturæ sub terra fuit reperta: quandoquidem, in Germania, sæpè ligna in lapides mutata inueniuntur. Tandem lignum Aloes etiam petrificatum, ex Assyria delatum, pertractauimus.

Itaque, præter Abietitem in I. Tabella delineatum, multa alia Lithoxyla habuimus, quæ omnia in subsequentibus tabellis designata exhibebimus.

II. Tabella exhibet figuram pulcherrimam ligni petrificati, sed adhuc in cognitionem venire non potuimus, cuiusnam arboris lignum fuerit, & figura inscribitur Lithoxylon.

II. Tabella cum Lythoxylo.



III. Tabella & ipsa proponit sub numero 1. & 2. aliud Lithoxylon pariter incognitæ arboris. Erat enim fragmentum caudicis, vel rami crassi arboris, pictum iuxta partem internam, & externam, colore castaneo, cum maculis quibusdam nigris, & albicantibus. Iuxta partem internam fibræ ligni conspiciebantur, & iuxta partem externam cortex, neq; glaber, neq; asper apparebat.

In eadem tabella delineatur lapis albus æmulans fsustum ligni. Pariter ibidem est simulacrum lapidis imitantis Stelechitem, quocirca Stelechiti congenerem lapidem appellauimus. Coloris erat flauescentis, cum duobus nodis, in vtraq; parte, & foramine in medio: vnde æmulabatur ramulum alicuius plantæ: etenim hæ cauitatem aliquandò habere solent.

III. Ta-

III. Tabella cum Lithoxylo, & lapidibus Lithoxyla imitantibus.

IV. Tabella ſub numero 1.& 2. præbet effigiem ligni petrificati, ſed cuiuſnam fuerit arboris, eſt admodum difficile cognoſcere: nihilominus, ſi licet aliquando diuinare, aliquam Ilicis ſpeciem fuiſſe pronunciabimus. Quandoquidem Ilicis faciem æmulabatur.

IV. Ta-

IV. Tabella ligni petrificati.



V. Tabella cum Lithoxylo leucomelano.



V. Tabella refert expressam imaginem cuiusdam frusti lapidei ponderosi, quod fortassis olim fuit lignum, quoniam in eo venæ ligni maximè patent, colore erat albo, & nigro refertum, & ophitem æmulari videbatur. Quoniam autem coloris erat albi, & nigri, ideò inscribitur Lithoxylon leucomelanon.

VI. Ta-

VI. Tabella cum aſſere petrificato.





VI. Tabella exprimit lignum petrificatum figura aſſeris, longitudine dodrantis cum palmo, & latitudine palmi. Nos autem credimus fuiſſe fragmentum aſſeris nucis, quod tractu temporis in lapidem concreuerit, cum pulcherrimis maculis, ad inſtar ligni nucis, inſignitum fuerit. Sub numero 1. pars interna, & ſub numero 2. pars eiuſdem externa delineatur.

VII. Tabella cum Carpinite.

VII. Tabella oſtendit delineatum Carpinitem, nempè partem trunci lapideam, & effoſſam in Agro Bononienſi, erat autem pars caudicis Carpini, ſine cortice, fortaſſis in lapidem tranſmutata, tractu temporis. Longitudinis erat dodrantalis, colore, & ſubſtantia, Lithoxylo Alni aſſimilabatur, magis tamen albeſcebat

VIII. Tabella cum Lithoxylo triplici.

VIII. Tabella eſt valdè admiranda, quoniam repræſentat triplex Lithoxylon, nempè fragmentum Caſtaneæ, Quercus, & Vlmi in lapideam formam transformatum. Quare hæc tria fruſta ligni lapidea dici poſſunt Caſtanites, Dryites, & Ptelites: quandoquidem πτελέα Vlmus Græcis nominatur.

IX. Tabella cum Eleatite.

IX. Tabella monstrat Eleatitem. Erat enim lignum Oleæ petrificatum, partim colore albescente, partim flauescente.

X. Tabella ostendit aliud fragmentum Oleæ petrificatum sub numero 3. namq; sub numero 4. figuratur lignum Salicis pariter petrificatum, & sub numero 2. delineantur tria fragmenta ligni lapidea, cum venis rubescentibus.

X. Tabella cum alijs Lignis petrificatis.

XI. Tabella habet effigiata alia lignorum fragmentã ſimiliter in lapidem tranſmutata. Primo loco pingitur Lithoxylon cinerei coloris intus flaueſcens, & in ſinu terræ in hanc formam redactum, ſed non potuit cognoſci, cuius arboris fuerit fragmentum.

Secundo loco deſignatur pars trunci lapidea, habens colorem Chalcitis, quæ in lapide arenario reperta fuit.

Tertia icon indicat lapidem Stelechiti ſimilem, quoniam ramum alicuius fruticis, vel arboris ſimulat: etenim nodi in illo veluti in arboribus apparent.

Quarta icon exprimit corticem Betulæ petrificatum. Betula arbor fuit Antiquis notiſſima, cum ex illius virgis faſces fierent, qui Magiſtratibus præferebantur.

XI. Ta-

XI. Tabella cum alijs Lignis petrificatis.





XII. Tabella habet delineatum arboris incognitæ corticem pariter petrificatum. Fuisse olim corticem arboris cognouimus, quoniam facilè in particulas corticeas scindebatur, quemadmodum aliquando in arboribus obseruamus, quarum cortices alium corticem internum amplectuntur.

XII. Tabella cum alio cortice petrificato.



His expoſitis de rebus animatis lapideſcentibus, ad inanimata, & artificialia tranſeundum eſt, quæ & ipſa interdum in naturam ſaxeam ſolideſcunt. Neapoli quidam olim oſtendebat reticulum muliebre in litore maris repertum, cuius filum, ex quo contextum erat, iam naturam lapideam acquiſiuit. Item glomus, nempè globus ex filo factus in Muſæo Calceolarij Veronenſis obſeruatur petrificatus tactilis, & non diſſolubilis. Deniq; Nix in lapidem durata à nonnullis in Alpibus fuit obſeruata. Nos autem aſſerimus non fuiſſe niuem lapideam, ſed potiùs lapillum albicantem ſub niue repertum, & concretum ex liquore a niuibus ſtillante, quem in ſuo corpore impuro habebat. Cum non ſit veriſimile ex mixto imperfecto, velut eſt nix, aliquid reſultare poſſe, ſexcenta alia huius generis lapideſcentia, & lapidea recenſere poſſemus, ſed breuitati ſtudentes omittimus.

MITHOLOGICA.

NEQVE fabulares hiſtoriæ ab hoc Capite ſunt arcendæ, quoniam, & ipſæ multa lapideſcentia memorant. Itaq; Serpens ille, apud Homerum, poſt nouem Paſſeres deuoratos in lapidem mutatus fuiſſe perhibetur, qui gloriam captæ Troiæ, nullo vnquam tempore, perituram eſſe ſignificabat. Inſuper fabulatores Poetæ monimentis etiam mandarunt, intuentes ſcutum Mineruæ effigiatum capite Gorgonis Meduſæ, illicò lapideam naturam adipiſci: Idcircò Reuſnerus quandoque huc reſpiciens ſic canebat.

Dum mouet iniuſtum Phineus in Perſea bellum,
Multaq; fert hoſtis vulnera, multa facit:
Gorgone cum ſocijs viſa ſtupet illicò, tandem
Hic Lapis immotus fit, rigiduſq; Silex.

Niobe quæ. Amplius Poetæ fabulantur Niobem filiam Tantali, ſororem Pelopis, & vxorem Amphionis, ingenti dolore, ob interitum filiorum, agitatam, in ſaxum conuerſam fuiſſe; quandoquidem ipſi fingunt omnes illius filias, & filios ſagittis Apollinis, & Dianæ fuiſſe peremptos. Hæc autem mulier à Statio, in Syluis, Sypilea mater vocata fuit; quoniam facta ſaxea, turbine venti, in Sypilum patriam rapta fuiſſe traditur.

MI-

A

MIRACVLA.

INTER Christicolarum gesta à Gregorio Turonensi, & Vincentio historico recitata legimus, quòd mendicus quidam decrepitus in litoribus maris versans, Christi nomine, eleemosynam petebat, flagitabatque modicum esculentorum, quibus nauis onusta vehebatur. Præfectus nauis plus iusto immisericors, nil præter lapides, in naui reperiri monebat. Tunc Mendicus hæc verba protulisse dicitur: faxit Deus, vt ita appareant. Tunc omnia esculenta nauim onerantia, supra vim naturæ, in saxa fuerunt transformata: itaut Dactyli, Oliuæ, & cætera huius generis, retenta pristina forma, & colore, lapides euaserint, quos vidisse, & contrectasse, Gregorius Turonensis historiæ scriptor retulit.

Item Ioãnes Eusebius Iesuita recitat quondam in ciuitate Daroca accidisse, vt quidam peieraret per sancta corporalia, in lapidem conuerti sibi imprecatus, si falsa asseret, & ille in statuam saxeam, supra ordinem naturæ, fuit mutatus, eodem, quo erat habitu, & forma, & adhuc durat omnibus conspicuus, & homo lapideus Darocæ nuncupatur. *Lib. 1. de mir. nat. Europæ ca. 2.*

B

Demùm ex Actis Sãctæ Brigidæ collegimus fuisse virgunculam Principis cuiusdam filiam, quæ vouerat omnipotenti Deo illibatum virginitatis florem ad extremum vsq; spiritum retinere. Pater autem illam inuitam alio Principi in matrimonium promiserat; ideòq; parato nuptiarum sumptuoso apparatu, hæc virgo ad sanctam Brigidam implorans auxilium confugit; interim Patris agmine equestri persequẽte, quare Sancta Brigida tot equitantes conspicata, vt filiam raperent, statim impresso digitis supra terram Crucis signo, illi omnes in tot statuas lapideas transformati fuerunt. Vnde Pater tam stupendum admiratus miraculum, pœnitentia ductus, filiæ pepercit.

C

MORALIA.

MORALIS doctrina etiam à lapidescentibus documenta percipit. Namq; veluti plantæ in vndis nonnullorum fluuiorum mersæ lapidescunt: ita nonnulli in flumine criminum versantes: omnem humanitatis sensum amittunt, & pectora prorsus saxea induunt, itaut specie tantùm homines esse videantur. Quamobrem Diuus Bernardus hos meditatus, dixit, in his cor esse, quod compunctione non scinditur, nec pietate mollitur, nec precibus mouetur, nec minis cedit, flagellis duratur, fitque ingratum ad beneficia, infidum ad consilia, sæuum ad iudicia, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, & inhumanum, ad humana. Quamobrem facere non possumus, quin huiusmodi cor lapideum indigitemus. Quapropter, in hoc casu, criminosi ad solum Deum omnium aquarum, & lapidum gubernatorem confugere debent, qui apud Ezechielem, hæc verba protulit. *Et dabo eis cor vnum; & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent.* Etenim hac ratione sceleris limum, æstum fomitis, gelu acediæ, salsuginem auaritiæ, fluctus inconstantiæ, spumam fastus, & arenas dissolutionis arcebunt: quinimò eorum cor, audita voce diuina, imposterum non obdurescet. *Lib. 1. de consid. ad Eug. Pont. Cap. 11.*

D

DE EBENO FOSSILI.
Cap. LXIII.

CVM Seruius in Virgilium annotauerit Ebenum eſſe arborem Indicam nigri coloris, quæ cæſa dureſcit in lapidem, opportunè tractatus Ebeni foſſilis capiti lapideſcentium ſubiungitur. Multi enim hoc lignum eſſe petrificatum crediderunt, cum tamen Ebenum foſſile quid diuerſum exiſtat. Præterquamquòd huius Ebeni hiſtoria nobis viam ſternit ad gemmas: etenim hoc Ebenum ab Authoribus inter gemmas opacas collocatur.

Itaq; Ebenum foſſile lapis eſt, non lignum,& Germani, annotante Georgio Agricola, vocant Erdſtocklein, quaſi ſtipitem, vel truncum paruum ſubterraneum dicant. Sunt, qui Antipathen cognominant, &, tali nomine, olim Venetijs in Germaniam ad Georgium Agricolam miſſum fuit. Geſnerus Pſeudocorallum nigrum appellauit. Alij Corallium ſpurium. Alij Hypoxylon, & Palmam marinam cognominarunt. Vulgus, Barbari, atq; Afri Baualiam indigitant

Baualia quid.

Ebeni nomen promeruit, quia ligno Ebeni arboris ſit ſimillimum. Georgius Agricola inter res foſſiles leues, cum Gagate, Pumice, & Tophis collocauit. Quinimò ſub finem libri ſeptimi de natura Foſſilium, retulit Hildesheimi(Germaniæ locus eſt) intra terram aluminoſam, iuxta lignum in lapidem mutatum,& in eius commiſſuris reperiri. Id etiam ſparſum in aliorum lapidum cauernis, tanquam in aluo latibulari, Theophraſtus pronunciauit, qui, teſte Plinio, ad inſtar cornu politi radiare tradidit; immò addidit ſolidum eſſe, & candido, & nigro colore reperiri Eſt autem lapis leuis, & aſpectu ſimilis Gagati, ſed natura diuerſa, cũ ignem non ſentiat, quo Gagates conſumitur.

Lib. 36. c. 18.

DE LAPIDE CYANEO, SIVE LAZVLI.
Cap. LXIV.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, ETYMVM.

CYANEVS lapis, ſiue ſecundùm Arabes Lazuli, cærulei coloris,& aureis aliquando guttis conſperſus apparet, de quo in preſenti capite, ſermonem habere ſtatuimus, cum inter gemmas opacas ab Authoribus reponatur. Sunt, qui, hoc eodem nomine, ſuccum metallicum cæruleum cognominant, de quo, in octauo Capite tertij libri huius Tomi, verba fecimus. Quamobrem, non intellecta Cyani homonymia, multi Authores toto cælo errantes hunc lapidem cum ſucco metallico cæruleo confuderunt, & præſertim quia apud Dioſcoridem,& Galenum, Cyanus pigmentnm eſt, quod Plinius Cæruleum indigitauit.

Plinius hunc lapidem Sapphirum appellare videtur, cum nullibi Sapphirum pellucidam gemmam conſtituat, huncq; punctis aureis radiare retulit; quæ conditiones non Sapphiro gemmæ pellucidæ, ſed lapidi Lazuli gemmæ opacæ competunt. Meſue lapidem hunc, cum ſcintillis aureis maculatum obſeruauerit, ſtellatum indigitauit. Tandem Vulgò lapis Lazuli, ſeruato nomine arabico, appellatur, qui plura æquiuoca, ſynonima,& etymologias ad hunc lapidem ſpectantia ſcire cupit, ad caput octauum libri tertij confugiat, vbi fusè de Cyano egimus.

Sapphirus Plinÿ.

DE-

A

DESCRIPTIO, DIFFERENTIÆ, & Natura.

HIC lapis Armenio similis esse videtur, præter duritiam, & maculas, cum Armenius non sit ita durus, neq; maculatus, vt Lazuli. Verùm quidem est, quòd Armenius lapis mater Cyani esse perhibetur, qui in fodinis aureis inuenitur. Scintillæ igitur veluti tot stellæ in hoc lapide conspiciuntur: idcircò nõ est mirandum, si Mesue hunc inter stellares lapides recensuerit, de quibus nos in sequenti capite verba faciemus. Præterea maculæ lapidem hunc exornantes quandoq; sunt ex materia marmorea, aliquandò ex Pyrite, & interdum ex auro, fortassis iuxta materiam, cui lapis Lazuli adnascitur. Verumtamen illa species aureis guttis conspersa rarissima, &
B pretiosissima habetur. Falloppius memorat se vidisse hunc lapidem auro inclusum, in quo septem stellæ aurei coloris ordine illo dispositæ conspiciebantur, quo, stellæ sydus Vrsæ cęlestis constituunt, quæ adeò egregiè à Natura in tali lapide erant cælatæ, vt manu summi Opificis fabricatæ viderentur. *Stellæ in lapide Lazuli.*

Huiusmodi lapis, quando syncerus, & orientalis est, hoc habet insitum à Natura, vt bonitas illius igne deprehendatur: namq; si fuerit candefactus, & postea refrigeratus, scintillas aureas venustiores ostendit. Id autem secus contingit, quando à prædicta bonitate recedit, quoniam mutat colorem. In Germania etiam talis lapis inuenitur, sed medius inter lapidem Lazuli, & Armenium esse perhibetur.

VSVS IN MEDICINA.

C CVM hic lapis in medicamentis tam internis, quàm externis non vulgariter Patientibus prosit; notandum est, ipsum esse præparandum, antequam medicamina per os sumenda ingrediatur. Hanc autem præparationem in diligenti ablutione consistere arbitramur: quandoquidem absque hac præparatione, medicamentis internis permixtus vomitum prouocare creditur: nam ablutus, & per os exhibitus humores adustos, & melancholicos purgat; sicq; ægritudinibus cerebri, & cordis non parum vtilitatis affert, dum Maniæ, Epilepsiæ, & Syncopi non mediocriter opitulatur. Itaq; duas insignes compositiones à Mesue recitatas ingreditur, nempè pilulas de lapide Lazuli, & Confectionem Alkermes, & vbique præparatus à Mesue commendatur. Multi autem Medici eruditi, per lapidem Lazuli præparatum, diligenter crematum interpretantur. Nos autem, vnà cum alijs, ablutum tãtummodò intelligimus, quandoquidem, adustione, acrimonia medicamenti augetur, & facultas soluens retunditur. Legimus quidem apud Antiquos, lapidem Lazuli combustum fuisse, sed postea illum medicamentis tantummodò externis permiscebant. His addamus, quòd Alexander Trallianus, Manardus, & Matthiolus monimentis mandarunt hunc lapidem tantum-
D modò ablutum, securissimum esse medicamentum, nullamq; prorsus noxam Patientibus vnquam attulisse. Præterquamquòd Nicolaus etiam Præpositus, diligenti ablutione, prauam medicaminum qualitatem, & præsertim lapidis Lazuli auferri posse testificatur. Hac igitur ratione præparatus vnà cum alijs simplicibus pilulas de lapide Lazuli componit, quæ, ad sesquidrachmam præscriptæ humores melãcholicos, & adustos placidissimè purgant, & morbos ab huiusmodi humoribus ortos exterminant. Quinimò ingreditur etiam confectionem Alkermes, quæ in Syncope, cordis palpitatione, & in alijs affectibus, præcordia vexantibus insignem solet habere prærogatiuam. *Lapis Lazuli quomodo præparetur.*

Leonardus Fiorauantus Empyricus Venetus lapidem Lazuli vomitum prouocare, & febrem quartanam curare scripsit, fortassis hunc illotum, & minimè præparatum intellexit; deinde ex hoc lapide oleum se extrahere pronunciauit. Quod somnum conciliat, & inflammationes, necnon dolores podagræ mirandum in modum sedat. Apud Germanos, authore Boetio, pro amuleto, aduersùs pusionum terriculamenta, & ad roborandam oculorum aciem fæliciter vsurpatur.

VSVS

VSVS IN PICTVRA, ET ALIIS.

PICTORES, deficiente Cæruleo vltramarino, lapidem Lazuli genuinum, orientalem, & fixum ſibi comparare nituntur, vt inde pulcherrimum colorem extrahant. Fixum vocant eum lapidem, qui igni reſiſtit, proprium colorem non mutans, non fixum verò appellant, qui ab igne patitur. Ab vtroq; tamen colores cærulei tam elegantes eliciuntur, vt aſpectu ab inuicem minimè diſtinguantur. Tempus tamen illos diſcriminat: nam color ab orientali lapide, & fixo dimanans nulla vnquam vetuſtate corrumpitur, atq; mutatur, quod de alio ſecus aſſerendũ eſt. Anſelmus Boetius modum præparandi lapidis Lazuli, pro coloribus, magna impenſa factum, longa verborum ſerie docuit. Vbi non ſolum huius lapidis in calcem reducendi rationem examinat, ſed etiam vaſa, lixiuia, & emplaſtra fortia, & mitia proponit, quibus faciliori negotio color cæruleus elici poſſit, vt ablutus picturæ inſeruiat. Rurſus idem Author, in poſtremo Capite, faciliorem modum, & minori impenſa factum aſſignat, quo cæruleum vltramarinum à lapide Lazuli extrahi queat. Quoniam autem huiuſmodi color pretioſus eſt, & caro pretio venundatur, Pictores Cæruleo vtuntur ex Armenio lapide fabricato, aut ex vitro eiuſdem coloris, quod Smaltum cognominant, deinde hunc colorem cęruleum modica portione Cærulei vltramarini velant. Vitruuius quoque, & Plinius Cærulei factícij meminerunt. Sed præter has ſpecies, hic color per fraudem etiam præparatur, Indico in aqua diſſoluto, & in creta tritam infuſo. At huiuſmodi color nullius valoris eſſe traditur.

Lib. 2. de lapid. cap. 124.

Cæruleum factitiũ, & fictitium.

Alios etiam ad vſus lapis Lazuli vſurpatur. Primùm, qui aurum ex re quacumque colligere nituntur, hunc punctis aureis decoratum terunt, cui hydrargyrum in mortario cum piſtillo permiſcent, & poſtea per linteum colant, vt argentum viuum per pannum egrediens totam auri portionem ſecum ducat; nam tunc hydrargyrum in vaſe Aurificum ſuper carbones poſito, in auras euolat, & ſola auri portio in fundo vaſis remanet. Tandem hic lapis ad tantam magnitudinem excreſcit, vt ex illo Artifices manubria gladiorum, & cochlearia forment.

DE STELLATO LAPIDE. Cap. LXV.

ÆQVIVOCA.

HIC lapis ſiue Stellatus, ſiue Stellaris nuncupetur, ſiue alijs nominibus ab Authoribus inſigniatur, æquiuocationem euitare non poteſt. Etenim illæ gemmarum ſpecies, quæ aeri expoſitæ, vel radijs Solaribus admotæ, lucem quamdam præ ſe ferunt, quæ imaginem deambulantis ſtellæ repręſentant, ſtellares appellantur; cum rectiùs tales gẽmæ ſtellantes eſſent nominandæ, nimirum ſtellæ ſplendore conſpicuæ. Stellatus autem, vel Stellaris cognominandus eſſet ille lapis, de quo in præſentia ſermo habetur; cum in ſe ſtellas quaſi arte depictas contineat. Item gemmas cuiuſcumq; generis ſplendorem ſtellæ eiaculantes ab Authoribus Aſterias nuncupari, & ad oculos Felis Nuperorum reduci Ceſalpinus tradidit, quoniam adinſtar pupillæ oculorum, modò clariùs, modò obſcuriùs niteant.

Legitur etiam in Theatro terræ Sanctæ, quòd in templo Bethlemico, pars illa lapidis, ſuper quam Chriſtus Seruator noſter natus eſſe dicitur, & cui Maria ſemper Virgo flexis genibus inſedit, marmoribus non eſt veſtita, ſed ſtellæ ſimilitudinem habet; quocirca lapis Stellaris nuncupatur.

Lapis Stella.

Notum eſt lapidem hunc à nonnullis Stellam nuncupari, ſed lapis Stella vocatur etiam ille, qui in monte Bulleneo, nuncupato Regio, naſcitur, & inchoante Autumno,

nocte

nocte intempesta, instar ignis radiare perhibetur.

Demùm Stellaria vocatur etiam Aliquibus hæc petra, sed apud Botanicos, Stellaria, siue Asterias nomen est multis plantis commune: quandoquidem Bubonium, Coronopus, & aliæ plures hoc nomine donantur; cum flores, vel folia ad modum stellæ decussata producant. Nicander etiam in Theriacis, Asteriam nempè stellarem quamdam Phalangij speciem nuncupauit, quoniam, instar stellæ, variata esse feratur.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

HVNC lapidem quidam stellatum, & Asteriam, quidam Petram stellarem, nonnulli Recentiorum Astroitem cognominant, quod postremum nomen Gesnerus libentiùs amplectitur, quia hic lapis, instar syderis cælestis, in se plures stellas contineat, vt distinguatur ab Asteria lapide solido, nimirum ab illa gemma, quæ, splendore suo, stellam æmulatur. Immò addit Gesnerus, quòd Astrites, Astrias, vel Asterias est lapis pretiosus, qui, apud Plinium, Solis gemma nominatur, & apud Agricolam Astrobolos, quia, suo fulgore, dum mouetur, stellam quodammodo eiaculari videatur.

Hunc nostrum lapidem stellarem Plinius Ponticam gemmam indigitare videtur. At Georgius Agricola Ponticas Plinij vocari etiam Thracicas, & Achati congeneres esse voluit. Postmodum idem Agricola prodidit hunc nostrum lapidem, Asteriam, & Astroitem appellari, quia Astris quodammodo sit insignitus: continet enim formas stellarum tam elegantes, vt nullus Pictor elegantiores formare posset. Vulgus vocat petram stellariam, Germani, ex Gesnero, dicunt Sternstein, vel Sigstein, idcircò non est mirum, si Georgius Agricola scripserit, in Germania vocari Victoriam, quoniam à Gestantibus hunc lapidem, causam obtineri, & hostes superari existimant. Marsilius Ficinus hunc lapidem indigitauit Dracontiam, quoniam ex Indico Dracone eximi arbitratus est; sed in hoc à veritate recedit, cum talis lapis suam mineram habeat.

Gemma Pontica quæ.

Dracontia lapis.

DESCRIPTIO, LOCVS, & Natura.

LAPIS stellaris, qui hodiè circumfertur, plerumq; figura oculi extuberat, & oblongus obseruatur. A nonnullis gemma opaca dicitur colore candido, subcinereo, & fusco. Ad mentem Agricolæ, petra est alba, vel subcinerea, figuris nigris stellas imitantibus plena, à quibus nomen inuenit. Sed animaduertendum est, quòd non solum, iuxta superficiem, sed etiam iuxta profunditatem corporis lapidei, imagines stellarum conspiciuntur. Lapis hic, quandoq; ad magnitudinem humani capitis excrescere dicitur. Petrus Bellonius olim narrauit Gesnero, in quodam tractu Galliæ, magna frusta huius lapidis erui, quæ in ædificijs, & struendis parietibus adhibentur; sed postea, an in illis figuræ stellarum appareant, Bellonius non retulit. Cæterùm non solùm in Gallia, verum quoq; in Germania, in Aprutio, & præsertim in alueo Torrentium tales lapides inueniuntur.

Li. 6. fossil.

Locus.

Præterea hic lapis hanc proprietatem à natura sibi comparauit, vt, in aceto, succo limonum, & etiam in vino, ad mentem Cardani, de loco ad locum moueatur. Quinimò, ex sententia Georgij Agricolæ, Trochites quoque in ijsdem succis locatus spontè ab illis egreditur. Cum igitur Trochites, & Astroites in prædictis succis, motu locali, ferantur: poterimus ex huiusmodi lapidibus testudinem, vel aliud animal huius generis formare, & automaton admiratione dignum conspiciemus. Referunt nonnulli lapidem ingentem, & tricolorem, nimirum albo, nigro, & subrufo insignitum in maiori Fano Oenipontis esse, qui, spatio decem annorum, duos digitos, per transuersum mouetur. Hoc autem si verum est, quod non credimus. pendet à materia lapidis, quia sit stellaris, sed fortassis ab antipathia, quam habet cum terra, in qua est locatus.

Hieronymus Cardanus causam motus huius lapidis in aceto, assignat humido tenui, ex

Lib. 5. de subtil.

ex quo lapis conſtat, quòd humidum à virtute aceti, & vini in vaporem vertitur : vn- E
de quærens exitum, & non inueniens, huc, atque illuc lapidem alioquin leuem facilè impellit: immò indicium tenuitatis vaporis eſſe affirmat, quia bullas non attollit. Georgius Agricola ſcriptum reliquit lapidem hunc in aceto huc, atq; illuc agitari, & in orbem nonnihil moueri, quoniam huius lapidis ſtellæ ſunt raræ, intermedium verò denſum eſt; quando igitur earum meatus liquorem combiberint, aerem expellunt, qui poſtea lapidem commouet. Hæc autem ratio veriſimilior eſſe videtur. Nam difficile eſt intelligere, ad mentem Cardani, quomodo ex aceto, & vino actu frigidis vapores ab humido tenui excitari poſſint. Satiùs igitur erit aſſerere aerem egredi ſpontè, & corpori grauiori ingredienti cedere, vt mutua corporum penetratio vitetur.

DIFFERENTIÆ.

SCRIPTVM reliquit Anſelmus Boetius quatuor genera huius lapidis inueniri. F
Primum genus elegantibus ſtellis eſt decoratum, ſecundum figuris roſarum eſt refertum, tertium effigies vndarum, & verum habet, quartum maculas potiùs, & confuſas prædictarum rerum imagines repræſentat. Præterea lapides huius generis aliquando obſeruantur, qui rudimenta tantummodò ſtellarum habent; hoſq; ad genera Garantronij referenda eſſe nonnulli affirmant; Interdum in vno, & eodem lapide omnes prædictarum rerum ſpecies conſpiciuntur. Similem lapidem ad ſpecies Achatis
L.37.c.10 cum Plinio reducere licet: etenim is verba faciens de Achate, Ponticarum plura genera eſſe ſtatuit, & præſertim memorat ſtellarem petram nunc ſanguineis, modò atris guttis inſignitam, quàm inter ſacras haberi perhibuit. Hæc autem verba Plinij magna obſcuritate premuntur: quare ex illis non poſſumus niſi colligere triplex eſſe huius lapidis genus, primum ſtellatum, ſcilicet modò ſanguineis, modò nigris guttis decoratum. Secundum lineas pro ſtellis habere videtur. Tertiò generi imagines montium, & conuallium aſſignat, quòd Geſnerus nunquam vidiſſe teſtificatur: quandoquidem
Achates qualis lapis. hoc tertium genus cum Achate confunditur. Proprium enim eſt Achatis, fluuiorum, G
montium, & conuallium reddere imagines. Itaq; harum Ponticarum Plinij nonnullas icones exhibemns. Vna icon refert corpus hemiſphæricum, exteriùs maximè radians, & ſubſtantiam alabaſtrinam imitans, cum aliqua inæqualitate; namq; in illa materia, quædam maculæ albidiores conſpiciebantur. Alia pars nonnullis lineis, quaſi ramulis, & foliolis admodum minutis inſigniebatur. Præterea dantur figuræ aliorum lapidum, qui, ad mentem Plinij, pro ſtellis lineas habebant, & alios, qui guris montium, & conuallium referti erant, vel potiùs frequentibus lineolis prata viridia repræſentabant Ibidem pingitur lapis oblongæ figuræ, colore albo, & valdè ſimilis Aſtroiti, cum figuris ramulorum quorumdam exiguorum muſci interiectis. Quinto loco in tabella conſpicitur icon Ponticæ, figura teſſeræ. Poſteà addimus, aliam tabellam cum alijs duabus differentijs.

Nos hoc in loco icones Aſtroitum genuinorum repræſentamus. Etenim in prima facie huius tabellæ pingitur Aſtroites pulcherrimis ſtellis decoratus. Secundo loco habetur Aſtroites magnus radios Solis repræſentans. Tertio loco viſitur Aſtroites Sili- H
ceus iuxta vtramq; partem delineatus. Quarto loco figuratur lapis ſtellam marinam referens.

Inſuper damus tabellam duplicem genuinum Aſtroitem coutinens Primo loco deſignatur Aſtroites ſtellatus, & alijs longis notis inſignitus. Secundo loco effigiatur Aſtroites maior candidus, iuxta vtramq; partem expreſſus.

Rurſus multi lapides in rerum natura inueniuntur, qui aliqua ſtellarum rudimenta habent; horumq; omnium figuras exprimimus, quos olim præ manibus habuimus: idcircò aliam exhibemus tabellam, cum tribns Aſtroitum differentijs.

1. Oſtendit lapidem figura meſpili inſignitum imaginibus ſtellam imitantibus: ſed hic inter genuinos Aſtroites non recenſetur.

2. Demonſtrat Aſtroitem, qui Iuncum petrificatum æmulatur.

3. Indicat lapides, qui Aſtroites parui quibuſdam nuncupantur.

His

Ponticæ gemmæ Plinij variæ, Astroiti congeneres.

1

2 3



4

5

His lapidibus stellatis, plures alij, quoad proprietatem, congeneres esse videntur, & iconibus in tabella monstrantur. Sub num. 3. pingitur lapis apud Vulgum *Castracane* nuncupatus, qui, ad instar Astroitis, in aceto mouetur. Sub numero 1. & 2. pronè, & supinè delineatur alius lapis, qui Aracane Arabum congener esse perhibetur. Eius pars conuexa sub numero 1. refert picturas à natura ludente factas, nimirum Pusionem sedentem, & pedem alterum protendentem, cum figura octauæ litteræ Hebreorum ח, quæ Cheth nuncupatur, & paulò altius è regione scapularum Pusionis, E, Latinorum eleganter delineatur. Inter litteram hebraicam, & Pusionem quoddam rudimentum figuræ auis conspicitur, vbi figura etiam tintinabuli apparet. Item in parte plana lapidis sub numero 2. quædam designata auium rudimenta ostenduntur.

De-

Aliæ duæ differentiæ gemmæ Ponticæ.

1

2

Demum in alia tabella Aſtroites, & Pſeudoaſtroites varios delineamus. In calce tabellæ figuratur Aſtroites, qui monſtrat lapidem aſtrum referentem, & illius radij Scolopendritem æmulantur, &, in medio, centrum illud latum tanquam os conſpicitur, vt licet in Echinis intueri. Colore erat ſubcinereo, & ſubſtantia marmorea.

2.& 3.Alij duo Aſtroites pinguntur cum punctis adeò minutis, vt ſenſum effugiant. H

4. Habetur Aſtroites figura tetragona. Verùm in parte ſuperiori tabellæ oſtenduntur Pſeudoaſtroites aſcendentes ad numerum quinarium, & ita appellantur, quoniam perfectè non accedunt ad naturam Aſtroitis, de quo agimus, neq; perfectè aſſimilantur lapidibus ſtellantibus, quos Gemmarij oculos felis nuncupant.

1. Imitabatur Bellioculum, cum colore, & ſplendore ſit igneo.

2. Pſeudoaſtroites ſeſſilis ab vtraq; parte, figura ouali, colore ſubcæruleo, cum lineis quibuſdam per tranſuerſum ductis, & intus colore ignis fulgebat.

3. Pſeudoaſtroites primo maximè ſimilis, colore albicante, cuius fulgor internus erat flammeus.

4. Pſeudoaſtroites coloris cærulei, & variatus, & intus magis fulgebat, quàm tertius.

5. Pſeudoaſtroites quarto ſimilis, cæruleo tamen colore carens, lineas tranſuerſales habebat, cum colore valdè accenſo. Sed hi lapides inter gemmas ſunt recenſendi.

His

Astroitum quatuor differentiæ.



His addere debemus alium lapidem, qui nomen stellæ magis, quàm alij lapides descripti, promeretur. Etenim stellas habet plures ita inuicem superpositas, vt facilè separari possint: quemadmodum Lector in figura hoc in loco delineata intueri potest. Quandoquidem vna tantummodò stella seorsum pingitur, quæ alteri erat copulata. Hic lapis à Gesnero vocatur Sphragis asteros, quasi sigillum stellæ, cum figura stellæ singulis partibus lapidis impressa esse videatur: immò radij stellæ suis angulis eminentes apparent, & singuli radij cauitatem mediam habent, & margines strijs transuersis sulcatos. Est autem hic lapis substantiæ valdè duræ, & reperitur potissimùm, authore Gesnero, in colle edito, ad Cimmeriam arcem. Octo, vel plures stellæ in hoc lapide cohærentes nascuntur, & ita copulatæ, vt nullus artifex eas rectiùs coniungere potuisset: deinde facilè etiam ab inuicem separari possunt.

Aſtroitis item duæ differentiæ.



Aliæ Aſtroitum tres differentiæ.





3

Astroiti lapides congeneres.

Pseudoastroites, & Astroites varij.



Aſtroitis alia differentia.

VSVS IN MEDICINA.

MARSILIVS Ficinus non modicam ex hoc lapide demeti poſſe frugem affirmat, ſi quotidie aceto madefiat, & geſtetur: quandoquidem hominem non ſolum à venenis tutum reddet, ſed etiam ſpiritus vitales mirandum in modum exhilarabit. Alij diuulgarunt, hoc lapide geſtato, hominem non modò à feris defendi, ſed etiam febrem peſtiferam arceri; & hanc veritatem colligunt ab effectu, dum in aliquo ſuſpenſus cubiculo impedit, quominus aranеæ, & aliæ animantes venenatæ illuc accedant. Plinius lapidem hunc fæcunditati adiumento eſſe pronunciauit. Ioannes Baptiſta Porta arbitratus eſt, ab hoc lapide geſtato, nocturna terriculamenta aboliri: hac de cauſa aduerſus Dæmones etiam commendatur.

Epilepſiæ remedium.

Rurſus Alij ſcriptis mandarunt, hunc de collo ſuſpenſum maximoperè Epilepticis, & Apopleticis auxiliari: Quinimò, in tali caſu, intrinſecis etiam medicamentis permiſcetur: etenim abraditur puluis ab hoc lapide, & in aliquo liquore ter Apopleticis propinatur. Item à melancholicis hauſtus, partes principales recreantur, & vertigines exterminantur. Demùm puluis hic, ad pondus quatuor granorum, ad impediendas peſtis contagia præſcribitur. Similiter eadem doſis in verminatione magnificatur.

DE LAPIDE CRVCIFERO.
Cap. LXVI.

SYNONIMA, DESCRIPTIO, & Locus.

NOSTRA ætate inuentus eſt lapis, Cruce, à Natura inſignitus. Quapropter Nuperi inter ſtellarias, & Aſterias inueniri lapidē Cruce decoratum retulerunt. Hic lapis Antiquitati fuit incognitus: idcircò nobis vocatur Staurolithos; cum σταυρος Græcè crux exponatur. Anſelmus Boetius lapidem Cruciferum, vel Crucigerum indigitauit, & ad genera cornuum foſſilium reduxit; cum magnitudine, & facie, cornu bubulum referre videatur. Etenim ſi per tranſuerſum ſcindatur in plures orbiculos, nigro colore,

A colore, crucem exhibet, & reliqua pars superficiei cinereum colorem habet, cui aliquando color rubescens intermixtus apparet. Extrinseca pars in colore cinereo nigrescit, & maculis admodum nigris distinguitur. Est autem lapis hic mollis, quoniam ab eo puluis facilè cultro abradi potest. Eius fodina, referente Boetio, viginti milliaribus à Fano Diui Iacobi, in Compostella, Hispaniæ reperitur. *Lapidis mollitics.*

DIFFERENTIÆ.

IMPRIMIS vir Clarissimus Laurentius Pignorius Patauinus habuit hunc lapidem Cruce à Natura effigiatum. Area erat candida vtrinque paribus interuallis decorata, lineæ albescebant, reliqua planities erat lutea. Nos alias differentias obseruauimus, quarum altera Staurolithos leucos ab albedine, altera Staurolithos erithros à rubedine nuncupari potest. Rursus horum lapidum vnus formam rotundam,
B alter verò formam quadratam habebat. Omnes tamen hi lapides per transuersum secti figuram Crucis ostendebant. Quinimò horum lapidum alter aream rubescentem cum Cruce nigra ostendebat, & in gratiam Legentium omnium icones in hac Tabella effigiantur.

Lapidis Cruciferi differentiæ.



VSVS IN MEDICINA.

ANIMADVERTVNT nonnulli lapidem hunc gestatum supra partem dolore vexatam Nephriticis, & Iliacis auxiliari, quoniam hunc tanquam Amuletum pretiosissimum prædicant. Præterea addit Anselmus Boetius hunc gestatum supra cutim, sanguinem vndequaq; manantem cohibere, & lactis vbertatem producere, necnon febres omnes curare. Tandem hic Dæmonia arcere perhibetur, si de collo suspensus assiduè gestetur.

DE LAPIDE VARIOLATO. Cap. LXVII.

NOMENCLATVRA.

ERVPTIONES humorum in cute Græcis ἐξανθήματα, Latinis Papulæ vocãtur. Arabes autem has in corporibus puſionum apparentes, Variolas, & Morbillos nuncuparunt. Verùm hæc tubercula in quodam genere lapidis, Natura tam eleganter effigiauit, vt genuina tubercula in toto corpore omnium hominum, & præſertim puerorum, apparentia imitentur, quæ cum febre, dolore, pruritu, & ichore purulento efloreſcere ſolent. Quapropter hic lapis non immeritò Variolatus fuit cognominatus, & poſt ſtellatum lapidem examinandus proponitur; cum huiuſmodi fictis Variolis, tanquam tot ſtellis inſignitus eſſe videatur. Præterquamquòd, ſi veræ ſunt virtutes, quæ illi aſſignantur, inter gemmas opacas iure optimo connumerari promeretur.

Ordinis ratio.

Meminimus, exactis annis, nonnullos Patres Ieſuitas ex India reduces, hàcq; tranſeuntes Muſæum Illuſtriſſimi Senatus Bononienſis viſitaſſe, illiq;, tanquam rem nouam obtuliſſe fruſtulum cuiuſdam lapidis variolarum rudimentis refertum. Cæterùm, anno præterito, de hoc lapide allocuti fuimus admodum Reuer. P. D. Ioſephum de Nannis Bononienſem, Ordinis Oliuetani, omnibus notitiæ ſimplicium dotibus cumulatiſſimum, qui nobis ſignificauit Balthaſarem, & Michaelem de Campis peritiſſimos Lucenſes Pharmacopæos, & diligentiſſimos rerum naturalium inueſtigatores, in territorio Lucenſi, hoc genus lapidis obſeruaſſe. Hi igitur perhumani viri ad nos ſcribentes retulerunt, ſe primos in manu cuiuſdam Patritij Lucenſis ſimilem lapidem argento incluſum conſpicatos fuiſſe, qui illi dono datus fuit a quodam Reuer. Patre Ieſuita ab Indijs occidentalibus reduce. Immò addiderunt lapides huic ſimiles, in locis montoſis Agri Lucenſis, ſe inueniſſe; vnde ab impetu Torrentium, ad fluuium Auſerim poſtea deferuntur, poſt cuius inundationem facile obſeruantur. Ex his igitur icones, quas hoc in loco repręſentamus, delineati fuerunt. Etenim prædicti viri harum rerum ſingulari peritia admirandi, multas huius lapidis differentias nobis ſunt impertiti. Quandoquidem a Luca, inter vrbes Hetruſcas, Ciuitate nobili, nonniſi ingenia totius Naturæ capacia prodeunt. Noſtris enim temporibus, primarias partes, in ſtudio theologico, nemo non tribuit Reuerendiſs. Alphonſo Puccinellio Lucenſi, Canonicorum Regularium S. Saluatoris Abbati Generali meritiſſimo, virorq; eminẽtiſſima litterarum omnium cognitione nobili, qui, Bononiæ, hoc anno quadrageſimo octauo, poſt milleſimum, & ſexcenteſimum, toto Ieiunij quadragenarij tempore, in Baſilica D. Petronij, tanto frequentis concionis applauſu, munus, & onus concionatorium ſuſtinuit, vt inter alios Euangelij præcones palmam retulerit.

Lucenſes de Campis.

DESCRIPTIO, DIFFERENTIÆ, & Vſus.

HIC lapis duriſſimæ eſt ſubſtantiæ, & in colore viridi plerumq; nigreſcit, ſuperficie, iuxta vnam partem, iconibus genuinis variolarum referta, ſed iuxta alteram partem, has icones admodum confuſas refert; quemadmodum etiam in affectione Variolarum quandoq; obſeruatur. Varias huius lapidis differentias Balthaſar, & Michael de Campis viri de ſimplicium doctrina optimè meriti, tum in colore, tum in effigie, obſeruarunt. Etenim alij lapides conſpiciuntur fuſci ad viriditatem tendentes, alij flaueſcunt, alij obſcuri, & leucophæi ſunt coloris, alij demùm nigreſcunt. Pariter figuræ Variolarum ſuperficiem huius lapidis exornantes miran-

dum

Lapidis Variolati differentiæ.



dum in modum variant; cum aliæ maiores, aliæ minores appareant, aliæ eminentes, aliæ depressæ. Aliæ deniq; Variolas distinctas, & aliæ harum tantummodò rudimenC ta exprimunt, quemadmodum in hac tabella licet intueri.

Quoad vsum, narrauit ille Patritius Lucensis, referentibus prædictis doctis viris, se experimento comprobasse, in affectu Variolarum, hunc lapidem miras vires exercere, *Vsus in medicina.* quas etiam ille Reuerendus Pater Iesuita de hoc lapide prædicauit. Quandoquidem suspensus de collo, vt nudam cordis regionem tangat, ichorem Variolarum ad cutim euocat, & Patientes quamprimum ab hoc affectu liberat. Neq; hoc à veritate recedit; nam si Arabes in hoc morbo Lentes fortassis, ob signaturam, commendant: pariter Natura, signatura huius lapidis, eum ad hanc ægritudinem valere docuit. Quapropter si Medici in hoc casu non solum totum corpus, sed etiam peculiares partes nempè oculos, & fauces respiciunt, vt illas aduersus ichoris virùs præmuniant, medicamentis; Namq; vt ab oculis impetum ichorum repellant, præscribunt aquam rosaceam, & plantaginis, in quibas Sumach infusum fuerit, vel aquam puram, in qua aurum fuerit extinctum. Deinde fauces respiciunt gargarismate ex rebus adstringentibus, & refrigerantibus parato. Modò, his positis medicinis, solus hic lapis omnibus indicatioD nibus satisfacere potest: nam fricatus suprà oculos, à malitia Variolarum eos tutatur. Quinimò infusus in aqua, parere poterit omnes illos effectus, quos prædictis medicamentis Medici assignant. Insuper Reuerendus ille Pater Iesuita consueuisse narrauit Indiæ pastores de collo pecudum minorum hunc lapidem suspendere, vt liberentur ab huiusmodi morbo, quo sæpiùs, magno eorum damno, greges infestantur.

DE

DE IASPIDE.
Cap. LXVIII.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

OPACA gemma eſt etiam Iaſpis, & ad genus pretioſi lapidis à multis reducitur. Iuxta genus maſculinum, & interdum iuxta genus fœmininum inflectitur. Multi dictum volunt Iaſpidem, quaſi in Aſpide genitum: cum lapidem huius generis ex Aſpidis capite erutum eſſe crediderint, ideòque varijs coloribus refertum ad inſtar Serpentis Aſpidis, eſſe diuulgarunt. Immò quidam Barbari, pro Iaſpide, Aſpidem pronunciant. Verùm quia in hoc lapide color potiſſimùm viridis commendatur; hinc Iſidorus etymum à voce græca ἰας deriuat, qua, viriditatem ſignificari perhibet: cum tamen apud Lexicographos græcos hæc vox nullibi inueniatur. Latinis vocatur Iaſpis, & Græcis ἴασπις, fortaſſis à voce græca ἰα, quæ, in numero multitudinis, violas ſignificat, & ab alia voce σπίος, quæ ſpecum indicat; cum fortè Iaſpis violaceo colore infectus olim in profundiſſimis Idæ montis ſpecubus erueretur. Cùm autem primus violacei coloris repertus fuerit, non eſt mirum, ſi tale nomen ad alias poſtea ſpecies, cuiuſcumq; fuerint coloris, deductum ſit. Alioquin lapis ſanguinalis ab effectu cognominatur, quoniam ſanguinem à quacumq; humani corporis parte manantem cohibeat. Sed apud Nicolaum Monardem, hoc nomine, donatur potiſſimùm illa ſpecies, quæ ex noua Hiſpania huc affertur, qua Indi pariter, in ſimili caſu, vtuntur. Hebraicè dicitur Iahalon. Sed illa gemma, quam ſeptuaginta Interpretes in Exodo, & in Iſaia Iaſpidem nuncupant, eſt Adamas, cum tamen propriè, vt Alcaſar notat, Iaſpis ſit exponenda. Gallis vocatur Iaſpe, Germanis Ein Edelgeſtein, Hiſpanis Iaſpe; verùm, nomen hoc, apud ipſos eſt æquiuocum: quandoquidem non ſolùm lapidem intelligunt, de quo in præſentia agitur, ſed etiam quodcumq; marmoris genus varijs coloribus refertum, Italis Iaſpe, & Diaſpro.

Color Iaſpidis.

Lapis ſanguinalis.

NATVRA, ET AFFECTIONES.

IASPIDES, propter admirandam colorum varietatem, & elegantiam, necnon propter varias imagines, quas ſuis coloribus reddere ſolent, non in minori pretio, & authoritate, quàm Achates, conſiſtunt. Quamobrem ab Achate, nonniſi mollitie diſcrepare videntur: vnde non exactè, vt Achates poliri poſſunt. Huius autem effectus cauſa eſſe perhibetur materia terreſtris impurior, & craſſior, ex qua Iaſpides originem ducunt. Deinde Iaſpis omnes colores inſtar Achatis, cum tamen non ſit perſpicuus, recipit. Quamuis, vt plurimum color viridis, & Smaragdo proximior in illo obſeruetur.

Præterea habere Iaſpidem à Natura hoc inſitum nonnulli referunt, vt ſuſpenſus ſupra poculum vino plenum tremet. Quinimò alij addunt, quod Iaſpis ſponte horas indicet, & experimentum hoc modo peragunt. Poculum vitreum aqua, vel vino vſque ad medietatem implent; deinde annulum, cum Iaſpide intra vitri labra ſuſpendunt. Hunc aliquandiù immotum pendere referunt, poſtmodum ſenſim moueri, & tandem librato impetu in vtramq; vaſis partem agitari, & latus vitri feriendo horam fluentem indicare. Hoc autem experimentum ab aliquibus narratur, nullo prorſus ſucceſſu, fuit comprobatum.

Iaſpidis proprietas.

DIE-

DIFFERENTIÆ.

VARIA Iaspidum genera, iuxta varias Authorum mentes, esse feruntur. Nam Isidorus sexdecim species, Albertus Magnus decẽ, & Mylius octo constituunt. Sed satiùs erit cum Anselmo Boetio, has differentias, iuxta locos natales, iuxta varios colores, & iuxta commixtionem huius lapidis cum alijs, enumerare.

Primitùs, ratione loci, Iaspides dicuntur Indi, Cyprij, Persici, Caspij, Phrygij, Cappadoces, Thracici, & Chalcidici. His addũtur Thermodontici à fontibus Thermodontis fluuij, in quorum numero Grammatias præsertim, vel Polygrãmos reponitur. Hunc Plinius in Oriente, & India etiam reperiri retulit. Hodie ex India occidentali affertur quędam species coloris hepatis, & propterea ad affectus etiam hepatis commendatur. *Grãmatias quid.*

Si colores Iaspidum obseruentur, varias etiam differẽtias habebimus. Plinius memorat virides, cæruleos, rubros, & candidos. Ad rubros purpurei, violacei, & rosei reuocari possunt. Ad candidos crystallini, niuei, & salis colorem imitantes reducuntur. Eidem Plinio recensetur alia species vocata Capnias, quoniam fumo infecta esse videatur. Ibidem alia species dicitur Borea, vel Aerizusa, quoniam Cælo sereno autumnali assimiletur. Tandem illa species, quæ nubes, vel niuem imitatur, rutilis signata punctis, eidem Iasponyx, vel Onychipuncta appellatur. Marbodeus de his differentijs sic cecinit. *Capnias.* *Iasponyx.*

Iaspidis esse decem species septemque feruntur,
Hic & multorum cognoscitur esse colorum;
Et multis nasci perhibetur partibus orbis.
Optimus in viridi, translucentique colore.

Marbodeus hoc in loco primã litteram constituit consonantem, cum alij Authores vocalem faciant. Est enim hæc vox (Iaspis) trisyllaba, & ille disyllabam constituit. Id indicat Claudianus canens.

Collecta tereti nodantur Iaspide vestes.

Inter tot, & tantas Iaspidis species manifestanda est illa, quæ ad varios vsus sit præferenda. Olim Grammatias dicta, quæ apud Indos eruebatur, aliquid purpurei admixtum habens, interiecta linea alba, cæteris prę ferebatur, & secundum locum occupabat illa species, quæ nonnihil rosei coloris ostendebat, tertio loco collocabatur, quę colore sereni Cæli radiabat, & demum quarto loco, quæ colore Smaragdi refulgebat. Quinimò apud Plinium, quando Iaspis absolutè pronunciatur, semper viridis est intelligendus. Hodie Iaspis orientalis subcærulei, & viridis coloris obscuri, sanguineis guttis conspersus mirandum in modum commendatur. Amplius, quando hæc species cum aliqua perspicuitate obseruatur, vulgò nominatur Heliotropium, de quo in sequenti capite verba fient. *Iaspis viridis qualis.* *Heliotropiũ*

Reliquum est, vt illas enumeremus differentias à colore petitas, quas, longa obseruatione, conspicati sumus. Habuimus speciem Iaspidis orientalis, figura ferè trigona refertum, maculis viridibus, æreis, albis, sanguineis, flauis, cæruleis, & alijs adeò varijs, vt non immeritò Iaspis polychromos dici posset. Item vidimus Iaspidem, ex quo manubrium cultri fuerat fabricatum, cum octo angulis, colore purpureo, & maculis nigricantibus; immò & Iaspidem guttis aureis decoratum, instar lapidis Lazuli. Sed magis admirati sumus lignum in Iaspidem transmutatum, fulgens, more alabastri, ebore mixto. Decreuimus igitur nonnullas dare tabellas, in quibus variæ Iaspidum differentiæ delineantur.

I. Tabella ostendit quatuor differentias Iaspidis, cum differenti s aliorum lapillorum diuersi generis, qui, commoditatis ergo, ibi designati fuerunt. Sub numero 1. in parte sinistra tabellæ monstratur Iaspis, qui admodum lucidus erat. 2. Iaspis fuit albo, & amethistino colore variatus. 3. Iaspis cum figura Faunum imitante, & cum nonnullis characteribus. 4. Iaspis Smaragdi colorem æmulans cum figura.

In parte dextra eiusdem tabellæ sub numero 1. & 2. pingitur lapis Vnioni consimilis, qui potius oculum piscis referre videtur. Postea sequuntur icones lapillorum in ventriculis hirundinum repertorum. Rursus sub numero 1. effigiatur lapis, qui Amiantho con-

I. Tabella cum differentijs Iaſpidum, & aliorum lapillorum.



congener videbatur, & ſub numero 2. oſtenditur Saphirus figuratus.

II Tabella monſtrat tres pulcherrimas Iaſpidis differentias. Sub numero 1. eſt Iaſpis habens figuram cordis pellucidus cum maculis luteis, & amethiſtinis, & quibuſdam venis cæruleis obſcuris. Sub numero 2. effigiatur Iaſpis arte elaboratus, infinitos quaſi

angulos

II. Tabella cum tribus Iaspidum differentijs.

III. Tabella cum sex differentijs Iaspidum.



IV. Tabella cum duabus iconibus.



angulos habens, colore vario, nimirum miniaceo, albicante, ſanguineo, leucophæo, & alijs multis,& varijs venis inſignitus,in quo rudis quędam imago capitis Leonis conſpiciebantur. Sub numero 3. datur icon Iaſpidis figuræ quadratæ, colore luteo, & albicante, ad modum marmoris orientalis. Natura enim mirabilis fuit in huius generatione; cum in eo varij luſus, nempè icones turbinum, circulorum, ſemicirculorum, necnon rudimenta quædam roſtrorum auium conſpiciantur.

III. Tabella demonſtrat ſex differentias Iaſpidis, ſed prima facie, ſub numero 1. oſtenditur Iaſpis rufi, vel xerampelini coloris, cum maculis fuſcis. Sub numero 2. eſt Iaſpis alter pellucidus magis, iuxta ſuperiorem partē, alioquin cornei ferè coloris,cum H tribus lineis rubeſcentibus.

Inferius numero 1. eſt Iaſpis forma rotunda', vario linearum, & macularum ductu elegans: imò, inſtar ſpeculi, imaginem reddebat. 2. Iaſpis figura cordis rubeus albicantibus maculis inſignitus. 3. Iaſpis Indicus viridis rubentibus maculis. 4. Iaſpis viridis orientalis rubentibus, ſed minoribus maculis, quàm in tertio.

IV. Tabella aliàs exhibet icones,& primo loco pingitur Iaſpis figura cordis rubri coloris, quibuſdam lineis nigris inſperſus, & Volaterranus nominari poteſt, cum ſimilis effodiatur Volaterris. Secundo loco in eadem tabella datur icon lapidis ſubſtantiam Iaſpidum imitantis figuræ pentagonæ, & formam veſpeti referens.

V. Tabella cum alijs ſex differentijs repræſentatur. 1. Fuit Iaſpis coloris hepatis,qui maculis multis, & lineis albis, necnon purpureis maximè nitebat. 2. fuit Iaſpis colore flaueſcente, in cuius medio faſcia nigricans triangularis conſpiciebatur. 3 fuit oualis figuræ, pariter flaueſcens, linea alba circumcirca percurrente, & formam operculi pyxidis

V. Tabella cum alijs Iaspidum differentijs.







xidis referebat. 4. hic fuit colore præditus partim flauo, partim nigricante, & partim subalbo. 5. & 6 hi lapides referebantur ad genus Iaspidum, aliquantisper flaueſcebant, & proprijs lineis quodammodo formam fluuij repræsentabant. Quandoquidem quamplures eorum lineæ ita erant dispositæ, vt vndas aquarum fluentium imitarentur.

VI. Tabella cum Iaſpide figura fluuij.



Amplius in Iaſpide, veluti & in marmore, interdum lineis, & coloribus varijs, præter formam fluuiorum, figuræ etiam elegantiores exprimuntur. Olim conſpectus fuit Iaſpis figuræ oualis, cum effigie Scorpionis à Natura ad viuum delineata Item communicatus fuit Iaſpis colore viridi obſcuro, qui, iuxta vtramque partem, Lunam in dichotomo oſtendebat. Immò referebat hic Iaſpis illam ſpeciem, quæ Heliotropium vulgò nominatur. Alius Iaſpis aliquando obſeruatur nigricans, cum figura plumarum Milui, &, in ſanguine ſupprimendo, probatur: quapropter Hieracites Plinij eſſe videtur. Pariter Anſelmus Boetius narrat ſe vidiſſe in ſcrinio Rodulphi ſecundi Imperatoris pulcherrimos Iaſpides, qui, ſuis lineamentis, ſyluas, loca paluſtria, arbores, flumina, & nubes ita exprimebant, vt procul intuentibus non lapides, ſed picturæ viderentur. Ex Vincentio Belluacenſi, tria horum Iaſpidum genera obſeruantur Primum genus eſt Iaſpis, in quo eſt vir geſtans clypeum de collo ſuſpenſum, & cuſpidem manu, pedibuſq; ſerpentem calcans: hic aduerſus hoſtes valere perhibetur. Secundum genus dicitur eſſe, in quo cernitur homo habens collum faſciculo herbæ implicatum, cuius vis non ſolum cohibere fluentem ſanguinem, ſed etiam, ad morbos diſcernēdos, homi-

hominem reddere procliuem traditur. Hunc Iaspidem annulo inclusum à Galeno gestatum fuisse tradunt. Tertium genus est viridantis coloris, quod gestantem à periculo aquarum tueri perhibetur. Hoc in loco datur sexta tabella cum pulcherrima icone Iaspidis figura fiuuij.

VI. Tabella refert iconem Iaspidis flumen repræsentantis, cum quibusdam venis rubescentibus, vbi variarum rerum rudimenta apparent. In parte autem exteriori quædam tubercula rotunda conspiciebantur.

Tandem, ratione commixtionis Iaspidis cum alijs multis lapillis, multæ aliæ differentiæ emergunt. Quandoquidem cum Achate mixtus, vocatur Iaspachates, cum Sarda, Sardoiaspis, cum Onyche, Iasponyx, Anselmus Boetius fatetur se habuisse Iaspidem, qui Amethistum, Sardam, & Chalcedonium, distinctis locis, comprehendebat. *Iaspachates. Iasponyx.*

LOCVS.

IN recensendis varijs Iaspidum differentijs, multos locos memorauimus, in quibus Natura huiusmodi lapides procreat. Nihilominus, vt exactam Iaspidis habeamus historiam, prædictis alios natales locos addemus. Pluribus in locis Germaniæ Iaspides effodiuntur. Item Coræ in Misnia, colore flauo, & sanguineo eruuntur. Ibidem alio in loco Iaspis non absimilis Boreæ Plinij nuncupato reperitur. Ad Salam nigri, & rubentes inueniuntur. Ad Pagum Cauerfungam, rubentes, & spurij producuntur. Bohemia multas habet species Iaspidis rubescentes, purpureas, albas, conspicuas, varijsq; coloribus mixtas, omnes pulcherrimas, & mirabili Naturæ artificio compositas. Quinimò huius magna moles ibi crescit, vt inde cochlearia, & statuæ fabricari possint. Collisanus est castellum in Sicilia, annotante Facello in historijs, vbi sunt fodinæ, ex quibus porphyrites, & Iaspides eruuntur. *Bohemia abũdat Iaspide.*

SIMVLANDI RATIO.

CVM Iaspidum copia multis in locis inueniatur, non est bono Impostoribus, & Mercatoribus, vt, in Iaspide simulando, diù laborent. Nihilominus narrat Anselmus Boetius se vidisse Iaspidem ita eleganter à quodam milite simulatum, vt nonnisi duritia à genuino, & naturali dignosceretur. Hic Author credit massam ex gypso, calce, sero lactis, puluere lapidum, & glutine comparatam fuisse, hanc massam varijs coloribus infici vidit, antequam duresceret, bacilloq; hinc inde materiam moueri obseruauit: hac enim ratione colores tanquam per anfractus ducebantur, & veros, naturalesq; Iaspidis colores repræsentabant.

MYSTICA.

IASPIS est prima Apocalypsis gemma, & sexto loco inter gemmas Rationalis collocatur. Ideò Diuus Anselmus Cantuarienfis, pro Iaspide, virorem fidei mysticè agnoscit. Diuus Augustinus Petrum Christi vicarium interpretatur, qui pariter, ob fidei virorem, ab illo Iaspis nuncupatur. Vnde Explicatio rhythmica incerti Authoris de duodecim lapidibus Rationalis hæc habet. *In Apocal. cap. 21. In psal. 86.*

Iaspis colore viridi præstat virorem fidei,
Qui in perfectis hominibus numquam marcescit penitus
Cuius forti præsidio resilit ur Diabolo.

Cornelius à Lapide vir in Mysticis non vulgariter eruditus retulit fortitudinem fidei Iaspide denotari: hac de causa in Apocalypsi, Diuo Petro assignatur, quem, post Christum petram, & Ecclesiæ fundamentum esse statuimus. Hinc Ribera Diuum Petrum ad Iaspidem comparauit, propter animi, & fidei firmitudinem. Item cum viror, & nitor huius lapidis nunquam euanescat: pariter fortitudo, & fides Diui Petri, post diuini spiritus aduentum, nunquam diminuta esse perhibetur. *In cap. 21. Apoc.*

Rurſus Viegas, in expoſitione vigeſimi primi Capitis Apocalypſis, aſſeruit omnes Interpretes vno ore fateri myſticam Iaſpidis aſſimilationem Diuo Petro competere, in quo fides, poſt aduentum Spiritus Sancti, firma ſemper remanſit. Quamuis, Iaſpide, quilibet Apoſtolus, propter firmitudinem fidei, deſignari poſſit. Namque ſicuti, hoc lapide geſtato, ſpectra fugantur, pariter, ſola fide, omnia errorum phantaſmata abiguntur: Amplius, ex ſententia Cornelij à Lapide, & Riberæ, Iaſpide, Patriarcha Tribus Gad, ob fortitudinem, denotatur: cum hæc Tribus Gad fortiſſimè aliàs Tribus ad terram promiſſam præiuerit.

Denuò Iaſpis prima gemma Apocalypſis primò articulo ſymboli Apoſtolici myſticè conuenire videtur. Primùm, quoniam Iaſpis cæteros lapides pretioſos antiquitate ſuperat: cum Natura aliàs gemmas in ſinu terræ abdiderit, Iaſpidem verò, iuxta terræ ſuperficiem, omnium oculis ſubiecerit. Pariter id veritatibus ſacræ fidei, & Theologiæ contingit, quarum aliæ profundiorem ſpeculationem expoſtulant, aliæ verò per ſe patent, ſed nulla antiquior, & clarior eſt illa, quæ Deum eſſe docet. Deinde veritas primi articuli omnipotentiam ſummi Opificis indicat, cuius opera, tam varia, & multiplicia, in toto terrarũ orbe, conſpiciuntur, quæ, varietate coloris Iaſpidei, deſignantur. Immò veritas primi articuli omnibus Idolatrijs, & fictis Dæmonum ſuperſtitionibus opponitur; cuius rei Iaſpis idoneum ſymbolum eſſe poteſt; cum, pro amuleto, aduersùs cuncta terriculamenta, & phantaſmata ſuſpendatur: quandoquidem Idola nonniſi quædam inania phantaſmata diuulgantur. Deniq; ſi Iaſpis tutelam geſtantibus præſtat; aſſimiliter veritas primi articuli nobis patrocinium Dei omnipotentis pollicetur: iuxta illud Iſaiæ. *Ponam Iaſpidem propugnacula tua.* Cæterùm cum multæ Iaſpidis ſpecies hactenus memoratæ fuerint; manifeſtare oportet, quænam, in ſacris Paginis, nomine Iaſpidis, intelligatur Alcaſarij opinio fuit, illam ſpeciem eſſe intelligendam, quæ in Paleſtina, & in toto Oriente frequens inuenitur. Talis enim eſt viridis, linea alba inſignita, & Grammatias nuncupatur.

Idola quæ ſint.

Cap. 54.

MORALIA.

MAXIMOPERE cupimus illa etiam recenſere, quæ ex Iaſpide ad morum integritatem trahuntur. Etenim Iaſpis viriditate refertus hominem inter pericula tutum reddit, malefi cijs reluctatur, viſionem acuit, phantaſmata fugat, & denique ardorem internum extinguit. Melius tamen argento, quàm auro incluſus ſuas virtutes exercet. Fides huius conditionis eſſe traditur, quæ hominem inter aduerſa ſecurum conſtituit, maleficijs, nempè Dæmonum, & Hæreticorum tentamentis occurrit, viſum intellectus acuit, & tandem feruorem auaritiæ, & libidinis mitigat. Deinde magis in argento clauſus, quàm in alio metallo magnificatur: quandoquidem fides in eloquẽte Euangelij Prẽcone magis, quàm in alio homine progreſſum facit, dum diffunditur, & alijs communicatur.

Fides cui ſimilis.

Rurſus Iaſpis geſtatus ardorem internum temperat, febres, & hydropem curat. Pœnitentia huic lapidi comparatur; nam quando homo illam ſeriò amplectitur, ab ardore voluptatum, à febre libidinoſa, & ab hydrope auaritiæ liberatur. Quinimò ſi ſudor immodicus, geſtato Iaſpide, cohibetur: pari ratione, vi pœnitentiæ, ſudor malarum cogitationum, & ſanguis prauarum delitiarum coercetur.

VSVS IN MEDICINA.

INTER tot huius lapidis ſpecies, Iaſpis omniũ prẽſtantiſſimus in vſu medico vſurpandus eſt, & talis, ad mentẽ Alberti Magni, eſt viridis, rubicundis inſignitus notis. Plinius verba faciẽs de Iaſpide, optimã ſpeciem illam eſſe iudicauit, quę nonnihil purpurei in ſe continet, ſecundũ locum aſſignabat illi, quę colore roſeo decoratur, & in poſtremo loco ſimilẽ ſmaragdo reponebat. Alcaſarius exiſtimauit illũ Iaſpidẽ eſſe præferẽdũ, qui virorẽ habet cum linea alba, & guttis ſanguineis eſt maculatus, quẽ Grãmatiã ſuperiùs nominari explicauimus. Itaq; hic, ex authoritate Alberti, Matthioli, Mylij, & alio-

Li. 37. c. 8.

A & aliorum, fluxum sanguinis coercere perhibetur. Immò addit Alcasarius, Cordubæ factum fuisse periculum, annulo ex viridi Iaspide notis sanguineis aspersо. Quare fortassis huiusmodi sanguinis notæ, ad instar signaturæ, a summo rerum omnium Opifice huic lapidi fuerunt impressæ, vt homines, ex colore, virtutem huius lapidis peculiarem in sanguine cohibendo, cognoscerent. Attamen Anselmus Boetius non viridi, sed tantũ rubro Iaspide, in simili casu periculum fecisse diuulgauit; dum fæmori mulieris nimio mensium fluxu laborantis, alijs prasidijs incassum adhibitis, Iaspidem rubrum impolitum, & rudem alligari iussit; quo fluxio sanguinis illicò suppressa est. Alioquin in alia hæmorrhagia, Iaspis aqua frigidissima madefieri debet, & manu dextra Patientis stringi, & paulò post, iterum madefieri, idq; toties repetendum est, donec sanguis dimanans coerceatur. Aliter etiam parti, ex qua sanguis egreditur, applicandus est.

Præterea in multis etiam alijs affectibus commendatur. Primum referunt in Epilepsia adhiberi, quandoquidem, si spatio diei naturalis, à Patiente circa cartilaginem ensiformem gestetur, excitato sudore, à paroxysmo liberatur, sin secus moritur. Deinde ad dolorem stomachi, Iaspis viridis ita suspenditur, vt regionem oris ventriculi
B tangat: quinimò, ad id præstandum, Iaspis figura Draconis cælatus annulis includi solebat. Cæterùm Galenus, qui nonnisi Iaspidem viridem memorauit, hunc, absq; vlla figura, in hoc casu valere prodidit. Alij Iaspidem viridem maculis albicantibus consperſum ex India Occidentali delatum in affectu colico, & nephritico ita suspendunt, vt particulam dolore afflictatam contangat. Nonnulli, hac gemma generationem calculi impediri posse crediderunt, & præcipuè si Scorpionis effigiem habuerit cælatam ea hora, qua Sol signum Scorpionis ingreditur, quoniam, hoc tempore, peculiares de Cælo virtutes, ad prohibendam calculorum generationem, acquirere existimarunt: cum vanum sit opinari aliquid à figura, quæ neq; qualitas, neq; substantia est, prodire posse. Postremò ad febres, & hydropes curandas, necnon in paritura, non improbatur. Hinc Marbodeus cecinit hunc in modum.

Ad dolorẽ stomachi.

Caste gestatus febrem fugat, arcet hydropem
Appositusq; iuuat mulierem parturientem.

C Cæterùm non omnes febres, & hydropes Iaspide sanari pronunciant, sed tantummodò illas, quæ à concoctione labefactata, & à nimio sanguinis fluxu oriuntur. Prædictis addamus, ex sententia Mylij, virore Iaspidis aciem oculorum refici, & illos ab omnibus sordibus expurgari, necnon spiritus vitales mirandum in modum recreari.

VSVS IN VARIIS.

OBSTVPVIMVS, quando legimus Plinium, qui se vidisse Iaspidem vndecim vnciarum, & inde effigiem Neronis formatam fuisse referebat. Nihilominus Erasmus Stella Iaspidem ad tantam magnitudinem excrescere scripsit, vt in ædificijs adhiberetur; quãdoquidem parietes Iaspide incrustatas obseruasse testificatus est. Idem Author addit tantam huius copiam apud Tubantinos erui soleD re, vt in publicis fabricis, rudi forma, à Veteribus inclusus fuerit. Narrat etiam Maiolus, ex Iaspide vas olim in Sicilia fuisse fabricatum, cuius orificium ad decem palmos, patebat, &, miraculi loco, in montis Regalis templo, ad aquas baptismales seruandas, Deo dicatum fuisse. Garzias ab Horto scriptum reliquit ex Iaspide viridi vasa quædam murrhina fieri, quæ Smaragdum prorsus æmulantur. Quinimò ex tali materia confectum esse illud vas existimat, quod tanquam ex Smaragdo formatum Genuæ ostenditur. Quandoquidem huiusmodi vas quandoq; venale ducentis aureis hispanicis obseruauit; quod si smaragdinum esset, vix hoc pretio millesima illius pars comparari posset. Nos craterem ex Iaspide partim flauum, partim rubrum, & nigricantem venis albicantibus consperſum vidimus, qui ita erat pellucidus, vt, instar speculi, imagines redderet. Gesnerus quoq; mortaria excauari in Iaspide Germanico prodidit. Deinde Iaspis cum optimè signet, Plinius eum idoneum ad sigilla iudicauit. Sed, præter sigilla, ex hoc lapide pocula, coronæ precariæ, cochlearia, manubria cultrorum, & alia huius generis formantur. Ideò damus tabellam, in qua capulus gladij ex Iaspide, & alij lapides Iaspidei artificio elaborati cernuntur.

Li. 37. c. 9.

Colloq. 18.

Lib. 1. hist. Arom.

Crater ex Iaspide.

Li. 37. c. 8.

Iaſpides variè elaborati.



Inſuper Iſidorus, Albertus,& Matthiolus monimentis mādarunt, Iaſpidem,ad conciliandam hominum gratiam geſtari ſolere. Idcircò Ripa, pro icone Gratiæ,venuſtam Iuuenem Iaſpide coronatam effigiauit: deinde paulò inferius, ad oſtendendam Laudis imaginem, pulcherrimam iuuenem cum Iaſpide de collo ſuſpenſo figurauit. Huc etiam reſpexit Virgilius, quando cecinit.

Par.2. Iconol.

Lib.4. Æneid.

illi ſtellatus Iaſpide fulua
Enſis erat.

Quoniam tunc Didonis gratia expetebatur. Iſidorus tamen, & Albertus id eſſe nugamentum opinantur. Tandem addit Plinius, cui Mylius, & alij Authores fauent, Iaſpide ſimili Smaragdo phantaſmata pelli: qua de re Incolæ Orientis, pro amuleto, hunc aſſiduè geſtant. Dioſcorides tamen, & alij hanc proprietatem omni Iaſpidum ſpeciei aſſignant: etenim omnes Iaſpidis ſpecies tanquam amuletum aduerſus veneficia commendantur,& præſertim ſi in argento clauſæ fuerint; vnde Marbodeus ad rem hos verſus protulit.

Et (ſicut perhibent) Phantaſmata noxia pellit,
Cuius in argento vis fortior eſſe putatur.

DE

DE HELIOTROPIO.
Cap. LXIX.

ÆQVIVOCA.

SEPIVS, in antecedenti Capite, Heliotropij mẽtionem fecimus, quia cum Iaspide maximam affinitatem habeat: quare ordinis ratio expostulat, vt in præsentia, de huiusmodi lapide sermo habeatur. At nomen hoc multis alijs conuenire videtur, itaut in æquiuocationem incurrat. Primirùs Heliotropium est herba apud Dioscoridem, cuius folia cum Sole, nubilo etiam Cælo, circumaguntur: tanta est cum Sole huius simplicis herbæ conuenientia. Huius postea plantæ Bauhinus, in Phytopinace, quinque differentias proponit. Præterea Athenæus Heliotropiũ scribit esse Solarium, vel locum, in quo horæ ad Solem, veruto vmbram faciente, denotantur Tandem Heliotropium est gemma opaca, de qua in præsenti Capite verba fiunt. *Lib. 4. cap 193.* *Lib. 5.*

NOMENCLATVRA, ET ETYMVM.

HIC lapis ab Anselmo Boetio vocatur Heliotropius, fortassis ad differentiam plantæ. Verùm apud Græcos hoc nomen ἡλιοτρόπιον, nempè Heliotropium, tam ad plantam, quàm ad gemmam indicandam, in genere neutro vsurpatur. Huius autem nominis rationem esse dicimus, quoniam Græci ἥλιον Solem, & τροπὴν motionem, vel conuersionem appellant: namq; lapis hic, sub aqua locatus, ex Plinio, & Isidoro, ad radios solares, ob vinacem forsitan rubedinem, & viriditatem, colorem adeò croceum spargit, vt aerem nubibus replere videatur. Aut etiam ita vocatur, quoniam extra aquam, instar speculi, Solem recipiat, illumq; tanquam Eclipsi afflictatum ostendat. Cum autem hic lapis Solis claritatem mutare videatur, non est mirandum, si nomen Heliotropij sibi comparauit. Id eleganter expressit Marbodeus his versibus. *Heliotropij effectus.*

Ex re nomen habens est Heliotropia gemma,
Quæ Solis radijs in aqua subiecta bacillo;
Sanguineum reddit mutato lumine Solem,
Eclipsimq; novam terris effundere cogit.

Huiusmodi effectus de Sole ab Heliotropio nostræ ætatis non producuntur: quamobrem necessariò asserendum erit, vel Heliotropium Antiquitatis à nostro discrepare, vel huiusmodi affectiones Heliotropio perperàm fuisse assignatas.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

IN describendo hoc lapide, eum Marbodeus cum Smaragdo similem, & maculis conspersum sanguineis constituit: canit igitur de illo hunc in modum.

Sanguineis aspersum guttis, similemq; Smaragdo.

Porraceo colore infectum videtur Heliotropium guttis puniceis, & venis sanguineis distinctum, ad differentiam Iaspidis viridis, in quo maculæ sanguineæ conspiciuntur: cum Heliotropium non punctis, atq; guttis, sed venis sanguineis interstinguatur. Virorem autem non habet elegantem, quoniam ex succis non claris, immò turbidis, viridibus, rubris, & nigredine quadam infectis, in sinu terræ, concreuit. Apud Anselmum Boetium hæc gemma opaca est, viridis, sanguineis punctis, aut venis variata; hodieq; Iaspis orientalis appellatur. Apud nonnullos pristinum nomen retinet, præsertim quando aliqua ex parte translucet: hac enim ratione Gemmarij peritiores Heliotropium ab Iaspide discriminare solent. *Iaspis orientalis.*

Est

Eſt autem huius natura, vt maiorem Iaſpide authoritatem habeat. Vilioribus Iaſpidibus, & Praſijs adnaſcitur, & aliquando mater Praſij, Smaragdi, & aliarum gemmarum viridium eſſe perhibetur.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

SI perpendamus differentias ratione loci natalis, obſeruabimus, annotante Plinio, horum lapidum alios ab India, alios ab Africa, alios ab Aethiopia, & alios à Cypro mitti. Quamuis Germania, & præſertim Bohemia illis non careat. Quinimò ex India Orientali interdum affertur tantæ magnitudinis, vt inde excauari poſſint Sarcophagi, quibus cadauera Defunctorum conduntur, & talem, in vrbe Burgenſi, ſe conſpicatum fuiſſe, Boetius teſtificatur. Sed certant Authores inter ſe, ex quonam loco præſtantiſſimum habeatur Heliotropium, & tandem deprehenſum eſt, Aethiopicum, vel Libycum inter alias differentias principalem locum occupare. Quoniam autem, ratione colorum, varietas non vulgaris in Heliotropio obſeruatur. Damus hoc in loco tabellam quinq; differentias oſtentantem, vbi Heliotropia variorum colorum, & figurata delineantur.

Magnitudo lapidis.

1. Heliotropium erat coloris viridis, maculis purpureis, & luteis refertum, vbi ſculpta conſpiciebatur mulier, quæ manibus aliquod ſignum triumphantis geſtabat.

2. Eſt aliud Heliotropium cum effigie viri baculum manu tenentis.

3. Heliotropium figura ferè hexagona, quod maximè lucidum erat, cum maculis albicantibus, ſubuiridibus, & purpureis.

4 Heliotropium cælatum, &, figura, referebat aliquem Geometram: nam inſtrumentum mathematicum manu geſtare videbatur. Præterea coloris erat viridis diluti, & figuræ oualis.

Heliotropij quinque differentiæ.



A 5. Heliotropium fuit orientale, figuræ trigonæ, colore viridi subobscuro insignitum, cum maculis rubris saturatis, cuius pars exterior valdè nitebat.

Aliquando inuenitur Heliotropium, quod viridi colore, & sanguineis venis caret, hocq; nomen Heliotropij non meretur, sed ad aliud genus lapidis pretiosi, vel gemmæ opacæ referri debet.

VSVS IN MEDICINA, & alijs.

CVM Heliotropium nostrum maximam cum Iaspide affinitatem habeat, nemini dubium esse debet, vires etiam Iaspidis possidere. Primò venenis reluctatur, & sanguinem vndequaq; fluentem supprimit. Hinc Marbodeus hoc carmen
B prodidit.

Sanguinis astringit fluxum, pellisque venena.

Insuper addit Boetius, hoc lapide gestato, calculi generationem prohiberi, ventriculi coctionem iuuari, & Epilepsiam arceri. Tandem alium vsum habuisse videtur apud Antiquos; nam Gestantes hanc gemmam plurima vaticinari, & futurarum rerum quædam prænoscere Marbodeus scripsit.

Sed quoq; gestanti dat plurima vaticinari,
Atq; futurarum quædam prænoscere rerum.

Hanc autem operationem fabulosam, & ridiculam esse credendum est: quandoquidem olim, hoc lapide, Ethnici à cultu diuino aberrantes, præsertim in Idolorum festis, Alberto Magno referente, vtebantur. Alium etiam vsum antiquum huius lapidis Marbodeus recitat, dum Heliotropium gestabatur, vt gestans ab oculis humanis subtraheretur: versus Marbodei sunt hi.

Nam si coniungatur eiusdem nominis herbæ
C *Carmine legitimo, verboq; sacrata potenti.*
Subtrahit humanis oculis quemcumq; gerentem.

Hanc quoq; operationem, & vsum Plinius improbat, & damnat, & à Magorum impudentia id fictum, & factum esse retulit. Etenim certum est nullum lapidem, vel gemmã, naturali sua facultate, impedire posse, quominus gestãs à Præsentibus cõspiciatur.

DE PRASIO. Cap. LXX.

ÆQVIVOCA.

D

VNC locum Prasio lapidi libenter assignauimus, quoniam, ex mente Plinij, tres huius lapidis species proponentis, secunda cum Heliotropio conuenire videtur, cuius historia paulò ante fuit exarata. Itaque Prasius; siue πράσιος inter gemmas opacas ab Authoribus reponitur. Verùm Prasius etiam potest appellari homo ex Prasijs Indiæ populis, quorum metropolis, referente Plinio, Palibrota nominatur; vel etiam ex Prasia oppido in ora Laconica sito, cuius Thucidides meminit. Alioquin Prasium, in genere neutro, prolatum, apud Tabernemontanum, & Anguillaram, denotat illam plantam, quam Botanici passim Marrubium appellant, quoniam suo colore πράσον, nempè Porrum æmuletur. Hæc postmodum planta in album, & nigrum Prasium destribuitur, vt suo loco exponetur.

Lib. 2. belli Peloponn.

Marrubiũ.

SYNO-

SYNONIMA, ET ETYMVM.

LAPIS hic à Latinis Praſius, & à Græcis πράσιος cognominatur, vel ἀπὸ τῦ πράσου, nimirum à Porro, cum illius colorem imitetur, vel à verbo græco πρασίζω, quòd vireſcere ſignificat: etenim lapis hic in natalibus talem ſibi acquirit viriditatem, quæ porrorum caudis, vel eorumdem ſucco non eſt abſimilis. Alij crediderunt hunc lapidem ita fuiſſe nuncupatum à Praſio Græcorum, vel à Marrubio Latinorum: cum hæc planta virore fuſco, & porraceo referta ſit, qualis color in Praſio etiam lapide obſeruatur: habet enim pinguem ſmaragdi colorem. Immò hæc obſcuritas ſemper in aliquibus eius partibus conſpicitur: hac de re gemma pinguis, purulenta, & multis in partibus opaca cognominatur. Alij ſcripſerunt hunc lapidem eſſe Praſitim apud Theophraſtum. Italis dicitur, corrupto nomine, Praſma, & Plaſma, Germanis Ein Praeſem, vt notat Boetius.

Color Praſij.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

INTER viridantes vilioris turbæ gemmas à Plinio, & Iſidoro hic lapis collocatur, cuius color proximè ad colorem Porri, vel Marrubij accedit. Oritur autem huiuſmodi color ex miſtura flaui, & viridis coloris. Eſt veluti nubeculis perſpicuus, vel, vt alij referunt, totum lapidis corpus quadam diaphaneitate impeditur. Huic interdum aliquid rubri, albi, vel nigri inſider: cum adnaſcatur Iaſpidi, Cryſtallo, Smaragdo, & alijs gemmis, à quibus varia corpuſcula, & diuerſos colores acquirit, &, iuxta ſententiam Alberti, veluti mater Smaragdi conſtituitur, quia frequenter in eo incluſus reperitur: immò vires inter Iaſpidem, & Smaragdum medias illi attribuit: cum moneat Plinius, talem in Cypro media parte Iaſpidem, & media Smaragdum inueniri. Hieronymus Cardanus Praſium virentem obſcuriùs Smaragdo contemplatur, & illius colorem Iaſpideo hilariorem, ſed impurum eſſe refert, illique nonnulla puncta rubra, nigra, & alba aliquando attribuit.

Mater Smaragdi.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

RATIONE coloris, tres differentiæ proponi poſſunt. Prima, ad mentem Boetij, continet Praſium, qui exactè colorem Porri imitatur; ſecunda comprehendit illum, qui multum flauedinis habet, & colorem quaſi filicis areſcentis repræſentat, hic, ſi aureo ſplendore radiet, Chryſopteros Veterum eſſe perhibetur. Tertia differentia amplectitur Praſium, qui exigua viriditate, ſed maiori flauitie luteſcit. Hoc poſtremum genus ad lapides nephriticos reduci poteſt. Marbodeus, & ipſe colores reſpiciens, tres Praſij ſpecies deſcribit. Primam viridem cum aureo colore facit, ſecundam ſanguineis venis, & tertiam candidis notis decorat his verſibus.

Chryſopteros.

Conſpicuis Praſius gemmis ſolet annumerari,
Sed non eſt carus contextus quippe decore,
Vtile nil affert, niſi quòd viret, & decet aurum.
Altera ſanguineis ſpecies eſt illita venis,
Tertia candidulis tribus eſt inſcripta lituris.

Verùm dubitamus, ne Author hic verum Praſium cum Chryſopraſio, & nonnullis alijs gemmis cõſpicuis confundat, de quibus, in Rubrica Denominatorum, agetur. Nos habuimus gemmam opacam huius generis, & Praſium leucochloron appellauimus, cum maculis albis, & virentibus eſſet referta, aliqua tamen ex parte nitebat. Hic datur icon Praſij coloris viridis, qui ſcalptam habebat figuram Temperantiæ, cum aſteriſco ad latus, formæ lunaris. Ibidem delineatur lapis pronè, & ſupinè, qui Malachites dicitur, de quo in ſequenti Capite agemus.

Praſius leucochloros.

Pra-

Prasius, & Malachites.

Insuper à magnitudine, vel à mole aliquam differẽtiam elicere possumus. Quoniam hæc gemma vilis ab Authoribus appellatur, cum copia illius inueniatur, & ad tantam molem excrescat; vt inde, Boetio annotante, statuæ concinnari possint. Exhibetur tabella cum icone frusti grandioris Prasij cylindrici, in quo hieroglyphica quædam conspiciuntur. Etenim antiquissimi illi Philosophi incolæ Ægypti sua mysteria characteribus Ægyptijs in lapidibus nobilioribus exarabant, vt ad tempus diuturnum forent perennia. Quamobrem, in hoc Prasio, præter hieroglyphicos characteres, effigies etiam Satyri, & Leonis apparent. Præterquamquod lapis hic erat perforatus. *Statuæ ex prasio.*

Prasius Cylindricus cum hieroglyphicis.

Hu-

Locus. Huiuſmodi lapides non ſolùm in India orientali, & occidentali, ſed etiam in Europa, & præſertim in Bohemia, & vicinis regionibus inueniuntur. Hodie intelleximus à nonnullis, multos huius generis lapides circa litora maris Adriatici in Dalmatia obſeruari.

DENOMINATA.

Chryſopraſus. SVNT in rerum natura multæ gemmæ diaphanæ, quæ à Praſio lapide denominationem ſortiuntur. Prima eſt Chryſopraſus, quaſi dicatur Praſius aureum ſplendorem cum viriditate Porri, ſeu Praſij coniunctam habens. Hæc gemma viſui grata eſt, & viribus Praſij lapidis reſpondet. Alia nuncupatur Smaragdopraſius, quæ naturam mediam inter Praſium, & Smaragdum poſſidet. Hæc gemma viriditate graminis gaudet, nec quidquam flauitiei in ſe continere videtur, dum Praſio comparatur, at collata, ad Smaragdum, quamdam flaueſcentem viriditatem, magis, quàm Smaragdus oſtendit. Rarò conſpicua inuenitur, cum vt plurimum opacam perſpicuitatem habeat. Apud Boetium, pro pſeudoſmaragdo habetur, & fortaſſis apud Plinium Chlorites vocabitur. In Bohemia, & occidentali India reperitur. His addatur Praſoides gemma, quam ad genus Topatiorum reducunt.

Smaragdopraſus.

Chloritis Plinij.

Praſoides.

VSVS IN VARIIS.

ANONNVLLIS Praſius commendatur ad roborandam oculorum aciem, quoniam eorumdem caligini occurrat: quapropter, ex Alberto Magno, lapis hic cum Iaſpide, & Smaragdo virtutes habere communes traditur. Non deſunt, qui affirmant, ad reficiendos ſpiritus vitales, in vſu eſſe. Hæc autem virtus in Smaragdo etiam vigere fertur, qui ſua perſpicuitate ſubſtantiam ſpirituum recreat. Tradit quoq; Michael Mercatus, Praſiũ, veneno præſente, viriditatem amittere, quam nonniſi diligenter ablutus recuperare poteſt.

Venenisreſiſtit.

DE MALACHITE.
Cap. LXXI.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

CVM ad Praſij ſpecies Malachitem nonnulli referant, non eſſe abreiudicauimus naturam illius hoc in loco examinare. Hæc gemma eſt opaca Malachites nuncupata, ſimiliſque virori foliorum maluæ, quam Græci μαλαχην vocant. Quapropter à Gemmarijs non ſine cauſa Malachita, &, nomine corrupto, Malaquita nominatur. Aliter dicitur Molochites, fortaſſis, quoniam huiuſmodi color in purpureũ vergens Molochinus, quaſi Malachinus vocetur, dum colori florum maluæ aſſimilatur. Quamobrem Plàutus homines lanam, huiuſmodi colore, inficientes, Molochinarios indigitauit. Ideò ſi talis color alicui gemmæ competere debet, hæc proculdubiò erit illa Malachitis, vel Molochitis ſpecies, quæ lapis pauonius, ſiue ταὼς, nempè Taos nominatur (ταὸς enim Græcè Pauo exponitur) cum apud Authorem non proletarium legerimus Pauoniam gemmam æmulari pennas Pauonis, dum partim viridis, & partim amethiſtini ſit coloris. Vulgò dicitur Melochite, vel Malachita.

Molochites.

Molochinarij qui.

Lapis Pauonius.

Taos.

DE-

DESCRIPTIO, DIFFERENTIÆ, & Locus.

COLOREM foliorum maluæ recentium lapis hic refert; sed Marbodeus crassiori smaragdino colori eum assimilat hoc versu.

Crassum quippe virens similis solet esse Smaragdo.

Licet quandoq; venis albis exornetur, interdum cæruleus color illi gratiam conciliat: alter verò hunc lapidem maculat, & deturpat. Quocirca si à colore differentiæ petantur, non solum obseruabimus aliquam huius speciem ad colorem viridem inclinare, sed etiam aliam ad cæruleum dilutum accedere, qualis color in Turchesia, vel Turcoide conspici solet, de qua in subsequenti capite verba fient. Hodie monstratur quidam lapis virescens, opacus, nimirum minimè translucens, insignitus quibusdam maculis à dilutiori viriditate factis, quæ oculos pennarum Pauonis repræsentare videntur, & præsertim si madefactus radijs solaribus exponatur: quapropter ab aliquibus Gemmarijs lapis pauonius cognominatur, & inter species Malachitis reponitur. Huius fortè meminit Plinius, quando loquens de Smaragdis, Carchedonios pennis Pauonis similes esse pronunciauit. Varietas coloris quatuor genera huius lapidis, apud Anselmum Boetium, constituit. In primo genere collocatur Malachites exactè colorem maluæ referens, in secundo lineas albas habēs, in tertio, cui color cæruleus distinctè intermixtus, non secus ac ex lapide Lazuli, & Malachite hic lapis integratus fuisset. In quarto genere recensetur illa differentia, quæ ad colorem Turchesiæ accedit, & hæc cæteris præstantior habetur.

Lib. 37. de Smaragdo.

Charchedonius lapis.

Ratione loci natalis, colorem in hoc lapide esse varium asserimus: quandoquidem gemma hæc ex Arabia delata, virorem magis intensum habet; quam Cyprus mittit, ad flauitiem inclinare videtur. Persica ex viriditate ad cæruleum vergit. Itaq; præcipuè inuenitur in Arabia: iuxta carmen Marbodei.

Hanc Arabum gentes prius inuenisse feruntur.

Deinde reperitur in Persia, in Cypro, in Misnia, & in comitatu Tyrolensi. Adnascitur plerumq; Chrysocollæ, itaut hæc quodammodo Malachitis mater esse videatur: etenim Boetius huius frustum, quod ex Malachite, & Chrysocolla coaluit, se habuisse fatetur.

Malachitis mater.

VSVS IN VARIIS.

CVM aspectui non admodum sit grata Malachites, rarò annulis, ornamenti gratia inseritur. Sed, cum ad aliquam magnitudinem excrescat, exigua pocula, & cultrorum manubria inde fabricantur. Cæterùm, sanitatis causa, non solum ad annulos, sed etiam ad bracchialia admittitur: quoniam gestantem à fulmine, ab animi perturbatione, à contagio, à terriculamentis diurnis, atq; nocturnis, necnon à fascinatione defendere traditur, & propter hanc causam pueris appenditur. Id non intactatum reliquit Marbodeus his versibus.

Infantum cunas virtute sua Molachites
Protegit, & casus abigit quoscumque siniſtros,
Ne teneris membris pars posit iniqua nocere.

Olim superstitiosi Magi figuram Solis huic lapidi insculpebant, vt gestantes à fascinationibus, malis spiritibus, & venenatis animalibus securos redderent. Id autem inter aniles fabulas recensendum esse opinamur. Præterea hic lapis ad syncopem, ad dolores, hernias, & casus impediendos, pro amuleto vsurpatur. Huius puluis cum lacte propinatus colicam, & cardialgiam sanare perhibetur fortassis purgando; quoniam Boetius ab amico intellexit, hunc puluerem, pondere sex granorum, instar Antimonij purgare. Idem puluis cum modico mellis haustus menses prouocare traditur. Idem cum linteolo humido parti spasmo affectæ applicatus, affectionem tollit. Mixtus cum aqua vitæ vlcera virulenta curat. Si regioni ventriculi apponatur, authore Cratone, cum corroborat: quapropter coincidet fortè cum illa specie Iaspidis, quæ ad conciliandum stomacho robur, tum a Galeno, tum à cæteris Veteribus tantoperè fuit celebrata.

Amuletum medicamẽtum.

Purgãs instar Antimonij.

DE TVRCHESIA.
Cap. LXXII.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

Turcois. Turchina.

TANTAM affinitatem habet hęc gemma opaca cum ſuperiori, vt multi obſeruauerint, Turcheſiam, frequenti ablutione, in malachitem degeneraſſe. Aliter vocatur Turcois, Turcoſa, & Turchina, Germanis Ein Turkes; quinimò omnibus nationibus, hoc nomine, notiſſima eſſe perhibetur: cum è regionibus Turcarum afferatur. Nonnulli, vt Agricola, crediderunt aliquam ſpeciem Iaſpidis apud Antiquos fuiſſe, & præſertim illam, quam Plinius Boream, Græci Aerizuſam, & alij Calaidem appellarunt. Meſue nuncupauit Feruzegi, corrupto nomine, propter litterarum vicinitatem, in lingua arabica, à vocabulo Peruzaa, quo Mauritani Turcoidem indigitant Et quamuis, in ſacris Biblijs, inter gemmas Rationalis hæc gemma memorata non videatur: nihilominus, octauo loco, inter alias gemmas, in Exodo recenſeri Arias montanus retulit. Quandoquidem verbum hæbraicum (Sabò) Græci, & Latini Achatem exponunt, ſed Chaldæi interpretes Turkaia vertunt, quæ vox noſtræ Turcheſiæ conuenire videtur.

Boreagemma. Aerizuſa. Calais. Feruzegi. Cap. 28. Turkaia.

NATVRA, ET AFFECTIONES.

COLOREM naturaliter habet ex viridi, albo, & cæruleo compoſitum. Quoad colorem æruginis aliquo modo inclinare debet. Quapropter Gemmarij principaliter hunc colorem obſeruant, deinde num ſit in lapide permanſurus; quia horum lapidum aliqui reperiuntur, qui colorem mutant, & alij, qui, tractu temporis, illum pedetentim amittunt. Cæteris ſemper præfertur, qui colorem æruginis depuratæ refert, & viriditatem cærulei lacteſcentis oculis gratam oſtentat. Lapides autem huius generis, qui venas habent nigras, aut plus iuſtò vireſcunt, vel lacteſcunt, nihili æſtimantur. Non habet hic lapis diaphaneitatem, & vt plurimum cælaturam non admittit. Sunt, qui dicant optimam cognoſci Turcheſiam, quando noctu vireſcit, & diù cærulea apparet. Interdum nonnullis notis albicantibus maculatur; hanc Gemmarij marmorinam appellant, & tanquam nimis vulgarem improbant. Præterea aliam patitur affectionem, nam, etiamſi elegantem oſtendat colorem, frequenti tamen tactu, vel ablutione, vel ſudore natiuum colorem deponit.

Conditiones Turcheſiæ.

Amplius aliqui, longa obſeruatione, didicerunt hanc proprietatem ineſſe Turcoidi, vt geſtata ab homine in ſecũda valetudine verſante, in dies proprium colorem elegantiorem oſtendat, & viciſſim ab homine valetudinario pertractata, aut in manibus Defuncti poſita, genuinum colorem amittat. Eadem poſtea à digito Defuncti ablata, & ad manus ſanas delata, amiſſum colorem recuperare perhibetur. Nonnulli crediderunt nullam huius effectus cauſam naturalem aſſignari poſſe: nihilominus mutationem coloris in hoc lapillo naturaliter fieri poſſe aſſeuerantiùs dicimus. Quandoquidẽ gemma hæc non eſt admodum dura; ideò facilè ab halitu, vel vapore alteratur, qui à meatibus cutis perpetuò egrediens, vel pulchrum, vel turpem colorem lapillo impertiri poteſt. Quando igitur Turcheſiæ Defuncti, amiſſo ſuo colore, geſtatæ ab homine ſano, & viuente priſtinus color reſtituitur, dicendum erit à corpore viuente continuum halitum, & vaporem eleuari à cute, cuius ſalſedo, ad priſtinum colorem, gemmam reuocare poteſt: cum experientia doceat, nullo alio artificio colorem Turcoidis, niſi aceto, & ſale ammoniaco emendari.

Mutatio coloris Turcheſiæ.

Inſuper opinantur alij Turcheſiam horologij vicem præſtare, & horas diei indicare, ſi filo, pollice, & indice ſuſpendatur intra cauitatem vitri, palmaris, vel minoris

lati-

latitudinis: tunc enim latera cyathi verberari asserunt tot ictibus, quot horæ diei ab horologio machinali percussa fuerunt. Id autem homines tantummodò vani, & in rebus naturalibus parum versati credunt: siquidem horæ non à Natura sed ab humano ingenio excogitatæ, & institutæ fuerunt.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

DIstribuitur hic lapis in Orientalem, & Occidentalem. Vocant Orientalem cæruleo potiùs, quàm viridi colore refertum. Occidentalis est, qui magis virescit, & plus iustò albescit. Cæterùm Orientalis adhuc duplex constituitur; nam alius natiuum colorem perpetuò seruat, & hunc de rupe veteri nuncupant. Alius colorem paulatim amittit, & quodammodo virescit; huncque de rupe noua indigitãt.

Lapides primi generis in Persia, & India Orientali eruuntur; secundi in Hispania, Germania, Bohemia, & Silesia inueniuntur. In Persia Turcois quibusdam lapidibus nigris adnascitur, quasi illorum excrementum esse videatur. Si differentiæ à magnitudine, vel mole lapides petãtur, notandum est, Turchesiam nunquam, aut rarissimè maiorem nuce auellana inueniri. Referunt tamen apud Magnum Etruriæ Ducem, magnã obseruari, quæ Caij Iulij Cæsaris effigiem ostendit.

SIMVLATIO, ET COLORIS emendatio.

VENETIIS Vitrarij Turchesiam eleganter simulant. Boetius quoq; narrat se vidisse quamdam Gallum, qui ex varia materia Turcoidem ita mentiebatur, vt, propter venulas nigras, quas illi inserebat, à genuina distingui minimè posset. Immò, propter artificij elegantiam, caro satis pretio pro fictitijs, & factícijs venditabat.

Præterea, vt hæc gemma colorem amissum recuperet, cæruleum transmarinũ aqua chrysulca soluunt, deinde, fæcibus post destillationem aquæ relictis, lapidem fricant. Alij in aqua chrysulca lapillum imponunt, deinde absterſum aceto, modico temporis spatio, committunt, & tandem aqua frigidissima mergunt: sic enim coloratior euadit. *Emẽdatur multifariã* Alij acetum, & salem amoniacum adhibent. Cæterùm huiusmodi artificijs color intrinsecus ad cutim lapidis extrahitur, qui postmodum pedetẽtim euanescit, gemmaq; ingratior, & vilior redditur. Quare satiùs esset, ad mentem Boetij, cutim lapidis extimam oleo vitrioli exedere, vt color subiectus elegantior appareat. Cognoscitur autem lapidis vitium, scilicet quando aliquo artificio lapis fuerit coloratus; quoniam color non est æqualiter cæruleus, dum in summitate lapidis continuo vsu abstergitur.

VSVS IN MEDICINA, & alijs.

ARABES hanc petram ad vsum medicum trahunt: nam Mesue, in Electuario de gemmis, præscribit gemmam Feruzegi, quam Interpretes Smaragdum exponunt, sed perperàm, vt Gargias ab Horto animaduertit, qui Turchesiam intelligi voluit, quæ Arabicè Peruzegi, vel Peruzoa scribitur, nimirum mutata F. littera in P. & viciſſim: namq; hæ duæ litteræ magnam inter se affinitatem habent.

Deinde tantam authoritatem apud viros habet Turchesia, vt nemo nisi hanc habuerit elegantem, proprias manus ea exornare voluerit. Multi tamen, pro amuleto, ad casum suspendunt, & præsertim æquitantes, vt casum ab equo arceant: quare hæc opinio ita inualuit apud Turcas, vt capita equorum, eorumq; ornamenta huiusmodi lapide exornent. *Amuletum est.*

DE ACHATE.
Cap. LXXIII.

ÆQVIVOCA, SYNONIMA, Etymum.

MVLTI lapides in proximè antecedẽtibus capitibus examinati, & præſertim Iaſpis ratione varietatis colorum, cum Achate communicant: quapropter ordinis ratio expoſcit, vt hoc in loco de Achate agatur. Hic tamen lapis ab æquiuocatione non eſt immunis, quandoquidem Achates apud Virgilium traditur fuiſſe nomen proprium perpetui Comitis Æneæ, dum de illo ſic canit Poeta.

— ipſe vno graditur comitatus Achate,

Lib. 1. Aeneid. Seruius tamen deducit hoc nomen ἀπὸ τῆς ἀχεος nimirum à cura, & ſollicitudine, quæ Reges, & Principes perpetuò concomitari debet. Aliter Achates eſt Siciliæ fluuius, vulgò *Cantara* nuncupatus, vbi, teſte Plinio, gemma hæc primùm inuenta fuiſſe perhibetur, de quo fluuio Silius Italicus ſic cecinit.

Et perlucentem ſplendenti gurgite Achatem.

Lib. 14. Tandem Achates eſt gẽma varijs coloribus decorata, cuius hiſtoriam in præſenti capite proſequemur. Græcis vocatur ἀχάτης, Italis Agata, Alberto, & Iſidoro Agates. Aduertendum autem eſt, ne confundatur cum Gagate ſuccini ſpecie, de quo ſucco concreto, in tertio libro, actum fuit. Nomen autem ſibi comparauit à loco, vbi primum inuentus traditur lapis, nempè ab Achate fluuio Siciliæ Tyrrheni maris Inſulæ. Hanc etymologiam Marbodeus his verſibus ſic proſequitur.

Gagates ſuccus concretus.

Vt perhibent primùm lapis eſt inuentus Achates
In ripis fluuij, qui nomine dictus eodem
Hic pretio diues ſiculas perlabitur oras.

Pariter Rhennius de etymo huius lapidis hæc habet.

Cernitur egregius lapis hic, cui nomen Achates,
Hoc dederat fluuius, cuius generatur ad vndas.

Ponticam, pro Achate, Plinius dixit, alioquin hoc nomen adiectiuum eſt.

NATVRA.

OLIM in magna authoritate fuit Achates; hodie, propter copiam, multum dignitatis amiſit. Etenim, quæ nimis familiaria ſunt, quodammodo contemnuntur, cum nihil carum, niſi rarum eſſe videatur. Hic lapis varietate colorum ornatus conſpicitur, idcircò formam diuerſarum gemmarum complecti videtur, & primum Iaſpidi valdè aſſimilatur. Diſcrepant poſteà ab inuicem, quoniam Achates eſt gemma durior, & exactiorem polituram admittit, cum ex tenuioribus ſuccis cõcreſcat. Præterea Iaſpis ſemper aliquid puluerulenti in ſe continet, quo caret Achates. Deinde forma, & coloribus non eſt abſimilis Onychi, cuius hiſtoriam in ſequenti capite proſequemur. Onyx tamen non eſt ita durus, magiſq; eſt diaphanus, quam Achates. Rurſus Onyx zonis decoratur; Achates verò, loco zonarum, lineas, ſeu maculas variorum colorum comprehendit, quibus ſimul iunctis, & commixtis, variarum rerum imagines repręſentantur. Affinitatem verò Achatis cum prædictis gẽmis Calcedonius oſtendit: hic enim, tanquam mater, & radix Iaſpidis, & Achatis conſtituitur: quãdoquidem in Calcedonio germanico maculæ virides Iaſpidis, necnon cinereæ, cum varijs coloribus Achatis conſpiciuntur.

Matrix Achatis.

DIF-

A

DIFFERENTIÆ.

HIC lapis partim à coloribus, partim à figuris, quas exprimit, partim à gemmis, quibus, in primordio generationis, permiscetur, & partim ab odore differentias sortitur. Ratione colorum, scripsit Cardanus, Achatem esse lapidem tam varium, vt non vna tantùm gemma sit appellanda: namque conspicitur ruber, luteus, cinereus, viridis, niger, cæruleus, & alijs coloribus diuersis insignitus. Hinc Marbodeus huc respiciens cecinit hunc in modum. *Lib. 7. de Var.*

Sit licet ipse niger, zonis tamen obsitus albis.

Quandoquidem Poeta zonas, pro lineis, vsurpat. In primis Perileucus est species Achatis, à cuius superficie ad radicem vsq; lineæ, instar albi marmoris, descendunt; & quamuis, propter colorem nigrum, & subobscurum, gemma non sit admodum conspi-
B cua; nihilominus si diuidatur in tenues laminas, aliqua ex parte perspicuitatem ostentat. Pariter à colore denominatur Leucachates, ob perspicuitatem in candore pulcherrimam; nam λευκὸς est græca vox, album significans. Phassachates palumbini est coloris; cum vox græca φάσσα palumbum exponat. Cerachates dicitur, quia sit cornei coloris: nam κέρας Græcis cornu est. Hæmachates vocatur, quando lapis est venis sanguineis insignitus. Vnde Marbodeus hoc carmen protulit. *Leucachates.* *Phassachates.* *Cerachates* *Hæmachates.*

Sanguineas maculas ille, qui perhibetur habere.

Leonachates est, cui color inest croceus & leoninæ pelli non absimilis: veluti Pantachates dicitur ob varias maculas, quibus lapis assimilatur Pantheræ. Inuenitur quoq; habens colorem pelli Ceruorum consimilem: hinc Plinius non immeritò gemmam Nebritem indigitauit: etenim Nebris pullum Cerui significat. Tandem prædictis additur Corallachates; cum colorem rubrum, instar Corallij, guttis aureis præditum habeat. De hoc sic cecinit Marbodeus. *Leonachates.* *Pãtherachates.* *Lib. 37. ca. 10.* *Nebrites.*

Hunc quoq; Coralio similem gerit Insula Creta,
C *Cuius planities chrysteis est illita venis.*

Ratione figuræ, in hoc genere lapidis, omnium ferè Animantium, Vegetabilium, & aliorum inanimatorum icones obseruantur: quapropter Marbodeus hos versus protulit.

Hic lapis ingentias perhibetur habere figuras
Nunc Regum formas, nunc dat simulacra Deorum.

Et paulò inferius.

Nunc nemorum frondes, nunc præbet signa Ferarum.

Idcircò Camillus Leonardus Pisaurensis narrat se conspicatum fuisse Achatem, quæ septem arbores in planitie quadam viresccntes exprimebat. Rhennius quoque varias figuras in hoc lapide meditatus, in hæc verba prorupit.

Hanc simulacra vides venis ostendere gemmam.

Nos primum in hoc lapide diuersas rerum animatarum icones contemplati sumus: quamobrem vocauimus quamdam speciem Achatis Lagitem, in qua ludens Natura
D caput, & partem colli Leporis delineauit. Quamuis hoc caput, cum auribus careret, Molam potiùs piscem repræsentare videretur, quam nonnulli Rotam nuncupant. Pariter Achatem habuimus longitudine digiti auricularis, quæ in se figuram alicuius insecti, & præsertim hirudinis continebat: licèt nonnulli hanc esse figuram piscis asseuerarent. Id autem nobis persuadere non potuerunt, cum careret pinnis, quibus, ad natandum, pisces vtuntur. Vocauimus igitur Achatem Bdellitem; cum βδέλλα græcè hirudo exponatur. Deinde lapis hic, iuxta alteram partem, caput cum oculo referebat, & iuxta hanc partem, Achates ophthalmites nuncupari poterat. Propterea hic lapis pronè, & supinè delineatus in hac tabella exhibetur. Ibidem quoq; est alius lapis designatus, quoad lineamenta, & figuras, referens Achatem. Ibidem etiam gemma alectoria pronè, & supinè pingitur, non excedens magnitudinem lupini, forma sphærica compressa, ad crystallinam gemmam accedens, & in ventriculo galli inuenta. Habebat autem paruam appendicem, qua fortassis stomacho adhærebat. Huius historiam paulò superius examinauimus. *Mola piscis*

Achati ſimilis lapis.
Alectoria gemma pronè, & ſupinè picta.
Achates Bdellites pronè, & ſupinè delineatus.

Cæterùm in hoc lapide nobiliores etiam figuræ, veluti ſunt humanæ, obſeruantur. Boetius recitat ſe habuiſſe Achatem vngue medij digiti non maiorem, cum perfecto circulo, fuſci coloris, in cuius medio effigies Epiſcopi mitrati viſebatur. Plinius quoq; monimentis mandauit Pyrrhum Regem Epirotarum poſſediſſe ſimilem lapidem, in quo, penicillo Naturæ, nouem Muſæ, cum Apolline in medio illarum, cytharam tenente, delineatæ fuerant, & venis ita diſcurrentibus, vt ſingulis Muſis ſua redderentur inſignia. Id eleganter explicauit Marbodeus his verſibus.

Rex

Rex Pyrrhus digito gestasse refertur Achatem,
Cuius plana nouem signabat pagina musas,
Et stans in medio cytharam tangebat Apollo.
Naturæ, non artis opus. &c.

Hieronymus Cardanus imagines Musarum in huiusmodi Achate, tanquam ridiculas esse existimauit; quoniam, non à Natura, sed casu, id contigisse tradidit, nempè dum Pictor in aliquo marmoris frusto Musas pinxerit, quod postea, longa annorum series, terra fuerit obrutum, eò potissimùm in loco, vbi Achates effodiuntur. Hæc autem opinio Cardani probanda esse non videtur; quandoquidem colores, tractu temporis, & præsertim sub terra obsolescunt, & suum nitorem amittunt. Potiùs asserẽdum esset aliquem artificis laborẽ opificio Naturæ fuisse additum, quia augẽdo,& minuendo, aliquid artificij huiusmodi lapidibus addi potest. Præterquamquod in multis alijs Achatibus, absq; vlla arte, præstantissimæ, & pulcherrimæ icones conspiciuntur. Venetijs, in Basilica Diui Marci, Achates, naturalibus sic discurrentibus venis, regium caput diademate coronatum ostentat. Nos autem Achatem multò mirabiliorem vidimus, colore albicante, & castaneo, vbi figura humana, genibus flexis, manibus iunctis, & supplicibus, facie ad Cælum eleuata conspiciebatur. Immò è regione loci, ad quem imago aciem oculorum dirigebat, nonnihil splendoris quasi à nubibus erumpere videbatur: quapropter hanc figuram, ob colorem indumenti, Diui Francisci de Paula indigitauimus, & præsertim, quia radians ille splendor in nube, symbolum charitatis exprimebat. Deinde, iuxta alteram partem lapidis, in parte inferiori, elegantissimum spelæum apparebat, & in parte superiori icon venusti Pusionis supra sinistrũ brachium cubantis, & quasi dormientis, penicillo Naturæ expressus erat. Quamobrem fuit concinnatum octastichon alludens ad hunc lapidem, & ad Achatem Pyrrhi, hunc in modum.

Achates Pyrrhi.

Achates cũ imagine S. Frãcisci de Paula.

Protulit Epiri celebratus Regis Achates
Effigiem Phœbi, Pieridumq; chori.
Noster at hic Paulæ Franciscum in imagine sanctæ
Spectantem Solis lumina clara refert.
Necnon vt vita semper sine labe peracta
Gaudeat, angelicis ceu puer ille choris,
Hic lapis est igitur multò pretiosior illo.
Hoc etenim Christi, Dæmonis illud opus.

Insuper quondam conspicati sumus Achatem magnitudine glandis, vbi imago Beatæ semper Virginis cum Iesu infante in sinu, circumdata veste alba, necnon cum signo Iridis cælestis apparebat. Rursus alium huius generis lapidem pertractauimus, altitudinis trium digitorum, & crassitiei digiti cum dimidio, vbi erat effigies Bacchi vite frondosa, cum vuis albis, & nigris circumdata; ibi quoq; icon ampli vasis erat maculis purpureis, cinereis, & albis variati. Figuræ rerum inanimatarum complures in huiusmodi lapidibus pariter conspiciuntur; Quandoquidem habuimus Achatem cum figura Lunæ adolescentis à Natura diligenter designata, & inter cornua Lunæ quædam rotunda, & albicans macula apparebat: idcircò, propter effigiem Lunæ, Achatem selenitem indigitare voluimus. Similiter Achatem vidimus cum Sole radiato a tribus Lunæ iconibus circumdato. Item pertractauimus Achatem cum simulacro duarum sagittarum, sed admirationem nobis afferebat, quia hic lapis concussus, instar Actitis, resonabat. Tandem inueniuntur multæ huius lapidis differentiæ, quæ multis circulis exornantur; ideòq; variorum animalium oculos repræsentant. Decreuimus igitur tribus tabellis varietatem colorum, & figurarum Achatis ostendere.

Achates selenites.

I. Tabella habet quindecim Achatum differentias.

1. Dendrachates cum arbusculis nigris, colore subrubro.

2. Dendrachates alter siliceus in fluuio repertus: hi lapides tali nomine donantur, quoniam δένδρον arborem significat.

3. Achates mineralis, coloris obscuri viresccntis.

4. Achates flumen referẽs, colore cinereo, & ferrugineo, cũ tænijs coloris leucophęi.

5. Achates lineis albicantibus fuscis, & castaneis, vndas fluuiorum æmulantibus.

6. Achates colore castaneo, & albo.

7. Acha-

I. Tabella cum quindecim Achatum differentijs.



7. Achates imitans flumen colore albo, & leucophæo.

8. Achates nigris, & albis lineis imaginem amnis repręſentans.

9. Achates figura filicis aliquantulum pellucidi, colore ferrugineo, ſeu caſtaneo diluto, & ſubflauodè obſcuro.

10. Achates inſtar annuli albis, & nigris lineis ſtriatus.

11. Achates agophthalmos, nempè oculum capræ referens, humoribus, & tunicis diſtinctis.

12. Achates androphthalmites, pupilla caſtanei coloris, & iride alba: hominis enim oculum imitatur.

13. Achates colore marmoris albicantis, parte inferna pellucidus, corona onyculi refertus.

14. Achates colore corneo cum multis maculis albicantibus.

15. Achates oculi formam habens, puplla ferruginea, iride ſubalba.

II. Tabella vnam differentiam Achatum supra viginti exhibet.

II. Tabella vnam differentiam Achatum supra viginti exhibet.

1. Achates oculum reddens, concauitatem habens, ad instar Cotyledonis, colore rubescente, cum macula subalba in medio.

2. Achates oculum exprimens, colore miniaceo intenso, & iride albicante.

3. Achates pariter forma oculi, pupilla acuminata, iride candicante, colore miniaceo dilutiore.

4. Achates colore Sardæ, formam oculi reddens, pupilla flauescente, cum quadam macula in medio, iride albicante, reliquo colore miniaceo.

5. Achates colore leucophæo, figura ouali, pupilla alba, cum macula lutea in medio, instar puncti.

6. Acha-

6. Achates effigians oculum, colore corneo, pupilla flaueſcente, cuius medium nota rubra maculatur, & lineis multis partim albicantibus, partim flaueſcentibus circũdatur.

7. Achates colore corneo, figurans oculum, pupilla rotunda, & alba.

8. Achates ad formam oculi, colore rubeſcente, iride, ſeu corona albicante, pupilla miniacea, cuius medium macula candida notatur.

9. Achates colore leucophæo intenſo, & tribus lineis circularibus cingitur.

10. Achates perfectam oculi formam reddens, & luteſcens, inſtar ſuccini, iride lactea, cum pupilla admodum exigua coloris lutei.

11. Achates criſtallini coloris, cum pupilla rotunda coloris miniacei, iride exili, ſanguinei coloris cingente.

12. Achates ad figuram oculi coloris cornei, iride magna, & lata, cum pupilla flaueſcente, cuius medium nigricat.

13. Achates colore corneo obſcuro, pupilla fuſca, iride ſanguinea.

14. Achates colore albo cum pupilla leucophæi coloris.

15. Achates repreſentans oculum, colore corneo obſcuro, pupilla dilutè flaueſcente, & iride albeſcente.

16. Achates inſtar Onyculi, iuxta partem ſuperiorem, coloris cornei, cum macula quadam luteſcente, & linea alba.

17. Achates colore corneo, pupilla exili lutea, & circulis duobus altero miniaceo, & altero luteo cingitur.

18. Achates figura ouali concauus, diophthalmos, colore corneo.

19. Achates onyculo ſimilis, colore partim luteo, partim corneo, & linea albeſcente circumdatur.

20. Achates onyculo pariter ſimilis, colore nigro, cum macula cærulea in medio.

21. Achates nigerrimus, cum maculis cinereis in parte ſuperiori, & in parte inferiori leucophæis.

III. Tabella duas ſupra viginti differentias Achatum repreſentat.

1. Achates imaginem Solis reddens.

2. Achates ophthalmites, pupilla ferruginea, circulo luteo circumdata. Hunc poſtea ſequuntur duo circuli cum interuallis albis, & tandem omnia circulo nigro terminãtur.

3. Achates habens figuram fluminis, colore caſtaneo.

4. Achates cum figura Lunæ adoleſcentis.

5. Achates formæ oblongæ, cum varietate coloris nigri, & albi.

6. Achates albeſcens, cuius medium refert plantam roſæ cum flore.

7. Achates lineis, ſeu faſcijs albis, & nigris.

8. Achates arcis, & nemoris iconem exhibens.

9. Achates, inſtar fluuij, faſcia alba cinctus, cum venis multis albis, & nigris valdè exilibus.

10. Achates colore caſtaneo lucido, cum quibuſdam latioribus ſubrubris.

11. Achates figura fluminis, cum lineis multis candidis, quæ quodammodo labyrinthum formare videntur.

12. Achates flaueſcẽs, linea lata, & alba, cũ alijs quibuſdã lineis in medio interceptis.

13. Achates referens Iaſpidem, colore miniaceo, cum quadam macula flaueſcente.

14. Achates oculum Lupi repræſentans, pupilla ferruginea; ideo Lycophthalmites vocari poteſt. Quamuis ab alijs Aegophthalmites nuncupetur; cum illis potiùs capræ oculus, quàm lupi eſſe videatur.

15. Achates figura cordis, cuius medium linea alba, & lata cingitur.

16. Achates nigricans, cum venis, & maculis ſubalbis.

17. Achates figura ouali, onyculum referens, cuius pars ſuperior ad cæruleum inclinat, corona caſtanei coloris cingente.

18. Achates polyophtalmites; quandoquidem ibi multi oculi, pupilla flaueſcente, conſpiciuntur.

19. Achates ægophthalmites, cum exactè ab hoc lapide oculus capræ exprimatur.

20. Achates figuram nummi referens.

21. Achates imitans vndas amnis, ſeu venas diſcurrentes, quæ in ſecto trunco alicuius arboris apparent.

22. Acha-

III. Tabella duas supra viginti differentias Achatum repræsentat.

22. Achates lagophtalmites, quoniam formam oculi leporini reddit, pupilla ferruginea, circulo nigro ambiente, & iride obscura circumdante, & colore amethistino prædictos circulos claudente.

Hactenus de differentijs quoad colores, & figuras Achatum dictum sit. Iam accedendum est ad examinandas illas differentias, quæ à commixtione Achatis cum multis alijs lapidibus, desumuntur. Etenim, quando lapis hic, in primordio generationis, Sardæ permiscetur, tunc aliquid illius substantiæ, & coloris refert, & Sardachates appellatur. Sin aliquid Sapphiri participet, tunc Sapphirachates, & tandem si nonnihil amethistinæ substantiæ contrahat, Amethistachates nominatur. *Differentiæ ratione commistionis.*

Postrema differentia, iuxta mentem aliquorum, ab odore desumenda esse videtur; cum

cum ſcripſerit Plinius ab aduſtione Antachatis odorem aliquem exhalare: quocirca Marbodeus, & ipſe huc fortaſſis reſpexit, quando cecinit hunc in modum. E

Eſt & qui myrrhæ ſuccenſus ſpirat odorem.

Verùm hanc poſtremam differentiam potiùs ad ſuccos concretos, quàm ad lapides referendam eſſe cenſemus.

LOCVS.

NOMEN huius lapidis locum natalem indicare paulò ante explicauimus: nam primùm in Sicilia, iuxta flumen eiuſdem nominis, inuentus eſſe traditur. Hodie pulcherrimas, & admirabiles huius generis lapides India mittit, quinimò in Perſia, Aegypto, Phrygia, Parnaſſo, Thracia, Lesbo, & Rhodo, ad mentem Plinij, naſcitur. Noſtris tamen temporibus, vt Anſelmus Boetius animaduertit, in Germania, ſub Ditione Landtgrauij, à Lictenberg, magna horum lapidum copia inuenitur. Sed F interdum ibi ita elegantes eruuntur Achates, vt cum orientalibus certent, atq; etiam, pro talibus, venduntur. Item in Bohemia, non procul ab Argentina ciuitate, Leucachates cum punctis nigris, & purpureis effoditur.

MYSTICA, ET MORALIA.

HÆC gemma, ob varietatem colorum, à Ribera, Tribui Iſſachar aſſignatur, cum varietate virtutum delectaretur, quæ cum eſſet in tenebris, inter peccantes, candorem non amiſit; immò criminoſos ad iuſtitiam vocauit. Etenim in ſa-
Deuter. ca. 33. cro Codice hæc leguntur. Lætare Zabulon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis, populos vocabunt ad montem, & ibi immolabunt victimas Iuſtitiæ, nimirum tantæ pietatis erunt, vt ad templum alios vocent, & victimas Deo gratiſſimas immolent.

Qui autem Chriſtiana morum honeſtate refertus eſſe cupit, conditiones, & prærogatiuas Achatis meditari debet: quandoquidem ſi gemma hæc viſum recreat, ſitim extollit, & venenum reprimit: pariter ſacri Euangelij Præco, exemplo, & doctrina, viliG nem fidei in alijs ſerere, & augere debet, ardorem, & ſitim auaritiæ ſedare, necnon virus criminum, & mundanæ voluptatis compeſcere. Præterquamquòd, ſi Achates hac proprietate gaudet, vt ſitim extinguat, poterit etiam ad gratiam diuini Spiritus com-
Diuinagra tia cui com parata. parari. Nam quando, in ſacris paginis, Chriſtus, apud Ioannem, hæc verba protulit. *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Hæc verba à Sanctis Patribus hunc locum exponentibus, ad gratiam diuinam trahuntur, quæ ſitim animæ, nimirum vana deſideria, & concupiſcentias extinguit. Quinimò hoc aſſertum de ſiti etiam corporali exponi poteſt; quandoquidem multa exempla virorum inſignium, apud Metaphraſtem recitantur, qui gratia diuini Spiritus repleti non ſolùm ad dies, ſed etiam ad menſes, & annos, abſq; cibo, & potu vitam traxerunt.

VSVS IN MEDICINA. H

Achatis puluis. MVLTI tradunt quamcumque Achatis ſpeciem non vulgariter prodeſſe Patientibus, in expugnandis venenis, necnon in curandis Aranearum, Scorpionum, & Viperarum ictibus: ideò Cretenſes hac ratione moti Achatem, gemmam ſacram nuncuparunt. Hæc virtus non fuit ignota Marbodeo, quando cecinit.

Iſte Nepæ virus fugat, & quod Vipera fundit.

Mylius, in hoc caſu, puluerem huius lapidis in aliquo liquore propinat, vel partibus à venenata beſtia vulneratis inſpergit. Alij autem, in hac affectione, illam ſpeciem Achatis tantummodò probant, quæ pellis leoninæ colorem refert. Hanc quoq; virtutem Aquilis notam eſſe ſcribunt, dum in nidis ſimilem lapidem cum prole reponunt, vt pullos à morſibus venenatarum animantium tueantur. Sed dubitãdum, ne authores, pro Achate, debeant legere ætitem lapidem, qui in Aquilarum nidis inuenitur, vt ſuo loco expli-

explicauimus. Deinde ampliſſimum fructum eſt cõſequuturus ab Achate, qui frequenter rubeſcentem intuetur, quãdoquidem oculorum aciei opitulatur. Item cor recreat, conſequenterq; illud ab omni genere contagij tuetur. Poſtremò hic lapis ore detentus, & manibus febricitantium contrectatus, æſtus morboſos, & ſitim clamoſam mirandum in modum ſedare perhibetur.

VSVS IN VARIIS.

HVNC lapidem geſtatum non parum vtilitatis eſſe allaturum illis pronũciant, qui in eloquentia excellere cupiunt: nam proprietate quadam cæleſti facundiam præſtare traditur: quocirca Aſtronomi Achatem Mercurio tanquam eloquentiæ parenti conſecrarunt. Marbodeus quoq; hũc lapidem geſtanti, facundiam pollicetur hoc verſu. *Achates facit ad Eloquentiam.*

Facundumq; facit, gratumq; boniq; coloris.

Huius autem nullam aliam rationem afferre poſſumus, niſi cum Cauſſino aſſirmare varietatem colorum huius lapidis id nobis inſinuare poſſe, dum aliquando omnes aliarum gemmarum colores repræſentet: hac de cauſa amnes, prata, flores, animantia, arbores, natura ſic ludente, in Achate conſpiciuntur: quapropter eloquentia, propter amænam ſtyli varietatem, Achati comparatur, dum in illa diuerſi Rhetorum colores obſeruantur, quos Politianus his verſibus expreſſit. *Eloquentia Achati comparata.*

Hic varios ſe ſe in vultus facundia diues
Induit, & vaſto nunc torrens impete fertur
Fluminis in morem, ſicco nunc aret in aluco,
Nunc ſe ſe laxat, nunc expatiata coercet
Nunc inculta docet, nunc blandis plena renidet
Floribus &c.

Hodie ex Achate globuli precarij parantur. Immò, in Belgio, ob elegantiam colorum lapidis, loco catenæ aureæ, colla Virginum, coronis ex hac materia concinnatis exornantur. Artifices tamen, vitro Achatem ſimulare nituntur, ſed fraus facilè detegitur; cum Achates limam reſpuat. Deinde ad varia cælamina lapis trahitur. Etenim narrat Anſelmus Boetius ſe vidiſſe truſtum Achatis, altitudine duorum palmorum, in quo Iulij Cæſaris imago, vnà cum effigie vxoris, inſculpta fuerat, & ob antiquitate maximo pretio fuit venundatum. Creſcit interdum ad talem magnitudinem, vt inde pocula fabricari poſſint. Nos varia truſta huius lapidis cælata petractauimus, quæ omnia delineari curauimus, vt conſpicari licet in hac tabella.

Tabella cum varietate cælaturarum Achatis, quæ ſunt numero quindecim.

1. Achates onyculi forma colore albo, cum effigie mulieris in throno ſedentis.
2. Achates forma fluuij, cum icone hominis genuflexi, & columnæ alligati.
3. Achates colore nigro exprimens virum mactantem ouem.
4. Achates fluminis vndas imitans, cum figura hominis nudi.
5. Achates iuxta alteram partem coloris leonini, & iuxta alteram coloris albeſcentis, cum icone Herculis.
6. Achates figura onyculi, baſi latiori referens cælaturam corui.
7. Achates leucomelanos exhibens iconem viri ſedentis.
8. Achates albeſcens cum ſimulacro rami, ſub quo ceruus procumbit.
9. Achates coloris ferruginei, cum figura hominis ſub arboris trunco ſedentis.
10. Achates colore ſubnigro, & viridi, vt icon cælaturæ eſt homo manu capiti admouens.
11. Achates niger, cum cælatura capitis humani coronati.
12. Achates albicans, cum effigie hominis baculum terræ impingentis.
13. Achates triplici colore alternatim variatus, nempè albo, caſtaneo, & ſubluteo, referens figuram hominis ſedentis.
14. Achates habens iconem hominis antiqua veſte induti, altera manu arcum, & altera ſagittam tenentis.
15. Achates habens cælaturam hominis ante altare.

Tabella cum varietate quindecim cælaturarum Achatis.



A

DE ONYCHE.
Cap. LXXIV.

ÆQVIVOCA.

ANTEQVAM à semiopacis, & semiperspicuis lapidibus recedamus, aliquid de Onyche exarare oportet, & præsertim, quoniam hæc vox non vulgarem patitur æquiuocationem: cum non solùm indicet gemmam ad similitudinem vnguis humani carni superpositi, de qua in præsenti capite agitur; sed etiam, in doctrina Græcorum, ὄνυξ vnguem humanum, & vngulam quadrupedum significat. Apud Hippocratem pro vnco, vel vncino vsurpatur, & apud Synesium, est βασανι σκῆπτον ὄργανον, nempè instrumentum, quod, ad explorandum, adhibetur. Alioquin Onyx est lapis ex genere marmorum, cum, instar Onychis, niteat, & alabastrites appellatur, & fortè erit, ex quo olim vasa, & pauimenta fabricabantur: vnde Martialis arripuit occasionem canendi.

B

In lib. de super. fat.

Onyx marmor.

Calcatusq; tuo sub pede lucet Onyx.

Quinimò Onyx pro vase illo accipiebatur, quod ex tali lapide erat confectum: id alibi Martialis explicauit hoc versu.

Onyx vas.

Vnguentum fuerat, quòd Onyx modò parua gerebat. *Li. 6. Epig.*

Fuerunt postea nonnulli, qui scripserunt omne genus marmoris, ab exploratione vnguis, Onychem, vel onychitem nuncupari: quandoquidem Marmorarij, vel Lapicidæ duo frustra marmoris diligenter polita simul copulantes, vngue explorant, num optimè iungantur. Alioquin Onychites vocatur apud Galenum illa Cadmiæ species, quæ varios Onychis gemmæ colores repræsentat. Apud Rufum Ephesium, quædam

C

cordis particula ὄνυξ cognominatur. Passim apud Medicos, Onyx est oculorum affectio, quando tunica cornea adeò purulenta apparet, vt sanies illa figuram vnguis referat. Apud Cornelium Celsum, Onyx est alius oculorũ affectus, quem Græci πτερύγιον nuncupant, & tunc generatur, quãdo in membrana adnata quiddam durum, instar vnguis, à maiori angulo oculi oriens ita excrescit, vt quandoq; pupillam tegat. Talis morbus plerumq; in oculis brutorum obseruatur, quem Rustici, & Veterinarij vngulam indigitant. Apud Athenæum, Ostreum, Onyx nominatur, & in officinis Onyx est Blatta Bizantia, nempè vnguis odoratus: est enim tegumentum Conchilij, quod, in paludibus Indiæ nardiferis, inueniri traditur. Huius meminit Iodocius in Enchiridio Simplicium his versibus.

Onyx designat duos morbos oculorum.

Lib. 3.

Onyx Blatta Bizantia.

Viscéribus reddit vires, roburq; solutis,
Et ventrem potu mollit odorus Onyx.

Apud Botanicos, Onyx est illa pars candicans in foliis rosarum: idcircò præcipiunt Medici, vt folia rosarum, demptis vnguibus, ad vsum conseruarum trahantur. Demùm

D

planta quędam, nomine Astragalus, in antiquis Dioscoridis nomenclaturis, onyx vocitatur, quoniam, iuxta radicem, quædam duræ appendices, forma vnguis, excrescant.

Onyx rosarum.

Onyx planta.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

ONYX tam masculini, quàm fœminini est generis, frequentiùs tamen in masculino genere vsurpatur. Ex mente Plinij, & Isidori hoc nomen sibi vindicauit, propter similitudinem, quam cum vngue humano gerit: vnguis enim græcè ὄνυξ appellatur. Quamobrem Columella quædam pruna nuncupauit Onychina, cum prædicto colore referta essent. Marbodeus huc respexit canens.

Nomen ab vngue trahens Græci sermonis in vsu,
Nam quos nos vngues, nostro sermone, vocamus
Hos ὄνυχας patrio solet ille tenere vocare.

Aliquibus vocatur Onychites, & potiſſimùm ille lapis, qui ceræ aſſimilatur, nam quando candore eſt inſignitus, Chalcedonium nominant à loco, nempè à Chalcedonia ciuitate, ad quam olim ſæpè afferebatur. Quando autem Sardæ gemmæ permiſcetur, Sardonyx cognominatur. Quamuis Sardonyx, & Chalcedonius lapis olim, pro Onyche, confunderentur. Hinc pocula illa Mitridatis Regis, & Onyche, Sardonyche, & Chalcedonio elaborata, Authores ex Onyche tantùm fabricata fuiſſe retulerunt. Vox hębraica Soham, vel Schoham aliquibus vertitur Onyx, Onychinus, & Onychium: quinimò, in ſacris paginis, Onyx, & Sardonyx ab inuicem non diſtinguuntur, quandoquidem, in Exodo, voce hæbraica Soham, duæ Onyches inſertæ ſuperhumerali Pontificis Aaronis ſignificantur, & eodem nomine gemma vndecima Rationalis denotatur, quæ Onyx nuncupatur. Præterea in Apocalypſi, quinta gemma reſpondens vndecimæ Rationalis, Sardonyx nominatur: hinc colligendum eſt has gemmas, in ſacro Codice, nominibus non diſcriminari. Germanicè dicitur Onykel, Italicè Nicolo, quaſi Onycolo, quo nomine, Sardonychem etiam indigitant. Hazer, Aliazar memoratur, ex mente Serapionis, à Pandectario, nimirum à Mattheo Syluatico, & hic lapis, ſecundùm aliquos, eſt Onyx, vel Chalcedonius. Apud Gemmarios, Onyx, vel Sardonyx conſtans potiſſimùm nigri, & albis zonis, Nicolo vocatur. Quando autem cruſta ſuperior vnius coloris cælata eſt, remanente cruſta inferiori alterius coloris inſculpta, tanquam baſi, vocatur Camehuia, & Cameus; fortaſſis quoniam colorem camelinum exhibeat, niſi velimus afferere aliquid ſimile Chamæ ab hoc lapide cælato repræſentari. Aliqui deducunt hoc nomen à vocabulo græco χαύμα, quòd ſignificat incendium, tradunt enim, in locis calidis, & ſulphureis hos lapides inueniri: hac de cauſa horum puluere hydropem curari aſſeuerant.

Cap. 28.

Cap. 21.

Nicolo quid.

Cameus quid.

Hydrops.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

IN Onyche ſummoperè commendatur candor, & varietas colorum, veluti color igneus, niger, & corneus, candidis cingentibus venis, inſtar oculi. Immò colores in Sardonyche obſeruantur, qui lapis ex Sarda, & Onyche integratur. Naturaliter tamen tres colores impermixtos habere dicitur. Infimus eſt niger, medius candicans, & ſupremus rubeus exiſtit: participat enim naturam Sardij, & Onychis; cum ab illo ruborem, & ab hoc candorem acquirat. Erit fortaſſis ſimillimus lapidi, vel idem cum illo, qui Murrha olim vocabatur, ex quo Murrhina vaſa Antiqui factitabant; quoniam apud Propertium Onyx, Murrheus appellatur.

Murrha lapis.

Inſuper gaudet hic lapis naturali quadam proprietate, vt geſtanti timorem, & triſtitiam afferat, conſequenterq; melancholiam generet. De hac affectione ſcripſit Marbodeus hunc in modum. *Li.* 3. *Eleg.*

At collo ſuſpenſus Onyx, digitouè ligatus
Inſomnes lemures, & triſtia cuncta figurat.

Cæterùm, iuxta mentem Alberti Magni, hoc lapide geſtato, vires roborantur, & homines redduntur audaces; cum ſua frigiditate ſpiritus vitales conſtringat, conſequenterq; robur geſtanti addat. Alij addũt aliam huius lapidis proprietatem, nimirum, ſi duo fruſta huius ſimul fricentur, adeò incalcſcere, vt digitis tangi minimè queant.

DIFFERENTIÆ.

HIERONYMVS Cardanus tres huius ſpecies conſtituit. Primã vocat Chalcedonium, à Chalcedonia ciuitate Bithiniæ, non quia ibi naſcatur, ſed quia illuc afferri ſoleat. Secundam differentiam Onyculum nominat. Tertiam eſſe ferruginei in ſummitate, in baſi coloris nigri, & iuxta mediam partem, coloris albicantis deſcribit. Camillus Leonardus Piſaurenſis quinq; ſpecies Onychis eſſe pronunciauit. Hanc ſententiam recitauit etiam Marbodeus de Onyche loquens hunc in modum.

Hæc etiam quinas ſpecies perhibetur habere.

Similiter idem Poeta de Sardonyche ſic canit.

Iſtum diſtribuunt ſpecies in quinq; magiſtri.

Pri-

A Primam speciem assimilant vngui superposito carni, secundam nigerrimam esse volunt, tertiam nigram cum venis, & circulis albis prædicant, quartam coloris flaue scentis, cum venis albis, esse tradunt, quintam colore nigro cum varietate coloris flaue scẽtis exornant; hancq; Indicã esse produnt. Albertus quoq; huius quinq; species obseruauit, iuxta differentiam colorum, qui in hoc lapide conspiciuntur: cum, varijs coloribus, Natura in hoc lapide ludat. Nam quando rubedo ad colorem laccæ inclinat, Onychem incarnatum reddit: præterquamquòd color purpureus, cæruleus, roseus, & flauus ibidem apparet. Onyx autem, quem Vulgus Sardonium appellat, Pramnion, teste Plinio, dicunt, fortassis à colore vuæ Pramniæ. Albertus inquit hunc inueniri nigro colore refertum, & præstantiorem esse, qui nigredinem venis albis distinctam ostentat. Colores varij, præsertim in Sardonyche conspiciuntur: vnde Marbodeus sic cecinit. *Species quinque Onychis.*

Sardonychem faciunt duo nomina Sardus, onyxq́.
Tres capit ex binis vnus lapis istè colores
Albus, & hinc nigro rubeus supereminet albo.

B Nos habuimus lapidem, nomine Chalcedonij fusibilis, qui exteriùs erat coloris ferruginei, interiùs candoris niuei, quasi candicantis ad modum eboris: immò lapis ferro percussus scintillas spargebat. In gratiam colorum huius lapidis tres tabellas proponimus, cum iconibus Onychis, & Sardonychis.

Prima Tabella exhibet varias onychum differentias, & sunt potissimùm sexdecim.

1. Onyx colore partim luteo, partim vitreo linea rosea distinctus.
2. Onychis frustum naturale nondum arte expolitum, cortice albicante.
3. Onychinus silex.
4. Onyx coloribus varijs, & venis distinctus.
5. Species Chalcedonij iuxta vnam partem coloris sanguinei, & iuxta alteram, coloris vitrei.
6. Species Chalcedonij altera coloris vitrei fascia alba distincti.
7. Onyx figura ouali
8. Onyx coloribus variatus.

C 9. Onyx media parte cinereus, venis quamplurimis respersus, vtrinque colore roseo diluto.

10. Onyx colore corneo rufo, & flauo.
11. Onyx duabus maculis insignitus, vna prorsus nigra, & rotunda, & altera oblonga coloris cærulei.
12. Onyx duplici fascia iunctus.
13. Onyx colore pallido maculis duabus conspicuus, vna rotunda coloris miniacei altera triangulari, & obliqua coloris flaui, & vena sanguinea circumdatus.
14. Onyx niger macula magna tetragona, colore subalbo cũ aliquot venis in ambitu.
15. Onychinus inauris cum linea rubra.
16. Onychinus inauris alter colore nigro.

Secunda tabella alias ostendit onychis differentias, quæ sunt viginti.

1. Onyx cum fascia rosea diluta.
2. Onyx vitreus circulis quatuor luteis, alijs orbiculis distinctus.

D 3. Onyx, instar marmoris ophitis, maculatus.

4. Onyx colore partim miniaceo vitreo.
5. Onyx colore amethistino diluto, aliquot venis insignitus.
6. Onyx zona lutea per medium distinctus.
7. Onyx partim corneus, & partim ferrugineus.
8. Onyx fascia orbiculari candida circa medium diuisus.
9. Onyx cornei coloris, zona rosea refertus.
10. Onyx figura oculi, fascia rosea decoratus.
11. Onyx coloris partim ferruginei, partim vitrei obscuri.
12. Onyx refertus colore partim miniaceo, partim vitreo.
13. Onyx colore vitreo, macula sanguinea conspicuus.
14. Onyx fascia alba cinctus.
15. Onyx corneus circulis multis albicantibus circumdatus, & macula quadam lactea notatus.

Variæ Onychis differentiæ.



16. Onyx colore partim ſubpuniceo, & partim leucophæo.
17. Onyx albo circulo, veluti in duo hemiſpheria diuiſus.
18. Onyx in medio pupillam quaſi album habens.
19. Onyx colore corneo, cum multis venis, & macula nigra.
20. Onyx venis varijs ornatus.

Tertia Tabella Sardonychis differentias exhibet.

1. Sardonychus lapis figura quadrangula.

Aliæ Onychis differentiæ.



2. Sardonyx figura tetragona.
3. Sardonyx albus.
4. Sardonyx in medio maculatus.
5. Sardonyx albicantis coloris alter.

Locus natalis differentias quoque, Onychis exhibet, quoniam Dioscorides Arabicum memorat, igneumq, esse tradit, & Indicum varium, & potissimùm figuris oculorum insignitum constituit. Præterea album Onychem chalcedonium pariter à loco cognominant. Hodie chalcedonios lapides in orientales, & Europeos discriminant. Namque duri qui sunt, & colore aliquo oculis grati, pro orientalibus, habentur. Tales sunt, in quibus quid purpureum, vel cæruleum albo permixtum est, aut in quibus aliqua rubedo grata apparet. Illi autem, qui obscurè candicant, ignobiliores esse feruntur. Vidimus nos Chalcedonium oualis figuræ grati coloris, in quo duæ festucæ palearum continebantur, quales in Succino obseruari solent. Item Chalcedonium Dendritem, in cuius parte interiori muscus viridis conspiciebatur. *Orientales quales sint.*

LO.

Sardonychis differentiæ.

LOCVS.

SVNT in India, ſecundùm Cteſiam, montes altiſſimi, vbi multæ gemmæ, & præſertim Onyches effodiuntur. Plutarchus etiam, de montibus, narrat montem Drymillum Euphrati fluuio eſſe propinquum, in quo Sardonyx eruitur. Inſuper, ex ſententia Toſtati, Onyx quoq; in fluuio Phiſone, vel in terra Euilath producitur. Cęterùm non ſolùm Onyx naſcitur in India, cui primæ partes tribuuntur, ſed etiam in Arabia: quamobrem Marbodeus ſic canit.

Hanc quoq; dant nobis Arabes, dat & India gemmam.

Amplius in Cappadocia inuenitur, creſcit, & in Germania, in Bohemia, in Sileſia, & alijs locis finitimis à Plinio enumeratis. Diuulgat etiam Valerius Cordus, Anaburgi, potiſſimum in Miſnia reperiri, quinimò Ortelius, in Theatro Orbis, prodit quod inſula Melo huiuſmodi lapide non caret. Demùm Ioannes Boterus regioni Cartagenæ copiam huius lapidis attribuit.

SIMV-

A

SIMVLATIO.

SIMPLICEM Onychem Artifices vix vnquam imitari conantur, nisi fortè illius corpus nigrum fuerit albedine distinctum, quoniam tunc, cælatura, Cameum simulat. Hoc igitur artificio vtuntur Conchæ paruæ marinæ, quæ ad mangonium mulierum trahuntur, & vulgò *Porcellete* nominantur, in puluerem redigunt, & in succo limonum diligenter colato ità reponunt, vt succus, quatuor digitos, superemineat, & in loco calido, nempè in æstuario, decem dierum spatio, seruant. Postmodùm succus effunditur, & sedimentum materiæ, aqua, lotum, super porphyritem teritur, deinde albumine oui diligenter conquassato formatur pasta, quæ siccata optimè politur, vt supra nigrum stratum collocari possit, vt fraus non ita facilè cunctis innotescat. *Porcellete quæ.*

B

MYSTICA, ET MORALIA.

HIC lapis à similitudine vnguis humani cognominatus, iuxta mentem Cornelij à Lapide, Manassem, ob morum candorem, & humanitatem indicare potest. Idem Author lapidem hunc mysticè aptat Diuo Philippo Apostolo, dum in Sardonyche colorem rubrum, candidum, & nigrum contemplatur: quandoquidem in hoc Apostolo candor animi, rubedo charitatis, & nigredo tristitiæ à charitate compressa obseruatur. Alioquin si Onyche denotatur descensus Christi ad Inferos: hac eadem ratione indicari potest Ioseph, qui missus in cisternam veterem, vt legitur in Sacro Codice, Christum descendentem ad Limbum figurauit. *Genes. c. 27*

Rursus in doctrina morali, Onyx, cum dicatur timorem, & tristitiam generare, mundanæ prosperitati assimilari potest, quæ tristitiam, & timorem producit, dum diues, diu, noctuque timet, ne illius thesaurus auferatur: iuxta illud Sacræ Paginæ, *Saturitas Diuitis non sinit eum dormire* Aliter, ob similitudinem vnguis, homo auri sitientissimus, Onyx nominabitur, ob rapacitatem; cum illi nullus satis sit thesaurus. Aut hic lapis comparatur ad Auaros, nam si lapis hic niger est zonis albis distinctus. Pariter Diuites zonis albis cincti apparent, quando in medio mundanæ fælicitatis versantur, sed postea interiorem criminum nigredinem habent. Quocirca dixit Dominus apud Lucam. *Veh vobis Diuitibus, qui habetis consolationem vestram in hoc mundo.* Nisi velimus Onychem ad contemplationem mortis comparare, quæ mærorem non vulgarem hominibus criminosis afferre solet. *Eccl. c. 21.* *Cap. 6.*

C

VSVS IN MEDICINA, & in alijs.

D

IN affectu epileptico deferendum esse Onychem, Camillus Pisaurensis tradidit. Deinde in affectione oculorum hic lapis sine molestia illis imponitur, nam in oculo circumfertur, & humores noxios excernere dicitur. Cæterùm hæc virtus multis alijs lapidibus ophtalmicis conuenire perhibetur.

Plinius, cum Sardonyx ad aliquam magnitudinem excrescat, scriptum reliquit ex hoc manubria gladiorum factitari. Sed aliquando Onyx est tantæ magnitudinis, vt alia maiora inde eliciantur: nam Antiquitas vasa formauit. Tradit enim Cornelius Nepos magno fuisse miraculo, cum P. Lentulus Spinther amphoras ex Onyche, & vrceos, magnitudine cadorum, ostendisset. Pariter vasa ex hoc lapide in lauto conuiuiorum apparatu fuerunt visa, vt Martialis docet hoc versu.

Paruus Onyx vna ponetur cærula mensa. *Lib. 10. Epigr.*

Vt omittamus historiam Mitridatis Ponti Regis, qui ex Onyche nonnulla poculorum millia habuisse traditur. Cæterum Sardonyx apud Romanos fuit in frequenti vsu ad sigilla: cum huiusmodi lapis, ex sententia Plinij, in signando, nihil ceræ euellat. Vnde

Onycolorum, ſeu Nicolorum ſexdecim differentiæ cum cælaturis.

de poſtea Marbodeus hanc prærogatiuam hoc verſu expreſſit.

Hic ſolus lapidum neſcit conuellere ceram.

Alioquin Onyx apud Antiquitatẽ varijs ornabatur cælaturis. Cauſinus narrat fuiſſe in Onyche ſcalptũ caput equinum, humana facie in pectore, pedibus grumis,& cauda pulli gallinacei, quo ſymbolo, virtutes optimi Imperatoris figurabantur. Quoniam autem in Onyche interdum lineæ diſcurrentes naturaliter varias imagines exprimunt, aliquando etiam ab arte, ad aliquid repræſentandum, adiuuantur. Vidimus in Onyche ſacrificium Iſaac, ſed ars, ſcalptura, arietem,& ligna addiderat. Hodie Gemmarij vario modo hos lapides cælant: nam cruſtam ſuperiorem, ſiue alba fuerit, ſiue alterius coloris, ita ſcalpunt, vt infima cruſta alterius coloris tanquam ſtratum remaneat. Nos

Lib. 11. *Symb.*

in

A in Onyche varias icones ostendemus, iuxta tabellam propositam, quæ exhibet varias Nicolorum, vel Onyculorum species.

1. Nicolus cum figura mulieris manu caput truncatum tenentis.
2. Alius cum figura hominis luctantis cum Leone.
3. Alius cum icone hominis remum manu tenentis.
4. Alius cum effigie auis retrospicientis.
5. Alius exhibens formam equi marini.
6. Alius cum icone Lupi.
7. Alius ostendens figuram equi progredientis.
8. Alius cum corúo.
9. Alius cum homine altera manu chartam tenentis, altera panis frustum exhibentis.
10. Alius cum puero manu iaculum, altera clauam humero impositam amplectente.
11. Alius cum pusione insidente supra equum marinum.
12. Alius cum figura antiqui vasis.

B 13. Alius cum facie humana ore hiante.

14. Alius cum figura capitis Imperatoris, & nonnullis characteribus.
15. Alius cum figura hominis baculum tenentis.
16. Alius cum litteris latinis antiquis.

DE SARDIO LAPIDE, siue Corneolo. Cap. LXXV.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

C AD calcem historiæ lapidum semiperspicuorum, vel semiopacorum reponimus Corneolum, cuius nominum multitudo nonnullos Authores decepit, vt Albertum Magnum, Marbodeum, & Rueum, qui, capitibus distinctis, de Sardo, & Corneolo pertractarunt. Boetius tamen, & alij eruditi viri, experientia teste, Sardium, & Corneolum synonima esse tradiderunt. Itaq; primò lapis nuncupatur Sardius, Sardinus, & Sarda, pariter Græcis σαρδιος λιθος, & σαρδινος, quoniam hic lapis, authore Plinio, à Sardibus primum repertus fuerit. Quamobrem Marbodeus Poeta huc respiciens canit.

Sardius à Sardis est, à quibus ante repertus
Sortitus nomen, rubri solet esse coloris.

Alij voluerunt cognominatum fuisse Sardium, quia Sardio pisci sale condito assimiletur. Erit igitur prima gemma imposita Rationali Aaronis, quam Iudæi perperàm Rubinum esse arbitrantur. Hodie passim vocatur Corneola, Corneolus, vel Carneolus, & idem nomen Italicè, Gallicè, & Germanicè, paucis mutatis litteris, Anselmus Boetius retineri asseruit. Corneolus autem quasi Carneolus appellatur, quia colorem D carnis imitari videatur, vel, vt voluit Albertus, quoniam rubedinem remissam habeat, qualis in lotura carnis obseruari solet. Idcircò Aliquibus, ob eamdem rationem, Cornerina quasi Carnerina nominatur. Corneolum etiam meritò indigitare poterimus: nam interdum ità saturatè rubet, vt Corna rubentia æmuletur. Hebraicè hunc lapidem vocari Adam retulit Alcasarius; quoniam hæc gemma, suo rubore, colorem humanæ carnis repræsentat. Vulgò Cornelio, & Corniola dicitur.

Prima gẽma Rationalis.

Cornerina.

NATVRA.

HIC lapis est semiopacus, & fortassis carnem, suo colore, simulat. Quare à nonnullis colorem sanguineum habere, & speciem ignis referre perhibetur. Habet autem hãc proprietatem ingenitam, vt inter semiperspicuos lapides, tardiùs humore affuso hebetetur: quare gemma hæc maculam, vel vaporem non timet,

qui

qui ſplendorem illius hebetare poſſit. Præterea, ad mentem Alcaſarij, matrix, vel origo Amethiſti eſſe traditur: nam hic author vnum, & eumdem lapidem, iuxta alteram partem, Sardam, & iuxta alteram, Amethiſtum obſeruauit. Apud Hæbreos olim fuit in magna authoritate, cum fuerit prima gemma, quam Deus inſeri iuſſerit Rationali, quod Aaron ſummus Pontifex ſupra pectus geſtabat. Quamuis autem hanc multi Iudęi Rubinum eſſe exiſtimauerint: nihilominus nos vnà cum ſeptuaginta interpretibus, ad Sardam reducere debemus, nam licèt non expreſsè Sardius, Sardonyx tamen dicitur, qui lapis ex Sardo, & Onyche conſtat, vt in capite antecedenti expoſuimus.

Matrix Amethiſti.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

QVOAD colores, multæ poſſunt aſſignari Corneolorum differentiæ: etenim, præter albeſcentes, rubeſcentes, & flaueſcentes, Albertus Magnus aliam proponit differentiam, quam Sardam appellat, ſed potiùs cum Sagda Plinij coloris virentis conuenire videtur, cuius proprium eſt, ligno adhærere, veluti Magnes ad ferrum confluit; deinde Sardonychem tanquam aliam differentiam proponit, de qua, in capite antecedenti, actum fuit. Addit etiam Serapio aliam, quam ſua lingua, Hazer, Albuzedi appellat, & colore hyacinthino fulgere prædicat, deinde ſcribit hunc lapidem, frictione, calefactum trahere paleas: hinc colligendum eſt, pro Sarda, ſuccinum ab hoc authore intellectum fuiſſe. Alij ſcriptum reliquerunt, ex indica regione tria genera huius lapidis haberi. Primum genus rubicundum conſtituunt ſecundum. Demiùm à colore pinguedinis nuncupant, quoniam πιμος Græcè pinguedinem denotat. Tertium genus dicunt æmulari lapidem perſpicuum ſuper bracteas collocatum. Sed differentiæ multò plures, ratione coloris, in hoc lapide obſeruantur. Quandoquidem alij lapides ſunt coloris mellini, alij vergunt ad ruborem, alij aquæ à carnibus ſalitis diſtillanti aſſimilantur. Alij demùm Locuſtis marinis coctis non ſunt abſimiles. Rurſus alij obſcuriores, alij clariores conſtituuntur: cum nonnulli voluerint Indicos corneolos, maiorem perſpicuitatem participare; & Arabicos craſſiores eſſe. Marbodeus quinq; differentias aſſignari canit hoc verſu.

Sagda quid

Huic quoq; dat quinas ſpecies ſtudioſa vetuſtas.

Anſelmus Boetius monimentis mandauit ad tria tantùm genera hos lapides eſſe referendos. Primum rubrum, ſecundum exigua ſanguinis rubedine tinctum, & ſemiperſpicuum, tertium flaueſcens ex rubedine conſtituit: Amplius ſunt aliqui, qui huiuſmodi lapides in mares, & fæminas diſcriminant, & mares clariores fulgere, pinguiores verò, & minus nitentes, iuxta mentem Plinij, fæminas eſſe pronuntiant.

Tres differentiæ.

Reliquum eſt, vt alias differentias, quoad figuram, proſequamur. Corneolum, in quo à Natura ſculptæ erant icones arboris, & Lunæ eclypſim patientis, Hieronymus Cardanus Geſnero donauit, vt ipſe Geſnerus, in libro de lapidibus, teſtificatur. Nos dabimus icones Corneolorum in colore variorum, & nonnullorum ab arte cælatorum. Ideò in tabella duodecim differentiæ oſtenduntur.

1. Corneolus figura hexagona colore ſanguineo, albicante, & flaueſcente.

2. Corneolus maculis caſtanei coloris, rubicundi, ſubcærulei, & albicantis. Erat figuræ pyramidalis rotundæ, & arte perforatus, quia collo fortaſſis, ad ſuppreſſionem ſanguinis, ſuſpendebatur.

3. Corneolus æmulans colorem vitreum, licèt intus aliqua ex parte flaueſceret, arte fuit redactus ad formam ferè cylindri, vel potiùs formam inauris imitabatur.

4. Corneolus colore vitreo, non tamen ſplendido.

5. Corneolus iuxta partem extimam albicans, & iuxta partem internam, coloris carnei, hic aliquibus dicitur Sardonyx Indica.

6. Corneolus figura quadrangula, colore in vtraq; ſuperficie candido, intus rubeſcente.

7. Alius colore luteo, & purpureo habens cælatam antiquam figuram hominis ſedentis ſupra truncum arboris.

8. Alius lucidus, inſtar cryſtalli, habens figurã Dianæ cum peplo à capite pendente.

9. Alius

Corneolorum differentiæ duodecim.



9. Alius diaphanus, inſtar Cryſtalli, cum figura viri in maieſtate ſedentis, & baculo innitentis.

10. Alius admodum paruus, in quo eſt cælatura hominis alteri genu incumbentis.

11. Alius ſubruber, cum figura viri cuiuſdam ſe ſe flectentis.

12. Alius albus, & ſubruber cum lineis nigris, & cælatura hominis baculo incedentis.

Loci natales.

Quoad locos natales, aliqui probant hunc lapidem circa Babylonem natum in corde ſaxi. Alij hunc ortum in Sardinia commendant: quamuis in Epiro etiam, & in Ægypto naſcatur. Pariter Indici, & Arabici, necnon Europei, iuxta ſententiam Boetij, non ſunt contemnendi. Quandoquidem ad Rhenum in Bohemia, Sileſia, & alijs regionibus inueniuntur.

MYSTICA, ET MORALIA.

CVM hic lapis ſanguineo ſit refertus colore, non ineptè gloriam martyrij ſignificare poteſt. Deinde, quia affuſo humore, hic lapis tardiùs hebetatur, myſticè poteſt Ruben indicare, qui minus, quam reliqui fratres, ſuffuſo inuidiæ humore, imbutus eſt: namq; in amore conſtans, vt legitur in ſacro Codice Ioſephum à manibus fratrum liberare conatus eſt. Amplius in ſacris Biblijs hęc habentur verba. *Ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens, & qui ſedebat ſimilis erat ſpectu Iaſpidis, & Sardini.* Quibus verbis, vt myſticè explicat Cornelius a Lapide, Ioānes oſtendit imaginem æterni Patris Iaſpide, & Sardio figuratam, cuius ſymboli myſterium eò ſpectat, vt inter admirabilia opera, quæ ſacræ litteræ æterno Patri attribuunt, duo clar ſſimè emineant; nimirum rerum omnium creatio adumbrata à colorum varietate, quæ in Iaſpide refulgent; deinde Chriſti Domini reſurrectio Sardio lapide figurata: hic enim lapis ſpeciem humanæ carnis refert; immò caro in lapidem tranſmutata eſſe videtur: hac de cauſa myſticè perſpicuam, & immortalem Chriſti reſurgentis carnem deſignare poteſt. Præterquamquòd ſicuti Sarda habet hanc prærogatiuam, vt eam geſtantes agat in gaudium: pariter Chriſti Domini noſtri Reſurrectio diſcipulos lætificauit. Rurſus ſicuti Sarda Feris terrorem incutit: pariter Chriſtus reuiuiſcens Dæmones inſigni terrore affecit. Inſuper, ad mentem Cornelij à Lapide, per Sardam, Diuus Bartholomæus Apoſtolus myſticè denotatur: nam veluti Sarda ſanguineo colore eſt referta, &, inſita vi, Feras perterrefacit. Similiter hic Apoſtolus, detracta pelle, totus ſanguineus apparuit, & Feras, nempè Dæmones perterrefecit.

Geneſ. c. 37

In Apocalyp. li. 21.

Moralis doctrina hunc lapidem rubeſcentem, & Feris aduerſantem meditans, hunc ad Chriſtum Cruci affixum, & ſanguine rubeſcentem comparat. Quandoquidem criminoſi memores Chriſti paſſionis, feras beſtias, nempè Diabolum, & mundum non metuunt. Iterum hic lapis rubeſcens in digito geſtatus, ſanguinis fluxum ſupprimere dicitur. Huius conditionis eſt pœnitentia, quæ proculdubiò fluxum ſanguinis vanæ voluptatis compeſcit.

Pœnitentia cui comparata.

VSVS IN MEDICINA, ET IN ALIIS.

ALBERTVS Magnus ſcriptum reliquit hunc lapidem geſtatum arcere faſcinationes, & aduerſari venenis, illiſq; præſertim, quæ ab humorum corruptione proueniunt. Deinde applicatus tumoribus ab humore calido ortis medetur, & puluis huius cum vino auſtero exhibitus ſanguinem vndequaq; fluentem coercet. Verùm Marbodeus, in hoc caſu, illam præcipuè Corneoli ſpeciem commendat, quæ carnis loturæ aſſimilatur his verſibus.

Quiq; lauaturæ carnis bonus eſſe videtur
Sanguinis ex membro ſiſtit quemcumq; fluorem,
Præcipuè talem patitur ſi fœmina fluxum.

Inſuper huius puluis ad dentificia trahitur, quoniam dentes mirandum in modum dealbat. Rurſus, ex Alberto Magno, & alijs Authoribus, Corneolus malitiæ Onychis reſiſtere, ingenium acuere, animum exhilarare, & ingentes irarum motus compeſcere traditur: propterea Marbodeus ſic cecinit:

Nam lapis hic digito, colloue gerentis udhærens
In diſceptando ſurgentes mitigat iras.

Hieronymus Cardanus, in ſuo de ſubtilitate libro, hoc lapide geſtato, litigantes fieri victores, & homines euadere diuites diuulgauit. Verùm non eſt credendum illis, qui interdum inſultiſſimas nænias proferunt. Plinius hunc lapidem, apud Antiquitatem, in frequenti vſu ſigillorum fuiſſe aſſeruit; cum nihil ceræ in ſigno retineat. Hanc proprietatem Sardonychi etiam conuenire in capite antecedenti expoſuimus. Hodie ad varias cælaturas expetitur, qui vſus non eſt nouus; cum Beda retulerit Iſraelitas, in Deſerto, multos lapides huius generis ſculpſiſſe.

Ad ſigilla.

DE

DE FLVORIBVS.
Cap. LXXVI.

NOMENCLATVRA, ET ETYMVM.

HACTENVS de lapidibus semiperspicuis actum est. Iam ad perspicuos, & diaphanos ponderandos sermo est conuertendus, qui gemmæ ab Authoribus appellantur. Gemma dicitur lapis paruus diaphanus per translationem à gemma vitis, vel alterius arboris; hæc enim dicitur quasi germa, idest germen, nempè principium generationis foliorum, quod instar oculi protuberat: idcircò prima germina vitis, vel alterius arboris oculi etiam appellantur. Inter gemmas autem, nimirum lapillos paruos, & pretiosos obseruantur quidam lapides à Natura geniti, colore vario, genuinas gemmas æmulantes. Idcircò primò de his in præsenti capite verba facienda sunt. Hi autem lapides Veteribus fuerunt incogniti, quoniam tantummodò horum mentionem apud Gesnerum, Agricolam, Cardanum, & Encellium factam fuisse inuenimus. Etenim Fluores ab his Authoribus appellantur, quoniam calore ignis, tanquam glacies, calore Solis, liquefiãt: nam à Metallarijs in ardentes fornaces coniecti illicò fluunt, qui effectus in veris gemmis non obseruãtur: quapropter nomen hoc sibi compararunt. Encellius addit, quòd si Theophrastus hos fluores nouisset, proculdubiò ἀναῤῥους appellasset, quoniam fluxu, in terræ sinu, fiant. Sunt autem gemmis admodum similes, sed minus duri, itaut dentibus compressi aliquando cedant: quamobrem non malè pronunciaret, qui hos inchoatas, & non perfectas gemmas, aut potiùs rudimenta gemmarum esse asseueraret.

Gemmæ Etymum.

Fluoris Etymum.

DIFFERENTIÆ.

FLVORVM tria genera Georgius Agricola constituit. Primum genus diuersis gemmis translucidis simile fuit, secundum opacum, quia non multum pellucear, quòd passim in fodinis argentarijs reperitur. Tertium genus illud est, ex quo vitrum præcipuè conficitur (quamuis ex alijs etiam duabus differentijs parari possit) cuius arena ἄμμος ὑαλίτις nominatur, quoniam vox græca ὕαλος vitrum significat. Nos autem in præsentia de primo tantùm genere verba facimus, quod gemmis genuinis assimilatur, &, in gratiam studiosorum, multas tabellas proponimus horum Fluorum iconibus delineatas.

Li. 5. fossil.

I. Tabella cum Fluore candido Gesneri.

II. Tabella cum tribus differentijs Fluorum.

1



2

3

I. Tabella erit cum icone Fluoris candidi, & translucidi apud Geſnerum deſignati. Ipſe enim, in libro de lapidibus, ſcripſit hunc Fluorem fuiſſe candidum, ſplendida ad lucem ſuperficie,& ita mollem, vt dentibus comprimentibus cederet. Deinde, in illius compoſitione, portiones plures ab vno centro prodeunt, & repertum fuiſse in Miſnia retulit. Huic ſimilem conſtituit alium albicantem, qui ad Thermas Heluetiorum

Lima-

III. Tabella cum quinque differentijs Fluorum.

1

2

3

4

5

Limago Fluuio adiacentes reperitur. Hic primo gustu videtur insipidus, sed paulò post, in ore acrimoniam quamdam excitat.

Itẽ Gesnerus proponit plures alios lapides huius generis, à diuersis amicis acceptos, & præcipuè vnum, adamantis Cyprij nomine, insignitum, sed Gesnerus hunc vilem lapillum, & potiùs fluorem adamanti, vel crystallo persimilem iudicauit. In nostris

IV. Tabella cum quatuor alijs Fluorum differentijs.



etiam montibus Bononienſibus reperiuntur quidã lapides, ſubſtantia, colore,& ſplendore æmulantes gemmam, & in aliquibus quædam tubercula ex Fluore illo ſtillatitio anguloſa conſpiciuntur, quæ aliqua ratione ſaccharum candidum imitantur.

II. Tabella tres Fluoris exhibet differentias.

1. Fluoris rudimentum, cum maior portio ſaxi eſſet opaca, cum quibuſdam eminentijs translucidis.

2. Fluor albicans cum quibuſdam matricibus,à quibus fluit tanquã marga pellucida.

3 Fluoris ſpecies alia, quæ in montibus metalliferis inuenitur.

III. Tabella repræſentat quinque Fluorum differentias.

1. Fluores ex ſaxo. Nam reperitur quoddam ſaxi genus, aliquibus Spathum nuncupatum, ex quo Fluores quidam lucidi, exiles,& diaphani, necnon tubercula quædam non diaphana ſimul copulata. Sed inter hæc lucidi Fluores eminent: deinde, in aliquibus locis huius ſaxi, minera plumbi albi apparet.

2. Fluo-

V. Tabella cum tribus alijs Fluorum differentijs.



1

2

3

4

2. Fluores crystallini ex quibusdam lapidibus manantes, iuxtà partem superiorem lucidi, & in acumen definentes, tribus, vel quatuor triangulis insigniti, & iuxtà partem inferiorem, nempè iuxtà matricem non pellucidi. Deinde Cadmiam botritem æmulari videntur.

3. Fluor albicans substantiæ Amianthi æmulus, cum Pyrite mixtus esse videtur, & aliquid auri, vel plumbi continere, lapidi marmoreo adhærens, & in metallis fuit inuentus.

4. & 5 Sunt Fluorum rudimenta lucida iuxtà partem, à qua dimanant, & iuxtà partem exteriorem, obscuri sunt coloris.

Animaduertendum est huiusmodi Fluores aliquãdo obseruari crystallinos, alios flauescentes, alios purpureos, alios variatos. Encellius, ratione coloris, sex differentias constituit. Primam dicit esse rubri coloris, & huiusmodi Fluores, primò aspectu, carbunculi esse videntur, sed languidius fulgent, sed postea distinguuntur, quoniam hi sta-

ſtatim, atq; ignem ſenſerint, inſtar aquæ, diſluunt, Carbunculi verò genuini flammis reſiſtunt. Fluores purpureos aſſerit eſſe coloris dilutioris, & amethiſtini vireſcentis, quales in multis Bohemiæ locis inueniuntur. Deinde alios Fluores candidos, alios luteos, alios cinereos, alios ſubnigros, alioſq; coloris mixti conſtituit. A

IV. Tabella cum alijs differentijs Fluorum proponitur.

1. Fluor ad flauum colorem inclinans.

2. Fluor albus imitans cryſtallum.

3. Fluor alius pellucidus.

4. Fluores tres ſmaragdini coloris.

V. Tabella alias tres Fluorum differentias exhibet deſignatas.

1. Fluores candidi cryſtallini, iuxtà partem ſuperiorem, ſex angulorum, cum ſex ſuperficiebus quadrãgulis, & adeò claro ſucco conſtabant, vt in illis nulla prorſus macula appareret.

2. Fluores prædiți colore ſubalbido in ſtirias acutiſſimas, & anguloſas deſinentes. Succus autem alabaſtrinam materiam æmulari videbatur. B

3. Fluores parui, immò exigui tanquam ſcintillæ argenteæ in materia amethiſtina exiſtentes, & in hac minera, ſeu fragmento eſt quidam lapis cinereus materiæ candicanti admixtus, quæ Paretonio congener eſse videtur.

VI. Tabella delineatos offert Fluores virides, qui valdè aſſimilantur Fluoribus illis, qui, in montium viſceribus, ex aquis ſtillantibus, & lapideſcentibus concreſcunt. Hac eadem ratione huiuſmodi Fluores, in ſinu terræ, diaphani & virides, ad modum ſtiriarum gelu concretarum, generati fuerunt, ſaxo marmoreo albo, & fuſco adhærentes, vt in figura conſpicitur.

VI. Tabella cum Fluoribus vireſcentibus.



Itaq; Fluores noſtri exprimunt colores, iuxtà qualitatem humoris fluentis in vtero terræ; namque dum humor fluens eſt viridis, Fluores etiam viriditatem nanciſcuntur. Sin humor fluens inclinet ad purpuram, Fluores quoq; amethiſtini prodeunt, quales aliquando obſeruauimus triangulares, materiæ albicanti adhærentes.

VII. Tabella figuratum exhibet Fluorem varium, ſeu fragmentum Fluoris, tum colore, tum ſubſtantiæ varietate, necnon figura conſpicuum. Quandoquidem, vaporis, & exhalationis permixtione, habet aliquam partem coloris argentei, deinde ferrugi-nei, albicantis, nigri, & plumbei. Quinimò figuræ diuerſitas in illo apparet; ſiquidem in illo Irides, & Berylli quodammodo apparent. Hoc autem inde naſci opinamur; nam quemadmodum, vi ignis, glacies ſoluitur; pariter à virtute caloris interni

terræ,

A terræ, vel à vi Solis in ipsius vtero, varia, & diuersa liquantur, quæ, in spelæis, vel fodinis liquefacta tandem concrescunt,&, iuxta naturam materiæ, necnon miscellam variam vaporum,& exhalationum, varietatem in substantia, & coloribus acquirunt, quos postea densitas, & opacitas concomitatur. Hinc accidit, vt tam diuersæ Fluorum differentiæ obseruentur, quemadmodum Lector in proposito fragmento potest intueri.

VII. Tabella cum Fluore vario.



VSVS.

D FLVORES, propter mollitiem, poliri non possunt, sed aliqui interdum à Natura ita eleganter formantur, vt annulis includi possint. Encellius narrat horum vsum esse apud metallarios; quandoquidem illos in fornaces injciunt, vt materiam metallorum fluidiorem reddant, sed Fluor, quod lapis, qui ex pyrite conficitur, idem præstare solet. Georgius Agricola alium memorat esse vsum apud aliquos Impostores, qui huiusmodi fluores, pro gummatibus in aliquibus medicamentis adhibent, quod summopere improbat, cum aliqui fluores inueniantur, qui nonnihil acrimoniæ participant, consequenterq; praua qualitate non carent. *Lib. 5. fossil.*

DE

DE CRYSTALLO.
Cap. LXXVII.

ÆQVIVOCA.

Vitri genus

CVM Fluores candidi, de quibus paulò ante petractatum fuit, prorſus Cryſtallo aſſimilentur, hi noſtræ menti hiſtoriam cryſtalli inſinuarunt. Quapropter, de hoc, in præſenti capite, agentes, prima facie æquiuocationem explicabimus: quãdoquidem, voce Cryſtalli, quatuor præcipuè intelliguntur. Primum eſt quoddam vitri genus, quod candore, & puritate cryſtalli nomen promeretur. Secũdum eſt gelu, vel glacies, quam Græci κρύσταλλον vocant. Tertio hæc vox grandinem indicare poteſt, iuxta ſententiam illorum, qui verba illa Pſalmi centeſimi quadrageſimi ſeptimi expoſuerũt. *Mittit cryſtallum ſuam &c.* Quarto Cryſtallus ſumitur pro illa gemma, cuius hiſtoriam in præſentia recitamus. Verùm quoniam Cryſtallus comprehendit quamdam ſpeciem, quæ Iris nominatur, non erit ab re, huius etiam vocis ambiguitatem exponere antequam ad ſynonima Cryſtalli accedamus.

Iris vox æquiuoca.

Primitùs Iris ſignificat arcum cæleſtem, ita nuncupatum ab εἰρεῖν, nimirum nuntiare, propterea quòd Iris in Cælo conſpectus pluuias nunciare ſoleat. Hinc Poetæ Irim Iunonis nuntiam eſſe finxerunt. Deinde Iris eſt circulus coloratus pupillam oculorum ambiens. Amplius Iris eſt planta lilij ſpecies, radice odorata, & flore ſimilitudinem arcus cæleſtis gerente, cuius triginta tres differentias Bauhinus in Phythopinace enumerauit. Inſuper Iris apud Scholiaſtem Nicandri, medicamẽtum venenatum denotat. Item, apud Hermolaũ Barbarum, Iris fuit, apud Antiquos, medicamen ex croco, myrrha, & alumine compoſitum. Tandem Iris eſt gemma cryſtallina, quæ aliquando inſculptum arcum cæleſtem gerit, & aliquando ita appellatur, quoniam obiecta radijs ſolaribus figuram arcus cæleſtis in proximum parietem eiaculatur. Huc reſpiciens Marbodeus ſic canit.

Nam ſi ſub tecto radijs ſit ſubdita Solis
Proximus inficitur paries, varioq́ colore
Arcus cæleſtis depingit vtrinq́ figuram.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

LAPIS hic clarus, & pellucidus Latinis nominatur Cryſtallus, & iuxta fæmininum genus inflectitur. Alioquin, in genere etiam neutro, Cryſtallum profertur. Verùm, apud Græcos, hæc vox, κρύσταλλος, eſt maſculini generis, & gelu, vel glaciem ſignificat; traduntq; nomen hoc deductum à κρύος frigus, & στέλλομαι, pro σιστέλλομαι contrahor, quoniam glacies ſit aqua frigore contracta, & concreta. Græci poſtmodum hoc eodem nomine vtuntur, ad ſignificandam gemmam pellucidam, inſtar gelu, de qua in præſenti capite ſermo habetur. Immò nomen hoc, κρύσταλλος, in epigrammatibus græcis, fæminino genere prolatum, & vnico λ ſcriptum obſeruatur. Claudianus Cryſtallum cognominauit ſaxum liquidum, quia ex aqua eſſe conflatum exiſtimauerit, & alibi prodigioſum Silicem indigitauit, fortaſſis, quia cum ſit lapis pellucidus, ferro tamen percuſsus ſcintillas, inſtar ſilicis, ſpargat. Hinc cryſtallinum vocatur, quod ex cryſtallo conſtat, vel quod cryſtalli claritatem æmulatur: idcircò Cælum cryſtallinum, & Saccharum candidum pariter cryſtallinum dicitur. Italis vocatur Criſtallo, Gallis, Germanis, & Hiſpanis Cryſtal.

Cryſtallum ſpargit ſcintillas ignis.

GE-

GENERATIO, ET NATVRA.

CIRCA Crystalli ortum duo quæsita proponi solent. Primum ad materiam, & secundum ad figuram Crystalli pertinet. Quoad primum, duplex circumfertur opinio. Prima fuit eorum, qui putarunt Crystallum esse aquam in glaciem densatam, quæ, diuturnitate temporis, in montibus frigidissimis permanens, tandem in Crystallum conuertitur. Inter hos Authores recensetur Plinius, Isidorus, Seneca, Maiolus, Statius, Brasauolus, Claudianus, Propertius, & Marbodeus, qui de Crystalli ortu sic cecinit.

Crystallus glacies multos durata per annos,
Vt placuit doctis, qui sic scripsere, quibusdam
Grandinis antiquæ frigus tenet atq; colorem.

Hæc autem opinio non potest admitti, propter rationes, quas inferius assignabimus. Altera sententia fuit Agricolæ, Matthioli, & aliorum, qui censuerunt Crystallum, neq; ex glacie, neq; ex niue vnquam generari posse, sed, in sinu terræ, ex illo humore produci affirmarunt, ex quo Berylli, Adamantes, & aliæ gemmæ huius generis resultant, suamq; stabiliunt sententiam his rationibus. Primò, quia si crystallum prodiret ex aqua congelata, calore etiam ignis, vel Solis solueretur. Deinde si aquæ montium, & niues frigidissimæ in crystallum verterentur, maior copia crystalli, quàm aliorum lapidum ibi inueniretur. Præterea glacies in aquis locata innatat, cum crystallum illicò subsideat, quoniam ex materia diuersa constat. Tandem Crystallum, iuxta primam opinionem, in locis tantummodò frigidissimis reperiretur, sed loci natales oppositum demonstrant; quoniam magna crystalli copia in locis calidissimis generatur, vt in rubrica locorum natalium ostendemus. His addamus glaciem, & niuem esse mixta imperfecta, cum crystallum, tanquam mixtum perfectum, ex quatuor elementis integretur. Generatur enim, dum tenuissima portio terræ, cum modico ignis, vel sulphuris purissimi permiscetur aquæ: vnde Crystallum ferro percussum, instar silicis, scintillas fundit.

Secunda opinio ortus crystalli.

Secundum quæsitum versatur circa figuram Crystalli, quam à Natura, vel circularem, sed vt plurimum angularem, & præsertim hexagonam nanciscitur. Immò anguli crystalli in cuspidem definentes ita eleganter flectuntur in latus propè mucronem, vt Artifex vix tales imitari posset. Id inde oriri asseuerandum est, quoniam, in huius lapidis generatione, terrestris materia subtilis semetipsam separans ab aqua, se se vnire nititur, & singulæ particulæ quocumq; modo centrum sui corporis ambiunt, atque appetunt: quamobrem necesse est, vt vel circularem, vel hexagonam figuram indicãt, cum nulla alia, præter circulum, perfectior esse videatur, vt Aristoteles optimè animaduertit.

Lib 3. Cali text. 66.

Tandem Crystallum à Natura plerumque producitur, cum festucis, atomis, salibus, nebulis, ferruginibus, & vitijs similibus inquinatum: quando autem perspicuum est, Crystallum montanum nuncupatur. Georgius Agricola Crystallum cum argento rudi genitum obseruauit, & simile non improbauit, sed mirandum in modum commẽdauit. Hieronymus Cardanus Crystallum cum aqua ingenita habuisse fatetur, quæ ad motum Crystalli mouebatur.

Lib. 5. de fossil.

Lib. 7. de subtil.

DIFFERENTIÆ.

HÆC gemma, si tamen gemmæ nomen promeretur, dum pellucida, ad modum glaciei, generatur, crystallum appellatur, sin coloretur, nomen ab illa gemma sortitur, quam æmulatur. Quocirca, si referat Beryllum, vocatur Pseudoberyllus, si Topasium, Pseudotopasius, si Sapphyrum, Pseudosapphyrus, si Smaragdum, Pseudosmaragdus. Illud autem Crystallum, quòd solares radios recipiens, figuram arcus cælestis in proximum parietem iacit, vel luci obiectum varietatem coloris refert, Iris appellatur: sin citrinum colorem referat, à Gemmarijs Iris citrina nuncupa-

cupatur, & fortaſſis erit illa Iris, quam Veteres ceræ ſimilem conſtituebant. Eritque
L.37.ca.9. fortè illa gemma apud Plinium, quæ diſtinguitur macula alba, vel nigra, & zeros dicitur. Præterea Irides, quoad materiam, diuerſæ conſtituuntur. Nam quædam
Irides variæ. ex ſucco puriſſimo generantur, & Cryſtallum limpidiſſimum æmulantur; quamuis poſtmodum, copia angulorum, à Cryſtallo diſtinguantur. Aliæ Irides ex ſucco impuro producuntur, quæ non ita diaphanæ, & perſpicuæ apparent. Aliæ tandem ſunt, quæ ex ſucco vario reſultant; conſequenterq; has Irides non eodem colore omnes refertas eſſe intuemur: nam quædam albæ, quædam nigræ, quædam citrinæ, & quædam ſubrubræ oculis intuentium ſe ſe offerunt. Præterea, ratione angulorum, Irides ab inuicem diſcriminantur: etenim quædam habent duodecim angulos, hoſq; interdum æquales interdum inæquales. Quædam ſexangulis perocnatæ inueniuntur, lateribus æqualibus, & inæqualibus; omneſque non ijſdem ſunt præditæ; nam quædam acutis, quædam, vel in ſummo, vel in imo, aliquando acutis, & aliquando obtuſis angulis inſigniuntur.

Ratione ſubſtantiæ, cryſtallum aliquam ſortitur varietatem; nam aliquod valdè du-
Pſeudo Adamas quid. rum eſt, & Pſeudo Adamas vocatur, ſed poſteà igne, & ſenecta corrumpitur, quod Adamanti genuino nequaquam contingit. Attamen Pſeudo Adamas alijs Cryſtallis nobilior penès Authores dicitur; quemadmodum Cryſtallum citrinum eſt nobilius Iride, & Iris nobilior Cryſtallo appellatur. Nonnullas tabellas hic exhibemus varijs iconibus exornatas, quæ non ſolum rudimenta Cryſtallorum, ſed etiam Cryſtalla, & varias Irides repræſentant.

I. Tabella oſtendit Cryſtallum cum minera.

1. Minera Cryſtalli.

2. Minera plumbea vnde Cryſtalla tanquam fluores egrediuntur.

I. Tabella oſtendit Cryſtallum cum minera.

1

2

I. Tabella oſtendit Cryſtallum cum minera.

Vidimus olim aliam Cryſtalli congeriem hic non delineatam, in cuius latiore parte muſcoſæ quædam portiones, veluti capillamenta apparebant, quæ ramulos tenues muſci referebant. Quinimò in huiuſmodi capillamentorum medio, figura arcus cæleſtis conſpiciebatur: hinc non immeritò Cryſtallum dendrites nominari poterat.

Dendrites cryſtallum. Item obſeruauimus Cryſtallum, in quo materia quædam Antimonio ſimilis à Natura fuerat incluſa, necnon conſpicati fuimus aliud Cryſtallum, in quo arbores, flumina, montes, & alia Naturæ ludicra viſebantur.

II. Tabella oſtendit figuram lapidis materia Cryſtallina referti, qui ob varias figuras, quas referebat, admirationem non mediocrem intuentibus afferebat.

II. Ta-

II. Tabella cum lapide crystallina materia referto.



III. Tabella cum cryſtallina congerie.



III. Tabella repræſentat congeriem cryſtallinam diuerſis piſcium, & aliarum rerum exornatam, quæ olim in agro Veronenſi reperta fuit.

IV. Ta-

IV. Tabella tres Crystalli icones ostentat ad mentem Gesneri.

1. Crystallum iuxtà hanc formam à Natura productum.

2. Crystallum paruum vtrimq; æqualiter mucronatum, quod tanquam à Natura ita productum, & in monte Baldo repertum, Gesnero fuit communicatum. Cæterùm, Gesnerus arbitratus est hoc Crystallum hanc formam non totam à Natura, sed partim etiam ab arte acquisiuisse.

3. Crystallum pangonium, nempè omni ex parte angulosum; sed angulos, ope artis, adeptum erat.

IV. Tabella cum tribus Crystalli figuris.



V. Tabella ostendit quatuor differentias Iridum.

1 Iris, in qua figuræ admodum angulosæ, & Arcus cæleſtes conspiciuntur.

2. Iris nitens, & diaphana, citra maculas, habens sex quadrangulas superficies: idcircò trianguli in summitate iuncti pyramidalem figuram imitari videntur.

D 3. Iris habens copulatam mineram, vel matricem Amethisti. Insuper ibidem quidam fluores albicantes conspiciuntur. In medio autem Amethisti lapis apparet æmulans Iridem, & in sex superficies trigonas definit, quarum tres maiores, & tres minores visuntur, & pyramidem sexilateram constituunt, quę tribus angulis maioribus, & tribus minoribus integratur.

4. Irides plures, iuxtà partem inferiorem, simul copulati, referentes figuram octo triangulorum.

VI. Tabella exhibet pictas Irides nigras, cum Beryllis mineræ adhærentibus.

Nascitur quoddam lapidis genus atrum, sed pellucidum, instar vitri, non multum absimile Gagati, sed multò lucidiùs in territorio Senensi. Quoniam autem huiusmodi lapis figura Adamantis à Natura producitur colore nigricante, Incolæ similes lapides Adamantes nigros appellant. Nos autem Irides nigras esse existimamus. *Adamas niger vbi.*

Præterea in hac eadem tabella delineati apparent Berylli plures cum minera copulati, de quibus paulò inferius pertractabimus.

V. Tabella cum quatuor differentijs Iridum.

1

2.



3



4.



VI. Tabella cum Iride nigra, & Beryllis.

VII. Tabella sexdecim Iridum differentias monstrat, quam prædictis addere voluimus, vt coronidem his differentijs imponeremus.

1. 2. 3. Sunt Irides impuræ, & valdè imperfectæ, quoad angulos, superficies, & pyramides.

4. Iris valdè lucida, & admirabilis ob figuras geometricas, nam in medio sex quadrangulæ sunt figuræ, quæ, iuxta partem superiorem, & inferiorem, in sex triangulos desinunt, vtrinq; pyramidem hexagonam formantes, vt in icone conspicitur.

5. Iris non discrepans à superiori, nisi quòd triangulos, superficies, & pyramides habebat oblongiores, & angustiores, vt Lector in figura intueri potest.

6. & 7. Irides cum superficiebus quadrangulis, & sex triangulis, tam in parte superiori, quàm inferiori, & sibi inuicem sola magnitudine discrepant.

8. Iris alia imperfecta: etenim, in parte superiori sex trianguli, sed inæquales conspiciuntur, & in parte inferiori vnus tantùm apparet, cum reliqui desint.

9. Iris pariter minor, & imperfecta, cum sex quadrangulas superficies inæquales habeat, & iuxtà partem superiorem desinit in acutos angulos, sed iuxta partem inferiorem est mutilata.

10. Irides duæ coniunctæ, & vnaquæq; superiùs, & inferiùs triangulos format, & ibi nulla superficies apparet quadrata.

VII. Tabella cum ſexdecim Iridum differentijs.



11. Iris trium digitorum altitudine, cum ſex quadrangulis ſuperficiebus inæqualibus, habet pyramidem ſuperiorem quinque triangulis inæqualibus, & decurtatis conſtantem; pyramis autem inferior eſt obtuſa.

A 12. Irides quædam simul iunctæ adhærentes materiæ cuidam subalbæ; harumq; nonnullæ maiores, nonnullæ minores, sed inæquales inter se conspiciuntur.

13. Iris nigra, & exterius nitens, instar speculi, sed deformis quoad angulos visitur.

14. Iris altera nigra, & parua, in cuius medio sex sunt quadratæ figuræ, quæ pariter in sex triangulos iuxta partem superiorem, & inferiorem desinunt.

15. Iris nigra duas habens pyramides simul iunctas, quæ quoad partem supernam, & infernam, octo angulos formant.

16. Iris altera nigra habens sex figuras quadrangulas inæquales, quæ vtrinque sex triangulos formant.

LOCVS.

B NASCITVR Crystallum quandoque saxis ita tenaciter adhærens, vt inde nonnisi magna difficultate auelli possit. In marmoribus agglutinatum inuenitur; nam quando quidam Cælator egregius effigiem Serenissimi Octauij Ducis Parmensis ex marmore Carrariensi fingeret, in facie statuæ callosam lineam, quam Cælatores pilum vocant, inuenit, sed cum altiùs substantiam marmoris subiret, marmor scalpro aperuit, & frustum Crystalli valdè conspicui, iuxta interiorem marmoris substantiam, obseruauit. Verùm, quoad regiones, in quibus Crystallum ferè semper inuenitur, notandum est, ex Isidoro, nasci in Asia, in Cypro, & in iugis Alpium Septentrionis. Ex Maioli mente, oritur etiam in Italia, & præsertim in monte Ætna, in aliquibus Calabriæ montibus, & in nonnullis Corsicæ Insulæ vallibus. Item rudimenta Crystalli aliquando in monte Baldo inuenta fuerunt. Circa Pisas, & potissimùm in Torrente inuenitur, qui ex monte Magno defluit. In Verruca etiam monte proximo foditur. Immò territorium Parmense Crystallis pellucidis non caret. Amplius, propè Arnehmum Geldriæ oppidum, in Silesia, & in Bohemia Crystalla admodum dura, & tanta elegantia reperiuntur, vt vix ab Adamantibus distinguantur. Tandem C in Lusitania Crystallum frequens, & ingentis ponderis effoditur. Apud Insulas Sundi, & in tota regione Congi nascitur. *Aetna mõs*

Illa autem Crystalli species, quam vocant Irim, oritur quidem in locis, in quibus alia Crystalla obseruantur, sed potissimùm in Saxonibus, in Chattis, propè Heldebergum, similiter in Perside, in Arabia, & in quadam insula maris rubri. Horum locorum natalium Marbodeus meminit his versibus.

Irim dant Arabes, sed gignit eam mare rubrum
Crystallo similem, cuius sexangula forma.

MYSTICA, ET MORALIA.

D NONNVLLA de Crystallo ad doctrinam mysticam, & moralem spectantia sicco pede præterire noluimus. Nam, ex sententia Diui Hieronymi, in expositione Psalmi centesimi quadragesimi septimi, Crystallum tãquam frigidi Peccantis symbolum diuulgatur, qui diuina calefactus gratia, supernum ignem, tanquam Crystallum calorem Solis, suscipit. Deinde, iuxta mentem eiusdem Diui Hieronymi, in primum caput Ezechielis, Crystallum eximiam puritatem mysticè significat. Insuper Gregorius Magnus in primum caput Ezechielis, Crystallum angelicę naturę symbolum constituit, vbi leguntur hæc verba. *Quasi aspectus Crystalli horribilis.* Prædictis addamus, quòd conscientia pura, Crystallo, mysticè demonstratur. Etenim si Crystallum radijs solaribus obiectum flammam concipit, illamq; foliis siccis, & escæ impertitur: sic recta conscientia radijs diuinæ gratiæ icta, statim flammas charitatis rapit, quas alijs posteà impertitur. Neque Fides est omittenda, quæ, symbolo Crystalli, denotatur. Etenim quemadmodum, per Crystallum, res longinquæ interlucent, &, ope Crystalli, species ad nostram visionem transmittunt: similiter, ope fidei, Deum, & quæ Dei sunt, intuemur. *Homil. 7.* *Fides cui assimilatur.*

Item Crystallo Abstinentia, & Castitas assimilari potest, Quandoquidem, si Crystallum

ſtallum purum in medicamine ſumptum, ventris fluxiones coercet: pariter Abſtinen- E
tia, & Caſtitas cryſtallinam puritatem præ ſe ferunt, & fluxum inhoneſtæ, & pernicioſæ libidinis compeſcunt. Præterea viri omnes probi, & iuſti naturam Cryſtalli imitari videntur: ſiquidem Cryſtallum, ſi rapiens ignem, eſcæ illum communicat; aſſimiliter hi diuinæ charitatis flammam ſuſcipientes, cæreros homines, exemplo, & doctrina, ad timorem, & amorem Dei alliciunt, & inflammant. Tandem homo criminoſus pœnitentia ductus, per naturam Cryſtalli, meliùs manifeſtatur, quoniam propria crimina patefaciens, claritatem Cryſtalli acquirit, & lumen diuinæ gratiæ ſuſcipit; deinde, ad modum Cryſtalli, aduerſus quæcumq; Diaboli, & mundi tentamenta dureſcit.

VSVS IN MEDICINA.

EXTRINSECVS, & intrinſecùs Cryſtallum in medicina non mediocriter conducit. Primitùs, collo ſi ſuſpendatur, praua, & turbulenta inſomnia arcere per- F
hibetur, necnon vertigini medetur. Olim, loco cauterij ferrei candefacti, vte-
Vertiginis remedium. bantur pila cryſtallina radijs ſolaribus expoſita, & Matthiolus hanc magna Patiẽtum, & Aſtantium admiratione adhibuiſſe fatetur. Anſelmus tamen Boetius non minorem dolorem hac excitari, quam ferro candenti exiſtimat. Pila quoq; ex cryſtallo, ob frigiditatem, linguæ febricitantium ſupponitur, vt ſitis tollatur. Rurſus eadem manibus ægrotantium frequenter pertractatur, vt calor febrilis remittatur. Sed aqua roſacea ſæpiùs mergi debet, quando hæc pila manibus ægrotantis incaluerit. Puluis quoque
Vnguentũ citrinum. Cryſtalli vtiliter ad dentifricia vſurpatur, & compoſitionem vnguẽti citrini ingreditur, quod in lentigine faciei, & in cicatricibus dealbandis, fæliciter adhibetur.

Puluis etiam Cryſtalli, in multis affectibus internis, commendatur, & primùm aduerſus Epilepſiam, & potiſſimum aduerſus illam, quæ per conſenſum vteri generatur. Crato quemdam puluerem contra Epilepſiam memorat, quem Cæſar pro maximo ſecreto habuit: quandoquidem homines etiam prouectæ ætatis huic morbo obnoxij, poſt purgationem, liberati fuerunt. Compoſitio huius pulueris recipiebat vnciam Cryſtalli G
præparati, ſcrupulos duos corallorum rubrorum, ſcrupulum margaritarum præparatarum, & ſcrupulum ſemiſſem ſmaragdi orientalis, cuius compoſitionis dimidia pars pro doſi conſtituebatur. In ſyncope, & alijs affectionibus cordis non vulgariter probatur; quoniam, cum ſit lapis ſolaris, mirandum in modum ſpiritus vitales exhilarat: idcircò veteres Aſtrologi cryſtallum Soli dicarunt. Item puluis huius lapidis in vino
Cryſtallum Soli dicatum. propinatus dyſenteriam coercet, & albos vteri fluores cohibet. Inſuper fluxum cæliacum à proprietate, tanquam Bezaar compeſcit. Deinde calculos frangit, illoſque cum arenulis per vrinam expellit. Amplius cum vino, vel iuſculo nutricibus datus, copiam lactis augere traditur. Hinc Marbodeus ſic cecinit

Hunc etiam quidam tritum cum melle propinant,
Quo potu credunt implerier vbera lacte.

Plinius illam Cryſtalli ſpeciem, quam Iridem ceræ ſimilem Veteres faciebant, & in puluerem redactam laudat, vt morſibus lchneumonum medeatur. Immò puluis cuiuſcumq; Cryſtalli, ad pondus drachmæ, cum oleo amygdalarum dulcium exhibitus cu- H
rat Patientes, qui argentum ſublimatum hauſerunt. Andreas Libauius, & alij Chymiſtæ ex Chryſtallo liquorem, & alia magiſteria, chymicis organis parant, vt prædictis morbis medeantur, quoniam hæc medicamina crudo Cryſtallo præſtantiora eſſe
Cryſtallum apud Chymiſtas. arbitrantur. Cryſtallum quoque, teſte Quercetano, in pollinem redactum, ſpatio horæ, vi ignis, excandeſcit, deinde extinguitur aqua Raphani, Ononidis, vel Petroſelini, cui quarta pars olei vitrioli, vel ſulphuris acidi fuerit addita. Hoc opus decies repetitur, & poſtea ſaccharo optimè trito prædicta aqua paulatim affunditur, & diligenter ſpathula lignea mouetur. Huius ſacchari ſemichoclear manè, & Veſperi Patientibus præbetur, quoniam non ſolum obſtructiones contumaces referat, ſed etiam lithiaſim curat. Podagricis item conuenire, ſyncopi, & affectibus Cerebri competere perhibetur, quia cerebrum roborat, & ſpiritus vitales recreat.

A

VSVS IN VARIIS.

OLIM Crystallum, iuxtà sententiam Plinij, radijs Solaribus apponebant, & ignem Crystallo correptum folijs aridis excipiebant. Marbodeus hunc affectum manifestat his versibus.

Sed certum cunctis nec stat dubitabile cuiquam,
Quod lapis hic soli subiectus corripit ignem,
Admotasq; sibi solet hinc accendere fungos.

Hodie ex Crystallo lentem conuexam formant, vt notauit Porta, quæ ad radios Solares maxima violentia ignem accendit, & magis, quàm speculum concauum operatur: quandoquidem plumbum liquefacit, & metalla ignita reddit. Præterea vasa non contemnendæ magnitudinis aliquando ex Crystallo fabrefiunt, & potissimùm quando
B ad aliquam magnitudinem excrescit: narrat enim Olaus Magnus, referente Maiolo, nõ procul à Ludeocopia Ostrogothorum vrbe, frusta Crystalli passim inueniri hexagona figura, quorum magnitudo pugnum humanum excedit, sed alibi compertum est magnitudinis insignioris: siquidem, ex Plinio, Crystallum quinquaginta librarum à Liuia Augusta in Capitolio dicatum fuit. Quinimò vasa ex Crystallo quatuor sextariorum apud Indos visa fuisse referunt. Non solùm igitur globuli precarij, perspicilla, & pocula ex hoc fabricantur, sed etiam grandes calices formantur. Plinius memorat cali- *L.37.ca.2.*
ces, quos fregit Nero illisos, ne quis alius in illis biberet. Nostra ætate, ex Crystallo fracto, nitro, & sale alkali, Venetijs, calices conflantur, qui crystallinis proculdubiò comparari possunt Immò, vt voluit Agricola, Crystallum ad cælaturam ratiò trahitur, quoniam vsu atteritur, &, in comparatione ad alias gemmas, molle est, necnon mirandum in modum limam sentit. Quando autem Crystalla sunt dura à Gemmarijs ad modum Adamantis scalpuntur, &, Berylli nomine, venduntur, cum tamen Beryllus, sit gemma à Crystallo diuersa, vt inferiùs ostendemus.

Vasa ex crystallo.

C Ex Crystallo Vitrarij Smaltum cuiuscumq; coloris fabricant. Deinde gemmas, tincto Crystallo, cuiuscumq; fuerint coloris, simulant. De his operibus Magia Portę le- *L.6.c.23.*
genda est: Gemmarij rursus portionem telæ sericeæ rubicundi coloris inter duo polita *& 4.*
Crystalli frustula collocant, annuloq; includunt Carbunculum fingentes, hancq; fictitiam gemmam *Doppia* indigitant, quoniam ex duplici portione Crystalli componatur.

DE ADAMANTE.
Cap. LXXVIII.

ÆQVIVOCA.

D VM Adamas Crystallo, affinitate, & cognatione quadam, coniungatur, ordinis ratio exposcit, vt, post caput Crystalli, historiam Adamantis examinemus. Verùm quia hæc vox ambiguitatem euitare non potest: idcircò, prima fronte capitis, æquiuoca se se offerunt ponderanda. In primis (Adamo) verbum est Latinorum, quod vehementer amare significat; & in secunda persona format (adamas) ideòque erit vox æquiuoca ad vocabulum (Adamas.) Meminimus ad rem legisse apud doctissimum Nouarinum, in hoc genere pulcherrimum distichon huius tenoris.

Te quiescit amat, domis & prodit amorem,
Et tu si quoq; eum non adamas ADAMAS.

Aliter Adamas, in antiquis Dioscnomenclaturis, herba est, quæ, alio nomine, Apol- *Lib.4.*
linaris, vel Hyoscianus dicitur, fortassis ita appellata, quia, more Adamantis, praua herbæ qualitas nullo medicamine domari possit; cum per os sumpta insaniam parere tradatur.

Insu-

Inſuper Adamas, in caſu obliquo, inflectitur Adamantis: verùm Adamantis, apud Plinium, eſt herba, quæ, ex mente Magorum, in Armenia, & Cappadocia creſcit, qua admota, Leones reſupinari feruntur. Cæterùm, his omiſſis, ad vocabulum (Adamas) quod lapillum pretioſum denotat, accedere oportet. E

Lib.24.ca. 17.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

LATINIS vocatur Adamas, quoniam Græcis dicitur ἀδάμας, ab ἀ priuatiua, & verbo δαμάω, vel δαμάζω, domo, quoniam hic lapis duriſſimus, & nulla vi domabilis credatur. Aliquibus nuncupatur Anachites, vel Anchites, nomine deducto, ab ἄγχος, quæ vox angorem ſignificat: cum inualuerit opinio apud Vulgares, Adamante geſtato, vanos mentis timores, & animi angores arceri. Alioquin gemma reconciliationis nominatur, quoniam, hoc lapide, rixas componi, & coniugum amorem firmari perhibent. Alcaſarius animaduertit, nomine Carbunculi, in ſacris Paginis, Adamantem eſſe intelligendum. Aliter apud Hæbreos appellatur Samir, quod nomen non ſolum Adamanti, ſed etiam ſenti, & ſpinæ conuenit; deducitur enim à principali verbo Samar, quod, ex ſententia Alcaſarij, ſibi cauere ſignificat. Germanis dicitur Ein Demut Demant, & Diamant. Italis, & Hiſpanis Diamante, Gallis Diamant, Arabibus, & Mauritanis Almaz; quamuis Serapio, ad hunc lapidem indicandum, alio vocabulo vſus fuerit. Indi, vt plurimum vocant Iram, etiamſi horum nonnulli Naifes nuncupent. In Malaio, vbi etiam Adamas inuenitur, Itam dicitur, veluti Garzias ab Horto animaduertit. F

Anachites quid.

In Apocal. cap.21.

ORTVS, ET NATVRA.

VT omittamus opinionem eorum, qui Adamantes, paritura Adamantum, in lucem prodire ſcripſerunt, veluti fuit Ludouicus Viues, in Scholijs ad Diuum Auguſtinum, vbi memorauit Adamantes, qui fatiſcunt, & alios pariunt: forta ſſis nixus illis Authoribus, qui parere lapides non diffitentur. Nos tamen in præſentia pronunciamus ex ſucco non valdè diſſimili emergere Adamantem ab eo, ex quo Cryſtallum generari ſolet. Sed, biennij ſpatio, perfici Adamantes, Authores quidam, referente Garzia, monimentis mandarunt: quandoquidem, exinanito fodinæ loco, poſt biennium, Adamantes denuò ibi reperiuntur, ſed grandiores ſub infima rupe, minores autem in ſuperiori parte gigni perhibentur. Deinde Natura tantam huic lapidi ingenuit duritiam, vt nonnulli Interpretes Heſiodi Adamantem Ferri ſpeciem eſſe exiſtimauerint. Hac etiam de cauſa à multis Poetis Adamas perennis, inuictus, ſolidus, æternus, indomitus, & ferreus fuit nuncupatus. Hanc proprietatem Marbodeus his verſibus expreſſit. G

Lib.21. de ciuit. Dei cap.4.

Epitheta Adamãtis.

Huius durities ſolidiſsima cedere neſcit
Ferrum contemnens, nulloq; domabilis igne.

Non tamen obſeruamus tantam in illo duritiem, quam Poetæ ineſſe illi diuulgarunt, quoniam, piſtillo ferreo, in mortario tandem confringitur. Hoc fortè à Poetis, & ab alijs Authoribus, de duritia huius lapidis, prolatum fuit, quoniam cæteræ gemmæ etiam duræ in comparatione ad Adamantem, molles eſſe feruntur. Hæc autem durities Adamantem à Cryſtallo diſcriminat: quamuis perſpicuitas etiam id præſtet: etenim, cum Adamas ſit pellucidus, inſtar aquæ, & diaphanus, more cryſtalli: nihilominus nitor Adamantis eſt viuax, cum ſplendor cryſtalli admodum langueſcat. Hæ duæ proprietates in Adamante inſignes, nempè duritia, & diaphaneitas ſummoperè à Gemmarijs obſeruantur, & commendantur. Rurſus Natura hoc illi congenuiſſe traditur, vt ignis iniurias facilè ferat: ſiquidem, ſpatio nouem dierum, igni reſiſtere poſſe traditur, cum Rubinus, ſpatio tantùm quinque dierum, flammis reluctetur. Non omnes poſtea Adamantes ſemper perſpicui, & radiantes inueniuntur, ſed horum nonnulli vitijs quibuſdam, nempè nubeculis, vel alienis coloribus inquinantur. Hæc autem vitia, ex Anſelmo Boetio, aqua Mercuriali ex Stibio diſtillata auferuntur. Quando igi- H

tur

A tur Adamas diaphanus, & radians alicuius insignis magnitudinis inuenitur, cariùs, quàm alia gemma constat. Ad rem narrat Benuenutus Cellinus Florentinus se vidisse in nodulo aureo, quo mantelum Clementis Septimi Pontificis Maximi ligabatur, Adamantem, cuius pretium fuit triginta sex mille nummorum aureorum. Idem refert se pertractasse Adamantem, qui duodecim mille aureis nummis constabat: hunc Carolus Quintus Imperator Summo Pontifici Paulo Farnesio dono dedit, quando ab expeditione Bysaciana Romam se contulit. Tandem huic lapidi Naturam attribuisse hoc Garzias obseruat, vt attritu calefactus, instar Electri, festucas attrahat. Idem Author addit duos Adamantes simul fricatos ita agglutinari, vt nonnisi difficulter ab inuicem separari possint.

Lib. 2. de lapid. ca. 4.
Lib. 1. artis auraria.
Lib. 1. hist. Arom.

DIFFERENTIÆ.

SEX Adamantum genera Plinius recensuit. Primum Indicum quadam cognatione crystallo affinem, & non in auro nascentem Adamantem memorauit. Secundum genus Arabicum priori simile, sed minus, quoad molem, constituit, & quoniam similitudinem milij repræsentat, Cenchrum nominauit. Tertium genus Macedonicum; &, quoad figuram, simile semini Cucumeris esse voluit. Quartum genus Cyprium, & in colore aereum prædicauit. Quintum Sideritem nuncupauit, quia ferrei sit coloris, & ictibus frangatur, & alio Adamante perforetur. Tandem huc refertur Androdamas ità appellatus, quoniam iras, & hominum impetus domare credatur. An postea sit idem cum Argyrodamante, Authores non exponunt. Marbodeus & ipse nonnulla genera Adamantis his versibus recenset.

Adamas
Cenchros.
Androdamas.

Vltima præcipuum genus Indica fert Adamantis,
De Crystallorum natum sumptumuè metallis.

Rursus paulò inferiùs addit.

Alterius generis producit Arabs Adamantem,
Non sicuti ictum, nam frangitur ablq; cruore.

Iterum paulò inferiùs sic canit.

Tertius est Adamas, quem dat Maris insula Cyprus
Quartum produxit Ferraria vena Philippis.

Genera Adamantum ab Antiquis proposita hodie ignota esse videntur: quandoquidem vnum tantùm Adamantis genus habetur, quod tincturam recipit. Nisi velimus, ratione loci natalis, & colorum, varias Adamantis differentias assignare, quoniam alij albicant, alij nigrescunt, & alij pallescunt. Verùm, ratione loci natalis, alij Bohemici, alij Anglici, & alij Vngarici appellantur. Immò inter has differentias aliqui sunt hexagoni, & alij globosi, qui maiore duritia referti obseruantur.

Quantum attinet ad molem, siue magnitudinem, animaduertendum est, iuxta sententiam Plinij, Solini, & Isidori, Adamantem nunquam maiorem nucleo auellanæ repertum fuisse. Cardanus quoq; maiorem Faba non inueniri asseruit. Nostris temporibus duo genera Adamantum, parua tamen, monstrãtur: vnum de Rupe noua, alterum de Rupe veteri vocitant. Factitius pariter Adamas ex Sapphyro fœmina conficitur; nam igne albescit, & inter cæteros Adamantes durus, & conspicuus apparet.

Magnitudo Adamãtis.

Quoad colorem, quamuis relatũ sit Adamantem assimilari aquæ: nihilominus aqua, cui Adamas comparatur, omni prorsus colore priuata esse non debet: etenim solùm purum aquæ elementum hac conditione gaudet. Præterquamquòd Benuenutus Cellinus Gemmarius insignis recitat, se Adamantes variorum colorum obseruasse, qui duritiam, & perspicuitatem radiantem participabant. Primò conspicatus est Adamantem ex albo rubescentem (hunc colorem vulgus Incarnatum vocat) in diademate Pontificio Clementis Septimi, qui adeò nitens radiabat, vt cæteri Adamantes in conspectu illius obscuri apparerent. Rursus se conspexisse fatetur Mantuæ viridem Adamantem, qui Smaragdum dilutioris coloris imitabatur, &, instar aliorum Adamantum, optimè refulgebat.

Libr. 1. art. aur. Adamantes varij coloris.

E

ANTIPATHIA, ET SYMPATHIA.

GRAVES Adamas cum Magnete inimicitias exercere dicitur: propterea quòd, ipſo præſente, ferrum à Magnete non attrahatur, & ſi attractum fuerit illud abigit. Hæc fuit ſententia Plinij, quàm poſteà multi alij Authores ſunt ſecuti, & potiſſimùm Marbodeus, quando cecinit.

Omnibus æquatamen vis eſt adducere ferrum,
Quod facit & Magnes abſente potens Adamante,
Nam præſens Adamas, Magneti, quod rapit, aufert.

Ioannes Baptiſta Porta id non eſſe verum experientia comprehendiſſe teſtificatur. Interea ipſe docet ferrum Adamante tactum ad Septentrionem volui; partem verò obuerſam, more Magnetis, ferrum ad meridiem abigere. Id autem, ſi veritatem aſſequitur, verisimile eſt borealem Magnetis partem à parte boreali Adamantis abigi: hac de F
cauſa vim trahendi impediri. Hæc igitur fortaſſis erit ratio, cui Plinius, & alij Veteres nixi, id de Magnete, & Adamante inſinuare voluerunt. Inſuper alij ſcripſerunt priuatis odijs Adamantem ab igne, & ferro diffidere; cum flammis reluctetur, & ferro non frangatur. Nos autem credimus horum aſſerta deflectere à veritate; cum, diuturnitate temporis, ignibus conſumatur, & ferro tandem in puluerem redigatur, ſi piſtillo ferreo in mortario contundatur.

Viciſſim Adamas cum Plumbo, hircino, vel leonino ſanguine amicitiam non vulgarem exercere videtur, quoniam, his admixtus, facilè molliatur. Primò aciem Adamantis plumbo retundi poſſe affirmant; quod experimento nequaquam reſpondet. Hircino autem ſanguine, vel leonino molleſcere Adamantem arbitrantur, quoniam hic ſanguis adamantinam penetret ſubſtantiam, propter principij communis analogiam. Scaliger autem, in Exercitationibus, ſcriptum reliquit, nihil aliud eſſe analogiam principij communis, niſi rerum proprietatem occultam; addiditque, huiuſmodi ſanguine, G
Adamantem non tenereſcere, vt experimento veritas monſtrat. Eſſe quidem valdè exploratum aſſeruit, tam hircino, quàm leporino ſanguine, lapillos in renibus commi-
nui poſſe.

Sanguinis hircini vis.

Lithi ſis remedium.

Tandem, ſi in rebus inanimatis amicitia aliqua verſari poteſt, proculdubiò hæc in Adamante, & maſtiche obſeruatur: nam exiguum eboris combuſti cum maſtiche miſcetur, & hanc tincturam ſuppoſitam Adamas ita amplectitur, vt micans radios, inſtar Carbunculi, procul iaciat. Quapropter aliqui ſympathiam hanc inter Maſtichem, & Adamantem meditantes, tandem hanc protulerunt ſententiã ignea natura Maſtichem, & Adamantem potiri. Huic opinioni Nicolaus Monardes fauere videtur, dum Adamantes in locis calidiſſimis generari aſſeruit, in quibus exhalationes nonniſi igneæ, & ſulphureæ prodeunt, & vigent.

Maſtiche, & Adamas

LOCVS.

H

L. 37. c. 4. APVD Aethiopas locus eſt delubrum Mercurij nuncupatus, inter quem, & Meroem inſulam Adamantes reperiri ſcripſit Plinius. In Anglia pariter quidam montes, & cautes ſunt, & Adamantum feraces eſſe feruntur. Baltica inſula Adamantes producit, vt Metrodorus docuit. Verùm, in inſula Bornei, referente Botero, pretioſiores, quàm alibi, Adamantes naſcuntur.

In Canada Adamantes pauci valoris inueniuntur, quoniam molles ſunt. Viciſſim in Canaria maximi pretij, & egregiè elaborati, quamuis parui, producuntur, & Adamantes de rupe veteri vocantur. Regionis Coraſſeni fluuius Mes appellatur, quem nemo, præter Alexandrum, adiuit, ibi autem Adamantes creſcunt, vt Ortelius narrauit. Item in Cypro Adamantes obſeruantur, qui, ad mentem Ruſcellij, *Diamanti del Baſſo* nuncupantur. Germaniam quoq; diuitem Adamantum Plinius conſtituit. Vltra regnum Malabar, per ſpatium milliariorum mille, Marſili regnum eſt ſitum, vt M. Paulus Venetus in Hiſtorijs notauit, cuius Regni montes plurimis, ſed prauis Adamantibus

tibus scatent; ideoq; post imbres, ad riuos à montibus descendentes, homines accedunt, vt huiusmodi lapides pretiosos colligant. Verùm quoniam maior copia Adamantum in Vallibus inaccessis eorũdem montium obseruatur, ad illos colligendos tali ingenio vtuntur. Multæ Aquilæ albæ prædictos montes incolunt, quæ Serpentibus ibi versantibus vescuntur: itaq; Inuestigatores Adamantum frusta carnium in valles, videntibus Aquilis, proijciunt: hinc aues ad carnem accurrentes, illam ad montes deferunt, vbi homines, magno strepitu, Aquilas abigunt, & Adamantes carnibus adhærentes colligunt. Sin accidat, vt aues in vallibus carnes vescantur; tunc Venatores diligenter Aquilarum locum obseruant, in quo noctu morantur, nam fimum discutientes, Adamantes colligunt, si quos cum carnibus aues illæ deuorauerint. *Modus colligendi Adamantes.*

Referunt quidam, in Noruegia quoq; nasci Adamantes, quibus ad scindenda vitra vtuntur. In Peruana regione oriri etiam Adamantes Franciscus de Tamara prodidit, cui Garzias ab Horto paucam fidem adhibendam esse scripsit; cum retulerit ibi frequentes Dracones tanquam Adamantum custodes morari: vnde, nonnisi Draconibus circa proiectas studio carnes deuorandas occupatis, auferri possunt. Sicilia quoque non caret Adamantibus, si Facellus in historijs veritatem assecutus est. Legimus etiam in Historijs Hollandorum, quòd ipsi peruenientes ad Tartariæ latus, cui nomen insulæ ordinum dederunt, multos Adamantes, sed tenellos inuenerunt. Tandem in cacumine Vesuli montis Liguriæ in Gallia Subalpina, ex cuius radicibus Padus flumen oritur, Adamantes quadrilateri sunt, & ita in acutum tendentes, vt manu solertissimi artificis elaborati esse videãtur: immò Gaudẽtius Merula se ibi hos obseruasse prodidit. *Lib. 2. Reuig. Holland.* *Lib. 4. memor. ca. 21*

VENENVM AN INSIT Adamanti.

MVLTI homines proletarij crediderunt Adamantem à Venenarijs adhiberi, quoniam, sua praua qualitate, venenare possit: hac de causa huius lapidis puluerem inter venena exitiosa collocarunt; propterea quòd nullis præsidijs emendari queat. Hanc stabilire sententiam conantur, quoniam Theophrastum Paracelsum, qui in Chymica facultate primam laudem obtinuit, puluere Adamantis, perijsse intellexerunt: cum tamen id à Discipulis Theophrasti diuulgatum fuisse perhibeatur, vt illius impostaram velarent: nam ille vitam perennem sibi, suisque, adhibitis medicaminibus chymicis, pollicitus fuerat: nihilominus in flore virilis ætatis extinctus est. Verùm hæc opinio explodenda videtur; cum experimentum, & ratio suadeant, nihil veneni in Adamantibus residere. Nisi velimus asserere Adamantem in frusta dissectum, & minimè politum in ventriculo, & intestinis, ad modum vitri, exulceratorium euadere, dum, sauciatis intestinis, vulnera illa, orta putredine, in sordida vlcera, & lethalia degenerant. Nam Zacutus Lusitanus id, exemplo cuiusdam serui mercatoris, confirmat, qui cum tres impolitos Adamantes dolosè deuorasset, postridie in tormina ventris incurrit, & deinceps, intestinis exulceratis, cruenta deijciens, febre correptus est, & nullis præsidijs conualescere potuit, quoniam, vlceribus in dies magis, atq; magis sorditie ambundantibus, tabefactus interijt. Hinc manifestarium euadit Adamantem non venenando, sed sauciando exitiosum esse. *Theophrasti Paracelsi mors.* *Li. 2. Prax. med. obser. 16.*

Ex altera parte Nicolaus Monardes recitat historiam priuati serui, qui furtiuos vorauerat Adamantes, illosq; postea integros, sine vllo valetudinis periculo, vnà cum alui excrementis egessit. Vnde colligere oportet non semper Adamantibus intestina sauciari, & multò minus puluere eorumdem posse lædi, dum crassioribus excrementis inuolutus vix intestina attingere potest: quinimò Monardes hanc roborat sententiam, exemplo cuiusdam mulieris, quæ scobem Adamantis marito antiqua laboranti dysenteria, absq; detrimento, propinauit.

DENOMINATA.

ADAMANTINVM, vel Adamantæum non ſolum ſignificat quodcumq; ex Adamante conſtans, ſed plerumq; metaphoricè indicat omne illud, quòd impenetrabile, & validiſſimum eſt. Immò, in hoc eodem ſenſu, hæc vox ἀδαμάντινος à Græcis vſurpatur. Ideò Baptiſta Pius, iuxtà hanc ſignificationem, compedes adamantæos vocauit. Præterea quidam lapis aſper, ferrugineus, & duritie adamantina refertus vocatur adamantinus, & præſertim illa marmoris ſpecies, quæ Baſaltes nuncupatur. Item quidem ſilex diaphanus, & durus vocatur à Gemmarijs adamantinus, quoniam ab illis ſculptus, & politus, pro Adamante Bohemico, venditur. Demùm quidam lapis Chalazias Plinio vocatus, adamantina duritie eſt præditus, deinde colorem, & figuram habet grandinis (Barbari Geloſiam vocant) etenim χάλαζα apud Græcos grandinem ſignificat. Ad finem adamantinus etiam ad homines transfertur; quandoquidem vir inexorabilis, adagio, adamantinus cognominatur. Quamobrem, qui verbis nequaquam flecti poſſunt, ex ſanguine adamantino procreati, vel tunicis adamantina veſtiti dicuntur. De his Heſiodus ſic cecinit.

Baſaltes durę ſubſt.

Li. 37. cap. 11.

Durus hic eſt animus ſolido ex Adamante creatus.

Lib. 6. Aeneid.

Ideò, in hoc intellectu, Pluto pectora adamantina habere à Poetis traditur, & hac ratione motus Virgilius columnas infernarum ſedium ex Adamante fabricatas eſſe finxit.

SYMBOLA.

DVRITIES in gemmis id præſtare ſolet, vt ignibus magis reluctentur, conſequenterq; minus ab incendijs patiantur. In hoc genere, præcipuum locum occupat Adamas, qui duritia inſigni refertus, vix ab igne aliquam iniuriam percipit. Quapropter multi Principes, & viri eruditi Adamantem ad ſymbola traxerunt; vt Innocentiam, Fortitudinem, Conſtantiam, & alias virtutes huius generis ſignificarent. Quare Nonnulli in muſarum ſtudio accuratiſſimè exercitati pinxerunt Adamantem carbonibus accenſis circumdatũ, cum Dicto. SEMPER CONSTANS. Meminimus etiã vidiſſe apud Authores non proletarios, effigiem Adamantis inter malleum, & incudem, cum hoc Dicto. SEMPER IDEM. Nam pariter Conſtantiam, & Perſeuerantiam demonſtrare volebant. Hinc viri litterarum non tenuiter eruditi, quæ ad perpetuam rei memoriam ſeruantur, Adamante notanda eſſe prodiderunt. Tandem in Emblematibus politicis, ad effigiem Tyranni indicandam, figuratur patina ſanguine plena, cuius medium occupat Adamas decoratus hac inſcriptione. SINE CÆDE, ET SANGVINE PAVCI. Cum re vera pauci ſint tyrannicum imperium exercentes, qui tandem ferro non pereant.

Tyrannorum ſymbolum.

MYSTICA, ET MORALIA.

VT oſtendamus quid arcani ſub Adamante lateat, animum ad Iobum conuertere debemus, qui omni cruciatuum, & calamitatum genere examinatus, nunquam à fortitudine, & conſtãtia receſſit: quocirca iure optimo myſticus Adamas fuit nuncupatus: quinimò, iuxta ſententiam Adamantij, naturam Myſtici Adamantis Chriſtus induit, de quo Deus Pater id prodidit. Ecce ego ponam Adamantem in medio populi mei, quem neq; ignis tentamentorum in Deſerto comminuet, quem ictus malleorum, & plagæ Impiorum in Cruce non atterent, quem neq; ſepultura, neq; deſcenſus ad internas ſedes violare poterunt. Sed omnia tanquam incorruptibilis, & diuinus Adamas ſuperabit. Myſticus etiam Adamas fuit vocatus in Præſepio, de quo Beatus Albertus verba faciẽs de die Natali Domini, hæc prodidit: *Iucet Deus in præſepio quaſi quidam Adamas, vi charitatis, iumenta, paſtores, & reges ad ſe trahens, nullus arcetur, omnes*

Iobus adamas myſticus.

Chriſtus adamas dictus. Serm. 5.

nes inuitantur, solus Herodes excluditur, qui omnem religionem, & pietatem à suæ mentis domicilio exclusérat. Aliter Adamas, in sacris Hebræorum, tanquam litationis signum obseruabatur, quia de rebus mortalium quænam esset superni Numinis sententia, manifestabat. Namq; gemma hæc in medio pectoris summi Sacerdotis sita erat, & ardentissimo fulgore micabat, si Deus prospera, & secunda polliceretur. Sin ex voto nihil promittebatur, Adamas nihil mutatus pristinum splendorem spargebat. At si Deus populum cædi destinasset, sanguineus apparebat, demum si mors cuipiam impendebat, quodammodo nigrore suffusus conspiciebatur.

Moralis doctrinæ Professores Adamantem ad hominem criminosum comparant, qui sceleribus inquinatus, colorem ferri, præ se fert, deinde duritie adamantina præditus esse videtur, dum ignibus ærumnarum, & ferro correctionum domari non potest. Rursus virum etiam probum, & iustum Adamanti conferunt, qui, animi demissione, paruus, instar Adamantis, conspicitur, ferrugineus abstinentia, & austeritate apparet, honestatis splendore radiat, & denique constantia ita durus esse traditur, vt flammæ tentamenti interioris, & ferrum exteriorum calamitatum ab ipso facilè superentur. *Moralia.*

B

VSVS IN MEDICINA, & in Varijs.

MINIME infrugiferum in medicina Adamantem esse multi arbitrãtur; quoniam, in confringendo calculo, illius puluerem, per monocalamon, in vesicam inijciunt. Pariter Adamas tanquam amuletum aduersus multas affectiones gestatur. Sed Mylius, in hoc casu, Adamantem auro, vel argento, vel chalybe incluſum commendat. At Michael Mercatus Adamantem probat gestatum inter humerum, & cubitum brachij sinistri, vt venena omnia superentur. Præterquamquòd Incubum, & nocturna terriculamenta arcere traditur: idcircò veteres Astrologi hanc gemmam Lunæ dicarunt, quæ sola noctibus præesse perhibetur. Præter has Adamantis prærogatiuas, Marbodeus addit, hoc gestato, rixas sedari, & insanos curari his versibus. *Locus in quo gestandus est adamas.*

C

Indomitumq; facit mira virtute gerentem
Et noctis lemures, & somnia vana repellit,
Atra venena fugat, rixas, & iurgia sedat,
Insanos curat &c.

Insuper hæc gemma non solum medicinæ inseruit, & ornamenti gratia gestatur, sed etiam multis mallei ictibus finditur in crustas, & in scobem redigitur, vt aliæ gemmæ scalpantur: quandoquidem absq; huius ope, neq; aliæ gemmæ, neque ipsemet Adamas scalpi posset; cum cæteras gemmas duritie superet. Marbodeus id memorat hoc versu.

Huius fragmentis gemmæ scalpuntur acutis.

Verùm quidem est, quòd Adamas, multos dies, resistit, antequam aliquid scobis ab ipso ablatum appareat: nihilominus tandem scobs aufertur, & Adamas politur. Neq; aliquis vlla admiratione teneri debet, dum puluis Adamantum, cum non sit ipsis durior, in illis tamen operetur; notum enim est omne agens patiente fortius esse debere. Id autem contingit, in hoc lapillo, quoniam particula Adamantis, quæ excauatur, vel politur, semper eadem manet, cum scobs Adamantis agens, & poliens non semper sit eadem, sæpiùs enim mutatur, vt singula pulueris corpuscula, in excauando, & poliendo proprium munus obeant. Prædictis addit Benuenutus Cellinus, quòd duo Adamantes melius vnica vice ad perfectam polituram reducuntur, quia cum sint durissimi, alterum ab altero absumi necesse est. Quocirca duo diù ita simul fricantur, vt illis figura desiderata concilietur. Deinde polito Adamanti infrascripta tinctura supponitur, vt melius radiet. Hæc ex mastiche mundata, & portione eboris combusti in pollinem redacti componitur. Cæterùm Adamantes in Bisnagar ita perfecti, & politi inueniuntur, vt artis ope non indigeant, hosq; de rupe veteri indigitant. *Quomodo Adamas poliat adamãtem. Libr. 1. art. aurar.*

D

DE BERYLLO. Cap. LXXIX.

ÆQVIVOCA.

FACERE non poſſumus, quin in præſenti Capite de Beryllo agamus, quoniam in antecedenti, necnon in Capite de Cryſtallo ſæpius Beryllorum meminimus. Sed quoniam hæc vox non caret ambiguitate, propterea primum æquiuoca examinabimus. Hodie gemmam anguloſam ex Cryſtallo fabricatam, quæ ſplendorem quemdam, inſtar Berylli, eiaculatur. Gemmarij Itali Beryllum indigitant; cum tamen Gemmarij aliarum Nationum Beryllos tantùm appellent illos lapides pretioſos, aquæ marinę colorem referentes, de quibus in præſentia ſermo habebitur.

Lib. 6. Beryllus nomen Præſulis.

Aliter Beryllus fuit nomen proprium Præſulis Boſtremæ vrbis Arabiæ, qui, ex ſententia Volaterrani, cum plura rectè, pro religione, ſcripſiſſet, poſtmodum omnia corrupit, peregrina quædam adducens, quæ multum à veritate recedebant: quamobrem conuocata Præſulum non paucorum ſynodo, annitente potiſſimùm Origene, tandem ad ſanitatem mentis redactus eſt.

Beryllus herba.

Rurſum Beryllus eſt herbæ genus, teſte Heſychio, apud Dionyſium de ſitu Orbis, ſed poſtea, quænam ſit hæc herba non deſcribitur. Meminimus quidem legiſſe apud Dioſcoridem, in antiquis nomenclaturis, hoc vocabulum (Berylion) quo, Antimone herba ab Antiquis indicabatur.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

HÆC gemma à Latinis vocatur Beryllus, Græcis pariter βηρύλλος, & iuxta genus maſculinum, & fœmininum inflectitur. Aliter dicitur βηρύλλιος, λίθος. Apud ſeptuaginta Interpretes βηρύλλιον nempè Beryllum legitur. Quamobrem tàm à Latinis, quàm à Græcis, eodem nomine donatur detorto ab Indis, apud quos copia horum lapillorum generatur. Poetæ, vt plurimum primam ſyllabam huius vocabuli producunt, ſed alij, vt Prudentius, contra rationem proſodiæ eamdem corripiunt.

Hinc tibi ſapphyrum ſociauerat, inde Beryllum.

Marbodeus quoque, Poeta idem præſtat, vt inferius oſtendetur. Itaque Beryllus eſt octaua gemma Apocalypſis, & inter duodecim gẽmas Rationalis poſtremo loco reponitur. Hæbraicè vocatur Iaſchpech; hinc nomen Iaſpidis deductum eſſe multi arbitrantur. Itali Aquam marinam nuncupant, nam Beryllum vocant lapillum anguloſum ex Cryſtallo fabricatum, & Nos Bononienſes Brillum appellamus quoddam genus ſalicis, quo calathi texuntur, ſortaſſis, quia, detracto cortice ad modum Berylli gemmæ, ſplendeat. Barbari, loco dicendi Beryllum, ſpecillum pronunciant.

Aqua marina gemma eſt.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

BERYLLVS gemma eſt, quæ colorem ex viridi cæruleum exhibere videtur, qualis color in aqua maris aliquando obſeruatur; ideòq; talis lapis Aqua marina à Gemmarijs appellatur. Quidam attribuunt illi colorem Hyacinthi dilutioris, quem glaucum nominant. Vnde Rhenius ſic cecinit.

Berylli lapidem liquidum, glauciq; coloris.

Marbodeus colorem Berylli non ſolum aquæ marinæ, ſed etiam virenti oleo aſſimilat his verſibus.

Eximios oleo ſimiles, lymphæue marinæ
Eſſe volunt, & eos probat horum gnara Vetuſtas.

Idcircò

A Idcircò si quis vellet rectè colorem Berylli exprimere, posset exiguam portionem Indici, quo Pictores vtuntur, in aqua clara dissoluere, eiq; decimam partem coloris viridis addere: sic enim, ad mentem Boetij, colorem genuini Berylli imitaretur Postmodum Berylli omnes sunt diaphani,& diluto colore referti; quando autem saturatum colorem induunt, tunc, pro alijs gemmis, annotante Boetio, habentur. Albertus Magnus scriptum reliquit, Berylum esse candidum, &, ad instar aquæ, perspicuum, sed hic Author fortè septimam speciem Beryllorum à Plinio descriptam intellexit, quã Crystallis similem esse voluit. Tandem Beryllus hoc habet à Natura insitum, vt industria opificum ad sexangulam formam redactus, instar stellæ, radiet: quocirca apud Vulgus Italicum, quicquid similem fulgorem emittit, *Brillare* dicitur.

Imitatio coloris Beryli.

Brillare vnde dictum.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

B NATVRA summi Opificis ministra aliquando est Geometra, dum in varijs rebus generandis, varias figuras omnigenas eis imprimit: quandoquidem Beryllos interdum obseruauimus ita eleganter à Natura ad angularem formam redactos, vt manus Artificis rectiùs eos formare non potuisset. Deinde, quoad colorem, Berylli variant: nam alij sunt lucidi, & similes aquæ Maris. Alij è regione Solis, nonnulla veluti grana milij intus habere videtur. Alij pupillis oculorum Serpentũ sunt similes. Alij vergunt in aureum colorem, & hi Chrysoberylli appellantur. Quare ratione figuræ, & ratione colorum, difficillimum est omnes Beryllorum species comprehendere, & potissimùm, quoniam, in hac historia, Authores inter se sententijs variant. Albertus, Solinus, & alij multa Beryllorum genera esse autumant, sed posteà

Chrysoberilli qui.

I. Tabella cum Beryllo, & specie Ophitis.

II. Tabella cum tribus Beryllorum differentijs.



numerum non aſſignant. Rurſus decem eſſe ſpecies diuulgauit Mylius, & Marbodeus nouem tantùm proponit, dum ſic canit.

Iſtius eſſe nouem ſpecies dixere magiſtri.

Nos in præſentia ſpecies memoratas à Plinio proſequemur, deinde icones Beryllorũ repreſentabimus, qui nobis obſeruati fuerunt. Itaque, apud Plinium, primo loco memoratur Beryllus probatiſſimus viriditatem puri maris imitans. Huic proximum conſtituit

A ſtituit Beryllum primo pallidiorem, cum fulgore ad aureum colorem tendente Vicinum genus pallidius facit, & Chryſopraſum dici aſſeuerat. Quarto loco Berylli hyacinthizontes collocantur, nimirum illi, qui colorem hyacinthi æmulantur. Quinto loco recenſentur Berylli Æroides, quoniam viriditatem Æris referant. Sexto loco ponuntur cerini, qui ſplendore cryſtallino colorem ceræ exprimunt. Cæterùm vna cum Boetio dubitamus, quòd Plinius, & alij Authores ad prædicta genera multas alias gemmas reducant: cum nomen Berylli olim commune fuiſſe videatur, & comprehendiſſe illas omnes gemmas, quæ, inſtar Cryſtalli, fulgentes aliquo colore diluto infectæ fuerunt. Nos hoc in loco damus tabellas duas cum iconibus Beryllorum, qui diuturnitate temporis nobis obſeruati fuerunt.

I. Tabella repræſentat Beryllum, in flauitie, æmulantem aquam maris Deinde in eadem tabella delineata apparet quædam ophitis ſpecies, maculis paruis, de quo lapide ſuo loco actum eſt.

II. Tabella habet tres Beryllorum icones valdè inter ſe diſcrepantes.

B 1. Fluores, qui Beryllos imitantur.

2. Berylli plures ſimul iuncti.

3. Berylli alij pariter plures ſimul copulati.

Quoad locos natales, animaduertendum eſt, hunc lapidem naſci in Phœnicia; ſed quoniam maior copia ab Indis aduehitur: idcircò Marbodeus cecinit.

Hic lapis ad noſtras partes peruenit ab Indis.

Præterea memoratur ab Ortelio Ophietis petra, circa Babyloniam, vbi Beryllus oritur. Ad radices etiam Tauri montis, & in litore Euphratis fluuij potiſſimùm Beryllus producitur. Cæterùm Berylli, qui ſunt dilutioris coloris, & cryſtallis ſimiles, in varijs alijs regionibus, & præſertim in Germania, & Bohemia eruuntur. Facellus, in hiſtorijs, cuiuſdam oppidi, in Sicilia, Gratterij nuncupati meminit, vbi copia Beryllorum effoditur. Leander quoq; hiſtoricus, in deſcriptione Iluæ inſulæ, Smiridem cum multis Beryllis ibi inueniri aſſeruit. *Loci nata les Beryllorum.*

C

SIMVLATIO.

NONNVLLI, inter Nuperos, tam eleganter, & ad viuum, ſummoq; artificio gemmas variorum colorum mentiuntur, vt Gemmarij ſæpiùs decipiantur: Vidimus aliquando Beryllum factícium, & fictícium, qui ita maris aquam æmulabatur, vt ſua perſpicuitate, & venuſtate cum legitimo, & genuino certaret. Berylli autem illis modis adulterantur, & ſimulantur, quibus cæteras gemmas fingi poſſe ſuperiùs demonſtrauimus. Verùm inter alios nobilior modus eſt, dum æs combuſtum in tenuiſſimum puluerem redigitur, & cum Cryſtallo in calcem redacto fornaci vitrariæ committitur. Talis autem ſeruanda eſt doſis, vt drachma æris libræ maſſæ vitri addatur. De his autem modis gemmarum ſimulandarum Ioannes Baptiſta Porta, in Magia naturali, legendus eſt. *Simulatio Beryllorũ.*

D

MYSTICA, ET MORALIA.

HIC lapis, qui quidem vt diaphanus fulget, ſed reciſus in ſexangulã formam clariùs ſplendet, myſticè, iuxtà ſententiam Cornelij à Lapide, aptatur Tribui Beniamin, quæ primum Hębreis Regem Saulem dedit, ſed ſtatim, eo mortuo, priuata eſt regno, ſed reciſa, nempè varijs ærumnis afflictata, denuò fulgere cæpit, & deniq; dedit Paulum Apoſtolum, in medio calamitatum refulgentem, & triumphantem. Rurſùm, ex mente eiuſdem Cornelij à Lapide, Beryllus, cum in ſexangulas formas poliatur, myſticè Diuo Thomæ Apoſtolo conuenire videtur, qui tentamentis, & aduerſitatibus percuſſus, in fide ſemper probatus, & roboratus mirandum in modum refulſit. Ribera pariter Diuum Thomam Apoſtolum myſticum Beryllum appellauit, cum hæc gemma, præſertim apud Indos, reperiatur; nam, & ipſe in India euangelicæ doctrinæ Præco fuit, & ibidem eius corpus requieſcit. Præterquamquòd qui- *In cap. 28. Exod.* *In cap. 21. Apoc.*

quilibet Apoſtolus, propter mentis puritatem, myſticus Beryllus nuncupari poteſt: E etenim quaſi aqua clariſſima gratiæ cæleſtis gradum ſuſcepit, repercuſſione angulorum magis refulſit: ſiquidem Apoſtoli, quò magis laboribus premebantur, quaſi factis in lapide angulis, magis atq; magis radiabant. His addamus, quòd glaucus color, qualis in oculis Leonum, Aquilarum, & Draconum obſeruatur, & talis oculorum Neronis color fuiſſe dicitur, maximum intuentibus terrorem incutit: idcircò Antiquitas Palladem bellorum præſidem glaucis oculis figurauit. Itaq; Beryllus tali colore refertus terrorem diei nouiſſimæ indicabit, de qua dicitur apud Ioelem. *Dies Domini terribilis valdè.*

Inſuper, in doctrina morali, Beryllus, qui nullum dicitur habere ſplendorem, niſi ſcindatur, & ad hexagonam figuram reducatur, ad illos comparari poteſt, qui nullo honeſtamenti fulgore ſunt ornati, & in criminibus verſantur, donec ſcindantur, nimirum donec malleo calamitatum percutiantur, quia tunc refulgere incipiunt.

VSVS IN MEDICINA, & in Varijs. F

PLINIVS, ex Magorũ ſententia, ſcriptis mandauit, Beryllũ contra ſegnitiam valere, ingenio prodeſſe, Coniugatos inuicem cõciliare, quia Venus huic gẽmę præeſt, & deniq; hoſtiũ pericula arcere, ſed ſatiùs fuiſſet aſſerere, Beryllum vitia hepatis & vẽtriculi corrigere, & affectibus oris, gulæ, & oculorum mederi: quandoquidem aqua, in qua Beryllus ſpatio diei naturalis, fuerit infuſus, oculos humẽtes ſanare perhibetur. Rectiùs, teſte Boetio, quando vulnera oculis ſiue pupillæ, ſiue alteri parti inflicta fuerint, redigitur Beryllus in tenuiſſimum puluerem, qui, quantitate lentis, quotidie, ſupino iacente ægro, in oculum injcitur, donec ſanetur, dummodo patiens aliquantiſper immotus iaceat. Sin pupilla ſauciata fuerit, etiamſi commodè ſanari nequeat, attamen hoc præſidio ita emendatur, vt oculus minimè deformis appareat. Sin oculus extra pupillam læſionem patiatur, à Beryllo non parum vtilitatis recipit; quemadmodum etiam in ſugillationibus oculorum, mirandum in modum probatur. Siquidem, in tali caſu, Boetius commendat infuſionem Berylli in aqua Verbaſci, & præſente inflammatione, in aqua Plantaginis, vel Euphragiæ, &, præſente vulnere, infuſionem in aqua Betonicæ, vel Tormentillæ extollit. Marbodeus nonnullis verſibus enumerat breuiter omnes affectus, quibus Beryllus occurrere poteſt hunc in modum.

Oculorum remedia. G

Hic & coniugij præſtare refertur amorem,
Et ſe portantem perhibetur magnificare
Infirmis oculis, in qua iacet vnda medetur.
Pota ſimul ructus, ſimul & ſuſpiria tollit,
Et cunctos hepatis fertur curare dolores.

Præter vſus medicos, Paracelſus apud Mylium retulit, in Beryllo, præſentia, præterita, & futura conſpici, quoniam ſydus influentiæ imprimit gemmæ imaginem rei ſimilem, de qua quæritur. Sed minimè credendum eſt illis, qui inſulſiſſimas nænias, pro H oraculis habent: Scimus quidem Beryllum, induſtria artis, ad hexagonam formam poliri, quoniam illius color ſurdus, angulorum repercuſſu, excitatur, & magis refulget; de hac re Marbodeus ſic canit.

Conſpicuos reddit ſexangula forma Beryllos;
Quòd niſi ſiat, hebes his pallor ineſſe videtur.

In cap. 21. Apoc. Sanctus Anſelmus Cantuarienſis formæ ſeptangulæ in Beryllis meminit; ſed fortaſſis, ob errorem, ſeptangulum, pro ſexangulo, ſcriptum fuit. Rurſus Berylli ad ſphæricam figuram red acti, & radijs ſolaribus expoſiti, authore Anonymo, tanquam ſpecula concaua ignem excitant. Apud Indos, referente Plinio, Beryllos inelegantes perforare, & ſetis Elephantorum traijcere ſolebant, vt monilia formarent. Elegantes verò non perforabant, quoniam ad ſexangulam formam arte trahi poterant, vt ſuperiùs annotauimus. Quamuis Berylli à Natura etiam aliquandò ſexanguli, in ſinu terræ, formentur, vt Plinius monuit. *L. 37. ca. 5.*

DE

A

DE CARBVNCVLO, SIVE RVBINO. Cap LXXX.

ÆQVIVOCA.

NONNVLLIS Carbunculus cum nominetur Adamas, non erit ab re huius historiam præcedenti annectere. Sed quoniam hoc vocabulum in æquiuocationem incurrit; primùm aliquid de hoc nomine memorabitur.

B Carbunculus, apud Latinos, est nomen diminutiuum, & paruum carbonem significat. Apud Medicos est malignus tumor præter naturam cum vlcere citò crustam faciente, & vehementi totius partis circumstantis inflammatione: hic, vagante pestilentia in corporibus humanis ortus, Carbunculus pestilens appellatur. Apud Authores, de re rustica, Carbunculus vsurpatur pro terra, vbi testellæ lapideæ, & nigræ reperiuntur: hinc carbunculosus ager vocatur, qui copia huiusmodi Carbunculi abundat. Pariter Carbunculus in vitibus, & arboribus florum aduſtio appellatur, quæ ad nigredinem carbonis accedit. Item Chrysippus monimentis mandauit, quòd materia lapidis philosophici Carbunculus, siue Apyros Chymistis cognominatur, quoniam, ad instar Carbunculi gemmæ, ignem non timeat. Demùm, iuxta aliquorum sententiam, Carbunculus est lapillus nascens in fronte cuiusdam animalis, more ardentis facis de se lumen emittens. Id autem fabulosum esse Alcasarius opinatur. Tandem Carbunculus est gemma, quam in præsenti Capite, examinaturi sumus. Hæc apud Græcos vocatur ἄνθραξ, scilicet Anthrax, quæ vox similiter non solum gemmam, sed etiam Carbonem accensum indicat: immò est genus tumoris paulò ante descripti. Amplius, apud Suidam, est genus piscis, quod supra carbones, vt plurimum assatur. Quædam Carbunculi species nominatur Lychnites, quoniam, more flammarum lucernæ, splendeat. Hæc autem vox est æquiuoca: quandoquidem marmoris etiam quædam species superiùs memorata dicitur Lychnites, cum olim in fodinis ad lumen lucernæ cæderetur.

Carbunculus morbus.

Carbũculus est terra. Lib. 1. de re metall.

In Apoc. ca. 2.

C

SYNONIMA, ET ETYMVM.

CARBVNCVLVS est quarta gemma Rationalis, & aliquibus Adamas vocatur, quoniam, dum perfectissimus est, fulgorem candidum spargit; nisi velimus asserere hanc gemmam, instar Adamantis, ignibus resistere. Alioquin nomen Carbunculi huic gemmæ assignatur, quoniam fulgorem suum, ad modum carbonis ardentis, eiaculetur. Hinc Marbodeus cecinit.

D
Ardentes gemmas superat Carbunculus omnes:
Nam velut ignitus radios iacit vndiq; carbo,
Nominis vnde sui causam traxisse videtur.
Sed græca lingua lapis idem dicitur ἄνθραξ.

Alij addunt inde traxisse nomenclaturam, quia, more accensi carbonis, in tenebris splendeat. Sed satiùs erit, vt dicamus, hanc gemmam solaribus radijs expositam, colorem ardentibus prunis facilem fundere. Aliter Latinis vocatur Rubinus, ob insignem ruborem, quo refertus est. Græcis vocatur ἄνθραξ, nempè Anthrax, quia, hac voce, Carbo denotatur. Alioquin Anthracites est quædam Carbunculi species, in qua, veluti scintillæ ignis, discurrere videntur. Dicitur etiam Apyrotus, quoniam ignem non sentiat, necnon Pyropus, quia ignei sit aspectus, Cæterum Pyropos apud Authores græcos est nomen tantummodò adiectiuum. Poetæ autem latini, pro nomine substantiuo gemmam indicante, vsurparunt. Ouidius hæc habet.

Rubinus quid.

Anthracites.

Apyrotus.

Pyropus.

Clara micante auro flammas imitante pyropo. *Li. 2. metamor.*

Hx-

Hæbraicè appellatur Bareketh, Chaldaicè Barkan, quæ vox prorſus idem ſignifi- E
care videtur, quoniam hæc vocabula ab eodem themate deducuntur. Italis Carbonchio, Germanis Carfunckelſtein, Indis Tokes, vel Mamca, Perſis, & Arabibus Iacut.

ORTVS, ET NATVRA.

EX ſuccis rubentibus claris, & diaphanis Carbunculus originem ducere perhibetur: quoniam autem à Natura optimè concoctus eſt, & inſigniter durus, nullum ab ignibus damnum recipere poteſt. Plerumq; naſci ſolet in quadam matrice lapidea roſei coloris, quæ dum perſpicua eſt. Rubinus Balaſius cognominatur. Sin perſpicuitate careat, matrix Rubinorum paſſim nuncupatur: cum, in hoc lapide, Rubinus tanquam infans in vtero moretur, vbi formatur, & creſcit, & primum candicare, deinde paulatim rubedinem nanciſci traditur. Hinc fit, vt Rubini in colore varij inueniantur. Qui autem ruborem perfectum induunt, in tenebris etiam radiare dicuntur. F
Vnde Marbodeus de hoc Rubino verba fecit hunc in modum.

Rubinus balaſius quid.

Huius nec tenebræ poſſunt extinguere lucem.

Quoniam autem naturaliter hic lapis igneum nitorem fundere videtur: propterea à Poetis igniuomus, præfulgens, flammiuomus, & radians nuncupatur. Quod autem noctu, inſtar carbonis luceat, adhuc non eſt exploratum. Garzias ab horto refert ſe allocutum eſſe nonnullos, qui id obſeruauerint, ſed ijs fidem non adhibuit. Gemmas autem in tenebris fulgentes poſſe à Natura produci affirmamus, dum eadem Natura lignis putridis, nitedulis, ſquamis piſcium, & oculis felium talem lucem impertitur, vt in tenebris fulgeant; ſed apud nos adhuc incertum eſt, num aliqua gemma huius conditionis inueniatur.

Præterea, inter omnes gemmas ardentes, Carbunculus principatum occupat: Nam inter illas, veluti aurum, inter metalla, & Sol, inter ſydera, refulget. Qua propter non eſt mirum, ſi Veteres Carbunculum Soli conſecrarunt. Itaq; Rubinus eſt gemma diaphana, limam reſpuens, in rubore rutilans, cum exigua portione cærulei coloris. Ru- G
bor huius gemmæ rubedini ſanguinis, Cocci, vel Laccæ Indicæ aſſimilatur. Quandò autem ex flauedine rubet, tunc non ad Rubinum, ſed ad Granatum, vel Hyacinthum Nuperorum refertur. Deinde Rubinus, ex mente Plinij, hoc habet inſitum à Natura, vt ſurſum ſi atto llatur, magis ſplendeat, & in acetum acre proiectus magis niteat. Quinimò digitis calefactus, vel etiam Sole, paleas, & fila chartarum ad ſe allicere traditur. Tandem Rubini granati tali colore ſunt referti, vt is nulla ignis violentia auferri poſſit: talis enim color, annotante Boetio, ita incendijs reſiſtit, vt in vaporem, vel halitum abire nequeat.

L. 37. ca. 7.

DIFFERENTIÆ.

PLINIVS Rubinos, ſeu Carbunculos, ratione loci natalis, diſcriminat, & in vnoquoque genere mares, & fœminas conſtituit; quoniam maſculos in colo- H
re acriores, & fœminas languidiores eſſe affirmat. In primis memorat Rubinos amethiſtizontas, qui in colorem amethiſti vergunt, deinde, Syrtitas: Syrtes enim ſunt ſaxa circa fines Africæ, poſtea Indicos, quos plerumque ſordidos facit. Lithizontas candidiores diuulgat. Apud Græcos λιθιζω eſt lapidem refero. Carchedonios minores Indicis prædicat. Carchedon eſt vrbs Africæ. Æthiopicos pingues, & ferè abſque nitore publicat. Alabandicos ſcabros, & cæteris nigriores eſſe dicit. Alabanda eſt ciuitas Cariæ. Tandem Troezenij, apud Plinium, varij ſunt, at maculis albis diſtincti, fortè erunt Amandini Nuperorum à loco ita nuncupati: etenim Troezen eſt oppidum in ſinu Argolico. His additur Sandaſtros, alijs nominatus Grammatites aureas guttas veluti ſtellantes intus continens; cum in ſuperficie nihil appareat. Plinius prædictas differentias ita tradit confuſas, vt difficulter internoſci, & diſtingui poſſint. Euax vndecim Rubinorum ſpecies proponit. Marbodeus duodecim eſſe voluit, dum canit,

Sexus in gemmis.

Sandaſtros, & Grammatites.

Et ſcp-

A *Et species eius ter trinæ, tresq; feruntur.*

Albertus Magnus Carbunculum ad tria genera reuocat, nempè ad Balascium, Granatum, & Rubinum. Ruieus ad quatuor reducit, nempè ad Carbunculum, Balascium, Rubinum, & Granatum. Pariter, ex Boetio, Rubinorum quatuor genera constituuntur, nempè Rubinus verus, Rubacellus, Balascius, & Spinellus. Horum postea, alij albicant, alij rubent. Deinde horum rubor est varius, nam alij media parte rubent, & media candicant: Alij demùm, iuxta alteram partem, Rubini naturam, &, iuxta alteram, sapphiri participant. Vt autem differentias à Veteribus propositas conciliemus differentijs Nuperorum, sciendum est, apud Gemmarios nostræ ætatis, Granatos splendidissimos vocari Rubinos, qui Antiquis Carbunculi, & Græcis Pyropi fuerunt nominati. Quando autem rubedinem dilutiorem, & maximè fulgentem habent, Spinellæ Neotericis dicuntur, fortassis, apud Plinium, erunt Rubini fœminæ, quia languidioris sint flammæ, aut referri poterunt ad illam speciem, quam Epiphanius tradit noctu σπινθήρίζοντα, idest scintillas emittentem, quoniam σπινθηρ græcè scintilla est: Alioquin spinellæ vocantur, quia tales Rubini nonnisi parui, veluti spinæ inueniantur. Harum posteà gemmarum color, iuxtà intentionem, & remissionem, variat.

Pyropi.

B *Spinellæ etymum.*

Postmodum vocant Rubinum Balascium, vt aliqui Authores volunt, quasi palatium; cum sit veluti domicilium, & matrix Rubinorum. Aut potiùs, vt nostra fert opinio, nuncupatur βαλιοχιος, quasi iaciens vmbram, cum nonnihil vmbræ Rubini referat: est enim dilutioris coloris. Nuperi Carchedonios dicunt esse Rubinos granatos à similitudine granorum mali punici, horumq; alios orientales, & alios occidentales constituunt. Alabandinos Granatis nigriores esse statuunt. Tandem Amandinos nonnullis maculis insignitos, Troezenios Plinij esse volunt.

Balascij etymum.

Amandini qui.

Postremò, ratione magnitudinis, aliqua differentia, in hoc genere lapidis pretiosi, obseruatur. Nam recitat M. Paulus Venetus, in historijs, admirabilem Rubini magnitudinem apud Regem insulæ orientalis Zeilæ: siquidem, cum Rubinus non reperiatur Amygdala maior; ille erat longitudinis palmi, & crassitiei humani brachij, &, coruscatione, igneam flammam superabat. Item Boetius tradit, nostris temporibus, apud C Rodulphum secundum Imperatorem, se vidisse Rubinum, magnitudine oui gallinacei, qui olim sexaginta millibus ducatis emptus fuerat. Nos damus hic tabellam varijs iconibus lapillorum decoratam, inter quos, nonnulli ad hoc caput attinentes designantur, & omnes numeris explicantur.

Li. 2. de lapid. c. 3.

1. & 2. Lapillus est pronè, & supinè pictus, quem Prasium Leucochloron appellauimus, quoniam maculis tùm albis, tùm viridibus erat refertus, &, iuxta partem exteriorem, nitebat.

3. & 4. Lapis figura ferè quadrangula pronè, & supinè delineatus, coloris erat rubentis, & lutei, & æmulari videbatur Iaspidem Erythroochron.

5. Lapilli Vnioni similes, quoad figuram, & in colore Rubinos dilutiores imitabantur.

6. & 7. Lapillus subuiridis cælatura figuram monstrans: erat admodum exiguus, &, iuxta alteram partem, videbatur habere figuram humanam, &, iuxta alteram partem, maculam in medio nigricantem habebat.

D 8. Rubinus granatus, quem Carbunculum Carchedonium à regione aliqui Authores nuncupant. Colore erat rubescente saturato, & maximè lucido, ex quo monilia, & coronæ precariæ interdum fabricantur.

9. & 10. Rubinus Amandinus Nuperis dicitur. Erat lapis radians, cum quibusdam maculis albicantibus.

11. Lapis pellucidæ substantiæ, & expositus radijs solaribus Rubinum æmulari videbatur.

12. Berylli octagoni à Natura ita producti, qui primo aspectu Rubinum Balascium repræsentabant.

13. Lapis pellucidus, qui Amandinum referebat.

14. & 15. Rubinus granatus pronè, & supinè designatus, pellucidus, & saturato purpureo colore micabat, & in eo effigies humana sculpta erat.

Tabel-

Tabella varijs lapillorum iconibus decorata.







LOCVS, ET ADVLTERATIO.

IN montibus nascitur Carbunculus apud Nasamonas, & Incolæ talem lapidem diuino imbre generari opinantur. Hi autem, ex Plinio, sunt populi Libyæ: propterea hæc sententia erit conformis asserto Alberti Magni, quando differens de hac gemma scripsit, Carbunculos plurimos in Libya esse. Alij tradunt Amethes esse populos Africæ Troglodytis proximos, apud quos copia Rubinorum nascitur: vnde Marbodeus de hac gemma canens sic scripsit.

Nascitur in Libyæ Troglodytarum regione.

Nobiliores tamen Rubini in insula Zeilan oriuntur. Minores in Corin, Calecut, Cãbaia, & Bisnagar reperiuntur. Optimi in Fluuio Pegu inueniuntur, quos Incolæ lingua, & ore explorant: quandoquidem frigidiores, & duriores, esse meliores arbitrantur. In
B Iaua, referente Botero, Rubini, & Spinelli habentur. Demùm in Taprobana Carbunculi excellentes venduntur.

Simulatio, & adulteratio.

Quoad simulationem huius gemmæ, Ioannes Augurellus, ad calcem Chrysopeię, docet modum mentiendi aliquas gemmas, & præsertim Carbunculum, & Balascium: etenim recensет multa ingredientia, ex quibus pasta componitur, & postea addit.

Nam Carbunculus atq; Balascius hinc pretiosus
Exit, & artificem ditat in orbe suum.

Trifariam igitur lapillus hic adulterari potest. Primus modus est, quando Rubinus pauca rubedine est refertus, nam tunc bractea rubescens, vel vitrum colore rubro tinctum substernitur. Secundus est, quando gemma candicans, vt sapphirus albus, Topasius, Pseudoadamas, vel Crystallus substituitur, & bractea rubens, vel aliud corpus rubicundum substernitur: tunc enim gemma ita rubet, & radiat, vt à genuino rubino dignosci nequeat. Tertius modus est, quando duæ vitri partes mastiche tincta colore cocci agglutinantur, nam ita gemma fictitia tunc pellucet, vt verus Rubinus esse videa-
C tur. Huiusmodi fictitiam geminam Artifices *Doppe* vocitant. Nonnulli auripigmento Rubinum mentiuntur: illud enim in vitro excoquunt, & materia parietibus vasis adhęrens Rubini colorem acquirit. Alijmodi legantur apud Portam in Magia naturali. *Lib. 6. c. 7.*

MYSTICA, ET MORALIA.

IN sacris Paginis, nomine Carbunculi, ex sententia Pererij, Christus Redemptor noster significatur. Etenim inter huius mundi tenebras, more Carbunculi refulsit, quando, VERBVM CARO FACTVM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS. Alioquin Carbunculus charitatis typus esse dicitur, quæ omnibus virtutibus præfertur: siquidem in nocte calamitatum fulget, venenum peccati fugat, & cæteras omnes virtutes conseruat. Item Ribera Carbunculum attribuit Dan, propter Tribum eius, cuius magna fuit fortitudo, quæ, ad similitudinem ignis, vrbem Lais exusit, & *Iudic. cap. 18.*
D præcipuè, propter Samsonem, qui veluti quidam ignis in Palestinos fuit. Pariter Cornelius à Lapide mysticum Carbũculum appellauit Iacobum Apostolum fratrem Sancti Ioannis, qui ardens charitate Christi, primus Apostolorum, pro Christo, martyrium subiuit. Possumus etiam moraliter Carbunculum ad viros perfectos comparare: quandoquidem Carbunculus lapis est pretiosus ignei coloris, & admirandum fulgorem spargit. Viri perfecti his præcellentiis gaudent, dum feruenti charitate ardent, & candore honestatis nitent. His etiam conditionibus Dynastæ referti esse debent, vt exemplis, doctrina, & virtutibus alios imbuant, & illustrent. *Cõditiones viri perfecti.*

B

VSVS IN MEDICINA.

CARBVNCVLO, ſiue legitimo Rubino, venena profligari, & aerem peſtilentem emendari author eſt Mylius. Alij authores tradunt Rubinum nõ ſolum geſtatum, immò eius puluerem in aliquo liquore hauſtum venenis reluctari, & medicamentum præmuniens aduerſus peſtiferos halitus euadere; item triſtitiam, & vana inſomnia arcere perhibent. Rubinus autem balaſcius facultates Carbunculi, ſed languidiores poſſidet. Tandem Rubinus granatus gemma Martialis manifeſtè exſiccat, & collo ſuſpenſus cor exhilarat, necnon hauſtus in aliquo liquore affectui melancholico occurrit: hac de cauſa ingreditur electuaria cardiaca, quorum deſcriptiones in Antidotarijs exarantur.

Facultates rubini.

F

DE HYACINTHO.
Cap. LXXXI.

ÆQVIVOCA.

QVONIAM Hyacinthus in colore rubeſcit, & flammas ignis quodammodo æmulatur, ad genera Carbunculi à nonnullis reducitur: ideò huius hiſtoriam præcedenti annectere operę pretium eſſe duximus Id igitur, conſiderata nominis ambiguitate, præſtabimus. In primis Hyacinthus fuit puer Laconicus admirandæ venuſtatis ab Apolline, & Zephiro vento adamatus, qui (vt fabulantur Poetæ) cum in Apollinis beneuolentiam magis inclinaret, ob Zelotypiam, Zephirum in ſe armauit: cum igitur, G
Diſco, cum Apolline luderet, Zephirus vehementiùs ſpirans Diſcum in aerem ab Apolline proiectum ita repercuſſit in puſionem Hyacinthum, vt ipſum interficeret. Hinc Apollo, ne tam formoſi pueri monimentum interiret, ipſum in ſui nominis florem commutauit: vnde Hyacinthia quædam nocturna ſacra dimanarunt à Lacedæmonijs in honorem Hyacinthi ab Apolline perempti reperta. Sed omiſſis Ethnicorum nugamentis, apud Chriſticolas multi viri fuerunt inſigniti hoc nomine, & præcipuè ſeptem in Martyrologio Romano recenſentur, qui martyrio affecti cæleſte regnum adepti ſunt. His meritò addatur Hyacinthus Confeſſor natione Polonus, religioſam in ſeruitutem, Diuo Dominico adhuc inter viuos verſante, Deo ſacratus, & Sanctorum cætui, anno poſt ſeſquimilleſimũ nonageſimo quarto, à Clemente Octauo Pontifice Maximo aſcriptus: ſiquidem ex Illuſtriſſimo fuit Diui Dominici Ordine religioſo, qui proculdubiò Theologicæ militiæ anteſignanus eſt: vnde tot, & tanti viri in omni ſtudiorum genere exactè perfecti, & tot Euangelij Præcones, Eccleſiæq; Catholicæ lumina prodierunt, vt cunctos, qui doctrina claruerunt, & clarent, meruit, & mereat habere laudatores. H

Hyacinthus nomẽ virorum

Aliter Hyacinthus eſt planta, & flos eiuſdem nominis, cuius vnius tantum differentiæ Dioſcorides meminit, Theophraſtus duas recenſuit, & Bauhinus, in Phytopinace, octo ſupra viginti ſpecies deſcripſit (loquendo tamen de Hyacintho verno, & martio) nam apud Poetas, vt noſtra fert opiuio, eſt Lilium croceum maius Plinij apud Bauhinum, vel Lilium rufum apud Tragum, qui poſtea Lilium montanum, ſeu Martagon Hyacinthum Poetarum indigitauit: etenim Ouidius Florem natum ex ſanguine Puſionis Lilium nominauit his verſibus.

Hyacinthus planta

Li. 10. metam.

Flos oritur, formamq; capit, quam Lilia, ſinon
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.

Pariter apud Græcos ὑάκινθος eſt vox æquiuoca, dum herbam, vel florem, vel gemmam, de qua in præſentia agitur, necnon lanam hyacinthino colore infectam ſignificat.

SY-

SYNONIMA, ET ETYMVM.

IN Apocalypsi Hyacinthus est vndecima gemma, & nomen à planta, vel flore eiusdem nominis sortitur, cuius colorem quamproximè repræsentat, vt Isidorus annotauit. Sed hoc non assequitur veritatem, nisi in Hyacintho Veterum, qui in colore nescioquid cærulei, & violacei participat, & hac ratione flori Hyacintho verno, siue martio assimilatur. Namq; gemma, seu Hyacinthus Nuperorum conuenit in colore cum lilio croceo Plinij apud Baubinum, quod aliqui Hyacinthum Poetarum indigitarunt: propterea quòd Poetæ Hyacinthum pusionem in hunc florem ab Apolline transmutatum finxerunt. Garzias ab Horto gemmam hanc Rubinum flauum cognominauit, quoniam illam Hyacinthi speciem intellexit, quæ nonnihil coloris rubri in se continet. Germanis vocatur Ein hiacinth. Apud Turcas dicitur Sarisilan. Apud
B nonnullos Italos, Guarnacino, à colore vini flaui in rubedinem inclinantis.

DESCRIPTIO, ET NATVRA.

HÆC gemma colore cæruleo, violaceo, & purpureo fulgere perhibetur, & color purpureus violæ purpureæ assimilatur: hinc sententia Plinij veritatem assequitur, quoniam scripsit fulgorem violaceum in Amethysto, & eumdem, sed dilutiorem in Hyacintho nitere: quapropter Albertus ei colorem sapphirinum, & Isidorus cæruleum, & violaceum assignarunt. Sed asserendum erit colorem violæ in Amethysto esse viuacem, & in hac gemma dilutiorem, & quodammodo à colore violaceo ad aureum inclinare. Verùm hodie apud nos talis Hyacinthus non obseruatur. *Hyacinthus Veterum qualis.*

Habere hoc naturaliter insitum à Natura Hyacinthus dicitur, & potissimùm illa species, quæ ad sapphyrinum colorem tendit, vt, sereno Cælo, hilarem colorem ostendat; nubiloso enim eius color obscurus, & iniucundus euadit. Marbodeus de hac proprietate sic cecinit.

——— qui protinus aera sentit
Nubilus obscuro, rutilans, claruſq; sereno.

Duas alias proprietates Solinus memorat. Prima est, vt, cum sit frigidæ naturæ in ore positus magis frigescat. Deinde adeò durus est, vt nonnisi scobe Adamantis scalpi possit. Hanc sententiam confirmauit Marbodeus his versibus.

Hic & in os missus, plus frigidus esse probatur,
Duritia solida cadi, scalpiq; recusat,
Fragmentis tantùm superabilis est Adamantis.

DIFFERENTIÆ.

D ALBERTVS Magnus duas huius gemmæ differentias constituere videtur, primam aquaticam, & in flauo candicare asseruit, secundam sapphirinam, & pellucidam esse scripsit. Hinc Agricola & ipse duas species proponit: nam Hyacinthos dilutioris coloris, fœminas, & obscurioris, masculos nuncupauit. Arabes authores coloris citrini, rubri, & antimonij meminerunt; consequenterq; tres differentias Hyacinthi constituerunt. Item Franciscus Ruieus tria genera assignauit, primum genus ad ruborem inclinare, secundum ad croceum colorem, & tertium ad cæruleum tendere scripsit. Vnde Marbodeus hanc stabilire sententiam videtur his carminibus. *Lib. 2. de Gemm. ca 12.*

Hyacinthi species docti tres esse loquuntur;
Nam sunt granati, sunt citrini, venetiq;.

Itaq; vltima differentia à Marbodeo memorata fortassis erit Hyacinthus ab Epiphanio nuncupatus θαλασσίδης, quia colorem maris referat. Boetius quatuor Hyacinthorum differentias obseruat: in primo genere Hyacinthum rutilantem, & colorem san- *Li. 2. de lapid. c. 30.*

guinis bilioſi oſtentantem reponit. In ſecundo genere Hyacinthum ex rubore flaueſcentem collocat. In tertio, qui colorem habet flaui ſuccini, recenſet & nonniſi duritia, ab inuicem diſcriminantur. In quarto genere memorat Hyacinthum præditum colore ſuccini albi, & pellucidi; huncq; viliſſimum inter cæteros prædicat. Verùm Hyacinthus Antiquorum, cum ad violaceum, & purpureum colorem inclinet, inter Amethyſti, & Sapphiri genera collocandus eſt. Cùm Gemmarij noſtræ ætatis Serapionem ſequuti, pro Hyacintho, accipiant illam gemmam ad croceum colorem, vel aureum tendentem, quæ inter genera Chryſolithi reponitur, & talis gemma, inter fragmenta pretioſa à Medicis admittitur. E

Diuiſio Hyacinthi in varias ſpecies.

Qui autem exactam Hyacinthi cognitionem, & diuiſionem exoptat, neceſſe eſt, vt illum in tres præcipuas ſpecies diſtribuat, iuxta colorem, rubicundum, flauũ, & amethiſtinum, qui in tali gemma dominantur. Prima ex principalibus differentijs, in quinq; alias ſpecies diuiditur. Prima aſſimilatur Granato. Secunda eſt ſimilis vino in rubedine flaueſcenti, & hæc ſpecies fortè erit Rubinus flauus Garziæ ab horto. Tertia in colore rubro flaueſcente nonnihil purpurei participat; & ex Cayro Babyloniæ deferri dicitur. Quarta eſt ſuperiori ſimilis, ſed ibi nonnulla puncta rutilantia inſtar F

Sandaſtros.

ſtellarum aurearum obſeruantur, & aliqui ſpeciem hanc Sandaſtrum Plinij eſſe opinantur. Quinta ſpecies pariter prædictæ aſſimilatur, ſed, in illa loco ſtellarum, atomi nigricantes conſpiciuntur, & ob viridem, & aureum colorem, hæc ſpecies aliquibus Chryſopraſſus nominatur.

Secunda ſpecies principalis Hyacinthi, in qua flauus color dominatur, & Chryſolithos cognominari poteſt in quatuor alias ſpecies ſubdiuiditur. Prima fulget, inſtar auri, &, ad mentem Plinij, ab Æthiopia defertur. Secunda eſt coloris dilutioris; ideò Albertus Magnus ſimilem gemmam in obſcuriorem, & clariorem diſtribuebat. Tertia eſt, in qua prædominatur flauus color, cum aliqua rubedine, & ad virorem obſcurum inclinat. Quarta eſt habens colorem flauum ita dilutum, vt Topaſio ſit ſimilis.

Tertia ſpecies principalis, quæ amethyſtini coloris eſſe dicebatur, in quinq; etiam ſpecies diuiditur. Prima eſt, quando in cæruleo nonnihil ruboris, & purpurei appareret. Secunda eſt vbi in cæruleo diluto aliquis color flauus conſpicitur. Tertia, vbi color eſt violaceus, ſed obſcurus, & opacus, & ex Arabia, iuxta mentem Plinij, afferri perhibetur. Quarta eſt ſubſtantiæ craſſæ, cum cæruleo diluto, portione coloris flaui, & huiuſmodi Hyacinthus viliſſimus habetur. Quinta, & poſtrema ſpecies eſt coloris diluti ſſimi, & fortaſſis erit illa apud Albertum, quæ Hyacinthus aquaticus nominatur. G

LOCVS, ET SIMVLATIO.

PLINIVS, Iſidorus, Albertus, & Maiolus monimentis mandarunt locum natalem huius gemmæ eſſe Æthiopiam; quam ſententiam ſequitur Marbodeus canens.

Aethiopes nobis tranſmittunt hanc quoq; gemmam
Cum. multis alijs &c.

Nihilominus, ad mentem Mylij, naſcitur etiam in Luſitania, & ex multis Indiæ lo- H
cis aduehitur, quia creſcit in Cananor, Calicut, & Cambaia. In nonnullis etiam Hiſpaniæ locis reperitur. Ignobiliores verò Hyacinthi ad Iſeram fluuium, in confinibus Sileſiæ, & Bohemiæ inueniuntur.

Præterea Ficticius, vel factícius Hyacinthus ſic paratur. Plumbum in olla poſitum fornaci vitrariæ committitur, per aliquod temporis ſpatium: ſic enim plumbum in vitrum vertitur, & hyacinthinum colorem imitatur. Alios modos fingendarum gemmarum aſſignat Porta, quos Lector apud ipſum legere poterit.

Imagina.

MY-

MYSTICA, ET MORALIA.

COLOR Hyacinthi quamdam mollitiem præ se ferre videtur; ideò mysticè Dei clementiam indicare potest. Quocirca Deus, in veteri lege, præcepit, vt tunica Summi Pontificis hyacinthino colore referta esset; vt Christi clementia denotaretur. Quinimò Christus ipse à nostris Pictoribus, vestimentis eiusdem coloris figuratur, vt insinuent innatam misericordiam, qua humanum genus prosequitur. Amplius cum Hyacinthus gemma sit, nubilo cælo, obscura, &, sereno, rutilans, erit symbolum misericordiæ ad remissionem criminum requisitæ. Præterquamquod sicuti Hyacinthus gestantem securum à fulmine reddit; pariter Peccatorum remissio aduersus ictum fulminantis iræ Dei nos præmunit. *Misericordiæ symbolum.*

Moraliter etiam acceptus Hyacinthus, iuxta prædictam proprietatem, & cum sit lapis temperatus, viro probo, & perfecto assimilari poterit, qui, in suis actionibus, temperatus esse debet, cũ non debeat plus sapere, quàm oporteat, sed sapere ad sobrietatem, vt Paulus Apostolus scripsit. Deinde, iuxta locum, & tempus, colorem mutare debet, quia, sereno prosperitatum tempore, lætus Deo optimo maximo debitas grates persoluere, & tempore calamitatum ærumnoso, erga omnes misericors esse debet. *Ad Rom. cap. 12.*

VSVS IN MEDICINA.

HANC gemmam magno vsui futuram esse scribunt illis, qui somnum conciliare desiderant, necnon ijs, qui cor roborare, & ærumnas pellere volunt. Itaque Marbodeus de virtutibus cuiuscumq; generis Hyacinthorum sic canit.

Confortatiuæ cuncti virtutis habentur,
Tristitiamq; fugant, & vanas suspiciones.

C Cæterùm Albertus Magnus, & Fernelius, in expugnando toxico, hanc gemmam commendant. Auicennas quoque, in libro de viribus cordis, magnam vim roborandi spiritus vitales ei attribuit. Præterea pestem sæuientem arcet, si collo suspensus cutim regionis cordis contangat. Immò Marbodeus addit, hac gemma in annulo gestata, securum reddi hominem quocumq; progredientem, his verbis.

Sed quodcumq; genus collo suspendere possis,
Vel digito portes, terras securus adibis,
Nec tibi pestiferæ regionis causa nocebit.

Prædictis addit Mylius, Hyacinthum gestatum ab homine peste correpto, suum nitorem amittere, & colorem dilutiorem, & ingratum induere. Hinc non est mirandum, si Michael Mercatus, in libro de peste, scripserit hanc gemmam, in hoc affectu, tantoperè commendari. Quocirca, Constantinopoli, vbi vt plurimum, tertio quoq; anno, pestis Incolas affligit, Hyacinthum semper gestare consueuerunt. Intelleximus etiam, quòd Poloniæ in quadam Pharmacopæa, Hyacinthus, magnitudine vnguis humani, ar- D gento incluſus seruatur, qui detentus apud vulneratos, impedit, quominus in vulnere putrefactio oriatur. Nostris etiam temporibus ex Hyacintho Cardiaca electuaria parantur, quæ in febribus pestilentibus insignem solent habere prærogatiuam. Descriptio Diahyacinthi, seu hyacinthinæ confectionis apud Michaelem Mercatum habetur. Altera descriptio, & nobilior in nostro Bononiensi Antidotario recitatur. Hæc autem electuaria, præter hyacinthum, radices, herbas, flores, & alia simplicia cordialia recipiũt. Pro componendis prædictis electuarijs, eligenda est illa Hyacinthi species, quæ ad colorem sapphirinum inclinat: siquidem hæc, inter alias differentias, principatum occupare, & magnam refrigerandi facultatem possidere perhibetur: cum illa species, quæ ad Rubinum tendit, minori virtute refrigerãdi potiatur. Tandem sunt, qui scripserint, vt Serapio, fulgura, & fulmina gestantibus hunc lapidem non nocere: hac de causa Astrologi veteres Hyacinthum Ioui consecrarunt. *Remedium pestis.* *Diahyacinthum.*

E

DE AMETHYSTO.
Cap. LXXXII.

ÆQVIVOCA.

MAGNA afficimur admiratione, quòd nomen huius gemmæ haudquaquam vulgare in ambiguitate non ſpernenda verſetur: ſiquidem Amethyſtus apud nonnullos Veterum fuit quædam vuæ ſpecies virium ita infirmarum, vt nullo modo eius ſuccus ebrietatem excitare poſſet; quocirca Plinius narrat, ſuis temporibus, hanc vitem Inerticulam appellatam fuiſſe, quoniam iners, in tentandis neruis, haberetur. Item, apud F
L. 14. ca. 2. Inerticula vitis ſpecies. Botanicos, Amethyſtus herba eſſe perhibetur, ſed poſtea, quænam ſit, ab illis non deſcribitur. Ioannes Baptiſta, in Phytognomonicis, habet hæc herba: Amethyſti herbæ folium meracioris vini colorem æmulatur, & contrà ebrietatem pollere aiunt. Fortaſſis Blitum rubrum intellexerũt, inter cuius varias ſpecies aliqua vini meracioris colorem refert; immò hæc herba ebrietati reſiſtere creditur.
L. 5. ca. 25.

Tandem, apud Græcos, hoc nomen, ἀμέθυσοι, ſiue ἀμέθυσος æquiuocatione non caret, inflectitur iuxta maſculinum, & fœmininum genus, & ſignificat hominem minimè ebrium, ſiue aliquid ebrietatem arcens, præterea denotat gemmam, cuius hiſtoriam in præſenti capite examinamus.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

HÆC gemma nona eſt Rationalis, & vltima inter duodecim gemmas Apocalypſis, Amethyſtuſq; vocatur Latinis, quia ἀμέθυσος Græcis dicitur, à littera α priuatiua, & verbo græco μεθυσκω, inebrior, ſiue quia ebrietati reſiſtat, ſiue quia, vt fuit ſententia Plinij, quoniam ad colorem vini accedens, tandem in colo- G
L. 3. quæſt. 1. rem violæ terminet. Hæc poſtrema opinio magis aſſentitur ſententiæ Plutarchi, qui, in ſympoſiacis, ſcriptum reliquit illos in magno errore verſari, qui putarunt nomenclaturam Amethyſti tam herbæ, quàm gemmæ ab arcenda ebrietate deductam eſſe, quoniam vtrumq; ſortiri nomẽ à colore vini perhibet. Germanicè dicitur Ein amethyſt, Hebraicè dicitur Achlamah, vel Ahalamah, videtur autem Grammaticis Iudæorum hoc
Nomina hebraica. nomen deduci à Chalom, nimirum à ſomnio, quoniam geſtans hunc lapidem in ſomnia frequenter incurrat. Chaldaicè nominatur Enegla, nimirum oculus Vituli, cum color gemmæ ad ſimilitudinem oculi vitulini refulgeat.

ORTVS, DESCRIPTIO, & Natura. H

HANC gemmam ex puro, & diluto nigro originem trahere multi affirmant, eidemq; accidere volunt, quod acinis vuarum contingit. Alioquin in Sarda gemma tanquam in matrice naſcitur, & augetur. Quapropter aliquandò in-
Sarda Matrix Amethyſti. uenitur gemma, quæ, iuxta alteram partem, naturam Sardæ, &, iuxta alteram, naturam Amethyſti participat. Namq; veluti Sarda in corde ſaxi inuenitur, pariter, ex ſententia Theophraſti, Amethyſtus in aliquibus fractis lapidibus reperitur. Quoad deſcriptionem, Ouidius Amethyſto colorem purpureum aſſignauit, canens hũc in modum.

Hic Paphias myrthos, hic purpureos Amethyſtos.
Lib. 3. de Arte.

Alij verò, vt Marbodeus, in hoc lapide non modò colorem purpureum, ſed violaceum, & roſeum commendarunt, verſus Marbodei ſunt hi.

Pur-

A *Purpureus color, & violaceus est Amethysto*
Qui quasi gutta meri solet, aut rosa munda videri,
Quidam marcidior, velut euanescit in album,
Vt corruptus aqua vini rubor esse putatur.

Hæc sententia non recedit à veritate, quoniam gemma hæc, quando suam perfectionem adepta fuerit, triplici colore, scilicet roseo, violaceo, & purpureo radiat: quandoquidem ille Amethystus, qui prædictis coloribus refulgebit, mirandum in modum commendatur, tum quia est durior, tum quia in Adamantem verti potest; & id fit eo modo, quo Sapphirus in Adamantem facilè transmutatur.

Hæc autem gemma tam grato, & iucundo aspectu apparet, vt antiqui Authores eam nobilibus cognomentis decorauerint. In primis Dionysius Afer eam dulcem nuncupauit, & Plinius, ex multorum sententia, hanc Veneris gemmam indigitauit: quamuis hoc nomen cuidam tantum speciei conuenire videatur, quemadmodum, in Rubrica differentiarum, exponetur. Prædictis addamus hanc gemmam facilè scalpi posse, ob B mollitiem, necnon in vili pretio haberi. Marbodeus de his proprietatibus scripsit hos versus. *Gemma Veneris.*

Hic facilis sculpi, contrarius ebrietati
Carus haberetur, meritò si rarior esset
At nunc negligitur quoniam communis habetur.

Est enim Amethystus inter omnes gemmas vilior: hinc apud Italos circumfertur hoc adagium. *Amethista frà le giote è la più trista.*

I. Tabella cum tribus differentijs Amethysti.



DIF-

II. Tabella cum alijs Amethiſti differentijs.



DIFFERENTIÆ.

Li. 27. cap. 6. MVLTÆ ſpecies, ſed præſertim quinque, iuxta ſententiam Plinij, proponuntur. Prima colorem abſolutè purpureum habet. Secunda ad colorem Hyacinthi vergit. Tertia eſt dilutior. Quarta eſt referta colore vini. Quinta ad naturam Cryſtalli accedit, modicoq; coloris purpurei inſignita eſt. Hanc poſtre-

A ſtremam ſpeciem eſſe gemmam Veneris & Pæderotam, & Anterotam vocari perhibẽt. *Pæderota.*
Nam ἀντέρως Græcis eſt Cupido, aut quia παις eſt puer, & ἐρὼς amor dicitur; cum hæc *Anterota.*
gemma pueros ad amorem excitare credatur. Cum igitur Plinius quinque differentias propoſuerit, palmam tamen Amethyſto Indico aſſignauit. Albertus quoq; quinque differentiarum meminit, illaſq; iuxta maiorem, vel minorem coloris purpurei intenſionem diſcriminat. Hinc Marbodeus cecinit de hac gemma hunc in modum. *L. 2. de foſſ. c. 1.*

Huic quoq; dat ſpecies Veterum ſententia quinq;.

Præterea Orientales Amethyſti, quamuis in violaceo colore ad ſapphirinum tendant, nihilominus, & ipſi ab inuicem diſcrepant, quoniam alij obſcuriores, alij diluotiores inueniuntur. Immò quadam ſpecies in diluto colore ad roſeum vergens, aliquibus vocatur Balaſius, & ſpecies Cryſtalli apud Turcas habetur. Præter naturales, factícij quoq; dantur Amethyſti, dum drachma Mãganeſij vocati libræ vitri permiſcetur: hęc enim maſſa in fornace Vitriariorum liquefacta colorem amethyſtinũ acquirit. Nos hoc in loco nonnullas Amethyſti naturales icones in duabus tabellis repræſentamus.

B I. Tabella exhibet tres Amethyſti differentias.

1. Amethyſtus diaphanus, figuræ ferè triãgularis, colore ſaturatiore, in inferioti parte: nam in parte ſuperiori, iuxta angulum decurtatum, erat coloris albicantis cum linea tortuoſa fuſca.

2. Amethyſtus cum Fluore: nam in parte ſuperiori ſunt multi Fluores acuti, Iridem æmulantes, coloris violacei diluti. Poſt Fluores ſequitur materia concreta albicans, in qua Fluores amethyſtini reſident, cuius pars infima ad colorem cæruleum inclinat. *Amethyſtus factitius.*

3. Amethyſti minera, cum ſucco concreto albicante, qui vlteriori coctione, vt noſtra fert opinio, in gemmam Amethyſti conuertitur.

II. Tabella alias Amethyſti differentias exhibet.

1. Gemma amethyſtina cum figura alata, quæ Angelum præ ſe ferre videtur: quandoquidem gemma hæc facilem cælaturam admittit.

2. Amethyſtus alter cælatus, referens figuram mulieris coma ſparſa, cum floſculo in manu.

C 3. & 4. Fluores amethyſtini, & quarto loco delineatus, fuit à Natura formatus cum ſex triangulis in vertice, colore ſubflauo. Poſt triangulos ſequitur materia albicans, & radians, & poſtremo loco ex amethyſtina, vbi eſt aliud fragmentum Amethyſti impuri cum aliqua materia albicante.

1. & 2. Lapis videtur amethiſtini coloris opacus. Verùm eſt ſplenecticus lapis, vel quia in colore lienem æmuletur, vel quia affectibus lienis medeatur.

1. & 2. in fine tabellæ alij lapides amethiſtini delineantur.

LOCVS, ET SIMVLATIO.

IN multis regionibus Orientis Amethiſti pręſtantes inueniuntur Marbodeus in hoc verſu ſic canit.

India mittit cum gemmarum maxima nutrix.

D In India etiam Occidentali huiuſmodi gemma obſeruatur, vbi Tlapaltehuilati vocatur. Incolæ renum regioni hunc lapidem alligant, vt doloribus nephriticis medeantur. Item, ex Epiphanio, in montibus Lybyæ naſcitur. Verùm in Arabia, Armenia, Ægypto, & Galatia reperitur, & ignobiliores Amethiſti in Thaſo, aut Cypro generantur. Pariter in Germania, Bohemia, Miſnia, & ſimilibus locis eruuntur, ſuntq; violacei, & pulcherrimi coloris, ſed quoniam nimis ſunt molles, idcircò in vili pretio habentur. Tandem Conſtantipoli magna Amethyſti copia dilutiotis inuenitur, qua Turcę vittata capitum tegumenta exornant, & quamdam Cryſtalli ſpeciem eſſe exiſtimant. *Ignobiliores Amethiſti vbi.*

Quoad ſimulationem, mentiuntur Amethyſtum plumbo in maſſa vitri fuſo, vel colore violaceo cum maſtiche inter duo fruſta vitri glutinata, ſed Amethyſti in Germania inuenti ſimulationem non merentur, cum eorum copiam illa regio nobis ſuppeditet.

DE-

E

DENOMINATA.

AMETHYSTINVM vocant, quòd ex Amethyſto cõſtat, vel quod amethyſtinum colorem repræſentat. Item amethyſtinatum appellauit Martialis, quod amethyſtino colore eſt exornatum. Ameſtides lapis apud Calepinum legitur, gemma ebrietati reſiſtens, fortaſſis erit Amethyſtus, de quo in præſentia agitur, cum aduersùs ebrietatem valere dicatur. Aliter Amethyſtina gemma erit Veneris gemma, apud Plinium, roſeum habens colorem ex carbunculo in purpuram refulgentem. Demùm Vuolcheſteinin in Miſnia eſt Fodina, quæ ab Amethyſto nomen inueniſſe perhibetur, quoniam copia huius lapidis ibi reperiatur.

Ameſtides lapis.

Veneris gẽma.

MYSTICA, ET MORALIA.

F

MYSTICVM huius lapidis ſignificatum Ribera, & Cornelius à Lapide ad Zabulon attinere affirmant, tum quia hoc lapide, charitas, & mores cæleſtes Zabulon, & Tribus eius denotantur, tum quia ex hac nonnulli Apoſtoli prodierunt, cæleſti virtutum ſplendore radiantes. Quinimò, apud Viegam, Amethyſto, Apoſtoli deſignantur. Quandoquidem, ſi Amethyſtus purpureo, & roſeo fulget nitore, & facilè ſcalpitur, Apoſtoli in laboribus patientes, facilè ſcalpi dicebantur: deinde purpureo colore in martyrijs refulgebant, & nitorem roſæ emittebant, dum gratiam ſibi conciliabant: etenim roſa gratiæ ſymbolum eſſe traditur: deinde ſuauiſſimas amoris flammulas de ſe fundebant.

Roſa gratiæ ſymbolum.

Rurſus quoniam hæc gemma parua eſt, & ebrietati reluctetur, Cornelius à Lapide illam Matthiæ Apoſtolo aptat, quia paruus ratione humilitatis fuit, deinde ſuperbia nunquam fuit inebriatus: hinc diuina ſorte, & vocatione, numero Apoſtolorum fuit aſcriptus. Inſuper cum hic lapis facilem admittat cælaturam, tamquam ſymbolum G
Obedientiæ poterit diuulgari. Immò denotare poteſt charitatem, quæ ſcintillas quaſdam fundit. Huiuſmodi virtutes in viris iuſtis, & perfectis refulgent, dum omnium imperijs parcent, charitatis ardore flagrant, & tandem ſcintillas bonorum exemplorum ſpargunt. His addamus aſſertum Pierij, qui Amethyſtum ſobrietatis hieroglyphicum eſſe voluit, cum ebrietati aduerſetur, cum nemo poſſit vino vexari, qui huiuſmodi lapidem geſtauerit, vel guſtauerit.

Obedientiæ ſymbolum.

VSVS IN VARIIS.

HVNC lapidem in lethargo non parum habere momenti aliqui affirmãt, quoniam Mercurialis ſit, vnde vigilantia prodire ſolet. Alij hoc, ad arcendam ebrietatem, vtuntur, quoniam à ſignatura, vel characteriſmo hanc virtutem ei ineſſe exiſtimant. Ariſtoteles author eſt, referente Franciſco Rueio (ſed non citat H
locum) Amethyſtum vmbelico admotum vini vaporem ad ſe trahere, & diſcutere, conſequenterq; Patientem ab ebrietate liberare. Alij voluerunt, hoc lapide geſtato, prauas cogitationes reprimi, ingenium fælix reddi, & gratiam Principum conciliari. Rurſus, ad incendia, hic lapis commendatur, quoniam, periculo facto, aliqui teſtificantur modicum telæ, in quo lapis fuerit inuolutus, ſupra flammam lucernæ, vel prunas poſitum non comburi, niſi iuxta illam partem, quæ lapidem non tetigerit. Tandem annulari j hac gemma vtuntur, dum politam palæ annulorum inſerunt. Immò nonnulli aſſerunt ſimilem gemmam fuiſſe annulo incluſam, quo Beata ſemper Virgo Diuo Ioſeph deſponſata fuit.

In lib. de lapid.

DE SAPPHYRO.
Cap. LXXXIII.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

APVD omnes ferè Nationes Sapphirus hoc nomẽ obtinet Græcis Σάπφειρος λίθος, & etiam σάπειρος in aliquibus Lexicographis legitur: potius σύμφορος vtilis, & commodus, propter magnam vtilitatem, quam gestantibus affert; vel quasi σαφὴς ἶρις; nempè manifestus iris, quoniam colorem tum arcus cælestis, tum floris iridis referat. Albertus Syrtitem appellauit à loco natali, cum circa Syrtes inueniatur. Syrtes autem duo sinus Africani maris esse perhibentur: hinc Marbodeus sic cecinit. *Syrtites lapis.*

Hic quoq; Syrtites lapis à plerisq; vocatur,
Quod circa Syrtes Libycis permixtus arenis.

Est Sapphirus secunda gemma Apocalypsis, & quinto loco inter gemmas Rationalis collocatur: deinde multis in locis sacri Codicis memoratur: hinc fortè gemma caua, & gemma gemmarum nuncupatur. Id Marbodeus explicauit his versibus.

Quem Natura potens tanto attauit honore,
Vt sacer, & meritò gemmarum gemma vocetur.

Hebraicè appellatur Sappir, Germanicè Ein Saphyr, Persis Hylaa. Barbari, pro sapphiro, papyrum pronunciant.

ORTVS, DESCRIPTIO, & Natura.

EX succis cæruleis, ob perfectam eorum coctionem, valdè perspicuis gemma hæc ducit originem, & colorem Cælo sereno similem nanciscitur. Est enim gemma in cæruleo colore pellucida, & diaphana, & secundùm Boetium, colorem Myosotidis, aut Scorpioidis æmulatur, & in hac gemma rubedo nulla subesse videtur, quæ in Amethisto vocatur. Propterea apud Marbodeum sic canitur de Sapphiro.

Gemma refulgens est, puroq; simillima Cælo.

Camillus autem Leonardus Pisaurẽsis ei colorem purissimi cærulei attribuit, quamuis, iuxta sententiam Epiphanij, purpurascere tradatur. Hinc postea Poetæ Cælum sapphirinum cognominarunt. Plinius describens hanc gemmam, ei colorem cæruleum cum punctis aureis attribuit: vnde hic Author pro Sapphiro, proculdubiò lapidem Lazuli intellexit. Præterea nulla inuenitur gemma, quæ Adamanti sit proximior quàm Sapphirus. Immò nobilissima, & pretiosissima est, quoniam digna fuit, vt in throno Dei repræsentaretur. Ezechielis verba sunt hæc. *Aspectus lapidis sapphirini similitudo throni.* Item, ex Epiphanio, in Tractatu de duodecim gemmis, Deus suam cælestem laturus legem, in lapidibus sapphirinis eam insculpsit, veluti Hebræorum traditio affirmat, vt omittam Iosephum, Tostatum, & Caietanum, qui ab eadem sententia non recedunt: Tandem olim tanti fecerunt, Sapphirum, vt, litteras Amicorum, Hebræi sapphiro comparauerint. *Cur gemma sacra. Cap. 1.*

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

RATIONE coloris, loci natalis, & magnitudinis, Sapphiri ab inuicem discriminari possunt. Quoad primum alij sunt saturati coloris cærulei; hique pretiosissimi habentur, & alij sunt albicantes; hi fœminæ, & illi mares appellantur

lantur. Sin omni colore careant, albi Sapphiri dicuntur, & Adamantibus valdè aſſi- E
milantur, eorumq; vices, ad ornatum, ſubeunt, & peritiſſimos etiam Gemmarios de-
cipiunt, quia Adamantes eſſe credant. Sunt aliqui Authores, qui hos in multas alias
ſpecies diſtribuunt, ſed nos, in præſentia, cum iconibus Sapphiri careamus, prædictis
duabus differentijs principalibus contenti erimus.

Locus natalis. Quoad ſecundum, Sapphiri alij Orientales, alij Occidentales eſſe feruntur, qui poſtremi viliores eſſe traduntur. Quoad molem, hæc gemma magnitudinem amygdalæ non excedit: quocirca magnæ admirationi cunctis fuit Sapphirus in Indijs Occidentalibus repertus, qui magnitudinem oui gallinacei ſuperabat. Quoad locos natales, inueniuntur in Calecut, Cananor, Biſnagar, & Zeilan inſula, & præſertim in regno Pegu. Occidentales varijs in locis reperiuntur, nimirum in Bohemia, Sileſia, apud Rhodanum fluuium, & alijs huiuſmodi locis, ſed molliores ſunt, & lacteo colore perfuſi apparent; ideò Leucoſapphiri appellantur. Marbodeus tamen illum magnificat Sapphirum, quem Media producit: dum ſic canit.

Ille ſed optimus eſt, quem Tellus medica gignit. F

SIMVLATIO.

VITRVM cæruleum inter duos Adamantes Bohemicos glutinatum egregiè Sapphirum ſimulare ſolet. Alij ex vitro maſſam cæruleam in igne conflant, eamq; expoliri iubent, & imperitis pro Sapphiro offerunt. Hęc autem miſtura multifariam parari poteſt. In primis habetur lapis vitrum tingens colore cæruleo,

Zaffera lapis. & ſi plus iuſtò addatur, illud nigredine inficit, hunc Artifices Zafferam vocant, fortaſſis à colore ſapphirino. Talis lapis ex colore cinereo tendit ad purpureum, ponderoſus, & friabilis eſt, ſolus non funditur, ſed vitro additus in fornacibus, inſtar vitri, fluit. Quando igitur drachmæ duæ huius lapidis libræ vitri maſſæ permiſcetur, & ſpatio ſex horarum in fornace manſerit, Sapphirinum colorem acquirit. Hæc autem materia à fornace exempta perito artifici polienda traditur, & Pſeudoſapphirus elegans fingi- G
tur. Sed quoniam hæc maſſa non exactè aliquandò formatur, ideò in illa ſæpius bullę, & atomi apparent.

VSVS IN MEDICINA.

CVM hic lapis frigidæ, & ſiccæ ſit temperaturæ, vt cæteræ ferè omnes gemmæ, in puluerem redactus oculorum humiditates exſiccat, inflãmationes arcet, collyrijs ſi adhibeatur. Solo contactu non modò dolorem frontis ſanat, ſed viſionem etiam recreat, oculoſq; aduersùs quoſcumq; affectus præmunit. Hæc igitur opinio inualuit apud Turcas; propterea quod eorum fœminæ inaures ex ſapphiris geſtare conſueuerunt. Amplius ſi quis ſæpiùs ſapphirum intueatur, oculos ab omni iniuria defendet, immò ita tutabitur, vt nihil aduerſi illis contingere poſſit. Deinde huius puluis cum lacte hauſtus vlcera, & vulnera interna ſanare traditur. Hinc fortè Dioſco- H
rides Sapphirum in vlceribus inteſtinorum tantoperè commendauit. Rurſus tota materia aduerſari venenis traditur, ſicuti Galenus, & Dioſcorides affirmant: quoniam ictibus Scorpionum, & Aranearum optimè occurrit: nam Aranea vitro incluſa, & orificio vaſis ſapphyro applicato, breui interire perhibetur. Albertus Magnus hanc gemmam omnibus vitijs cutis eſſe vtilem diuulgat, cum omnes inflammationes, & tumores præter naturam reprimat, & potiſſimùm anthraces peſtilentes extinguat, ſi lapis diù ſupra ipſos detineatur. Geſnerus id confirmat, quoniam ſapphirus manubrio plumbeo incluſus paſſim à Medicis Germaniæ, in anthrace contangendo, adhibetur, quia vapores venenatos expugnans, prohibet, quominus ad cor aſcendere poſſint. Quamobrem non eſt mirandum, ſi electuarium Diahyacinthum non ſine hac gemma componatur, quod poſtea frequenter à Medicis, in febribus malignis extirpandis, adhibetur. Chymici ſapphirum in ſalem redigunt, quoniam putant maiores vires in prædictis affectibus poſſidere. Alij tincturam, & eſſentiam Sapphiri extrahunt, quo-

Lib. 9. de Simp. med. fac.

Lib. 5. de mat. med.

Lib. 2. de lapid. cap. 7.

Diahyacinthum.

niam

niam in prædictis affectionibus, & præsertim in veneno, & peste præstantissimum remedium esse opinantur. Tandem oleum sapphiri in prædictis commendant, sed illius loco aliud postea obtrudunt. Anselmus Boetius narrat se nouisse quemdam Chymicum, in Bohemia, qui oleum chamæmelinum pro sapphirino vendebat, quod in vase æneo destillauerat, dum aqua egrediens oleum coloris sapphirini in superficie habebat. Huiusmodi colorem ex floribus chamæmeli dimanare arbitrantur; cum tamen talis color ab æneo vase proueniat: quandoquidem sal ammoniacus in vase æreo locatus, adiecta calce viua, colorem cæruleo vltramarino similem paucis diebus reddit. Fiorauantus etiam Empyricus Sapphirum ad generãdam lætitiam summopere probat, quoniam Iouius sit lapis: hac de causa omnes cordis affectiones mirabiliter sanare asseuerat. Has medicas Sapphiri prærogatiuas Marbodeus explicat his versibus. *Oleum Sapphiri.*

Corporeis etiam morbis lapis ille medetur
Scilicet ardorem refrigerat interiorem
Sudorem stringit, nimio torrente, fluentem
Contritus parti superillitus vlcera sanat,
Tollit & ex oculis sordes, & forte dolores,
Et vitijs linguæ simili ratione medetur.

VSVS IN VARIIS.

ANNVLARII non solum in annulis, sed etiam in armillis, & monilibus, cæteriſq; ornamentis, & præsertim regalibus adhibent, hinc Marbodeus sumpsit occasionem canendi hunc in modum.

Sapphiri species digitis aptissima Regum.

Quinimò Sapphiro tanquam Sapphiro non contenti, illum in adamãtem transmutare conantur, dum in aurum liquefactum eum proijciunt, spatio horarum quatuor, nam, depositio colore, albus inde tanquam Adamas extrahitur. Prædictis addamus, quòd Sapphirus libenter à nonnullis gestatur, quia hominem reddit castum, forta ſſis, quia refrigerandi facultatem possideat. Vnde de hac virtute hoc distichon circumfertur. *Sapphiri mutatio in adamantẽ.*

Corporis ardorem refrigerat interiorem
Sapphirus, & cypriæ languida vota facit.

Marbodeus quoq; ad hanc proprietatem respiciens de vsu huius gemmæ sic canit.

Et qui gestat eum castissimus esse iubetur.

Hinc veteres Astrologi gemmam hanc Veneri dicatam esse voluerunt: quamuis alij sacratam potius Ioui esse scripserint. Alij tandẽ Phœbo dicatam esse existimarunt; quoniam, cũ olim sacra Apollini fierent, aut ab illo responsa peterẽtur, creditum est illi magis placere, & ab eo faciliùs aliquid obtineri posse, si Sapphirus tanquam concordiæ signum adhiberetur.

DE SMARAGDO. Cap. LXXXIV.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

NOMEN Smaragdi Anselmus Boetius deriuat ab arabica voce Zamarrut, qua lapillũ hunc significant. Sed rectiùs est, vt deducatur hoc vocabulum à Græcis, quibus dicitur σμάραγδος, & etiam μάραγδος, παρὰ τὸ μαρμίρειν, nimirum à rutilando, quoniam vbicunq; Smaragdus conspicitur, siue ad radios solares, siue ad flammam lucernæ, siue ad vmbram, semper rutilans apparet, vt Marbodeus optimè exprimit hoc versu.

Quem neq; Sol mutat, nec clara lucerna, nec vmbra.

Aliquibus vocatur Prasinus ob magnam, quam habet cum Prasio lapide similitudinem. Apud Epiphanium lapis Neronianus, vel Domitianus nuncupatur. Quandoquidem referunt à Nerone, & Domitiano oleum in multa vasa fuisse infusum, quod, tractu temporis, pulcherrimum virorem contraxit, & hoc oleo, postea petram sæpiùs irrigatam smaragdinum colorem acquisiuisse. Alij tradunt ita nuncupatum, quoniam

Nero gladiatoriam pugnam per Smaragdum intueri conſueuerit. Id etiam Marbodeus E
his verſibus teſtificatur.

His viſum ſpeculis teſtatur fama Neronem,
Cum Gladiatorum pugnas ſpectare liberet.

Alij putant Neronem fuiſſe quemdam antiquum Artificem, & gemmarum ſculptorem, qui primus omnium, ad vſum ornamenti, Smaragdum traxerit, hincq; Neronianam gemmam cognominatam fuiſſe. Italis dicitur Smeraldo, Gallis Vne Eſmeraude, Germanis Ein Smaragd, Hiſpanis la Eſmeralda piedra, Indis, & Perſis Pacheæ, Arabibus Zamarrut, Serapioni, & Pandectario Tabarzet perperam vocatur.

Gẽma Neronïana.

ORTVS, ET NATVRA.

INTER omnes gemmas virentes nulla præſtantior, elegantior, & iucundior Smaragdo inuenitur: grato enim ſuo virore oculorum aciem ita demulcet, animumq; F
ita recreat, vt herbarum quarumuis amœnitatem longè ſuperet. Quocirca Gemmarij hanc ſemper ſcalpere, & polire deſiderant. Vnde huc reſpiciens Marbodeus non immeritò cecinit.

Omne virens ſuperat forma viridante Smaragdus.

Gemma eſt pellucida, diaphana, venerea, & mercurialis, quæ vbicumq; poſita ſemper ſuum fulgentem virorem fundit, fuitq; ſemper in ſumma dignitate, pretio, & exiſtimatione: propterea ab Antiquis illi aliquid inſculpi vetitum eſt. Quinimò Antiquitas fabulata eſt, ad augendam huius gemmæ authoritatem, Smaragdos Scythicos omnium pretioſiſſimos in auri fodinis naſci, & inde non ſine magno vitæ diſcrimine erui poſſe, cum Gryphes ferociſſimæ Alites illic nidulentur: quamobrem Arimaſpi monoculi populi ſmaragdorum cupidi, nonniſi armis muniti, ad huiuſmodi fodinas accedũt. Id non intactum reliquit Marbodeus canens.

Fabula Gryphium.

Præcipuus Scythicis honor eſt, & gratia maior,
Gryphibus eripiunt ſeruantibus hos Arimaſpi. G

Commendatur tamen Smaragdus Scythicus duritie inſignis, qui ore detentus frigidus appareat, &, ad radios Solis, viriditatem non amittat. Tandem augetur dignitas huius lapidis, dum ſæpiùs in ſacro Codice memoratur: nam quarto loco ponitur in Apocalypſi, & tertio loco inter gemmas Rationalis.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

PLINIVS Smaragdi genera vltra duodecim recenſuit, & iuxta ordinem infraſcriptum ab ipſo commendantur, nimirum Scythici, Bactriani, Aegyptij, Cyprij, Aethiopici, Perſici, Attici, Medici, Chalcedonici, Laconici, Calcoſmaragdi, qui æreis venis ſunt maculati, necnon Pſeudoſmaragdi dimidia parte Smaragdum, & dimidia laſpidem referentes. Marbodeus quoq; prædictum numerum in differentijs Smaragdi approbat hoc verſu.

Huius bis quinæ ſpecies, binæq; ferũtur. H

Serapio tria genera memorat, Smaragdũ, Smaragdeum, & Pſeudoſmaragdũ; quemadmodum interpretes vertunt. Per Smaragdum, diaphanum lapillum, & intensè virentem intelligunt, per Smaragdeum, obſcuriorem, per Pſeudoſmaragdum, nempè non translucentem, forſitan Praſium intellexerunt.

Noſtris temporibus, Smaragdi in duplici diſcrimine tantùm cõſtituuntur. Alij enim ſunt Orientales, alij Occidentales. Orientales ſunt duriſſimi, & virenti iucunditate amœniſſimi. Occidentales in duas ſpecies ſubdiuiduntur, nempè in Europeos, & Peruuianos. Peruuiani etiamſi viriditate iucunda ſcateant; nihilominus, vt cæteri non radiant, & plerumq; maculis hinc inde ſunt inquinati, deinde duritia carent, quã Orientales poſſident. At ex vicinis regionibus paulò duriores afferuntur, ſed exiguam apud Gemmarios authoritatem habent, quia ad nigredinem inclinant, & cum ſint planè virides, Praſio valdè aſſimilantur. Europei, qui in Cypro, Britannia, alijſq; locis huius generis reperiuntur, ignobiliores ſunt, niſi duritiam, & elegantiam habuerint.

Orientalis, & Occidẽtalis differentia.

Sin

Sia à magnitudine petantur differentiæ, Orientales rarò nucis auellanæ magnitudinem excedunt. Occidentales tam magni obseruantur, vt latitudinem palmæ manus superent. Cæterùm Europei rarò magni inueniuntur. Hinc fabulosam credimus esse historiam, apud Theophrastum, recitatam de Rege Babyloniæ, qui Ægyptiorum Regi Smaragdum quatuor cubitos longum, & tres latum, dono misit, & obeliscum ex Smaragdo quadraginta cubitos altum in templo Iouis fuisse dicatum, & statuam smaragdinam Herculi sacratam in Tyro visam fuisse. Huiusmodi autem opificia non ex Smaragdo, sed potiùs ex Prasina gemma, vel Iaspide fabricata fuisse existimamus: nam hi duo lapides optimè Smaragdum simulant. *Magnitudo Smaragdi.*

SIMVLATIO.

NOSTRA ætate adulteratur Smaragdus lapidibus crystallinis tritis cum duplo pondere Sandycis, minium vulgus vocat, in fornace vitraria fusis, nam inde emergit lapis adeò Smaragdo similis, vt peritos quosuis fallat. Alij ęs vstum in tenuissimum puluerem redactum vitro addunt, a decto croci ferri dimidiato pondere, & sex horarum spatio coquunt, deinde gemmam polituræ committunt: etenim si Artifex optimè operetur, pulcherrimum Smaragdum simulare poterit, sed adulterium igne deprehenditur, flammam enim edit ob æris participationem. Præterquamquod lima vitium detegere potest.

VSVS IN MEDICINA.

SMARAGDVS vt omnes aliæ gemmæ, frigidi, & sicci est temperamenti. Id circò omnes alui, sanguinisq; fluxiones, & præsertim dysenteriam haustus in aliquo liquore cohibet, vt Auenzoar attestatur. Neq; refert an affectus ob acrimonia humoris, an à veneno originem traxerit. In affectibus venenatis ad pondus sex, vel octo granorum in aqua Tormentillæ, Acetosæ Nympheæ, vel Boraginis exhibetur; quandoquidem Patiens, si venenum sumpserit, illicò cordis anxietates patitur, & sudore oborto, decem horarum spatio, liberatur. Hac eadem ratione ictibus Animantium venenatarum, necnon febribus pestilentibus, & malignis medetur. *Aduenena*

Inter amuleta Smaragdus potissimùm magnificatur: nam si de puerorum collo pendeat, eos ab Epilepsiæ paroxismo tueri creditur. In annulo etiam gestato comitialem morbum impediri omnes Authores affirmant. Ori inditus hæmorrhagiam coercere tradunt. Si ventri applicetur, dysenterias omnes, teste Antonio Guainerio, instar miraculi, auferri dicunt. Item de collo pendulus nocturna terriculamenta arcet, & febrem hemitritęam tollit. Memoriam etiam firmare, necnon visum reficere, & recreare affirmant. Quid simile à Marbodeo scribitur hunc in modum. *Epilepsiæ remedium.* *Hemititræi remedium.*

Collo suspensus durum fugat hemitritæum,
Et sanare potest simili ratione caducos.
Emendat fessos viridi medicamine visus.

Chymistæ, ad prædictos affectus, vtilissimam tincturam ex Smaragdo elicitam existimant. Parari autem solet ab ipsis hoc modo. In ferreo vase redigitur in puluerem, & per linteum traijcitur, huic affunditur spiritus vrinæ aliquid phlegmatis adiunctum habens, vt color extrahatur, spirituſq; iterum distillatione aufertur, vt, in fundo vasis, Extractum Smaragdi remaneat, à quo tandem, spiritu vini, color Smaragdi elicitur. Cum igitur Smaragdus tot, & tantis dotibus, prærogatiuis, & facultatibus gaudeat, non est mirandum, si ingrediatur electuarium de gemmis Mesue, & diahyacinthum, quæ electuaria inter Cardiaca pharmaca proculdubiò principem locum occupant. *Extractũ Smaragdi.*

E

DE TOPAZIO. Cap. LXXXV.

SYNONIMA, ET ETYMVM.

CVM Plinius gemmis virentibus Topazium annumerauerit, non erit ab re poſt Smaragdum, de hac gemma diſſerere, quæ Latinis Topazius in genere fæminino,& etiam Topazium in genere neutro inflectitur.Græcis θοπαζιος λίθος, item τοπαζιον neutri generis in Apocalypſi, & Exodo dicitur, quoniam eſt gemma nona Apocalypſis, & ponitur ſecundo loco inter gemmas Rationalis. Triſyllaba autem voce τόπαζος, ſeu τόπαζον apud Dionyſium, de ſitu Orbis, legitur. Etymologiam hanc deriuant παρὰ τὸ τοπάζειν, nimirum à quærendo, quoniam cum olim Troglodytæ Predones diutiùs fame, & tempeſtate preſſi herbas, & radices ad victum quæritarent, tandem hanc gemmam primi inuenerunt. Alij deducunt etymum à Topazo inſula maris rubri, in qua huiuſmodi gemma excellentiſſima, & præſtantiſſima inuenitur. Hæc ſententia eſt conformis menti Marbodei, qui in ſuo Lapidario ſic canit. F

Topazius inſula.

Nominis eiuſdem Topazius inſula gignit.

Italis dicitur Topazzo, Gallis Topaſſe, Germanis Ein Topaſs, Hiſpanis Topazio. Aliquibus tamen Latinis Topaſius, & Topatius ſcribitur.

DIFFERENTIÆ, ET LOCVS.

MVLTA de Chryſopraſijs, Chryſolithis, & Chryſopatijs à Plinio traduntur, ſed adeò confuſa, vt nihil inde certi colligi poſſit. Quandoquidem ſi ponderemus conditiones Topazij, & Chryſopatij Veterum, proculdubiò videbimus has Chryſolitho Nuperorum competere, in qua gemma color Smaragdi, ſed dilutior obſeruatur, cui nonnihil flaui coloris ineſſe videtur. Huic viror eſt aureus, & Chryſopatius, necnon mater Smaragdi vocatur. Hic à noſtris Gemmarijs Chryſolithos appellatur, quoniam aureus color in viridi refulgeat, qui, noctu, ſi admoto igne, vehementer ſplendeat, Chryſolampis apud Plinium erit. At Chryſopraſſus cum hac gemma confunditur, cum parùm ab illa diſcrepet G

Hodie Topazij Gemmariorum aurei ſunt coloris,& inter Chryſolithos Veterum recenſendi, fortaſſis à Plinio Chryſelectri, & Mellichryſi nuncupantur: namque nomen Chryſolithi tanquam genus omnibus gemmis aureum colorem habentibus Antiquitas applicauit. Color nullo alio colore eſt intermixtus, & ſimilis aquæ, in qua crocus, vel Rhabarbarũ diſſoluta fuerint. Hi lapides, ratione loci, diſtinguuntur; nam alij Orientales, & alij Europei nominantur. Orientales ſunt, qui, ad inſtar puriſſimi auri, rutilant, & omnibus gemmis, Adamante excepto, duriores ſunt. Horum alij in colore ſunt dilutiores, ſed qui medio modo ſe ſe habent, præſtantiores eſſe feruntur. Europei ad modum Chryſtalli ſunt molles,& in aureo colore,vel multum,vel parũ nigricant. Quidam paſſim inueniuntur in Bohemia aureo colore ſplendentes, & ab Orientalibus nonniſi duritie diſcrepant. Orientales in Aethiopia, in Arabia reperiuntur, ſed præſtantiores in India, & Bactriana eruuntur. H

Chryſolithi lapides.

Chryſelectri.

Mellichryſi.

Quoad molem,Anſelmus Boetius narrat aliquando repertum eſſe Topazium permagnum,pondo duodecim,ponderantem.Immò vidiſſe fatetur Bohemicum,duarum vlnarum longitudine,& trium latitudine Rodulpho II. Imperatori donatum.Nos in hac tabella aliquas differentias repreſentamus, vbi etiam aliorũ lapillorũ icones deſignãtur.

Locus.

Primo loco in hac tabella delineatur quædam gemma ex Aſſyria allata,valde ſimilis Machumæ fructui Indorum, ſplendore radiabat, & in illa, tanquam in ſpeculo, cuncta illi obiecta conſpiciebantur, at quodammodo aureo colore obſcuro nitebat, ideoque Topazium aliqua ex parte æmulabatur. Hæc à multis oculus Bouis appellatur.

Magnitudo Oculus bouis gemma.

Secundo loco delineantur oculi Sepiæ,qui gemmæ eſſe videntur,namque cryſtallini humores oculorum Sepiæ ſunt diaphani,& hemiſphærici; quapropter ex duobus ſimul iunctis monilia conficiunt.

Tertio

Tabella cum Topazio, & alijs lapillis.



Tertio loco ſub numero 1. & 2. effigiatur Topazium figuræ quadrangulæ, eminens iuxta partem ſuperiorem, cum duobus diametris decuſſatim apparentibus, & crucem quodammodò formantibus. E

Chryſopus. Quarto loco ſub numero 1. & 2. figuratur gemma Chryſopus vocata, quaſi dicatur aſpectus auri; etenim mirabiliter Topazium imitatur, ibique duæ figuræ ſculptæ apparent.

Encrinos. Quinto loco deſignatur gemma Encrinos ſub numero 1.2.& 3. quæ iconem lilij quodammodò inſculptam habere videtur. Poteſt hæc gemma referri ad Aſtroitem, de qua gemma paulò ſuperiùs actum fuit.

Callais gẽma. Sexto loco ſub numero 1.& 2. Callais gemma pingitur, diaphana, & radians, quæ hoc in loco præter rationem non memoratur; cum Plinius ad gemmas virentes, Topazium, Callaidem, & Nilion reduxerit. Tandem in fine Tabellæ habetur figura fructus humilis Palmæ, & cuiuſdam Achatis fluuium imitantis.

Factitij Topatij. Factitij quoq; Topazij multæ oſtenduntur differentiæ, iuxtà materias, quæ vitro fuſo adduntur. Nam alij addunt parùm croci ferri, cum tantillo minij; alij triplum plumbi permiſcent. Alij ex ære vſto, cinnabari natiuo, & Cryſtallo, cum quadruplo ſtanni vſti in vaſe fuſorio Topazium ſimulant. De his, & alijs modis Ioannes Baptiſta Porta in Magia naturali legendus eſt. F

VSVS IN MEDICINA.

GEMMA hæc aureo colore referta, non ſecus ac aurum, naturæ eſt ſolaris: quapropter facultatem vitalem roborare poteſt. Itaque, in timoribus nocturnis fugandis, in minuenda, & expellenda melancholia, fæliciter adhibetur, ſi brachio ſiniſtro alligetur, vel de collo ita ſuſpendatur, vt cutim contangat. Hieronymus Cardanus, in libro de Curationibus admirandis, mira de hoc lapide prædicat, quoniam nobiles quoſdam, ſolo hauſtu pulueris huius gemmæ curauit: ſiquidem, alijs medicamentis incaſſum adhibitis, alium melancholia, & alium epilepſia laborantem, octidui ſpatio, liberauit. Sanguinis etiam profluuia coercere traditur. Huius meminit Marbodeus de Topazio canens hunc in modum. G

Melancholiæ, & epilepſiæ remedium.

Item hæmorrhiacis idem lapis auxiliari.

Sunt, qui ſcribunt hanc gemmam tritam, & in aliquo liquore pectorali exhibitam mitigare poſſe paroxiſmum aſthmatis. Sed has omnes vires non Topazio tantùm, ſed Chryſolitho etiam attribuunt, quæ gemma in aureo colore vireſcit, & ad Topazij genus reducenda eſt, Michael Mercatus, in ſuo libro de peſtilentia, ſcriptum reliquit, hunc lapidem, in affectu peſtilenti, inſignem habere prærogatiuam. Narrat enim, temporibus Gregorij Vndecimi Pontificis Maximi, fuiſſe medicum Romæ, qui peſte correptos, ſolo tactu Topazij, curabat: hac de re numeratur hæc gemma inter illas, quæ electuaria cardiaca, & præſertim diahyacinthum ingrediuntur.

Peſtis remedium.

DE OPALO. H
Cap. LXXXVI.

POSTREMVM locum inter gemmas à nobis reponitur Opalus, quoniam cæterarum gemmarum colorem, naturam, & facultatem participet, Vulgò vocatur Giraſole, & Scambiacolore. Nam cum lapis ſit candidus Carbunculi fulgorem, Amethiſti purpuram, & Smaragdi virorem oſtentat: quocirca prædictarum etiam gemmarum virtutem poſſidere creditur. Anſelmus Boetius quatuor huius genera obſeruauit. Primum genus eſt diaphanum abſq; vlla opacitate. Secundum tendit ad nigredinem cum fulgore Carbunculi. Tertium varios habet colores, & huc referuntur, qui lacteo colore opaci ſunt, & oculi felis à Gemmarijs dicuntur, & etiam Pſeudoopali. Quartum genus, nomine Pſeudoopali, circumfertur, & diaphanum eſt, oculiſq; piſcium ſimile,

simile, & parum cærulei lactis, aut flaui coloris in se habere videtur, immò luci oppositum, si vertatur, intus splendere, propter lucis reflexionem, conspicitur. Hoc postremum Opali genus Asteriam aliqui nuncupant, & Itali Girasole propriè nominant. Nonius Senator Romanus, Opalum primi generis ad magnitudinem Auellanæ accedentem habuit, qui viginti mille aureos æstimatus fuit. Hæc autem de Gemmis, & cæteris lapidibus dicta sufficiant. Omittimus consultò multas alias gemmas à Plinio, Alberto, Euace, Anglico, & Ludouico Dulci memoratas, tum quia ita paucis notis descriptæ fuerunt, vt nemo in veram illarum cognitionem venire potuerit, tum etiam, quia earum nomina à Barbaris ita corrupta fuerunt, vt quis dubitare possit, num in rerum natura inueniantur.

F I N I S.

Laus Deo, D. S. V. & B. I.

INDEX RERVM,

& Verborum locupletiſsimus.

A

ACELDEMA quid 220. *e.*
Achates 904. *eius æquiuoca, ſynonima, etymum ibid. natura ibid. differẽtiæ* 905. *icones* 906. 908. 909. 911. 914. *locus* 912 *myſtica, & moralia* 912. *vſus in medicina ibid. vſus in varijs* 913.
Achates cum imagine Sancti Franciſci de Paula 907. *b.*
Achates Pyrrhi 907. *a.*
Achatis matrix 904. *b.*
Acus nauticæ conditiones 567. *c.*
Acus non erat apud Americanos 157. *a.*
Adamas 945. *d.*
Adamas niger 939. *d.*
Adamas cenchros 947 *b.*
Adamantis epitheta 946. *g.*
Adarces quibus morbis medeatur 214. *e. icon ibid.*
Ænobarbi vnde dicti 109. *d.*
Æs coronarium 105 *c.*
Æs corynthium figuratum 105.
Æs Dodoneum 114. *g.*
Æs decorum quid 113. *d.*
Æs hieroglyphicum perpetuitatis 124. *b.*
Æs marsianum, & cordubenſe 108. *b.*
Æs montanum quale 126. *b.*
Æs pyropum 105. *c.*
Æs cur ſaturnium dictum 113. *d.*
Æs ſignatum 119. *d.*
Æs veneri ſacrum 98. *g.*
Æris mineræ icon 100.
Æris miſtura varia 107. *d.*
Æris natiui icones 99. *d.*
Æris recrementi icon 14. *b.*
Æris æquiuoca 97. *c. ſynonima, etymum* 98. *f. natura ibid. differentiæ* 99. *c. recrementa* 105. *d. venenum, & medela* 106. *f. epitheta* 113. *præparatio* 107. *a. locus* 108. *e. denominata* 109 *d. problemata* 114. *e. adagia ibid. myſtica* 115. *a. miracula* 116. *a. moralia ibid. ſimulacra* 117. *a. vſus in medicina* 119. *vſus in monetis ibid. vſus in bello* 121. *vſus in varijs* 125.
Ærizula 902. *f.*
Ærugo 252 *c.*
Ærugo factitia triplex 106. *e.*
Ærugo cur viridis 114. *f.*
Æras aurea cur dicta 58. *e.*
Ætites 580. *eius æquiuoca, ſynonima, etymum ibid. natura* 581. *differentiæ ibid. Icones* 582. 583. 584. 585. 587 *Locus* 585. *Moralia* 588. *vſus in medicina ibid. vſus in varijs* 589.
Ætites terrenus 590. *f.*
Æther medicamentum 191. *a.*
Agallochites 500.
Agaricum aereum 211. *a.*
Ageratus lapis 689. *d.*
Alabaſtrum vox æquiuoca 748. *b.*
Album quid apud veteres 677. *a.*
Album hiſpaniæ quid 164. *g.*
Alchemiæ ars qualis 8. *f.*
Alcyonium 211. *d.*
Alcyonij icones 212. 213.
Alectoria gemma 906. *f.*
Alkali quid 300. *b.*
Altaria ex auro 68. *b.*
Alumen catinum 333. *c.* 300. *b.*
Alumen facis 333. *c.*
Alumen glaciale 334. *b.*
Alumen amenum 332. *c.*
Alumen plumæ 331. *d.*
Alumen rochæ 332. *f.*
Alumen rochæ uſtum 334. *b.*
Alumen ſcaiola 331. *a.* 680. *e.*
Alumen zuccharinum 333. *c.*
Aluminis etymum 328. *æquiuoca ibid. ſynonyma ibid. natura* 329. *differentiæ* 330. *locus* 333. *præparandi ratio* 334 *vſus in medicina* 335. *vſus in varijs* 335.
Aluminis icones 331. 332.
Alumine qui vtantur 336. *e.*
Ambra nigra 410. *e.*
Ambræ æquiuoca 430. *ſynonima, & etymum ibid. natura ibid. differentiæ* 432. *locus ibid.*
Ambuſtorum remedium 746. *g.*
Amentum 660. *b.*
Amethyſtus 966. *c. Icones* 967.
Amethyſtus factitius 967. *d.*
Amethyſti matrix 924. *c.*
Amianti æquiuoca 657. *ſynonima* 658. *etymum ibid. natura* 659. *locus* 660. *differentiæ ibid. moralia* 663. *miracula ibid. vſus in medicina ibid. vſus in varijs* 664. *icon* 661.
Ammochryſi æquiuoca 636. *b. ſynonima, & etymũ ib.*
Ammoſteos 627. *b.*
Ammites 632. *eius æquiuoca ibid. ſynonima, & etymum* 633. *natura ibid. differentiæ ibid. locus ibid. icones* 634. 635. *vſus in medicina* 636.
Ampelitis terra 260. *e.*

Ana-

INDEX.

Anacardites 511.
Anachites 946.e.
Anchora veterum qualis 436.g.
Androdamas 947.b.
Animalia auri amica 43.b.
Animalia ab auro denominata 51.a.
Animalia ab ære nominata 110.f.
Annulus aneus in pisce 125.b.
Anterota 967.c.
Anthrax 638.b.640.g.
Antimonium hyacinthinum quale 191.d.
Antimonium plumosum 188.f.
Antimonÿ butyrum 192.f.
Antimonÿ flores 192.b. Tinctura ibid. magisterium ibid. oleum ibid.
Antimonÿ vis cathartica 191.b.
Antimonÿ nomina græca 187.b.
Antimonÿ sal 192.c.
Antimonÿ sexus 189.a.
S. Antonius viso auro fugit 62.b.
Aphroselinus 680.b.
Aporexis 389.a.
Apyrometallum 29.b.38.f.
Aqua ferrum rodens 131.b.
Aqua Lamiæ quæ 808.b.
Aqua Nili vis 322.f.
Aquæ ad temperandum ferrum quales 138.c.
Aquæ vesicariæ quæ 153.d.
Aquilæ argenteæ 93.d.
Arbores quo artificio siccentur 204.g.
Arenæ figura 211.a.
Argentum felium 83.d.
Argentum trichites 77.78.
Argentum undecim legarum 95.b.
Argenti æquiuoca 72.b. synonima etymum 73.c. natura ib. differentiæ. 74.f. præparandi ratio 78.b. locus 79.c. denominata 82.e. epitheta 90.e. adagia 90.g. mystica 91.a. usus in medicina 94.e. moralia 92.g. miracula 93.c. simulacra ib. usus in monetis 94.b. usus in pictura 95.c. usus in bello 96.e. usus in varijs 96.g.
Argenti massa instar tabulæ 78.g.
Argenti puri natiui icon 76.e.
Argenti variæ icones 77.
Argentea fames 90.b.
Argentaria petrea 82.b.
Argentangina 90.g.
Argentina 82.b.
Argentina urbs 83.a.
Argentei triginta qui 95.a.
Argenti viui synonima, etymum 194. differentiæ 195. natura 196. locus 198. præparandi ratio 199. venenum ibid. historica 200. adagia 201. moralia ib. problemata 202. usus in medicina ib. usus in fucis, & ludicris 204. usus in varijs ibid.
Argenti viui operationes in corpore 202.g.
Argyraspides 82.f.
Argyrolithos 84.
Argyrammos 637.b.
Argyrippus 84.c.
Argyrochonchites 87.a.
Argyromelanos lapis 84.
Argillæ synonima 226. æquiuoca ibid. etymum ibidem differentiæ 227. natura ibid. denominatæ ibid. usus in vasis 231. usus in lucernis 234. usus in varijs 238.
Argilla Bonon. 228.c.
Ariadna 389.b.
Arienti villa Illustris. Paleotorum 83.b.
Arma ærea 121.c.
Arma ex auro fabricata 49.a.
Armatura quæ 625.d.
Armenÿ color 351.c. sapor ibid.
Arsenicum crystallinum 254.g.
Arsenici oleum 358.f.
Asbestus 658.f.
Asinus coronatus 90.b.
Aster samius 240.c.
Astrotes 879 873.a.
Atramentum scriptorium ex quibus constet 347.d.
Atramenta varia 356.g.
Aurea lamina pro ægrotis 66.b.
Aurenius lapis 636.b.
Aureus circulus quid notet 65.d.
Aurum coronarium 39.b.
Aurum in cranio humano 41.b.
Aurum cui adhæreat 45.c.
Aurum fulminatum quid 72.f.
Aurum miraculosum 63.d.
Aurum nobilitatis signum 65.d.
Aurum numen creditum 64.b.
Aurum potabile 67.d.
Aurum Tolosanum 49.d.
Auri æquiuoca 37.a. synonima, & etymum 37.d. differentiæ 38.g. icones mineræ 40.e. natura 41.c. antipathia 42.g. inueniendi ratio 43.d. locus 45.a. denominata 50.e. epitheta 58.e. mystica 60.f. moralia 61.c. miracula 63.c. historica 64.e. somnia 64.b. simulacra 65.b. usus in cibis 66.c. usus in medicina 66.g. usus in templis 68.e. usus in sacrificijs 68.e. usus in monetis 69.c. usus in pictura ibid. usus in vestibus 70.f. usus in operibus aurificum ib. usus in armis 71.d.
Auri cognoscendi modus 44.b.
Auri colligendi modus 44.e.
Auri oleum 67.d.
Auripigmenti etymum 353. synonima ibid. differentiæ ibid. natura 355. venenum ibid. moralia 356. usus in medicina 357. usus in varijs 358.

INDEX.

B

Balneum porectanum quale 308.b.
Balnea sulphurea 372.e.
Basaltes 750.e.779.b.
Baurach quid 326.b.
Batrachites 811.a.
Batrachites herba 811.b.
Batrachitarum iconis 813.814.815.
Belemnites 618.eius æquiuoca ibidem, synonima 619. etymum ibid. natura ibid. differentiæ 620. icones 621. locus 622. vsus in medicina 623.
Berith herba quæ 325.d.
Beta argentea 93.d.
Betula ad quid 385.a.
Belliculi 800.e.
Beryllorum natura 952. icones 953.954.
Bezaar albus 806.f.807.
Bezaar simiorum 806.h.
Bezaaris synonima 801. etymum ibid. ortus ibid. natura ibidem, differentiæ 802. locus ibid. icones 803. 804.805.807. adulteratio 806. vsus in medicina 808.
Bietta vnde dicta 607.c.
Bisemutum 161.b.
Bitumen instar carbonis 381.c.
Bitumen ad ædificia 388.e.
Bitumen in medicinis internis 386.h.
Bitumen rubrum 381.d.
Bituminis æquiuoca 377. synonima 378. etymum ibid. natura 379. differentiæ 380. locus ibid. 398. præparandi, & colligendi ratio 383. antipathia, & sympathia 384. denominata ibid. vsus 398.
Bolus quid 269.c.
Boli varij 271.a.b.c.
Borea gemma 902.f.
Boriza herba 44.f.
Bostrichites 571.b.658.f.
Botrax, & Borax 811.c.
Brathites 443.
Brixiæ laudes 139.c.
Brontias lapis 613.d.
Bucardites 479.480.
Buccaferreorum mentio 141.c.
Bufones in lapidibus nati 723.a.
Bufonites 810.

C

Cadauera nosocomij condita qualia 400.h.
Cadauerum condiendorum ratio 401.b.
Cadmia 256.f.
Cælatores qui primi 774.c.
Cærulei etymum 349.c. æquiuoca ibid. synonima ibid. differentiæ 350. locus ibid. vsus 351.
Calcis præparandæ ratio 745.c.
Calculi vesicæ humanæ 785.786.787.789.
Cambil quid 258.e.
Cameus quid 916.f.
Campanarum vsus quando inuentus 123.d.
Cencriformis lapis 460.
Caphuræ æquiuoca 425. synonima, etymum ibid. natura ibid. differentiæ 428. temperamentum 427. locus 428. denominata ibid. moralia 429. vsus in medicina, & in alijs ibid.
Carbones terreni 262.g.
Carbunculi historia 957. icones 960.
Carcinites 459.
Caritoblepharon 404.g.
Cassiterides insulæ 181.b.183.c.
Castanites 510.
Caules lapidei 854.855.
Cauterium excitantia 346.e.
Celmis quis 148.e.
Cephalalgiæ remedium 403.b.
Cæranites lapis 619.b.
Ceracathes 905.b.
Ceraites lapis 601.d.
Ceratites 630.f.
Ceraunie æquiuoca 606. synonima 607. etymum ibid. descriptio ibid. natura 608. differentiæ 609. icones 609.611. moralia 612. vsus in varijs 612.
Cerussa venenum 164.h.
Cerussa vsta quid præstet 176.h.
Cerussæ etymum 164.g. differentiæ ibid.
Cerussæ virus 175.a.
Cespes fossitius 261.c.
Chalcanthum cur dicatur vitriolum 337.a.
Chalcanthum factitium 339.a.
Chalcanthi æquiuoca 356. synonima ibid. etym. ibid. natura 337. differentiæ 338. locus 342. præparandi ratio ibid. venenum, & medela 343. vsus in medicina 344. vsus in varijs 347.
Chalcanthi spiritus 346.g.
Chalybs vox æquiuoca 130.e.
Chalybs fluuius 130.g.
Chalybis denominata 147.b.
Chalybis extractum 154.h.
Chalybis præparatio 154.g.
Chalybis spuma 154.h.
Chalybis tinctura 154.g.
Chelidonius lapis 791.b.
Chelonites 613. eius æquiuoca 613. synonima ibidem, etymum ibid. descriptio 615. differentiæ ibid. locus 618. natura ibid. vis, & vsus ibid.
Chirites 481.
Chloritis plin. 900.f.
Christus petræ assimilatur 538.e.
Chrysocolla 273.d.
Chrysocollæ etym. 349.g. differentiæ ibid. vsus ibia.
Chrysomelites 52.f.
Chrysammonites 54.55.56.

INDEX.

Chrisoprasus 900.*e.*
Chrisopterus 898.*g.*
Chrysopola herba 708.*h.*
Chrysos nomen proprium viri 37.*c.*
Chymicorum opinio circa casus metallorum 5.*d.*
Cimices ferri amicæ 132.*g.*
Cimoliæ synonima 235.*etymum ibid. natura ibidem differentiæ ibid. vsus* 246.
Cinnabaris Dioſc. 637.*d.*
Cinnabaris artificialis ratio 642.*h.*
Claui ex ære 19.*a.*
Cochlites 470.471.
Collyrion quid 240.*e.*
Concha argentea 89.
Conchites 465 466.469.
Conuoluoli 260 *f.*
Coralium asperum 288.*b.*
Coralium aduersus tempestates 290.*e.*
Coralium cui sacrum 297.*a.*
Coralium album officinarum 288.*b.*
Coralij synonima 284.*etymum ibid. generatio* 285. *natura* 286.*locus ibid. differentiæ* 287.*præparandi ratio* 294.*denominata* 295.*moralia ibid. vsus in medicina* 296.*vsus in varijs* 297.
Coralij variæ icones 287.288.289.290.291.292. 293.
Coralij nctura 296.*b.*
Coralio vt color restituatur 294.*b.*
Coralinæ etymum 295.*b.*
Corneolus 923.*b.*
Corneolarum icones 925.
Cornelina 923.*c.*
Coronæ aureæ vsus 71.*b.*
Cornu Ammonis 625.*d.*
Cornua fossilia 630.*b.*632.*g.*
Coryli facultas 20.*g.*
Cotis æquinoca 718.*synonima ibid. differentiæ ibid. denominata* 720.*prodigia ibid. adagia ibid. vsus in medicina* 721.*vsus in varijs ibid.*
Crater ex Iaspide 893.*d.*
Cremor Tartari 817.*a.*
Creta insula vnde dicta 241.*d.*
Creta cimolia 245.*a.*
Cretæ æquinoca 241.*synonima ibid. etymum ibidem, locus* 242.*denominata ibid. differentiæ ibid. vsus* 243.
Cretæ eretriæ etymum 249. *descriptio ibid. differentiæ ibid. vsus ibid.*
Cretæ selinusiæ etymum 248.*æquinoca ibid. vsus ibidem descriptio ibid.*
Crocus Martis 154.*b.*
Crocus Martis quomodo paretur 347.*c.*
Crurum vitia vbi sanentur. 695.*d.*
Crystallum dendrites 936.*b.*
Crystalli æquinoca 934.*synonima ibid. etymum ibid. differentiæ* 935.*icones* 936.937.938. 939. *locus* 943.*mystica, & moralia ibid. vsus in medicino* 944.*vsus in varijs* 945.
Cucurbites 504
Cultellus pro circumcisione 137.*a.*
Cultri lapidei indici icon 156. 157.
Cupella quid 179.*d.*
Cuperola 328.*b.*343.*a.*
Cyani æquiuocatio 349.*c.*
Cygni purpura 379.*d.*

D

Dactylites 310.
Dactyliurgus 1.*e.*
Dæmonis stercus 382.*f.*
Dea prolis quæ 299.*d.*
Dentes anus apud Genuenses 291.*d.*
Dentes lapidei 827. 828.829.830. 831.
Dentitionis remedium 667.*c.*290.*g.*
Diahyacintum est electuarium 965.
Diambra quid. 433.*c.*
Diorchites 485.486.495.
Diphriges quid. 14.*b.*
Discus Solis quid 195.*d.*
Distillandi modus nouus 36.*e.*
Doctor nullius ætis 115.*a.*
Dolor capitis vt tollatur 175.*a.*
Draconitia lapis 873.*b.*

E

Ebenus quid 289.*d.*
Echinitum icones 455.456.457.458.
Elector nomen Solis 404.*f.*
Electrum 403.*d.*
Eloquentia quotuplex 117.*b.*
Encephalites 477.
Enhydros 592.*eius æquiuoca ibid. synonima ibid. etymum ibid. natura ibid. moralia* 593.*vsus in medicina ibid.*
Enorchis, & orchis 597.*c.*
Enolleos 626 *b.*627.*a.*
Entalium 660.*b.*
Entrochos 624 *f.*
Epilepsiæ remedium 290. *g.* 588. *g.* 684.*f.* 714.*b.* 809. *b.* 815.*d.*
Erectum quid 232.*e.*
Exilium testulatum 596.*f.*

F

Faba Marina 800.*e.*
Febris quartanæ remedium 318.*b.*
Febrium malignarum remedium 809.*a.*
Febrius lapis 546.*b.*
Fel Draconis quid 195.*a.*

Fer-

Ferramenta prodigiosa 151.a.
Ferrum manibus torquetur 131.c.
Ferrum liquidum vbi 150.g.
Ferrum Insula 129.d.
Ferrum conuersum in magnetem 134.e.
Ferrum habet vim purgandi 153.d.
Ferrum vbi renascatur 140.f.
Ferrum molle redditur 138.f.
Ferri dignoscendi modus 132.h.
Ferri lanugo qualis 131.a.
Ferri æquiuoca 129.d. *synonima* 130. *etymum ibid. natura ibid. sympathia* 132.e. *venenum, & medela* 133. *differentiæ ibid. temperandi ratio* 137. *locus* 139.b. *denominata* 141.c. *epitheta* 147. *adagia ibid. mystica* 148.g. *moralia* 149.a. *miracula* 150. *prodigia ibid. problemata* 152. *simulacra* 153. *vsus in medicina* 153.d. *vsus in supplicijs* 155. *vsus in bello ibidem. vsus in instrumentis* 156.e.
Ferretum hispaniæ quid 142.f.
Ferrugo qua 352.h.
Ferrugo venenata 133.a.
Fidicula quid 129.c.
Figuræ in marmore à natura factæ 756.757. *vsque ad pagina* 769.
Filum secans ferrum 142.e.
Flos petræ 659.b.
Fluuij salem ducentes 307.a.
Flumina argentifera 79.d.
Flumina aurifera 47.b.
Fluoris nomenclatura 927. *etymum ibid. differentiæ ibid. icones* 927.928.929.930.931.932.933. *vsus ibid.*
Fluores ex minera ferri 135.d.
Fœtoris pedum remedium 154.f.
Forella piscis 39.a.
Fossilia quæ 1.d.
Fossilium differentiæ compositæ 9.b.
Fucorum mos antiquus 178.g.
Fulminis vis 608.g.
Fungites 491. 494. 495. 496.
Funus conditum quid 396.g.

G

Agates 418. *synonima ibid. etymum ibid. natura ibid. differentiæ* 419. *icones* 420.
Galactites 665. *æquiuoca ibid. synonima, & etymum ibid. natura* 666. *differentiæ ibid. locus* 667. *vsus in medicina ibid.*
Galena qualis 182.g.
Gallicæ luis remedium 644.e.
Gemma Neroniana quæ 974.e.
Gemma sacra 971.d.
Geodes 590. *synonima, etymum* 590. *natura ibid. differentiæ ibid. locus ibid. Icones* 591. *vsus in medicina* 592.
Germania metallis plena 25.d.
Gingiuarum remedium 654.g.
Glacani mentio 49.d.
Glacies Mariæ 678.h.
Gladius damaschinatus quomodo fiat 155.c.
Gladius plumbeus 171.d.
Glesum quid 404.h.
Glossopetra 600.g. *eius icones* 602.603.604.605. *locus* 606. *vsus in medicina ibid.*
Glossopetra parua 601.c.
Gluten pro lapidibus 159.c.
Gorab salicis species 325.a.
Græcula herba 349.d.
Gryphium fabula 974.f.
Gummi cupri 337.b.
Gypsum 673. *eius synonima, etymum ibid. natura ib. differentiæ ibid. locus* 674. *temperamentum ibid. venenum, & medela* 675. *denominata ibid. vsus in medicina* 676. *vsus in varijs ibid.*
Gypsum factitium 674.h.
Cypsiflos 674.e.
Gypsophyson herba 276.e.

H

Hæmachates 905.b.
Hæmatites 646. *æquiuoca ibid. synonima, etymum ibid. natura* 647. *adulteratio ibid. differentiæ* 648. *icones* 649.650. *locus* 651. *denominata ibid. moralia ib. vsus in medicina* 652. *vsus in varijs* 653.
Hæmatinus lapis 651.c.
Hæmorrhagiæ remedium 403.c.
Hæmorrhoidum medela 684.g.
Halenses fontes 307.c.
Helcysma quid 14.g.
Heliotropium 895. *icones* 896.
Herba lumbricorum 809.b.
Herba medica 389.a.
Herba seminalis 335.a.
Herba vitri quæ 27.d.
Herbæ ab ære nominatæ 110.f.
Herbæ ab auro denominatæ 51.b.
Herbæ auri amicæ quæ 43.b.
Herbæ indices metallorum 20.e.
Herbæ lapideæ 848.& 5.
Herniæ curatio 566.g. 589.b.
Hieracites 489.
Hieracitis icones 445.
Hieroglyphica in marmore 778.
Hispanæ mulieres quales 193.d.
Holitha herba 377.a.
Homines de lapide empti 552.f.
Hoplites 625. *eius æquiuoca ibid. synonima, & etymum ibid. differentia* 626. *vsus ibid.*
Humilitas comparatur Magneti 565.c.

INDEX.

Humus cur dicitur 207.b.
Hyalurgi sale viuntur 320.b.
Hyacinthi vires 965.
Hyacinthus Veterum 963.
Hydrargyri secundæ qualitates 197.b.
Hydrargyrum quarum virtutum symbolum 202.f.
Hydrargyri vnctio 203.b.
Hydrargyri vnguinis dosis 203.c.
Hydrophobia quomodo arceatur 387.a.
Hydropis remedium 210.b.
Hypocrita assimilatur argento 92.g.
Hysterolithos 597.d.

I

Iaspachates 891.a.
Iaspidis synonima 884.*natura ibi. differentiæ* 885. *icones* 886. 887.*usq; ad* 890. *locus* 891.*simulandi ratio ibid.mystica ibid.moralia* 892.*vsus in medicina* 892.*vsus in varijs* 893.
Iaspony x 891.a.
Idolum Isidis 540.b.
Idola varia 118.541.542.544.
Ignis cælestis alimentum 380.g.
Ignis perpetui fomes 348.f.
Incendium syluarum detegit metalla 21.e.
Indicum coloris genus 248.b.
Ilua Insula 26.e.
Insigne nobilitatis apud antiquos 70.g.
Insignia gentilitia 32.b.
Insula Molybdoides 171.a.
Interuenium quid 24.e.
Iouis simulacra varia 117.c.
Iris vox æquiuoca 934.f.
Iridis differentiæ 936.e.
Iridis icones 940.941.
Iter terrestre regitur à magnete 569.b.
Iliada 706.e.
Islebianus lapis qualis 452.f.
Iuuentutis conseruatio 809.c.
Iustitiæ icon qualis 65.c.

L

Lac Lunæ 666.g.
Lacrymatorium vas 233.d.
Laganites 517.
Lapidati & occasione lapidum mortui 533.a.
Lapidescentium ratio 818.
Lapilli asellorum piscium 145.b.
Lapis æreus qualis 107.b.
Lapis æternus 549.d.
Lapis Alabandicus 709.b.
Lapis Aldebergius 709.a.
Lapis arabicus 691.*eius icon ibid.*
Lapis arenarius 724.e.
Lapis armenus 712.f.
Lapis Asellorum 795.d.
Lapis asininus 795.
Lapis Aurata 796.e.
Lapis calcarius 745.b.
Lapis carpioni 795.d.
Lapis cerebri 782.
Lapis comensis 715.d.
Lapis corninus 619.b.
Lapis coruulæ piscis 796.
Lapis Crucifer 880. *synonima ibidem, locus ibidem, differentiæ* 881. *vsus in medicina ibidem, icones ibid.*
Lapis Dentalis piscis 796.
Lapis errantium 552.g.
Lapis fellis bouis 792.b.
Lapis fungifer 623.c.
Lapis heraclius 554.g.
Lapis Ichtyomorphos 102. 103.
Lapis illuminabilis 688.f.
Lapis indicus 706.e
Lapis intestini equorum 792.793.
Lapis iudaicus 711.a.*icones ibid.*
Lapis lactarius 665.d.
Lapis lazuli 870.g.*synonima etymum ibid.differentiæ & vsus* 871.*vsus in pictura* 872.
Lapis lethæus 665.d.
Lapis limacis hortensis 799.
Lapis luminis 571.b.
Lapis lyncis 708.f.
Lapis manati 797.c.
Lapis manalis qualis 539.g.
Lapis memnonis 530.f.
Lapis minij 637.d.*synonima* 638.*natura* 639.
Lapis mintaceus cum marmore 641.a.
Lapis molaris 721.d.
Lapis molaris cur pretiosus 723.d.
Lapis nephriticus 706.e.
Lapis obsidianus 709.d.
Lapis pauonius 900.b.
Lapis philosophicus 435.d.
Lapis pholadis 717.b.
Lapis phrygius quali 689.b.
Lapis piscium 795.d.
Lapis plumbarius 167.c.
Lapis prægnans 580.d.
Lapis renalis sardicus 598.*icon* 599.600.
Lapis sabulosus 627.d.
Lapis sabuli 645.
Lapis sagittarius apud Romanos 634.
Lapis samius qualis 239.c.712.e.
Lapis sulphuris 636.
Lapis suis 794.
Lapis Tiburonum 797.c.

Lapis in tumore 782.
Lapis Tyrrhenus 696.g.
Lapis vmbræ piscis 796.
Lapis vulcani 696.h.
Lapidis æquinoca 435.*synonima* 437.*ortus ibid. natura* 441.*differentiæ* 442.*symbola* 529.*historica ibid. mythologica* 530.*somnia* 531.*miracula* 532.*mystica* 535.*moralia* 537.*vsus in simulacris* 539.*vsus in supplicijs* 545.*vsus in ludis* 546.*vsus in medicina ibid. vsus in agris* 547.*vsus in ædificijs* 549. *vsus in varijs* 551.*prodigia* 528.
Lapidis Asij æquinoca 692.*synonima ib. natura* 693. *differentiæ ibid. icones* 694. *locus* 695. *vsus* 695. 696.
Lapidis Islebiani icon 101.
Lapidis variolati nomenclatura 882. *differentiæ, & vsus ibid icones* 883.
Lapides amicti auri qui 43.a.
Lapides in animalibus geniti 779.d. *generatio* 780. *differentiæ* 781.*icones* 782.783.*vsq. ad* 780.
Lapides articulorum 788.f.
Lapides auium 788.h.
Lapides ab auro nominati 53.a.b.
Lapides cancrorum 798.
Lapides erodentes 441.d.
Lapides hepatis 783.
Lapides intestinorum 789.
Lapides nudi limacis 799.
Lapides pulmonis 783.
Lapides serpentum 795.d.
Lapides stomachi 781.d.
Lapides vesicæ fellis 783.784.785.
Lapides vulnerum 788.g.
Lapidum variæ icones 446.447.
Lapidum margam continẽtiam icones 223.224.225.
Larix antiquorum 659.c.
Laruæ indicæ icon 550.
Laternæ laconicæ 687.d.
Latumiæ 545.d.
Lauagna quid 444.c.
Lauri virtus 612.f.
Lectus ferreus 157.d.
Leonachates 905.b.
Lepræ remedium 67.c.
Leucachates 905.b.
Lienis remedium 153.d.
Lignum pro vomere 157.a.
Ligna lapidea 859.& 607.a.
Limæ temperatio 138.g.
Linum asbestinum 658.f.
Linum carpasium linum viuum 658.f.
Linum carystium 658.f.
Lippitudinis remedium 326.f.
Liquor æternus chymicorum 197.d.
Lithargyrij etymum, differentiæ, & icon 18.e.f.g.
Lithiasis remedia 625.b.948.g.
Lithophtalmites 478.
Lithostrota ex quibus fiant 771.c.
Litteræ coloris metallici 36.b.
Litteræ vt delineantur 178.c.
Loca metallifera 24.f.g.h.
Lorica quomodo tergatur 654.h.
Lucernarum antiquarum icon 234.235.236.237.
Lucenses de campis 882.g.
Luna vrbs 27.a.
Lupi spuma 182.h.
Luridi coloris etymum 354.f.
Lutum diuinum 263.b.
Lychnis vox æquinoca 530.c.
Lychnites marmor 748.h.
Lynceus cur acutæ visionis 22.h.
Lyncurium 405.d.
Lyncurij icon 622.

M

Magnes 553.*æquinoca ibid. synonima* 554.*etymum ibid. natura* 555.*sympathia, & antipathia* 556. *inuentio* 558. *trahendi ratio ibid. differentia* 560. *icones* 561. *locus* 562.*venenum* 563. *historica* 564. *adagia ibid. moralia* 565. *vsus in medicina* 566. *vsus in re nautica* 567. *vsus in iudicris* 568.*vsus in varijs* 569.
Magnes argenteus 83.c.
Magnes in mineris ferri 152.h.
Magnes vbi perfectus 563.a.
Magnetis conseruandi ratio 557.b.
Magnetis virtus penetrat 556.g.
Magnetidis nomen quid 685.d.
Malachitis mater 901.c.
Malleus campanæ aureus 69.a.
Malleus ferreus in martyrio 155.a.
Maltha quid 242.f.
Mamarum tumoris remedium 721.a.
Manna lanea 211.c.
Marchasita argentea 182.g.
Margæ synonima 221.c.*etymum ibid. differentiæ ibid. locus, & vsus* 226.
Marmor in quibus morbis adhibeatur 773.b.
Marmor anthropomorphites 755.a.
Marmor Cynites 761.
Marmor dendrites 767.769.
Marmor factitium Bononiense 771.d.
Marmor granitum 750.g.
Marmor Lacedemonium 750.f.
Marmor mouetur in aceto 747.d.
Marmor nautilites 764.
Marmor pediculosum 750.h.
Marmor polymorphites 766.
Marmor scombriforme 764.
Marmoris æquinoca 746.*etymum ibid. natura* 747. *differentiæ* 748.*icones* 749.750.751.753.754. 755.

755. 756. vsq; ad pag. 769. locus 770. Epitheta 771. denominata ibid. moralia ibid. vsus in medicina 773. vsus in ædificijs ib. Vsus in simulacris 774. vsus in varijs 779.
Marmoris simulatio 744. b. 770. b.
Marmora insula 746. h.
Marmora nigra 749. d.
Marmoraria herba 772. g.
Masatius lapis 792. b.
Mastichis regio 247. c.
Medaglia vnde dicta 29. b.
Medus lapis 648. f.
Melanteria quid 341. d.
Mellitites 668. f.
Melopeponites 505. 506. 507.
Memphites lapis 707. b.
Mercurius chymistarum 195. a.
Mercurij quot fuerint 22. c.
Metallica materia in nubibus 23. b.
Metallicorum instrumenta 12. f.
Metallophyton 29. b.
Metallurgus quis 29. a.
Metallum lapideum 10. c.
Metallum renascitur 4. b.
Metallorum mistura 2. g. æquiuoca, synonima 2. b. definitio, & forma 3. c. Generatio 4. g. differentiæ 8. g. natura, & propriet. 10. g. sympathia, & antipathia 11. d. præparatio 12. g. mistura 13. a. locus 23. a. denominata 28. c. epitheta 29. c. mystica, & moralia 29. d. somnia 31. c. Historica 32. c. simulacra 32. g. vsus in medicina 33. a. vsus in supplicijs 34. g. vsus in monetis 34. h.
Metalla Italiæ cur non eruantur 26. b.
Metalla mixta qualia 9. a.
Metalla sata 4. g.
Metalla viliora 13. d.
Metalla vbi rubiginem non contrahant 11. c.
Metallorum generatio artificiosa 7. c.
Metallorum nomina iuxta astrologos 3. b.
Metallorum odor canibus noxius 12. f.
Metallorum odor, & sapor 10. b.
Metallorum oleum 36. f.
Metallorum species 9. d.
Metallorum sperma 194. b.
Metallorum separandorum ratio 12. b.
Metallis ditati qui 22. f.
Milliaria lapidibus distincta 549. c.
Minera hydrargyri delata Romam 198. g.
Minera Iluensis qualis 134. f.
Mineræ etymum 2. f.
Mineralia media quæ 8. b.
Minerua cur armata 148. g.
Minium verum 641. a.
Minij adulteratio 639. d.
Minij inuentor quis 640. b.
Mola est vox æquiuoca 721. d.
Mola piscis 905. d.
Molæ argenteæ 97. a.
Molochinarij 900. h.
Molochites 900. h.
Molybdena quid 18. h.
Molybditis quid 166. h.
Moneta ex sale vbi 320. c.
Monetæ etymum 35. a.
Monetæ cudendæ modus 35. c.
Monetarum icones variæ 120.
Mons salis vbi 307. b.
Mons totus ex ferro 139. d.
Montium colores 19. d.
Morochthus 668. h.
Motus perpetuus datur 556. h.
Mulieres vstries quæ 261. c.
Mumia quid 378. c.
Mumia Arabum non est mumia vulgi 397. b.
Mumia officinarum 400. f. vulgi 401. d.
Mumiæ differentia 396. f. g.
Mumiæ æquiuocæ 399. synonima ibid. natura 400. differentiæ 401. locus 402. moralia ibid. vsus in medicina 403.
Muricites 471.
Murium venenum 358. g.
Muscæ ferreæ 153. b.
Myenis lapis 811. b.
Myites 470.
Mysy tuberum genus 341. b.

N

Nabucdonosoris statua 30. h.
Naphtha montis Zibij 390. c.
Naphthæ æquiuocæ 388. synonima ibid. natura 389. differētiæ 391. locus ibid. mystica, & moralia 394. vsus in medicina 395.
Narcissus totus albus 82. g.
Nesus plumbeus 174. g.
Nebrites 905. b.
Nectar quid 230. f.
Nephritidis remedia 707. a.
Nicolus quid 916. f.
Nitrum factitium 323. c.
Nitrum virginale quid 323. c.
Nitri synonima 321. a. etymum ibid. natura ibid. generatio 322. differentiæ ibid. locus 324. præparandi ratio ibid. denominata 325. mystica, & moralia 325. vsus in medicina 326. vsus in esculentis ibi. vsus in varijs 327.
Nitri spuma 323. c.
Nola cur dicatur campana 123. d.
Nomina propria ab auro 50. c.
Numerus aureus cur sic dictus 57. d.
Nummus diaboli 120. g.
Nummus plumbeus 171. d.

Nummi etymum 35.a.
Nummi ex ferro 159.b.

O

Obelisci ex quo marmore 748.f.
Ochra synonima 254.*etymum ibid. natura, & locus ibid. differentiæ ibidem, vsus* 255.
Oculorum morbi vbi sanentur 119.b.
Oculos ferreos habere quid 148.g.
Ollaria quid 232.c.
Oleum ex Gagate 423.d.
Oleum ad hæmorrhoides 174.f.
Oleum Lunæ 94.f.
Oleum Medeæ 890.c.
Oleum philosophorum 389.b.
Oleum sapphiri 972.a.
Oleum ex sale communi 320.f.
Oleum saxi 389.b.
Oleum siculum 389.b.
Oleum sulphuris 369.c.
Oleum Talci 687.d.
Oleum tartari 817.b.
Oleum viuum 389.b.
Oleum vitrioli 346.b.
Olla fossilis 596.c.
Ombrias lapis 613.d.
Onyx 915.*synon. etymum ibid. natura* 916. *differentiæ ibidem icones* 918.919.920.922.
Onyx herba 915.d.
Onyx marmor 915.b.
Onyx morbus 915.c.
Onyx vas 915.b.
Opalus 978.
Ophiaglossum 600.g.
Ophiomorphites 450.
Orchites 482.483.
Organa ænea 123.c.
Orichalci æquiuoca, synonima, & etymum 126.f. *natura* 127.a. *differentiæ ibid. locus ibid. præparandi ratio ibid. moralia* 128.f. *vsus in varijs* 129.a.
Oripendulus 706.f.
Orobias 635.
Ossifragus lapis 627.b.
Ostracites 462.463.
Ostracitis æquiuoca 594.*synonima* 596. *etymum ibid. natura ibid. differentiæ ibid. locus ibid. vsus in medicina* 597.
Ostracon 596.f.
Ostracomorphos lapis 464.
Osteocollus herba 626.h.
Osteocollus lapis 626. *eius æquiuoca ib. synonima* 627. *etymum ibid. differentiæ ibid. locus ibid. vsus in medicina* 630. *icones* 628.629.
Osteolithos 627.b.

P

Pederota 967.c.
Palea lapidea 856.
Panis Dæmonum 515.
Panterachates 905.b.
Paretonium quid 250. *eius etymum ibid. generatio ib. differentiæ ibid. vsus ibid. icones* 251.
Patientiæ symbolum 651.d.
Pauli Aldrouandi operationes chymicæ circa antimonium 192.g.
Pauonaceæ structura 549.d.
Pauperes plumbo similes 172.g.
Pectinites 474.
Pedes gypsati 677.b.
Penna marina 214.f. *icon ibid.*
Pentaphillites .490.498
Perdicites 489.
Pernionum remedia 326.f.
Peru abundat plumbo 166.h.
Pestis remedium 344.g 596.965.c.978.g.
Petra romana 666.c.
Petra scelerata quæ 545.c.
Petra serena 444.f.
Petra stellaris 873.b.
Petrificatorum icones 823.824.825. *vsq; ad paginam* 868.
Petroleum 377.d.
Petroleum vires 375.c.
Phasachates 905.b.
Phialites 519.
Philargyria 82.g.
Phrygius lapis 684.f.
Picibitumen 397.d.
Pigmentum apianum 244.b.
Pileus plumbeus 178.g.
Pisolithos 635.
Pissasphaltum 397.d. 339.a.
Pituita gypsea 676.c.
Plumbago 167.a.
Plumbum auribus infusum 175.c.
Plumbeæ glandis icones 176.
Plumbei tubi aa loquendum 180.g.
Plumbi æquiuoca 160.c. *synonima, & etymum ibidem, differentiæ ibid. natura* 161.d. *sympathia* 164.c. *recrementa ibid. venenum, & medela, ibid. præparandi ratio* 165.d. *locus* 166 f. *denominata ibidem Epitheta* 171. *adagia ibid. mystica* 172. *problemata* 173. *simulacra ibid. vsus in medicina* 174. *vsus in supplicijs* 175. *vsus in bello ibid. vsus in coloribus* 176.h. *vsus in fucis* 178. *vsus in varijs ibid.*
Plumbi adurendi modus 174.g.
Plumbi cinis ad quid 180.c.
Plumbi flos quales 161.c.
Plumbi fumus auro inimicus 42.g.
Plumbi odor qualis 163.d.

Plumbi mineræ icones 162.
Plumbi pondus augetur 173.*b*.
Plumbi quarta ſpecies 189.*c*.
Plumbi ſcoria 33.*d*.
Plumbi ſpuma quæ 164.*f*.
Podagræ remedium 693.*a*.
Polia 658.*f*.
Polygonum argenteum 82.*b*.
Ponpholygis etymum 16.9.
Pontica gemma 875.876.
Populi corticis vis 623.*c*.
Porcellanici vaſis etymam 230.*e*.*icon* 231.
Porcellete quæ 921.*b*.
Portæ æreæ vbi 122.*b*.
Præcipitati etymum 203.*d*.
Prædia adærata quæ 113.*a*.
Præſepe æreum vbi 124.*b*.
Præſepia argentea vbi 96.*b*.
Praſius 897.*icones* 899.
Praſoides 900.*f*.
Prudentiæ ſymbolum 618.*g*.
Pſeudoadamas 936.*f*.
Pſeudoargyrum 74.*f*.
Pſeudoaſtroites 879.
Pſeudocoralia 290.*b*.
Pſeudomagnes Plinij 562.*g*.
Pſilothrum vulgare 357.*c*.261.*b*.
Pſetites 453.
Pterigophoron 404.*g*.
Puccinelly Abbatis mentio 882.*g*.
Pulmonum balſamum 374.*f*.
Puluis pyrius ex quibus conſtet 376.*g*.
Puluis ſcriptorius 637.*c*.
Pumicis natura 697.*differentiæ ibid.locus* 698.*denominata ibid.epitheta* 701.*vſus in medicina ibidem vſus in varijs* 702.
Purgans inſtar antimonij 901.*d*.
Purpuræ ſplendor qualis 379.*a*.
Purpurina quid 185.*b*.626.*c*.
Purpurinæ compoſitio 205.*a*.
Puteolanus puluis 220.*c*.
Pyrites 570. *æquiuoca ibid. ſynonima, etymum* 571. *natura ibid.differẽtiæ* 572.*Icones* 573.574.575.576.577.*locus* 578.*moralia ibid. vſus in medicina* 579.*vſus in varys ibid.*
Pyrites æroſus 111.*a*.
Pyrites herba 570.*b*.
Pyrites ſterilis 572.*f*.
Pyrites viuus 572.*g*.
Pyritis vſtio 579.*a*.
Pyritæ quid indicent 19.*d*.
Pyrimachus lapis 11.*d*.
Pyrobolus lapis 571.*c*.

R

Ramina quid ſit 15.*b*.
Raphanus aureus 68.*g*.
Reſina cur cum ſtanno 184.*h*.
Retia pro auro 43.*d*.
Rhombites 454.
Riſagallum quid 354.*b*.
Roſa gratiæ ſymbolum 970.*f*.
Rubigo vox æquiuoca 142.*f*.
Rubigo plumbi qualis 181.*d*.
Rubinus quid 957.*d*.
Rubrica, & ochra qualis 255.
Rubricæ æquiuoca 257.*ſynonimæ ibid.etymum ibidem natura, & locus ibid.differentiæ* 258.*e*.*vſus ibid.*
Ruſma quid 29.*b*.159.*c*.
Ryncolithos 602.

S

Sabinites 443.
Sacrium quid 404.*b*.
Sagda quid 924.*f*.
Sal cur dictus diuinus 308.*d*.
Sal Armeniacus 323.*d*.
Sal atticus 306.*f*.
Sal ferri 154.*f*.
Sal indus 298.*b*.
Sal Iouis quid 185.*a*.
Sal naphticus 301.*d*.
Sal odoris violacei 308.*b*.
Sal petræ 324.*e*.
Sal ſitim cohibet 33.*b*.
Sal tartari 817.*c*.
Sal vino permiſtus 317.*b*.
Salis æquiuoca 298.*ſynonima ibid.etymum ibid.natura* 299.*generatio* 300.*differentiæ* 301.*electio* 306 *locus ibid.epitheta* 308.*denominata* 309. *adagia* 310. *myſtica, & ſymbolica* 311.*moralia ibidem, auguria, & ſomnia* 312.*hiſtorica* 313.*miracula ibid.vſus in ſacris* 314.*vſus in ſupplicijs* 316.*vſus in cibis ibid.vſus in medicina* 317.*vſus apud Agricolas* 319.*vſus in varijs* 320.
Salis nitri conficiendi ratio 325.*b*.
Salis gemmæ vis 318.*e*.
Salis icones 302.303.304.
Salis inſula 306.*d*.
Salis locus in menſa 316.*g*.
Salis operationes chymicæ 318.*h*.
Salis ſpumæ differentiæ 305.
Salis vis in cibis 316.*h*.
Sales myſtici 298.*g*.
Sales nigri 298.*g*.
Salarium cur dicatur merces 309.*b*.
Salaria via vbi 309.*d*.
Saliares menſæ 309.*c*.

INDEX.

Salamandræ pluma 658. *h.*
Saldatura quæ 13. *d.*
Salgama quid 309. *b.*
Salsola herba 309. *c.*
Samiæ terræ etymum 239. *locus ibid. natura ibid. denominata ibid. differentiæ* 240. *vsus in varijs ibid.*
Samiare quid 239. *d.*
Samiarij qui 239. *d.*
Samius aller 685. *d.*
Sanctorum fortitudo 31. *b.*
Sandalites 501.
Sandarachæ æquiuoca 359. *synonima ibid. etymum ib. natura* 260. *differētiæ ibid. locus ibid. vsus in medicina* 26. *vsus in varijs ibid.*
Sandarachatum quid 360. *c.*
Sandyx quid 641. *d.*
Sanguinis hircini vis 948. *g.*
Sapphirus 971.
Sapphiri oleum 973. *a.*
Saponaria terra 45. *b.*
Sarcophagus lapis 692. *g.*
Sarda matrix amethysti 966. *b.*
Sardius lapis 923. *b.*
Saturnus chymicorum 160. *g.*
Saxum balani 717. *d.*
Saxum cum minera argenti 75. *a.*
Saxum saturni 549. *a.*
Saxi etymum 437. *b.*
Saxa odorata 448. *c.*
Saxa salis 308. *c.*
Scaccorum etymum 546. *f.*
Scelites 487.
Schisti æquiuoca 655. *synonima ibid. etymum ibidem. natura* 656. *differentiæ ibid. locus ibid. vsus in medicina, & in alijs* 657.
Sclopi ænei vbi 121. *d.*
Scolopendrites 475.
Scoriæ etymum 14. *f.*
Scrupi, & scrupuli æquiuoca 436. *g.*
Scyrus lapis 696. *f.*
Securis lapideæ icon 158.
Selenites 678. *eius æquiuoca ibid. synonima, & etymum ib. natura* 680. *differentiæ* 681. *icones* 682. 683. *locus* 684. *vsus in medicina ibid. vsus in varijs ibid.*
Semimetallum 29. *b.*
Sepites 451.
Septem dormientes qui 545. *b.*
Serra ærea 125. *a.*
Siderites vnde dicta 141. *d.*
Sideritis nomen æquiuocum 142. *g.*
Signaturæ à colore 259. *a.*
Silicis æquiuoca 724. *synonima, etymum, natura ibid. differentiæ* 725. *icones* 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. *epitheta* 744. *vsus in varijs* 744.
Simulacra Antiquorum in marmore 776. 777.
Simulacra brutorum ænea 117. *d.*
Simulacra Deorum minio tincta 644. *b.*
Smaragdoprasus 900. *e.*
Smaragdi vis 564. *f. differentiæ* 974. *b.*
Smegmata quæ 653. *d.*
Smyridis æquiuoca 653. *synonima ibid. etymum ibid. locus, & natura* 654. *vsus in medicina, & in varijs ibid.*
Soda herba 328. *c.*
Solea calceorum plumbea 163. *b.*
Soleæ aureæ equorum 71. *d.*
Solis symbolum 529. *b.*
Sory quid 341. *c.*
Spartopelia 658. *f.*
Speculum asini 678. *b.*
Specula ex ære 126. *c.*
Sphragis vox æquiuoca 263. *a.*
Spirites 449. *d.*
Spiritus sulphuris, & chalcanthi differentia 337. *d.*
Spodij etymum, & æquiuoca 16. *b. Icones* 17. *b.*
Spondylus animal 698. *g.*
Spongiolites 492. 493.
Spongites 671. *a.*
Spongitum icones 672.
Sportæ argenteæ vbi 96. *b.*
Spultia quæ 654. *c.*
Spuma Lunæ 678. *b.*
Sputi sanguinis remedium 652. *g.*
Stagnare vnde dictum 185. *c.*
Stalagmites 630. *e.*
Stannum in argentum mutatur 93. *c.*
Stanni synonima, & etymum 181. *a. natura ibid. differentiæ* 182. *f. præparandi ratio* 183. *locus ibid. moralia* 184. *problemata ibid. vsus in medicina* 185. *vsus in pictura ibid. vsus in varijs ibid.*
Stanni fulgor vt tollatur 183. *b.*
Statua ex auro solido 68. *c.*
Statua salis vbi 313. *d.*
Statua vt aliquem det nutum 568. *b.*
Steatites 661. 665. 620. *b.*
Steinomarga quid 221. *c.*
Stelechites 502. 503.
Stelechites ferrei icones 143.
Stella terræ 686. *e.*
Stellæ in lapide lazuli 871. *b.*
Stellati lapidis æquiuoca 872. *b. synonima* 873. *natura, & locus ibid. differentiæ* 874. 877. 878. 879. 880. *vsus in medicina* 880.
Stibij æquiuoca 186. *synonima, etymum* 187. *differentiæ* 188. *natura* 189. *locus ibid. præparandi ratio* 190. *mystica, & moralia ibid. vsus in medicina ib. vsus in decoratione* 193. *vsus in varijs ibid.*
Stibij cum fluore icon 188. *b.*
Stibij venenati historia 272. *f.*
Stimmi quid 181. *b.*

INDEX.

Stomachi doloris remedium 893.*b.*
Stomoma quid 19.*b.*
Strombites 449.*c.*
Strumaria herba 141.*d.*
Strumarum remedium 695.*d.*
Stygiæ aquæ etymum 343.*d.*
Stypteria 328.*h.*
Sualternium 404.*h.*
Sublimati etymum 203.*d.*
Suca quid 693.*a.*
Succi concreti lapidei icones 275.276 277.278.279 280.281.282.283.
Succi macri, & pingues qui 284.*f.*
Succinum adulterinum 409.*d.*
Succini æquiuoca 403.*synonima* 404.*etymum ibidem, ortus* 405.*natura* 408.*differentiæ* 409.*locus* 411. *colligendi ratio* 412 *denominata* 413.*mystica, & moralia* 414. *vsus in medicina* 415. *vsus in varijs* 416.
Succini magisterium 416.*e.*
Succini icones 410. 417.
Sulphur sublimatum 365.*a.*
Sulphur caballinum 369.*b.*
Sulphur cauton 364.*f.*
Sulphur metallicum 364.*g.*
Sulphur ex pyrite 578.*c.*
Sulphur sacrum quid 362. *b.*
Sulphur vitriolatum 374.*g.*
Sulphuris æquiuoca 362.*c.synonima ibid.etymum ibid. natura* 363.*differentiæ* 364.*locus* 365.*præparandi ratio* 369.*a.venenum, & medela ibid.denominata* 370.*epitheta* 371.*mystica, & moralia* 372.*vsus in medicina* 373.*vsus in suppliciis* 374.*vsus in sacris* 375.*vsus in varijs* 376.
Sulphuris sapor 363.*c.*
Symptomata ab hydrargyro genita 200.*f.*
Syticus color qualis 258.*h.*

T

Talci æquiuoca 685.*synonima* 686. *etymum ibi. natura ibid.differentiæ ibid.locus* 687.*vsus in medicina* 687. *vsus in varijs ibid.*
Talci conditiones 656.*f.*
Taos lapis 900.*h.*
Tartari æquiuoca 816. *synonima ibid. etymum ibid. differentiæ ibid. vsus in medicina ibid.*
Tasconium quid 228.*f.*
Templa ænea 122.*h.*
Tephria quid 750.*g.*
Termini effigies 548.
Terra armenia 269.*æquiuoca ibid. synonima ibid. etymum ibid.locus* 270. *natura ibid. adulteratio ibid. differentiæ ibid.vsus in medicina* 271.
Terra creata nuncupata 241.*d.*
Terra Dei quæ 242.*b.*
Terra figlina quæ 226.*g.*
Terra græca 263.*c.*
Terra lemnia 262.*b.æquiuoca ibid.synon.ibid.etymum ibid.descriptio ibid.locus* 263.*differentiæ* 264. *Electio* 268. *præparandi ratio ibid.vsus ibid.*
Terra magica 306.*e.*
Terra melia 252.
Terra Melitensis quæ 253.*a.*268.*f.*
Terra nigra quæ 259.*d.*
Terra odorata, & fœtens 210.*e.*
Terra pnigitis 259.*b.etymum ibi.natura ibid. differentiæ ibid.*
Terra puteolana 260.*b.*
Terræ æquiuoca 206.*synonima, etymum* 207. *natura ibid. generatio* 209. *differentiæ* 210. *denominatæ* 215. *epitheta ibid. adagia ibid. somnia* 216.*mystica ibid. moralia* 218. *historica* 220. *simulacra ibid. hieroglyphica ibid. prodigia* 221.
Terræ affinia 210.*b.*
Terræ bullientis spuma 363.
Terræ chiæ æquiuoca 247. *synonima ibid. etymū ibid. differentiæ ibid. vsus ibid.*
Terræ sigillatæ icones 265. 266. 267.
Terræ intestina 216.*f.*
Terræ odor qualis 208.*f.*
Terræ sudor qualis 406 *f.*
Terræ tremoris causa 216.*g.*
Terræ compositæ 260.*e.*
Terræ medicinales 262.*g.*
Terraneola auis 215.*b.*
Terrella quid 215. *b.*
Testaceæ lapideæ 832.*e.*
Tetragonon Hippocratis 187.*d.*
Theamedes lapis 562.*e.*
Theodotium quid 243.*d.*
Theriacæ color qualis 340 *g.*
Thermæ argenteæ 97.*a.*
Thesauri etymum 37.*d.*
Thyallis quid 664.*g.*
Thyites 670.*f.*
Tiburtinus lapis 448.*h.*
Tineæ pustionum remedium 663.*d.*
Topazius 977.978.
Typhus 703 *æquiuoca ibid. synonima ibi. natura* 704. *differentiæ ibid.locus* 705.*vsus ibid.*
Tophus Germanorum 693.*d.*
Torrentes detegunt metalla 21.*d.*
Trahendi vim habentia quæ 558.*f.*
Trichrus lapis 648.*g.*
Trifolium asphaltum 385.*a.*
Triorchites 484.
Tripoles terræ etymum 255.*c.*
Triticites 513.
Trochites 624.*synonima, & etymum ibid.natura ibid. locus ibid.vsus in medicina* 625.
Tubæ argenteæ 96. *c.*

Tubæ argenteæ 96.e.
Turbinites 472.473.
Turbith metallorum 33.b.
Turcois 902.e.
Turcheſiæ ſynonima 902.*etymum ibid.naturaibid.diſ ferentiæ* 903.*locus ibid.ſimulatio, & emendatio ib. vſus in medicina ibid.*
Turkaia 902.f.
Turpetum mineræ ale 204.e.
Tutia Indaqua 339.b.343.a.
Tutia nomen arabicum 15.d.
Tyrannidis ſimulacrum 153.b.
Tyromorphites 515. 516.

V

VAginaferrea 155.c.
Vaſa aurea 70.g.
Vaſa ad fuſionem quæ 234.e.
Vaſa ex cryſtallo 945.b.
Vaſorum icones 229.232.233.
Vaſa quomodo inaurentur 204.b.
Vaſa ex marmore 779.c.
Vas plumbeum ſupra ignem non funditur 163.c.
Vellus aureum 44.e.
Vena crudaria 74.f.
Venenatæ potionis remedium 228.b.
Veneris gemma 967.a.
Venus ex quo marmore ſculpta 748.b.
Vermilio quid 639.a.
Verminationis remedium 809.b.
Verſoria quid 567.b.
Verticilli naſcuntur 178.b.*icon eorum* 179.
Vertiginis remedium 944.f.
Veſtis attalica quæ 70.f.
Vicugnarum venatio 176.b.
Vinum gypſo conditum 677.c.
Vini refrigerandi modus 327.a.
Vir iuſtus auro comparatus 61.d.
Vitrioli magiſterium quomodo paretur 347.b.
Vitrioli phlegma 346.f.
Vitumen quid 378.f.
Vlex ſ. iutex 45.d.
Vmbilici marini 800.e.
Vnguentum alabaſtri 773.c.
Vnguentum citrinum 944.f.
Vnguentum Geranij 632.e.
Vnguentum magneticum 566.b.
Vnio lapis 795.d.
Vocis remedium 361.c.
Volucres qui 260.f.
Vomer æneus 124.g.
Vomitoria quando conueniant 344.f.
Vrbes ab are denominatæ 112.b.
Vrina pueri ad quid 384.g.
Vulcanus cur cheſtius 263.d.

Y

YCho herba qua 27.c.

Z

*ZAphera quid.*260.b.972.f.

REGISTRVM.

¶A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo

Omnes ſunt Terniones, præter ¶, & Oooo, quæ ſunt Duerniones.

Bononiæ, Typis Io. Baptiſtæ Ferronij 1648. Superiorum permiſſu.

ROYAL
ENTOMOLOGICAL
SOCIETY OF
LONDON

Library
Royal Horticultural Society
Vincent Square